REI MEDICAE PRODROMI PRAECIPUORUM PHYSIOLOGIAE PROBLEMATUM...

Matteo Naldi, Arnold : van Westerhout

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 H
M 19

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

REI MEDICAE
PRODROMI
Præcipuorum Phyſiologiæ Problematum
TRACTATVS
Quibus Peripateticæ doctrinæ noua traditur etymologia; & quæſtiones de primo cognito: de cœli corruptibilitate: de animæ humanæ eſſentia: de continui diuiſione &c.

enodantur;

Et oſtenditur Ariſtotelem Peripateticorum Principem cæteris Philoſophis Ethnicis Chriſtianæ Religioni propiora ſapuiſſe, miraque ingenij ſublimitate animorum non ſolùm immortalitatem docuiſſe, ſed etiam cœlorum creationi & eorundem animorum reditui protuliſſe non repugnantia.

Opus ad animos rectè diſpoſitos in veritate confirmandos; aberrantes verò in viam reducendos

accomodatum.

AVCTORE MATTHIA NALDIO BORDESERIO;

ALEXANDRI VII. P. M.

ARCHIATRO, AC EX INTIMIS CVBICVLARIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
BIBL. ROM. PROV. ROM. IHS
12.13.d.20

ROMÆ,

Ex Typographia Ignatij de Lazaris. M. DC. LXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

12 31 H 17

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Antoninus Alphanius Mag. ac Reuerendiſſ. P. Fr. Dominici Maria Puteobonelli Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius Ord. Præd.

02

Digitized by Google

Digitized by Google



MATTHIAS NALDIVS BORDESERIVS

Arnold: Van Westerhout ad, Viuum del: et Sculp:

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

De Re Medica.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. I.

INter multas rei medicæ acceptiones tres tantùm referam magis celebres. vna eſt arctiſſima, quam vetuſtiſſimus auctor Hippocrates ab ſtudio ſapientiæ ſeparauit, ad quam ſpectaret tantummodò morbos pellere, abſque contemplatione cauſarũ, à quibus morbi producerentur; nè animus, & conſilium ad minùs vtilia diſtraheretur. & hanc acceptionem, intrà limites artis concluſam, dixit Hipp. ablationem, & reſtitutionẽ; videlicet ablationem eorum, quæ in humano corpore ſuperſunt, & reſtitutionem eorum, quæ deficiunt; quandocunque acceſſio, aut deffectus impedimento ſit edendis operationibus naturalibus.

Altera medicinæ acceptio laxior eſt, & magis nobilis; in qua profeſſores arbitrantur, nec facilè, nec tutò morbos pelli poſſe, niſi prænouerint, vndè nam ortum duxerint, & quæ nàm ſit natura medicamenti, & corporum, à quibus morbi ſint depellendi; & hanc ſuprà artis limites deſcribunt Auicennas, & Auerroes, ſcientiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur, ex parte, qua à ſanitate remouetur, aut ad eam reſtituitur, in hunc finem, vt ſeruetur ſanitas pręſens, & reſtituatur deperdita.

Tertia acceptio omnium ampliſſima, & apprimè nobilis eſt, quam noſtris temporibus penè omnes medici profitentur, & non ſolùm ſapientiæ pars recipitur; ſed etiam ſapientiæ amplitudinem amplecti cenſetur. Ideoque veriſimile, refert Celſus, Hippocratem, & Eratiſtratum (quem Hippocrati parem olìm habitum refert Galenus) rerum naturæ contemplationem ſcruptatos eſſe; quia eã neceſſariam exiſtimarent; &, ſi non propterea medici haberentur, certè maiores medici, & celeberrimi præceptores in omni ſæculo venerantur. Galenus luculentèr oſtendit, medicum debere eſſe philoſophum; tanquàm ſine rerum naturæ cognitione trunca, & debilis medicina ſit. & noſtris temporibus clariſſimi quique acutiùs ſemper plura ſcruptari, & altiùs agitare conantur; & ſancitum eſt in lycæo, neminem medicinæ profeſſorem deſignari, neque in medicorum cætum admitti, nec permitti alios docere; niſi, qui in rerum naturæ contemplatione profeciſſe, aliquod ſtabile dederit documentum. Imò Ariſt. 1 poſt. T. 30. medici eſſe, ait, ſcire, quarè vlcera orbiculata tardiùs ſanitati reſtituantur; cuius rei ſcire propter quid, ad geometram ſpectet: ideò medicum etiam geometram eſſe, neceſſe eſt. Et hanc medicinæ acceptionem nos ſequi intendimus: quæ definitur ab Herophilo ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neu-

neutrorum. Percipiendo per neutra ea omnia, quæ rerum contemplatione conſequimur. quæ tamen proſequi intendo, circumciſis quæſtionibus, quæ minùs conducere videntur ad ſalutem corporis humani: non enim conſumare ſcientiam præſumo; ſed pro viribus, quæ prodeſſe poſſunt, compræhendere. At etiam difficillimas quæſtiones agitare non recuſabo; ſi conducere videantur; quales plurimæ ſunt, quæ de anima mouentur: cuius vis, & operatio perperàm recepta nihil opis, & multa incommoda humano generi poteſt adijcere, & medicamentorum temerario vſu obeſſe potiùs. vt quotidiè experimur, præſertìm frequenti, & inconſulta ſanguinis miſsione, qua plures ſcalpello ab opem ferentibus, quàm gladio ab hoſtibus iugulantur, demendo animę pabulum, & ſatellites, qui eius cum prudentia, & conſilio operantur.

CAP. II.

In definitione Herophili debere nos intelligere neutra ea, quæ de rerum naturæ contemplatione habentur.

AVctor non ignobilis, cuius ſpecioſa monumenta, artis paruæ nomine poſteris tradita; quæque aſcribi Galeno mererentur; & docendi magiſtris explicanda aſſignari, varias neutri acceptiones refert. Hanc tamen, quam Herophili eſſe cenſeo, non refert; & inter incertos eius verbi ſenſus varia intermiſcens, propriam eius verbi ſignificationem, ab Herophilo intentam, obſcuram fecit. Librum, cui titulus eſt *Parua Ars Medicinalis*, non eſſe Galeni, coniectari poſſumus, quia Galenus alia ædidit de *Conſtitutione Artis*, & *de arte curatiua ad Glauconem*. Dein De Sanitate tuenda Cap. 2. aſcribit Herophilo hanc tertiam corporis conſtitutionem, quam neutram dicunt; ſed non adeò liberè, vt in libro artis paruæ recipitur; ſed potiùs nutanti animo; quod non ſequeretur, ſi idem prorsùs autor de eadem re loqueretur. Præterea: ſi hoc neutrum per participationem ſalubris, & inſalubris recipiatur, vt penè omnes interpretes recipiunt, deberet dici vtrumque, non neutrum. ſed hoc vtrumque in ſingulis corporibus eſt: nullum enim corpus eſt, quod omninò ſalubrè, aut inſalubre ſit, & quodlibet de vtroque particeps eſt. Nihil prorsùs inſalubre, quia ex Platone in Timęo etiam febris aliqua ex parte proficua eſſe creditur; quum ſit ſpirituum concurſus ad expellendum id, quod obeſt humano corpori, pro quo obeundo officio ſpiritus alia deſerunt officia, ad quę deſtinata erant; ex quo præter intentionem nocumento ſunt; nec fatua prorsùs religione à latinis febris Dea dicebatur. Ex Celſo etiam ib. 2. Cap. 8. Illud *Iure aliquis mirabitur, quomodò quadam ſimul & affligunt noſtra corpora, & aliqua ex parte tueantur; nam ſiuè aqua intercutem quis impleuit, ſiuè in magno abſceſſu multum puris coiit, ſimul id omne effudiſſe, æquè mortiferum eſt, ac, ſi quis ſani corporis vulnere exanguis factus eſt*; quod ex mente Hipp. relatum eſt 6. Aph. 27. ſi igitur neque febris, neque pus vndequaque inſalubre eſt, & habitus athletarum ſoluendus eſt, vbi ad ſummum bonitatis deuenerit; omnè corpus erit neutrum, ſi ad ſenſum auctoris illius neutrum recipitur, qui artem paruam compoſuit. et Ariſt. negat. Cap. de oppoſit. dari hoc medium inter ſanitatem, & ęgritudinem, & Plato clariùs in Alcibiade ſecundo, vel de Voto hęc refert *Soc. Præterea benè valentes aliqui ſunt? Alci. ſunt. Soc. ægrotantes alij? Alci. omninò. Soc. non ergò iidem ſunt? Alci. non certè. Socr. ſunt nè alij quidam, qui neutrum iſtorum patiuntur. Alci? nequaquàm. Soc. neceſſe*

ceſſe eſt enim hominem vel ægrotare, vel non ægrotare. Alci. videtur &c. & haberi poteſt indubitabile id, de quo Ariſtoteles ſententię Platonis ſubſcripſerit. & poterat etiam credi excluſum hoc neutrum per participationem vtriuſque, ex eorum, qui de eo diſputarunt, diſcordia, qua addiſcentes, & magiſtri rixantur in ſcholis proteruè: coacti tandèm, contrà grammaticæ inſtitutiones, id neutrum appellare, quod accuratè loquentibus vtrumque erat dicendum. Auerrohes quoquè negat hoc medium poſſe dari inter morbum, & ægritudinem. Et Auicen. ſpondet quidèm explicare, quomodò hoc medium poſſet dari; ſed nuſquàm exequitur. Terentius Varro lib. 2. Cap. 3. monet in emptione *aliàs ſtipulandum ſtatìm eſſe è valetudinario, aliàs è ſano pecore, aliàs è neutro.* At in hoc ſenſu neutrum non eſt recipiendum in pecore; quod vel valetudinarium, vel ſanum, neceſſe eſt, habeatur; ſed neutrum eſt pecus in animo ſtipulatoris, quando incertum eſt, an ſanum ſit, aut futurum ſit, vel valetudinarium; ideò, ait, *non ſtatim*, hoc eſt antequàm patuerit, an ſanum pecus illud, an valetudinarium ſit. Ex Boetio de Definitione Cap. 5. quod neque ſanum, nequè ægrum eſſe poteſt, corpus humanum non eſt. Erit igitur hoc neutrum corpus naturale, vt naturale eſt. Quod ſcentiæ naturalis ſubiectum eſt; quia ſanitas, & ęgritudo de corpore humano dicitur, & de his, quæ ad humanum corpus referuntur. Ideò ex Gal. in introductione, ſeù medico; fructus, & poma, niſi conſiderentur à medico, vt alimenta corporis humani, neque ſalubria ſunt, neque inſalubria. Igitur, ad omnes tollendas difficultates, neutra intelligantur, quæ ad rerum naturalium ſcientiam pertinere traduntur; quæ certè nequè ſalubria, nequè inſalubria ſunt, & tamen eorum notitia medico neceſſaria creditur ità, vt medicus magiſter deſignari non poſſit, niſi in philoſophia priùs magiſter habeatur. Duo enim medici aſſignantur à Platone; vnus, qui corpori; alter, qui animo medeatur. Diuina mens, quæ cum prudentia, & conſilio fabricata eſt hominem, pro vtroque ſalutaria dedit præſidia; atque vt animæ, & corporis diſſociationem, quam mortem vocant, æquo, & pacato animo contemplemur, curat philoſophia, quæ ideò mortis contemplatio à Platone dicitur; vt verò hæc eadem diſſociatio ad terminum à Deo deſtinatum feratur ſine corporis moleſtia, medicina promittit. Itaque per philoſophiam poſtremam diem nec optare, nec formidare docemur. corporis verò incommoda, & cruciatus, qui intercidunt, & eius opera perturbant, arcet medicina; & vtrumq; bonitatis diuinæ largitio eſt, & inuicem reſpondent. atque animæ paſſiones omnes eſſe cum corpore ſtatuit Ariſt. Primo de Anim. Tex. 14; &, quod animi mores corporis temperaturam ſequātur, Galenus profitetur.

CAP. III.

De Doctrina Peripatetica.

QVùm ſatis declaratum eſſe credam, explodendam eſſe vulgatam neutri acceptionem per participationem ſalurbris, & inſalubris; ſed eſſe per excluſionem vtriuſq; vt ſunt ea, quæ pertinent ad naturalem philoſophiam. temerarium ducerem, & parùm prudentiæ obſequens, eam philoſophandi rationem deſerere, quam ferè omnes cupidi literarum recipiunt, quam peripateticam vocant; & in qua principem Ariſtotilem ſtatuunt. Operę pretium tamen duxi, in hoc quoque luculenter animaduertere, qua de cauſa Ariſt. hanc doctrinam peripateticam denominauerit; vt per eius explicationem, pauci, qui ab Ariſt. eſſe recuſant, ad eum redire non dędignentur.

Primò ſine controuerſia recipiendum cenſeo, peripatetici nomen, à græco vocabulo περίπατος ortum ducere, quod latinè redditur deambulare. At clariùs explicandum, qua de cauſa hoc doctrinæ genus ità fuerit ab Ariſt. denominatum; in cuius cauſæ notitia ratio ethimologiæ conſiſtit, & ſumma Ariſtotelicæ doctrinæ dilucidatio.

Vulgata opinio eſt, hoc nomen impoſitum, quia Ariſt. proprios diſcipulos doceret, deambulando, vt ex Laertio lib. 3. de Vita philoſ. aut, quia doceret Alexandrum poſt ægritudinem valetudinis gratia deambulantem: quæ denominationis cauſa facilè recepta vſque ad noſtra tempora eſt, quia non admodùm conducere crederetur, eam acriùs inueſtigare. Verùm, Plato in Cratylo, nomina eſſe, ait, inſtrumenta diſcernendi rem à re. at hoc nomen ità receptum nullam differentiam refert intèr doctrinam Peripateticam, Stoicam, & Academicam; quæ tempore Ariſtotelis præ ceteris celebres habebantur. Non differret a Stoica, quia στόα grecè latinè redditur porticus. at porticus erat ad deambulandum deſtinata; vndè Celſus loquens de exercitatione, quam ambulando proſequimur, inquit, *meliorem eſſe ſub diù, quàm ſub porticu*. Neque etiam differret ab accademicis, quià pluriès leguntur accademici apud Platonem erudiri, deambulando; & ſingulariter, in Teagete Socrates docet Demodocum, deambulando versùs templum Iouis liberatoris. Quod autem neque deſumptum ſit nomen peripati ab Alexandri conualeſcentis deambulatione, patet, quià ambulatoria, quæ conualeſcentibus parata erant, vocabantur apotherapeia, non peripata, & ex Galeno 3. de tuenda valetudine Cap. 2. id genus exercitationis ἀποθεραπευτικὸν dicebatur: & ex eodem Galeno porticus, a quo ſtoici nomen ſumunt, erat ad deambulandum; & propterea. 5. de tuenda valet. cap. 11. porticus antè balnea conſtructas eſſe cenſet, & plurimę narrantur porticus Romę conſtructę ad deambulandum

Scilicet vmbroſis ſordet Pompeia columnis
Porticus Aulæis nobilis Attalicis
Propert. lib. 4.

& Vitruuius lib. 3. cap. 9. refert plurimas porticus conſtructas ad deambulandum. Itaque, ſi per nomen peripatetici non diſtinguatur à Stoicis, & Academicis: non ſinè ratione erit, aliam cauſam denominationis inueſtigare, & prodere.

CAP. IIII.

Denominationes Lycei non eſſe temerarias, ſed ad doctrinæ rationem compoſitas.

CRedibile eſt gymnaſia denominaſſe veteres philoſophantes, nomina aptando doctrinę generi ſibi propoſito: veluti & noſtris temporibus conſueuere. Vndè ſtoici non temere à porticu denominationem ſumunt, ſed ob aliquam ſimilitudinem ab ea, ad modum doctrinæ, quam profiterentur. Veluti enim porticus magnificentiæ potiùs, quàm vtilitatis videri poteſt. Ità ſtoicorum doctrina, vt quæ in ſola rerum notitia verſaretur; plùs gloriæ profeſſoribus quàm fænoris Reipublicæ præſtaret. Item: veluti porticus genus edificij eſt vſu, & ſtructura diuerſa à cæteris: ſic ſtoicorum congreſſus à cæteris ciuilibus diſtingueretur, & cæterorum mentis conceptibus & à vulgata eloquutione; ac demùm: veluti porticus ferè conſtans opere fornicario; quod omnium maximè perenne, & ſolidum exiſtimatur; quia partes eius inuicem obſtantes ſibi ipſis, & contraria inclinatione complexæ ædificium magis ſtabile, & firmius conſtruunt, & iniuriis temporum, & vetuſtatis minùs obnoxium. Ità, & ſtoicorum do-

doctrinam aſſiduis contentionibus firmari, & obiectis hinc, indè durari, & perennem fieri; nec ſuperuenientium philoſophorum examine, & obiectionibus concuti. Plato autem vir nobilis, & mentis placidæ contentioſam ſtoicorum diſciplinam rixarum plenam declinauit; quam docti faſtidirent, indocti non apprehenderent; & concedens rerum ſcientiam plurimum conferre ad humanam fælicitatem, ità eam conſequi conſonum duxit, quæ animos perficeret, atque expleret, non quę angeret, ac perturbaret; & ratus, mentem placidam, & quæ perfici meteretur, per ſe ipſam in verum ferri, vt voluntas in bonum fertur, ideò ſatis eſſe falſas imagines ab animo tollere, quas ſenſus malè obijceret, &, tanquàm ſordibus inficeret. propterea lycęum ſuum non à porticu, ſed à lauacro denominauit, ſeu academia; vt indicaret, veluti in lauacro abluuntur corpora, cęteroqui benè diſpoſita, ità in accademia animi abſtergerentur comi eloquio, & non rixoſo, aut ſpinoſo docendi genere; ſed animi libertate, vt, iuxtà cuiuſcumque mentis capacitatem, & rectum arbitrium inductę ſordes animi tollerentur: ità, vt ſcire eorum diceretur reminiſci, & non quicquam noui recipere, ſed recepta iam detegi, & confirmari. Vtriuſque ſcholę ſcita perpendens Ariſtoteles, & Pirrhonis conſilijs earum diuerſitatem aſcribens, nullius gymnaſium prorsùs deſerendum duxit, nullum tamen ſequi decreuit. Nec perpetuis contentionibus differendum cum ſtoicis, quorum faſtiditis rixis gratiam reddere, difficilè forè arbitrabatur; nec ſine certa concluſione, & non oſtenſa veritate progredi cum Platone; nec ſemper quærendo cum ſcepticis, ſine ſpe finis alicuius progredi; ſed omnes audiendos conſonum iudicauit, ex omnium ſententijs id eligendo, quod magis veritati, & prudentię conuenire videretur. ſiſtendo notitiam in aliqua definita concluſione, vt animus ſciendi cupidus progrediatur deſiderio finis alicuius, quod poſsit conſequi. Ideò lyceum, quod ſequi profiteretur, non à porticu cum ſtoicis denominari ſtatuit, nec à lauacro, ſeu academia cum platonicis; neque ab interminata inquiſitione cum ſcepticis; ſed à peripato, ſeù ambulatorio, quo omnium ſententię audiantur, & magis congruentes ſtatuantur, & veritati, aut prudentię inconſonę rijciantur. Audire enim: non prorsùs, & ſine ponderatione ſequi aliorum opinionem peripateticum eſſe profitetur; & ea de cauſa fabulabantur Mineruam ortam à vertice Iouis, non ex ore; quia pleræque verborum ſignificationes tempore immutantur ex Gal. libro De Hipp. & Plat. Decretis cap. 8. Peripatetici itaque eſt, omnium ſententias audire, & perpendere. Accademicum problematicè diſſerere. Stoicum demonſtratiuè determinare. Scepticum perquirere ſemper, ſine ſpe percipiendi id, quod eſt determinatè.

CAP. V.

Vndè ſit ſtatuenda lycei Denominatio.

NOn videtur ambigendum Peripateticos à deambulatione denominatos eſſe, ea tamen denominandi cauſa, quæ ex Laertio, & alijs affertur, non videtur recipienda propter adductas rationes. Supereſt ergò ſtatuamus, quamobrem ità fuerint denominati. ego arbitror à deambulando per vniuerſum orbem, ad varias opiniones, & varios ritus deprehendendos. Aliundè naturalium actionum quæſtiones recipiendo, ab alijs iſtitutiones de moribus; vt, quæ magis conſona videantur, eligantur, ordinentur, & tradantur poſteritati. Qua ratione ante Ariſt. peripateticum inſtituit ſuum ſapientem Vliſſem Homerus

Qui

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.
Dic mihi muſa virum multiſcium, quia multùm errauit.

vnde adagiũ ortũ eſt, *errando diſcitur,* qua de Cauſa Ariſtoteles è Stagira Macedoniam, ex Macedonia Athenas, ex Atenis Calcidiam pererrans varias philoſophantium opiniones ad examen deduxit, vt ipſe fatetur 2. Metaph. t. 14. ideoque, peregrinandum eſſe affirmat, vt cuiuſcumque loci loquendi conſuetudo, & vulgati idiomatis vis, & proprietas recipiatur, quod neceſſarium duxit Iamblicus dum lib. 1. Cap. 4. fertur, præcepiſſe omnibus, vt lingua patria loquerentur. Hoc etiam boni ſcriptoris eſſe refert Hipp. de nat. hominis text. 3. & ſecundùm naturam, & ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem ſermones ferre, & recipere. & diuerſas ſententias audire, hoc vtilitatis habere protulit Ariſt. quia meliùs ſe habere neceſſe eſt, ad iudicandum, qui rationes omnium oppoſitas audierit ex 3. metaph. t. primo & Diuus Auguſtinus lib. 3. conf. Cap. 4. tanquàm peripateticus profert. *Hoc ſolo delectabar in illa exortatione, quod non illam, aut illam ſectam, ſed ipſam, quacumque eſſet, ſapientiam & diligerem, & quærerem, & aſſequerer, ac tenerem, atque amplexarer,* & lib. 2. cap. 4. commendat ſummopere patris indulgentiam, qui, vltrà vires rei familiaris ſuæ, impenderet filio quicquid, etiam longè peregrinanti, ſtudiorum cauſa, opus eſſet. & Seneca Natur. Quæſt. lib. 3. cap. 1. ait, Qui mundum circuire conſtitui, & cauſas ſecretaque eius eruere, atque alijs noſcenda prodere, & hoc eſt, *errando diſcere*, tàm in ſoluta oratione, quà aliàs. *Ego Arpini*, ait Cic. ad Acticum *volo eſſe pridie Kalendas, deindè circùm villulas noſtras errare,*

Ile breui ſpatio multis errauit in agris
Inter Dulichias, Iliacaſque domos Ouid. Tri. 1.

quod adagium, *errando diſcitur*; admodùm ſupinè recipitur in eorum patrocinium, qui peccant: addiſcentes enim ex Colamella de re ruſt. lib. 1. cap. 1. non, errando, ſed animaduertendo errata, diſcimus.

A quibus propter diſcendi cupiditatem videmus vltimas terras eſſe peragretas Cic. 5. de fini.

CAP. V.

Omnes pœnè ſcholas ad peripateticam reduci.

HI igitùr primùm Peripatetici dicti ſunt, qui diſcẽdi cauſa terras peragraſſent. Verùm, quia non omnibus conceſſum eſt peregrinari, ideò peripateticorum vicaria ſunt gymnaſia eorum, qui in propria ciuitate permanentes, aut audiunt peregrinantes, aut ab incolis peregrinas ſententias recipiunt; & ad hoc ambulatoria conſtruebantur conducentia, vt habetur in Platonis Hipparco, qui columnas, ſeù quadratos lapides, & ſtatuas in vrbis triuiis erexit, vbi præcepta tradebantur, vndè prætereuntes illius ſapientiam deguſtantes ex agris, & ſyluis procedebant. quas columnas, ſeu ſtatuas lapideas vocabant *MERCHVRIVM LOQVENTEM.* quæ ſtatuæ plerumque in ambulatorio mediæ vrbis erant, vbi populus conueniret. Hipparcus propterea dicitur primus, qui Homeri libros inuexerit in vrbem Athenienſem. qui Homerus primus peripateticus fuit, Ariſtoteles verò princeps, non autor; &, qui alio vocabolo pictagoræi dicebantur, diſcendi cauſa orbem terrarum peragrarunt. Huius gymnaſij Romæ etiam ſunt ramenta aliqua, vt qui à grecis multa acceperè, & monumentum eius ſtatuæ, fortaſſe, ſeruatur adhuc in Capitolio, quamuis paulò diuerſo nomine feratur; non enim Merchurius ſed Merchorius dicitur, & non prorsùs corrupto vocabulo, aut inſolita ſcriptura. Obſerua-

uatum eſt enim in antiquis ſępe, ò, pro v. vſurpari, vt pro publicus, poblicus, Aorelius, pro Aurelius. imò permutari refert Quintilianus lib. 1. cap. 4. vt notrix, pro nutrix. ſic non ab re eſſe debet, ſi credatur. Merchurium Merchorium eſſe nominatum, & vulgo etiam nomen conuerſum in peius, exoleto eius officio, cui ſtatuebatur. deperditum autem eſſe officium docendi, ob inductam ab exteris barbariem, & propterea, quod etiam conſueuere bona iſtituta à maioribus decreta, malitia deprauari, & in abuſum trahi; vnde non ampliùs ſcita ſapientum; ſed libelli maledicentium per has ſtatuas ederentur; vt etiam conſueuit Romæ pariter in alia ſtatua, quæ fortaſſe Merchurius dicebatur, ſed, quia à peſſimo hominũ genere in abuſũm conuerſus eſt; etiam bona inſtitutio deperdita eſt, & viget abuſus adhuc; & ſtatua permanet, quæ cognomen recepit ab eo peſſimo hominum genere, quale credebatur olim, vt modo eſt, genus Iudeorum, quorum erat proprium paſcha celebrare. & ad noſtra tempora deſcribit Martialis.

Qui pallentia ſulphurata fractis
commutant vitreis.

Quarè potuit facilè ab hoc ipſo cognomen ſumere eorum Merchurius; & poſteà, nomine obſoleto, ſuper eſſe cognomen, quod modo habet. quod obiter dictum ſit de Merchurio in Momum conuerſo. Merchurius loquens, aliàs Hærmes, & Triſmegiſtus dicebatur, vt Oſiris apud Egiptios. Galenus autem in ſuaſoria ad artes. Cap. 2. ait, Merchurium ſingi, & ſtatui, tanquàm orationis parentem, & artium omnium auctorem iuuenem, formoſum, hylari vultu, acribus oculis, baſi innixum, ſic vndique figuratæ, vt quadrantal referat, & habebatur hæc ſtatua in triuijs. & Ariſt. doctrina ex eo peripatetica etiam dicitur, quia triuialis ſit, & nititur ſenſatis, & non recipit, niſi manifeſta quæ ſunt, & repellit, quæ non apparent; vt paſſim in his, quæ concludit, obſeruari poteſt; difficilis autem creditur, & obſcura vecordibus.

Tertium genus peripateticorum eſt eorum, qui, neque ambulando per vniuerſum orbem, neque in triuijs, & colloquijs; ſed, legendo, erudiuntur: & dicitur ψυχῆς περίπατος, quod interpretatur Galenus animi exercitationem ſinè corporis motu; vndè etiam Diogenes peripateticus haberi poteſt, qui contrà Zenonem dicentem, omnia quieſcere, non inuehebatur; niſi ambulando, vt euidenter Zenonis ſententiam redargueret. Partitio librorum Ariſtotelis à Cicerone relata libro De finibus, & paſſim recepta eſt in ἐξωτερικὸς, καὶ ἀκροαματικὸς hoc eſt in exteros, & auditorios. Auditorij dicebantur, qui in triuio, ſeù ambulatorio per ſtatuam recipiebantur, quæ propterea dicèbatur Merchurius loquens; Exteri verò, qui aliundè ferebantur, aut legendo ſuſciperentur. Si licèt in philoſophia poetarum arcana intermiſcere, primi ordinis ſtatuit peripateticum Vliſſem Homerus, vt ſuprà relatum eſt. Sapientem verò, qui legendo fit, ſtatuit Virgilius Aeneam, dum eum ad inferos cum ſibilla, hoc eſt, ſapientia duce, profectum fabulatur. Ad inferos enim ire, & eoſdem alloqui, nihil aliud eſt, niſi eorum, qui vita functi ſunt, ſcita contemplari, & legere, quæ ſcripta reliquerint.

Omniſcius Ariſtoteles, & ingenio præditus ad omnia placita parato, nullius ſententias deſpicit; ſed omnes ſequitur, modo tamen à Platone magiſtro dato, & Hippocrate, & à ſe relato 1. de Anima T. 29. quo manifeſta, & magis plauſibilia recipit, & deſerit, quæ non apparent, vt eius ſempiterni moris eſt.

Scepticos ſequitur definitionibus identicis, a ſe compoſitis in omni ſermone, per quas ſemper aliquid prętereit inquirendũ. decreuit enim omnem diſciplinam demonſtratiuam ex præexiſtenti fieri cognitione, ſed tandem principia indemonſtrabilia, & latere vlti-

vltimas rerum dufferentias.Vndè peruulgata eſt Alexandri quærela, qua Ariſtotelem inſimulabat eo,quod doctrinam popularem tradiderit, & definitiones nihil concludentes.qua propter doctrina Ariſt. tanquàm ſcepticæ particeps,per plura ſæcula, vſque annos tercentum neglecta iacuit. credere enim,iacuiſſe propter ſtili ardui, & reconditi obſcuritatem, hebetioris ingenij eſt, & Alexandri querelæ non reſpondet. Veroſimilius eſt, eius doctrinam diù fuiſſe neglectam, quia nimìs popularis erat ab initio: vetuſtate autem inualuiſſe propter obductam oſcuritatem, & temporis non iniuria, ſed beneficio. præſertim acceſſione obſcuritatis ab Alexandro Aphrodiſæo,&Themiſtio impoſitæ commentatione, & paraphraſi.

Amplexus eſt etiam ex Platone magiſtro academicorum loquutionem placidam, omnia comitèr ferendo, nihil rigorosè, aut ſtoica demonſtratione concludens; ſed recipiens tantùm ea, quæ manifeſta ſunt,& in his inquiſitiones ſuas ſiſtendo: & deſerendo, quæ non apparent.

Præ cæteris ſtoicorum doctrinam proſequitur. non ſpinoſo dicendi, & ſcribendi genere, nec rixoſis quæſtionibus; ſed omnium ſuarum tractationum præuiam ſtatuendo dialecticam; &,qùm tàm multa ſcripſerit, nullius tamen operis ſe auctorem iactat, prærerquàm dialecticæ; qua, quomodo in arduis demonſtratione ſtoica procedendum ſit, oſtenditur, regulis exactiſſimis, & à nemine ante eum traditis. Quę cauſa eſt noſtris temporibus eos tantùm peripateticos haberi, qui ſtoicam doctrinam proſequuntur; & quæſtionibus peruicaciſſimis ſtoicorum more rixantur in ſcholis, & præſertìm qui porticus incolunt, quos propterà clauſtrales, ſed meliùs ſtoicos appellare conuenit. Si itaque Ariſtotelis doctrinam deſcribere fas eſt. dicenda *Mentis habitus ex rerum euidentia, & propria obſeruatione in ſapientum placitis eligitus, vt animi, & corporis ſocietas pacifica, & perennis conſeruetur, & ſine perturbatione diſſoluatur*. Dicitur peripatetica doctrina *Mentis habitus*, quia verè ſcientia eſt. ſubſequitur *Ex rerum euidentia*: quia huiuſmodi ſcientia ab Ariſtotele non concluditur,niſi ex manifeſtis; & omnes eius concluſiones terminantur,per manifeſtum eſt; &, quicquid excludit, excludit, dicendo, ſed id non apparet. Dicitur autem hic habitus *elicitus*, quia, licet ipſe non diſſentiat prorsùs à magiſtro Platone, à quo ſcire vocabatur reminiſcentia; tamen in concluſione ex præcognitis aliquid elicitur nouum, vt ſuo loco manifeſtabitur. dicitur vt *animi, & corporis, &c.* quia in doctrina platonica duo medici feruntur: vnus, qui corporis patemata; alter,qui animi arceat. Animi patema vltimum eſt ignorantia; quam philoſophia repellit. Corporis patemata ſunt morbi, quibus profligandis medicina præeſt. Dicitur *Vt animi, & corporis ſocietas &c.* quià, licet ex ſententia Ariſt. 2. de anima t. 37. omnia corpora naturalia ſint animæ inſtrumenta; tamen corporis humani anima eſt vera forma, licet diſſociabilis; & animi mores corporis tetperaturam ſequuntur ex Galeno, & alter alteri obſequitur, quod ſocietatis eſt. & videntur animæ paſſiones omnes eſſe cum corpore ex Ariſt. 1. de Anima cap. 1. *Pacifica* hoc eſt ſine morbis. *Perennis*, vt compleatur,quæ cuique rei conſtituta eſt, duratio. *Et ſine perturbatione diſſoluatur*, quod ſequi creditur per completam, quæ ſibi data eſt, durationem. & interìm liceat mortem contemplari abſque eo, quod nec optetur, nec eam timeamus. optamus enim aliquando mori, propter corporis cruciatus, quos cauet medicina; veremur mortem propter eius terribilem aſpectum; cui proſpicit philoſophia.

DIALECTICÆ.

CAP. I.

ARiſtoteles ne ignoraſſe, aut deſpexiſſe ſtoicorum doctrinam videretur, & proſequeretur ſcepticorum inquiſitiones: vt ſe etiam Platonis diſcipulum oſtenderet, opus de recta nominum ratione inſtituit, & modum diſſerendi compoſuit; antequam tractationem vllam proſeqneretur; quod opus organum vocant, quia dialectica dicitur inſtrumentum ſcientiarum, & inuenta quaſi veri, & falſi diſceptatrix, & iudex, & fundamentum eius eſt quicquid enunciatur; quod dicitur axioma quod eſt quaſi effatum. Præfert autem cæteris omnibus tractationibus hoc inſtrumentum, vt, quandocumque opus fuerit, valeant philoſophantes, etiam Stoicorum more rixari, & rigoroſè diſſerere, quæ nàm ſint ſcæpticis adminiſtranda; & quæ accademicis concedenda. Et, quùm adeò multa, & accuratè ſcripſerit Ariſt. & rhetoricorum, & moralium; & naturalium, & ſuper naturalium; nullius tamen operis ſe auctorem gloriatur, niſi dialecticæ; Nec poſſe quicquam ab homine decerni, & conſtitui ſine comite dialectica, ſenſit Gal. lib. de elem. cap. 6 & in re medica antè omnia neceſſariam decreuit De conſtit. artis medicæ Cap. 7. & primo de temper. cap. 5. & idem frequentèr repetit, & luculenter oſtendit. Dialectica autem alia à natura data homini eſt, quæ ſpontè mentis diſcurſum ſequitur:alia ex arte eſt, & dicitur non innata,ſed aqquiſita; & huius ſunt habitus,& actus,per quos alia vtẽs: alia docens appellatur. Habitus non ſunt abſolutè neceſſarii, quia inducũtur per actus,& conſequẽter actus ſunt antè habitus. Neque etiam abſolutè neceſſarii ſunt actus: quia ſinè his multarum rerum ſcientia concepta traditur. Erit tamen neceſſaria dialectica, quæ ex natura eſt; quia eſt peculiaris vis in homine, qua ipſe cum prudentia, & conſilio naturali argumentatur, & reflectit circà bonitatem, rectitudinem,& conſtantiam illationum. Quæ uis, voluntatis nomine, fertur per ſe in bonum; & nomine intellectus,fertur in verum, & à bono voluntas, à verò intellectus, tanquàm à fine intento ab vtraq;facultate,vtraque trahitur:vt teſtatur Ariſt. 1. phys. textu 48. philoſophos, a veritate coactos concluſiones etiam inopinatas proferre. qua vi, vocata principia, & dignitates ab omnibus recipiuntur & concluſiones ex his emanantes quilibet ſcientiarum cupidus recipit, & confirmat; & ſimili intellectus progreſſu etiam ruſtici circà ea, quæ ad ſe pertinent, argumentantur, & concludunt: & non recipientes à ſe deductas concluſiones redarguunt, & reducunt. Neque vlla humana mens eſt, quæ,vt feratur in bonum, aut verum ſibi propoſitum, opus habeat ea diſciplina dialecticæ, qua vtuntur in licæis ad inueniendam, aut confirmandam rerum perceptam veritatem; ſed tantùm opus habet, ad reflectendum ſuper re percepta, vt ſe ſcire animaduertat, & agnoſcat. Hoc etiam vtilitatis habet dialectica, quæ per regulas in lyceo conſtructas traditur, vt faciliùs, & ad magìs intima penetrando, celeriùs addiſcens progrediatur.Ità enim etiam rude, & agreſte ingenium per huius traditas dialecticæ regulas ad notitiam peruenit, ad quam ex ſola naturali dialectica non perduceretur;et reflectit ſuper concluſionibus, & aliàs nutantem animum in rei veritate confirmat, & dogmata firma, & certa, & ad humanam ſocietatem conducentia recipit in ſe, & nota ad poſteros traducit. Quamquàm enim dialectica inſtrumenta acquiſita non pariant ſcientiã; vndè incongruum ducatur, ſimùl ſcientiam, & modum ſciendi inquirere, dirigunt tamèn addiſcentis mentem, vt faciliùs demonſtrationem concipiat,& prodat: non ſimpliciter, vt ſciat; ſed, vt animaduertat, ſe ſcire,

vtq; animum progredientem his regulis acquiſitis ſiſtat, & aljis, docendo, oſtendat; diſtinguendo, cuius rei ſcientia ſit, cuius opinio, quod in natura ſit compræhenſibile, & quid incompræhenſibile, & quo vſque proſequi conducat, inquirendo: quid præterire debeamus cum ſcepticis, aut negligere; inquibus vltro progredi cum accademicis; & in quibus ſubſiſtere cum ſtoicis. Et hac ratione accepta dialectica, quia cauſas ſuarum concluſionum agnoſcit, ſcientia dicenda eſt. Quatenùs verò conſtruendi demonſtrationes normam ad varia capita deducit, & figuras dſtinguit certis terminis obſignatas, ad eaſdem demonſtrationes conſtruendas, dicenda eſt ars. Et quo de terminis agit, & enunciationibus, & de demonſtrationum vi, & efficacia; & probabile diſtinguit à certo, & deceptorio, appellatur docens: quo verò horum miniſterio procedit, appellatur vtens; & nulla ex his habet definitum ſubiectum, ſed per omnes ſcientias vagatur, & ſingulis inſeruit. vt primo rethor. aſſignat Ariſt. Non tamen habitus docentis diuerſus habendus eſt ab eo, qui fuerit vtentis; ſed meliùs, quo docemur, dicendus theoricus; quo vtimur, dicendus practicus, & iſte habitus multiplex quidem poteſt vocari in prædicabili, prædicamento, enunciatione, ſillogiſmo &c. tamen, quia multiplex hic habitus tendit in vnum finem, vnus eſt; &, quoniàm huiuſmodi finis preciſè non terminatur in notitia conſtruendi ſillogiſmos &c; ſed vlteriùs intendit per conſtructionem ſiyllogiſmorum &c. conſequi ſcientiam ex directione intellectus, habitus inſtrumentalis, & practicus nuncupatur. *Eſt dialecticus mos præſtantior, non modò verum proferre, ſed ijs rationibus illud approbare, quibus, & ille, qui rogat, ſe dinoſcere fateatur*, ait Plato, in Mæno; vel de Virtute.

De ſubiecto Logicæ.

CAP. II.

NOn conſtare adhuc de Logicæ ſubiecto, patere poteſt ex eorum, qui de hoc diſputarunt, diſcordia: alij enim ens rationis: alij ſecundas intentiones, prout ſunt inſtrumenta cognoſcendi; alij modum ſciẽdi ſtatuunt: hi argumentationem: illi ſyllogiſmum: voces, prædicamenta: prædicabilia: nec vſque adhuc ratum quicquam, & deliberatum eſt. Atque, ne medicus in his diſputationibus occupatum animum inutiliter contineat, diſtinguat primò, diuerſam eſſe acceptionem ſubiecti ab ea, quæ obiecti eſt. Subiectum dicitur alio vocabulo materia ſtrata: obiectum eſt tanquàm ſcopus, & finis; & vtrumque diuerſam habet rationem in ſcientia ab ea, quæ eſt in arte. Item diſtinguenda eſt res conſiderata à modo conſiderandi. Rursùs animaduertere oportet, extendi interdùm ſubiectum ampliſſima ſignificatione: interdùm anguſta, & propria: modò ſtatuitur adæquatum: modò principale: quandoque dicitur attributionis.

Materia ſtrata in ſcientia eſt quicquid ſcibile proponitur appræhendendum, vt in naturali philoſophia corpus naturale, vt à natura mouetur: in medicina corpus humanum; & hoc tale ſubiectum debet eſſe præcognitum, & ſupponi in ſcientia, in qua de illo agitur, & debet habere proprias affectiones, & propria principia, per quæ illæ demonſtrentur. Obiectum verò, ſiuè ſcopus pariter in ſcientia eſt rei quæſitæ notitia, & fœlicitas, ſeù bonum eam notitiam conſequens. In arte ſubiectum, & materia ſtrata eſt, quæ ab artifice ad opus tractatur; vt in aurifice aurum, in fabro ferrario ferrũ: in medicina ſimplicia medicamenta, & compoſita &c. Obiectũ verò, ſeù finis eiuſdem artis eſt opus, quod intenditur; vt in medicina eſt ſanitas,

tas, in ædificatoria domus fabricata. Subiectum, ſeù obiectum principale quidem, ſed inadæquatum ſiuè in arte, ſiuè ſcientia eſt, quod partem tantùm occupat, tamen principalem; vt in arte medica, quatenùs ſcientia eſt, obiectum habet notitiam diſpoſitionum corporis humani, quatenùs verò eſt ſubiectum ſiuè obiectum attributionis eſt rerum cognoſcendarum; vel agendarum pars aliqua, ad quam cæteræ omnes ſiuè in ſcientia, ſiuè in arte rediguntur. tale ſubiectum in medicina eſt corpus humanum, quatenùs ſanabile eſt, ad quod omnia conſiderata in ea reducuntur; vt notitia herbarum, lapidum, temporum, &c. quæ ad ſanitatem tendunt, & ſana catenùs dicuntur, quatenùs ſanitatem corpori humano aut prædicere, aut impertiri poſſunt. Animaduertendum artes, ſeù quæque diſciplina ſub ratione artis conſideratur, non habere proprium ſubiectum, ſed obiectum tantùm, & finem; vt faber ferrarius habet pro ſcopo, & obiecto opus, quod ex ferro fit; non habet autem ſubiectum, quia ferrum, quod eſt materia ſtrata ipſius, non conſiderantur ab eo, ſecundùm quod habet principia, & affectiones; ſed tantùm, prout eſt ad opus intentum dirigibile. Ità medicina, quatenùs eſt ars, conſiderat quidem ea, quæ apta ſint, reſtituere, quod deperditum eſt; & auferrè, quod ſuperfluum; cauſas autem magis remotas, quare auferant, aut reſtituant, non perpendit; Vtitur enim medicus artifex carbone aluminis ad demendam carnem ſuperfluam; quarè autem id præſtet, non inquirit. His poſitis. Dialectica, ſub ratione ſcientiæ, ſubiectum habet ampliſſimum ens rationis: adæquatum ſecundas notiones, prout ſunt inſtrumenta cognoſcendi. Subiectum principale eſt ſyllogiſmus. Subiectum attributionis eſt demonſtratio. Habet verò obiectum ampliſſimum, ſeù maximè remotum fælicitatem, quæ habetur per ſcientiam. Obiectum adæquatum ſunt inſtrumẽta, quæ ad hanc ſcientiam conducunt. & huius obiecti eſt formalis ratio, ac materialis; formalis non opus habet dialectica, quia ſemper manet in homine, qui ex primo metaph. textu primo ex natura ſcire deſiderat; ratio verò materialis ad hoc obiectum formale conducens ab artifice dialectico debet attendi. Hæc enim cura prima ſapientis eſſe debet, per dialecticam voces determinare, & formalem rationem addiſcendi, & docendi in certam, & determinatam materiam argumentandi, diuidendi, definiendi, reſoluendi, demonſtrandi reducere; vt eadem in plures nationes, & in multa ſæcula traducatur. Mutari enim temporibus formas, & genera dicendi, etiam Tacitus refert de orat. dialog. 9. & ad hanc dialecticæ partem ſpectaſſe videtur Virgilius lib. 6. dum ait Sibilla, quæ ſapientiæ perſonam gerit *Folijs tantùm ne carmina manda. Ne turbata volent rabidis ludibria ventis*: debent ſtatui verba duratura per ſecula; nè, harum immutata ſignificatione, ſcientiæ exoleſcant. Quod autem per folia intelligantur verba, quæ ad ſignificandas res efferuntur, patet ex Horatio.

Vt ſyluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ſic verborum vetus interit ætas.
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentque

Monet itaque Virgiljus, dicendo; *Ipſa canas ore*. Sapientiam debere verba ſtatuere, quæ inuariabili ſignificatione ſenſa ſapientum reportent; & inſtrumenta determinanda, quibus diuidendo, argumentando &c. ordine, quantùm naturæ conceditur, ſẽpiterno, ſcientiæ traducantur. Quæcunque enim mutatio horum inſtrumentorum contingat, cauſa eſt, ne antiquorum ſenſa ad nos perueniant. *Fallit non minimè nos, quod à veteribus medicis probè dictum, à nobis non intelligitur* ex Gal. de vſu pulſ. cap. 7. Imò neque etiam ex ore; ſed è vertice Iouis ortam eſſe Mineruam fa-

bulabantur antiqui. vt Gal. annotat. de Hipp. & Plat. Decr. cap. 8. vt ſenſa non ex verbis confidamus excipere; ſed ex mente, quam habuiſſe philoſophantes credibile eſt, & rationabile.

De Vniuerſali.

CAP. III.

EXplicata ethimologia peripatetici; & tradito logicæ ſubiecto, ſequitur aggrediamur tractationem principis huius lycei, qui fuit Ariſtoteles; & egit primò de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis; quorum notitia ſupponit cognitionem generis, ſpeciei, & differentiæ pro comprahendenda vniuoci eſſentia: ſupponit quoque cognitionem accidentium pro æquiuocis diſtinguendis; & proprij, pro denominatiuis. Ideò Porfirius ad Ariſt. doctrinam vniuerſam maxime conducere arbitratus eſt, noſcere, quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia, quid proprium, & quid accidens. Quæ eſſentiæ cùm conſiderentur vnius rationis, vt exiſtentes in multis, vocanturvniuerſalia, καθόλου græcè. hoc eſt tanquàm totum; quia, licet ſit quoddam multiplex in multis ſingularibus, & tanquàm partes in vno ſingulari; tamèn conſiderantur per præciſionem, tanquàm vnum in multis, & tanquàm totum, præſcindendo ob alijs formalitatibus in indiuiduo exiſtentibus.

Hæc tractatio Porphirij dicitur ισαγωγή; hoc eſt introductio, quia per eam nos manducere intendit ad dialecticam Ariſtotelis; & dicuntur ea, quæ præponuntur à Porphirio, prædicabilia: quæ, duplici ratione poſſe conſiderari, animaduertit; vel, prout ſunt in rerum natura; vel, prout conducunt tantùm ad notitiam prædicamentorum. Refert, ſe de his tantùm acturum; quatenùs conducunt ad diuidendi, definiendi, & demonſtrandi rationem. Aliàs, ea conſiderare, quatenùs in rerum natura ſunt, an ſint in rebus, an in mente tantùm, & ab ea producantur, neque conducere in ſibi propoſitum finem, neque eſſe eius conſiderationis, & captus, quæ poſſint a iunioribus, & adhuc rudibus, vt erat Chriſaorius benè intelligi. & rursùs de his erit agendum in prima philoſophia, quæ dicitur metaphyſica.

Quinque numero proponit explicāda prædicabilia Porphirius Chriſaorio; nempè genus, ſpeciem, differentiam, proprium, & accidens; nec plura, nec pauciora conſtituenda eſſe. quamquàm Ariſt. 1. top. cap. 2. 3. 4. inter prædicata, quibus reſpondent prædicabilia, non adnumeret ſpeciem, neque differentiam. eorum anim loco ponitur definitio, quæ conſtans, & genere, & differentia, ex eo, quod eſt contrahibile in genere, conſtituit ſpeciem; & hoc per differentiam, per quam homo v. g. dicitur animal rationale; quod prædicatum conuertitur cum ſpecie, cuius eſt prædicatum, & eſt idem quod definitio: ſic definitio eſt pro ſpecie; vt homo: & pro differentia eſt rationale; &, quamquàm prædicabilia reſpondeant prædicatis, ſtatuendo definitionem, virtualitèr in hac ſtatuimus ſpeciem, & differentiam. Cuius rei rigoroſum examen præterit Porphirius; &, ait, non eſſe huius loci, de his differere, quia hac conſideratione, non eſſet hæc introductio ad Ariſtotelis doctrinam, ſed potiùs diſtractio ab ea. Ità etiam alienum debemus exiſtimare, quærere de ente rationis, an ſit; quid ſit; à qua nam cauſa fiat, aut fieri poſſit. Harum enim rerum notitiam differt Porphirius in primam philoſophiam; in qua ens, vt ens conſideratur. & eius tractationem auſpicatur Ariſt. dicendo. Omnem hominem natura deſiderare aliquid ſcire; vnde progreditur, ſemper deſiderio finis alicuius. Poteſt itaque intellectus, ratiocinando, ſemper aliquid producere; & productam ſpeciem in mente continere, & hæc

ſpe-

ſpecies dicitur ens rationis; quia a ratione fit; eſt tamen ens reale, quia verè aliquid producitur, & perſiſtit. &, qùm noſter intellectus omnem vim recipiat, & intellectio excitetur, & reguletur à virtute diuina, aut à natura, quam vocat Auerth. naturam naturantem; non videtur dubitandum, hanc virtutem diuinam poſſe conſtituere ens rationis; & etiam conſtituat in actu, concurrens cum intellectu humano ratiocinante; & propria virtute, modo tamen à nobis incompræhenſibili.

De ante rationis, pro vt eſt relatio quædam, aut denominatio attributa naturis ab intellectu, poſſumus aliquid compræhendere, & dicendum ſumere, prout appellatur ens rationis logicum. In qua conſiderandæ ſunt denominationes, quæ exercentur in concretis, & abſtractis, quærendo de modo, & ordine, quem habent ad prædicationes eorum tàm in primis intentionibus, quàm in ſecundis.

In primis intentionibus prædicari poteſt concretum de concreto: abſtractum de abſtracto: abſtractum de concreto: & concretum de abſtracto; loquendo de propoſitionibus, in quibus ſubiectum, & prædicatum ſunt aliquo modo ordinata ità, vt ſe habeant, tanquàm ſuperius, & inferius; quorum vnum ad alterum referatur, & pertineat, vel per incluſionem; vel per propriam paſſionem, vel per accidens commune. In his propoſitio vera eſt quandò concretum ſuperius prædicatur de concreto inferiori, aut æquali, ac pariter ſi abſtractum de abſtracto; licet in hoc non adeò euidens ſit veritas prædicationis. At ſi abſtractum de concreto, aut concretum de abſtracto prædicetur, habebit prædicationem manifeſtè falſam. benè enim dicitur homo eſt animal, homo eſt rationalis; at non benè dicitur, homo eſt animaleitas, aut rationalitas, & etiam non benè dicitur rationalitas eſt animal. Et idem ſequitur in prædicationibus ſecundarum intentionum, & benè dicitur genus, aut ſpecies eſt vniuerſale; & non benè genus eſt vniuerſalitas.

Quoniam diximus ab initio, eatenùs præſertim philoſophica à nobis agitari in hac tractatione de re medica, quatenùs conducunt præſertìm ad ea, quæ conſiderantur de anima. ideò, dicentes de vniuerſali, maximè examinanda eſt ſententia Ariſt. 1. De an. T. 8. vbi ait. Vniuerſale, aut nihil eſſe, aut poſterius. Pro quo animaduertendum eſt. Vniuerſale duplex conſiderari. vnum maximè propriè, quod dicitur vniuocum; alterum minùs propriè, quod dicitur ab vno, ſiue ad vnum. pro cuius exacta declaratione tria ſunt conſideranda.

Primum, quid ſit vniuerſale vniuocum, & quid ab vno; & quomodo inuicem differant. Alterum an animal, quod ab anima denominatur, ſit vniuocum, vel ab vno. Tertio an hæc ſententia Ariſt. vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſteriùs, ſit vera de vtroque vniuerſali.

Quo ad primum conſiderandum. Vniuerſale vniuocum eſt, quod & ſecundùm idem nomen, & ſecundùm eandem rationem æquè dicitur de contentis ſub eo ità, vt ſit nomen vnum denotans naturam vnam, quæ ſit eadem in omnibus contentis, & ideò æquè primò prædicetur de omnibus illis.

Vniuerſale ab vno, ſiuè ad vnum eſt, quod non æquè primò, ſed ordine aliquo dicitur de contentis ſub eo; adeò vt primò dicatur de vno. poſteriùs verò de alijs, per relationem, atque attributionem ad illud. vt ſanitas primò dicitur de corpore humano; ac per relationem ad illud dicitur medicina ſana, & pulſus ſanus; medicina quia cauſat ſanitatem; & pulſus, quia eandem ſanitatem ſignificat; & dicitur prædicatio ſani de pluribus, per relationem ad vnum primum corpus humanum; quia ex ſententia Galeni in introductione, ſeu medico, fructus, niſi

con-

conſiderentur, vt alimenta corporis humani, non dicuntur ſani. quod vniuerſale ab vno à latinis interpræ- tibus minùs propriè dicitùr analogum, ab Ariſt. autem, & à græcis ſemper dicitur ab vno, ſiuè ad vnum.

De eo, quod ſecundo loco quærebatur, an animal ſit vniuerſale vniuocum, vel ab vno: non videtur ambigendum in doctrina peripatetica; dum Ariſtoteles loquens de vniuocis affert pro exemplo animal. Tamen, quia 1. de an. t. 8. ait nihil eſſe, aut poſterius; & 10. metaph. tex. 26. negat æterni, & mortalis eſſe quicquam vniuocum; & anima hominis eſt immortalis: equi verò, & canis corruptibilis, res dubia vertitur.

Quo ad tertium quæſitum. An ſententia Ariſt. 1. de anima t. 8. verificetur de vniuerſali ab vno, an de vniuerſali vniuoco; dubium fertur ab Alexandro 3. nat. Quæſt 2. & ait, verificari tàm de vniuerſali vniuoco, quàm ab vno. Pro his declarandis conſiderare oportet triplex Vniuerſale; nempe Vniuerſale phyſicum, metaphyſicum, & logicum. Vniuerſale metaphyſicum eſt, antè rem. Vniuerſale logicum eſt poſt rem; quia eſt ex ſecundis notionibus formatis ab intellectu ſuper primis conceptibus rerum, ex quibus eſt. Vniuerſate phyſicum, quod in ſingularibus exiſtit; vt in homine, cane, equo &c.

Hoc Vniuerſale phyſicum duobus modis poteſt conſiderari, videlicet, pro vt eſt in natura, vel prout eſt in intellectu, & vtrunque adhuc duobus modis accipitur: nempè, vel in potentia, vel in actu.

Vniuerſale phyſicum in natura, prout eſt tale in potentia, dici poteſt, quando natura aliqua ſpecifica reperitur in vnico indiuiduo, vt natura humana in Adam, in quo erat vniuerſalis, quia poterat multiplicari in plures, & non adhuc multiplicata dici poterat vniuerſale in potentia, quando autem hæc natura humana fuit multiplicata, dicebatur in actu.

Pariter vniuerſale phyſicum in intellectu, dicitur in potentia, quando per intellectum non eſt adhuc abſtractum, ſed poteſt abſtrahi ab iis, quibus coexiſtit. Dicitur autem actu vniuerſale in intellectu, quando abſtractio iam celebrata eſt per intellectum, quo ſenſu ait Auereh. 12. metaph. Comm. 4. Intellectus eſt, qui facit vniuerſalitatem in his, quæ ſunt, non quod intellectus faciat eſſe vniuerſale, quo ad naturam; quia hoc erat in natura, antè operationem intellectus; dùm actu reperitur in particularibus; ſed dicitur habere eſſe per intellectum, dùm conſideratur, per abſtractionem, ſeorsìm à particularibus.

Quoniam decreuimus aliquas quæſtiones actiùs agitare, quæ ad facultates animaſticas pertinent, vt quæ apprimè conſiderabiles ſunt in medicina. & Ariſt. 1. de an. t. 8. ait, *cauendum eſſe, ne nos lateat, vtrùm ſit vna ratio ipſius, vt animalis, an ſecundùm vnumquodque altera, vt equi, canis, hominis, Dei*. *equi* reſpiciens concupiſcibilem, *canis* iraſcibilem, *hominis* intellectum paſſibilem, & intellectum agentem: ideò operæ prætium duxi in ſuppoſita doctrina peripatetica, qua omnium ſententias audiendas eſſe relatum eſt, ſtatuere concluſiones de vniuerſali, quæ apud ſtoicos, apud ſcepticos, academicos, & peripateticos eliciuntur, declarando nos recipere pro Deo ab Ariſt. poſitò intellectum agentem, vt recipiatur pro eo, quo maius concipere in homine, nec ſublimius poſſumus, videlicet, quod a Deo eſt, & quod Sueſſanus recipit pro corpore cæleſti, & nos accipimus ſupra intellectum poſſibilem, & infrà Deum. & D. Thom. lib. 1. De An. in explicatione textus citati, inquit, ab Ariſt. *dici Dei, quia credebat corpora cæleſtia eſſe Deos*.

Con-

Concluſiones ſtoicæ De Vniuerſali.

CAP. IV.

PRima concluſio ſtoica. Vniuerſale eſt nomen concretum conſiderandum pro materiali, & pro formali. Pro materiali refert ipſam naturam, quæ dicitur vniuerſalis; vt eſt natura animalis: in qua non exigitur nec vnitas, nec aptitudo ad eſse in pluribus. Pro formali autem exigit & vnitatem, & aptitudinem ad eſſe in multis. aliàs non poſſet dici vniuerſale. debet enim vniuerſale eſſe indiſtinctum in ſe, & diſtinctum à quocunque alio, ſiuè id, a quo eſt vnum, ſit quid negatiuum, ſiuè poſitiuum.

Secunda concluſio. Res poteſt diſtingui ab alia re, & per principia ſua formalia, ſiue eſſentialia, & per principia materialia, quæ dicuntur numerica. quæcunque igitur non diſtinguntur inter ſe per principia formalia, ſunt vnum formaliter, & eſſentialiter; quæ verò non diſtinguntur per principia materialia, ſeù numerica, ſunt vnum numero. Itaque animal per principia ſua formalia poteſt conſtituere vniuerſale, dummodò ſit eadem eſſentia animalis in equo, cane, homine &c.

Tertia concluſio. Vnitas formalis in equo, cane, & homine eſt à parte rei, & non habet eſſe vniuerſale per operationem intellectus. ſi quidem antè omnem operationem intellectus animal eſt formalitas vna exiſtens in equo, cane, & homine.

Quarta concluſio, Vnitas animalis, per quam hoc conſtituitur vniuerſale, non eſt alia, niſi vnitas ſimilitudinis, & conformitatis, quæ vnitas à modernioribus dicitur analogia. quæ eſt eadem ratio conſiderata in multis, in quibus ſine additis formis, quæ in illis ſunt, non diſtinguitur, aut ſaltem non eſt capax diſtinctionis. propterea ea formalitas vniuerſalis non conſiſtit in aptitudine ad eſſe in multis; quia eſt καθόλου hoc eſt tanquàm vnum per ſe; ſed potiùs conſiſtit in quadam relatione, quæ videtur intercidere inter totum, & partes eiuſdem; quæ, licet non ſit relatio, videtur tamen habere ſpeciem relationis, propter quam vniuerſale prædicatur de ſuis inferioribus, & hoc modo refertur ad ea, quæ per huiuſmodi prædicationem dicuntur καθ᾽ἕκαστα, & non abſolutè ἕκαστα. nec materia ſtrata, in qua fundatur vniuerſalitas, dicitur obſolutè ὅλον. Vndè animal, tanquàm totum, habet indiuiſionem in ſe; nanque, vt tale, includit omnia animalia, cum omnibus ſpecificis formalitatibus in vnicam relationem, & indiuiſam. id eſt, quæ non conſideratur diuiſa in alia, niſi per modum ſuperadditum: & per ſpecificas formalitates diſtinguitur eodem modo, quo aceruus lapidum ab alio aceruo. modus enim conſiderandi, etiam ea, quæ ex natura ſpecifica ſunt diſtincta, efficit indiſtincta in ſe; & indiuiſa in alia.

Aliæ quoque habentur eliciendæ concluſiones ſtoicorum, quas moderniores in tractatu de vniuerſali acuto, ne dicam tenui diſcurſu tradunt, præſertim, qui Realium, et Nominalium concordiam moliuntur.

Concluſiones Scepticæ De Vniuerſali.

CAP. V.

PRima concluſio. Non poteſt formari conceptus vnus ſufficiens ad producendum vniuerſale, nequè à parte rei, neque per intellectum. Non à parte rei, quia nihil eſt abſolutè vnum, quod in ſe prorsùs ſit indiuiſum, & à quocunque habeatur diſtinctum, prætèr Deum; ità nihil abſolutè vnum, nec res ſine partibus eſt in rerum natura, vt quicquam tamquàm totum; quod ſi nihil eſt vnum abſolutè in rerum natura; neque etiam poterit præſcindi per intellectum.

Secun-

Secunda concluſio. Ratio animalis, quæ eſt in equo, cane, & homine, non eſt eadem in omnibus vnitate, quæ ſufficiat ad præciſionem. aliàs fieret quodlibet ex quolibet, & non determinatum ex determinato. homo enim viuit priùs vitam plantæ, poſteà animalis. At, quandò viuit vitam animalis, habet diſtinctam naturam, & rationem à cæteris animalibus, antè aduentum formæ hominis, quæ forma neceſſario ſequitur, ſi determinatam habeat potentiã præcedentem, per quam ſatìs diſtinguitur à cane, & ab equo, nec eam diſtinctionem recipit a forma hominis ſuperueniente, & ideò non poteſt aſſignari ſimilitudo ſufficiens ad conſtituendam vniuerſalitatem, etiam ſi aliàs ſimilitudo ſufficiens haberetur ad eam.

Tertia concluſio. Non poteſt concipi natura, ſeu eſſentia vna communis equo, cani, homini, & Deo:quia mortali, & ſempiterno non eſt quicquàm commune vniuocum;quarè neque etiam poteſt concipi vnitas ſufficiens ad conſtituendum vniuerſale. res enim, veluti ſe habent ad eſſe; ità debent haberi ad cognitionem.

Quarta concluſio. Si daretur vniuerſale, vt proponitur, eſſet inintelligibile; ideò nihil de eo poteſt determinari; ſed neceſſe eſt procedere, ſemper inquirendo.

Non poteſt quicquam determinari de vniuerſali metaphyſico. quia nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, ſed hoc vniuerſale eſt abſtractum à ſingularibus, & concipitur, tanquàm vnum exiſtens extrà inferiora aptum eſſe in multis: ſed non exiſtens in multis ità, vt per abſtractionem poſſit repreſentari intellectui tanquàm vnum; quandoquidem multiplex eſt in indiuiduis, & in ſingulis ſpeciebus. vt alias oſtenſum eſt, diuerſam eſſe rationem animalis in equo,ac ſit in leone;& diuerſa ratio hominis eſt in Socrate,& Platone.Et,ſi conſtituatur vnitas illius per ſimilitudinem, vt ſtoici moderniores defendunt: hæc ratio ſimilitudinis eſſet comparanda, & elicienda in naturis ſingularum ſpecierum; quæ infinitæ ſunt, & inintelligibiles. vndè ſemper progrediendum eſt inquirendo, ſine ſpe finis alicuius.

Et eaſdem difficultates habet vniuerſale phyſicum, & logicum; quandoquidem eædem conſiderationes cadunt in eo, quod eſt ante rem, atque in eo, quod eſt in re, vt phyſicum, & poſt rem vt logicum; & eædem implicationes ſequntur, quæ ex idæis à Platone poſitis, quæ nulla ratione admittuntur à Peripateticis; ſaltem in ſenſu, qui ab Ariſt. imponitur Platoni.

Concluſiones Academicæ De Vniuerſali.

CAP. VI.

PLato in Parmenide refert, dari rationes vniuerſales, quas vocat idæas, ſeparatas ab indiuiduis, & per ſe exiſtentes; quod deducit ex eo, quia omnia, quæ generantur, generantur à ſimili, & ſimile ſemper intendit ſibi ſimile generare: veluti igitur experimur in his, quæ ex putri generantur, & inter animalia proxima perfectis in mure, qui generatur non à mure præexiſtente, ſed à nullo præcedente generante: ideò, ratiocinatur, ad exemplar alicuius præexiſtentis formæ, quæ æterna permaneat ſeiuncta à ſingularibus: aliàs non hæc animalia determinatè generarentur. At, veluti hæc minuta animalia proprium habent exemplar ſempiternum; ità rationabile eſt credere, dari exemplaria perfectorum animantium, ad quorum imaginem, & olim genita ſint, & in dies faciliùs generentur. veluti etiam Adam primus hominum perfectiſſimus ad imaginem,& ſimilitudinem Dei, & nullo præcedente homine genitus creditur. quæ rerum ſimulachra ſtatuuntur vniuerſale metaphiſicum, & ante res genitas; quod perperàm a Platone fertur.

Concluſiones Peripateticæ

De Vniuerſali.

EX ſententia Ariſt. more peripatetico,nequè deſpicienda aliorum placita; nec integra recipienda, ſed cùm modo: determinando; & admittendo, quæ manifeſta ſunt; & reponendo, quę non apparent. &, quantùm pertinet ad ſumptam tractationem de prędicabilibus: alia ratio vniuerſalis habenda, gr. ex: in animali, quandò in propoſitione ponitur pro ſubiecto; alia, quandò ponitur pro prædicato. Subiectum eſt animal in propoſitione, qua dicitur, animal eſt ſubſtantia. Eſt autem prędicatum, quandò dicitur, homo eſt animal. Ex Ariſt. tex. citato 8. primi libri de anima. Vniuerſale prædicatum, aut nihil eſt, aut poſterius. nihil eſt, quia veluti ens, & verum ſunt traſcendentia eiuſdem rationis, ſic non ens, ſeù nihil, & falſum. At in propoſitione, qua dicitur, homo eſt animal, falſum proditur: nàm homo non eſt omnia animalia; ſic homo non eſt animal, ſumendo animal tanquàm totum, quod multa compræhendat, vt partes; vt eſſe vniuerſalis, refert Ariſt. 1. phyſ. tex. 4. dum ponitur animal tanquàm ſubiectum. Quod, ſi recipitur propoſitio, homo eſt animal; qua dicatur hominem habere, & includere in ſui rationem quandam formalitatem, quam includunt alia omnia animalia. hac ratione acceptum vniuerſale, eſt quid poſterius; hoc eſt ab intellectu conſtitutum. non tamen per præcifionem, vt ſtoici proponunt; ſed per ſimilitudinem quandam, cuius diſtintio non apparet, quod ſatis eſt apud peripaticos, pro accipienda ſententia, quæ, rigoroſè accepta, falſa aliàs habeatur. Dixi non eſſe conſtitutum hoc vniuerſale per præciſionem, quia ad præciſionem exigitur eadem ratio formalitatis præſcindendæ. quam non eſſe in animali, eſt demonſtratum, quia non fit quodlibet ex quolibet; ſed determinatum ex determinato. vndè elicitur, ad recipiendam formã hominis, diuerſam eſſe rationèm animalis ab ea, quæ eſt in aliis animantibus; ſecùs omnia haberent eandem diſpoſitionem ad recipiendam formam hominis; quam habet homo, dùm viuit vitam animalis.

Veruntamen, quia huiuſmodi diuerſitas eſt pœnè impercæptibilis, & non apparet; neque eſt manifeſta, proptereà recipitur ab Ariſt. tanquàm eadem; & in capite de vniuocis, ponit pro exemplo vniuoci animal, tanquàm ſupponens eſſe eandem rationem animalis in homine, ac eſt in cæteris animalibus, quia tanquàm talis recipitur, & fingitur ab intellectu, & idcircò dicitur poſterius: non per præciſionem, ſed per generationem, per quam dicitur ens rationis. cuius nihil ſit præexiſtens, nec etiam in ſingularibus, ſed ex integro generetur ſpecies per rationem, cuius proptereà eſſe dicitur.

Eadem ratiocinatio, quæ habetur de homine, poteſt etiam admitti in cæteris animantibus; vt, velut homo viuit priùs vitam plantæ, poſteà vitam animalis, & tertiò vitam hominis; ità equus viuit priùs vitam plantæ, & poſte vitam equi. quarè non eſt prorſùs eadem ratio animalis in equo, & in cane; ſi ſit determinatum ex determinato, & non qodlibet ex quolibet. aliàs equus eſſet indifferens in vtero recipere formam equi, aut canis. At potiùs immiſcentur rationes, & formæ, quàm de erminentur indifferenter, vt patet in mulo, & lyciſca, in quibus intermixta apparent corporum rationes, & ingenij.

Si verò recipitur animal tanquàm ſubiectum; vt, quandò dicitur, animal eſt ſubſtantia, ſanè animal eſt quoddam totum continens in ſe ſpecies ſingulas animalium, tamquàm partes. in quo ſtatu eſt ad ſimilitudinem vniuerſalis, ſed non eſt, rigoroſè loquendo, vniuerſale, quod dicitur

prædicabile,& de quo agimus in præſenti. animal enìm, quod prædicatur de homine, non eſt quoddam totum, vt homo poſſit dici eſſe omnia animalia. ſed,dicendo homo eſt animal,nihil aliud infertur, niſi in ratione hominis includi quandam formalitatem ,cuius ſimilem includunt cætera omnia animalia, ſingulariter diſtinctam. ſic animal, in prædicatione poſitum pro ſubiecto, eſt tanquàm totum, quod vocat Ariſt: vniuerſale 1: phyſ. tex. 4. Poſitum verò pro prædicato non eſt puoddam totum, ſed eſt quædam pars hominis. Et procedentes ab hoc vniuerſali prædicato ad ſingularia, procedimus ordine compoſitiuo; procedentes verò ab vniuerſali ſubiecto, ad ſingularia procedimus ordine reſolutiuo. Ariſt. 1. de An. tex. 8. intelligit de hoc vniuerſali prædicato,quando ait, animal vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius; ſiquidèm rigoroſè accipiendo, vt recipit ibi Ariſt. dicens. cauendum eſt,vt non lateat,hoc eſt rigoroſè examinandum, an ſit eadem ratio animalis in equo, cane, homine; & demone; an ſecundùm vnunquodque. vt à nobis demoſtratum eſt, non eſſe; recipi tamèn apud peripateticos, qui manifeſta tantùm admittunt; & reijciunt, quæ non apparent ex omnium, quæ ab illis penduntur ſententijs.

Ex his colligitur rationem formalem vniuerſalis, ſeù vniuerſalitatem ipſam conſiſtere in quadam aptitudine rei vnius, quæ poſſit prædicari de pluribus, quia in illis ſit, ſaltem per adeò exactam ſimilitudinem, ne poſſit diſtingui, aut eius differentia non appareat manifeſtè.

De Prædicabilibus.

CAP. I.

HAbita aliqua notitia entis rationis, ſeu logici, & quid ſit vniuerſale, ſeu prædicabile in communi, deueniendum eſt ad notitiam magis peculiarem cuiuſcunque: quam habendam eſſe retulit Parphirius, pro rectè percipienda doctrina Ariſtotelis: cuius conſilium ſequuntur penè omnes perpateticæ doctrinæ profeſſores. Primùm igitur Ariſt: diuidit id, quod eſt, in ſubſtantiam, & accidens. et de ambobus fieri poſſunt petitiones; &,quod reſpondetur, dicitur prædicabile ſub diuerſa ratione, prout varia eſt petitio, & varia acceptio eius, de quo petitur.ferè tamèn petitur de ſubſtantia, aut de alijs prædicamentis ſub ratione ſubſtantię; hoc eſt, pro vt ſunt, non autèm, pro vt accidunt. Ac de ſubſtantia poteſt quæri, quid ſit, & qualis ſit. & idem poteſt quæri de accidente; ſed non adeò propriè, quia verè non dicuntur entia, ſed entis entia. Meliùs itaque poteſt ſumi prædicabilium diſtintio à petitionibus de ſubſtantia. et præſertìm de prima ſubſtantia, quæ eſt ſubiectum omnium prædicationum, & ipſa de nullo prædicatur, nec in ſubiecto vllo eſt. Petitur igitùr de prima ſubſtantia; quid ſit, & qualis ſit. Si Petitur quid ſit, vel petitur de completa eius eſſentia, & forma propria proxima; vel de remotiore, & incompleta, & communi cum alia. Forma, quæ petitur de prima ſubſtantia incompleta, & communi, dicitur Genus; de propria,& proxima, dicitur Species, ſpecies enim, & forma idem dixit Ariſt. Si petitur de prima ſubſtantia, qualis ſit; vel petitur de quali immediatè conſequente formam, & ſpeciem eſſentialitèr; & hoc eſt differentia; vel petitur quale, pariter fomam conſequens illam, & ſpeciem, ſed non immediatè, & hoc dicitur proprium. vel petitur quale non conſequens formam, nequè ſuppoſitum ſub determinata ratione, ſed ex accidenti; &, quod aſſignatur, reſpondendo, dicitur accidens. Atq: cuicunque petitioni de aliquo, quacunque reſponſio, ſeu prędicatio ſiuè nugatoria fuerit,ſiuè mixta ad hęc prędicabilia reducenda eſt: & ideò Porphirius arbitratur, horum prædicabi-

lium notitiam plurimùm conſerre, ad concipiendam, atque apprehendendam prædicamentorum doctrinam, quæ proponitur ab Ariſt. & in hunc finem præfatur ipſe, quid ſit Genus, quid Differentia, quid Species, quid Prorium, & quid Accidens.

De Genere.

CAP. II.

PRimò igitur dicens Porphirius de Genere, & intendens manifeſtare hoc eſſe quidèm ens logicum, ſeù rationis, & per operationem intellectus, ſed cum fundamento in re. ponit priùs duo fundamenta, ad quorum ſimilitudinem, hoc genus logicum dicitur. Vnum fundamentum Genus reale, ſed per acceptionem ex vulgari opinione. per quam, quia omnes, qui Romæ naſcuntur, hanc patriam, ac quaſi genitricem agnoſcunt, ideò vulgus omnes Romę genitos appellat Genus Romanorum. Alterum fundamentum proponit ex vera, & reali generatione. nanquè omnes, qui à Romulo per varios ramos deſcendere creduntur, appellautur Genus Romulidum. Ex his ſtatuit tertium Genus logicum, de quo modò loquimur, quod per operationem intellectus conſtituitur ad ſimilitudinem veri Generis naturalis. nàm, veluti à Romuli ſemine videntur pendere, & diduci in varios ramos hi, qui dicuntur genus Romulidum; Ità per intellectum diſtinguentem, videntur produci, & diramari omnes ſpecies à quadam communi forma, quæ dicitur Genus logicè; & hoc videtur continere in potentia, & confusè ſubiectas ſpecies, & proptereà de illis prædicari in quid. Vndè dicitur *Genus id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo, quod quid eſt*. Dicitur primò, *quod prædicatur*, quia loquimur de Genere logico, & de ente rationis: non de reali; ſic de vocibus: non de rebus. Additur *de pluribus*; quia hoc convenit omni naturæ communi prædicabili, quæ per hoc diſtinguntur à prima ſubſtantia, & ab omni indiuiduo, quod de nullo ſubiecto dicitur. Dùm dicitur, *differentibus ſpecie*, diſtinguitur à ſpecie ipſa; quæ prædicatur de ſolis indiuiduis. ac; dùm dicitur, prædicari *in quòd quid*, diſtinguitur ab alijs omnibus prædicabilibus, nempè à Differentia, Proprio, & Accidente. Quæ definitio eſt quidditatiua, proponens Genus tanquàm partem materialem continentem poteſtate omnes differentias, vt proptereà non prædicetur de illis, tanquàm pars; ſed tanquàm totum potentiale, quod abſtrahatur quidem à ſibi ſubiectis, de quibus dicitur prædicari, ſed abſtractione vniuerſali, non autem præciſiua; & eſt contrahibile per differentias, quæ conſtituunt ſpecies ſubiectas. Licet autem differentia ſit quid eſſentiale rei; tamèn petenti, quid ſit differentia, ad eam explicandam affertur quale quid rei, vt explicabitur. firmandum modò eſt, per prædicationem in quid diſtingui genus, non tantùm à proprio, & accidente, ſed etiàm à differentia; per quam omnis natura ſuperior, deſcendendo, magìs, ac magìs perficitur, non autem diuiditur. ità vt, quò magìs diſtat à ſupremo entis genere, natura quæq; perfectior habeatur.

Dubitant hoc loco interpretes. an Genus poſſit ſeruari in vnica ſpecie; aut ſpecies in vnico indiuiduo. & plurimi arbitrantur, vtriuſque eſſe eandem difficultatem. quam nos longè diuerſam credimus, opinantes genus abſolutè non poſſe ſeruari in vnica ſpecie. Speciem verò aliquo modo poſſe in vnico indiuiduo. Ratio de genere eſt, quià genus ideò dictũ eſſe genus ſtatutum eſt, quia ſit per operationem intellectus multiplicabile, veluti eſt multiplicabilis humanitas in Romulo. vndè inplicat eſſe genus, & non habere plures ſpecies ſub ſe. At ex Ariſt. 1. phys. tex. 60. ſpecies, & forma eſt idem. ideò, non repugnat

ſpeciem, & formam eſſe in vno: At rigoroſè attendendo definitionem Porphirij, dum ait, vtrunque prædicari de pluribus, nec genus in vnica ſpecie, nec ſpecies in vnico indiuiduo ſeruari poteſt. niſi fortè multiplicabile ſit potentia, & multiplicetur per intellectum exercitè, cui competit fœcunditas. Secùs, ſi intèr animalia eſſet vna tantùm ſpecies, vt homo, animal non eſſet genus, quia in homine eſſet vnica forma: & quia ex Ariſt. ſpecies, & forma eſt idem, eſſet vnica ſpecies, neque illi competeret præciſio obiectiua, neque formalis: quià eadem forma eſſet, vt eſt, principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus; quæ potentiæ non præſcinderentur, niſi veluti plures actus intellectionis in vnico indiuiduo. At ſpecies poteſt in vno ſeruari, vt ſeruatur in æternis, non tamen ſub ratione prædicabilis, nec ſub ratione vniuerſalis. quia, licèt Socrates etiamsi ſolus eſſet homo, non eſſet tamèn homo prędicabilis de pluribus, qui habeat vnitatem præciſionis, & realem exiſtentiam extrà Socratem, vndè prædicatio eſſet nugatoria.

De Specie.

QVemadmodū aſſignauit Porphirius varias acceptiones de genere, ità facit de ſpecie, vt explicet, quæ nàm acceptio attendenda ſit in pręſenti. Primò accipitur ſpecies pro forma, & venuſtate. Vndè dicitur prima ſpecies digna eſt imperio. de qua non loquitur dialecticus, ſed de rationali, quæ ponitur ſub aſſignato genere, & de qua genus prędicatur; quę verba non ponit Porphirius pro deſcriptione ſpeciei, ſed vt diſtingueret eam à propria, & vera acceptione ſpeciei, quę eſt forma. Vt enim ſubiecta generi, & prędicabilitati ipſius, neque eſt vniuerſale, neque prędicabile, neque quicquam confert ad notitiam doctrinę Ariſtotelicæ. quarè eam definit, dicendo, Speciem eſſe, *quæ prædicatur de pluribus differentibus numero*. Vt *prædicatur*, eſt prędicabile, vt *de pluribus*, eſt vniuerſale, & vtraq; ratione eſt vtilis eius doctrina ad notitiam prędicamentorum. Ariſt: Definit ſpeciem per indiuidua: non quia hæc, vt talia, ſint de ratione ſpeciei, ſed tanquàm per terminum. & explicat, quid ſit indiuiduum, non quia hoc ſit vniuerſale, ſed quia ingreditur deſcriptionem vniuerſalis, & diſtinguit ab alio. nàm, licet genus quoquè prędicetur de indiuiduo; tamèn non prędicatur eadem ratione, qua prædicatur ſpecies. genus enim prędicatur inconpletè de indiuiduo prædicatione in quid; ſi quis enim petat, quid eſt Socrates, qui dicit, eſt animal, non refert quidditatem ipſius, nec totam, nec pręcipuam. nam ratio animalis, & genus ſe habet tanquàm materia ad quidditatem hominis. ergò pro aſſignanda quidditate dicendum, Socratem eſſe hominem, aſſignando ſpeciem, quę ità dicitur prędicabilis de indiuiduis. Indiuidui autem non eſt prædicatio, niſi impropria, & nihil conferens ad doctrinam Ariſt. qùm ſit identica. Quippè differentię indiuiduales ſunt primò diuerſę. in his igitur indiuidua non poſſunt conuenire, tanquàm in natura communi: ſunt tamen indiuidui conceptus modi determinantes naturam, ſub quibus definiuntur indiuidua. Sol, & Luna conueniunt in natura communi planetæ, at intèr ſe ſunt planetæ primò diuerſi, ità, vt fortaſsè maior diuerſitas aſſignari poſſit intèr Socratem, & Platonem, quàm inter Solem, & Lunam. & videntur tantùm diſtingui numericè, dùm ait Ariſt. cap. de cometis dixiſſe veteres philoſophantes, cometam eſſe vnū ex numero planetarum. non igitur ſeruatur natura communis planetæ in vnico indiuiduo, ſed in pluribus. & ſaltem in Sole, Luna, & cæteris planetis ratio ſpecifica, & indiui-

diuidualis eſteadem;quarè nō eſt prædicabilis, niſi identicè, & ineptè,qùm non habeant aliquid extrà prædicationem, nec poſsit ab illis præſcindi aliquid eſſentiale, quod ſit prædicabile, quod in ſui ratione includit eſſe multiplex.

De Differentia.

EX Porphirio differentia alia accipitur lato modo, & communitèr, alia modo magis determinato, & propriè, alia ſpecificè. & proprijſſimè, & hæc eſt vera differentia. quia, quo Socrates ambulans differt à ſe ipſo, vel à Platone ſtante, non eſt differentia Socratis, & Platonis, niſi ex accidenti, quia hic ambulat, ille verò non. Paritèr quo Socrates albus differat à Platone, etiamſi Socrates ſimus fuerit, & Plato aquilinus, non differunt eſſentialitèr, licèt per accidens diſtinguantur, quod à neutro poteſt ſeparari; ideò per has differentias Socrates dicitur alter, à Platone; &, per ſpecificam differentiam Socrates dicitur aliud à Bucephalo, & homo ab equo. hæc enim eſt differentia per ſe inſeparabilis, quæque non ſuſcipit magis, & minùs. & hæc diſtinguitur in eam, quæ dicitur diuiſiua generis, & in eam, quę eſt,cōſtitutiua ſpeciei. Differentia, quæ eſt diuiſiua generis eſt,vt mortalis, & immortalis, rationale, & irrationale. &, quia eſſe mortale competit vniuerſis ſpeciebus rerum, quæ ſublunaria ſunt, & eſſe immortale, competit cęlo, & intelligentijs; eſſe rationale competit homini, & intelligentiæ, & eſſe irrationale competit equo, & leoni. Ideò hęc differentia diuiſiua generis benè definitur; *quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid*. Differentia verò, quæ eſt conſtitutiua ſpeciei, vt eſt ſenſitiuum, animatum, rationale,non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, niſi quatenùs refertur ad oppoſitas differentias, nempè inſenſitiuum, inanimatum, & irrationale; qua ratione diuiſiua generis dicitur, non autem conſtitutiua ſpeciei. quod ſi per aggregationem plurium differentiarum conſtituatur ſpecies, vt per rationale, & mortale conſtituitur humana; per animatum, & inſenſibile planta; tunc differentia determinatur ad vnam ſpeciem, ſaltem ſub hac ratione; licèt aliàs, ea ſpecies poſsit eſſe ſubalterna, & prædicari de pluribus differentibus ſpecie, non ſub ratione differentiæ, ſed ſub ratione generis. ad quam æquiuocationem tollendam alio modo deſcribitur differentia, *qua ſub aſſignato genere ponitur*. Et, quia hoc tribui poteſt etiam ſpeciei; declaratur ampliùs eius ratio, dicendo differentiam eſſe non ſpeciem, ſed id, *quo ſpecies plus habet, quàm genus*; vt, conſiderato genere animalis, & ſpecie hominis; rationale eſt, quod plus habet homo, quàm animal, & ità rationale eſt differentia ſpeciei humanæ, & non ſpecies humana. Rationale enim eſt, quod aptum eſt diuidere hominem ab equo, quæ ſpecies ſunt ſub eodem genere; & id, quo differunt à ſe ſingula, differentia eſt. Tamèn non quicquid diuidit ea, quæ ſub eodem genere ſunt, habet rationem differentiæ ſpecificæ; quæ vera differentia eſt; ſed, quod pertinet ad eſſentiam, & naturam rei ità, vt dicatur illius pars eſſentialis, & ſpeciem conſtituens. quia videlicèt per differentiam, quæ facit differre rem, connotetur forma conſtituens rem, quæ forma conſtituens eſt vera forma, & realis. quæ autem facit differre, eſt ab intellectu cogitante g. e. rationale, tanquàm fundamentum facientis differre, cùm relatione ad hominem factum differentem, qui homo eſt alterum fundamentum iſtius relationis intèr cauſam, & effectum, cuius conceptus dicitur differentia. qùm tamèn, ea forma, antè operationem intellectus conſtituat quidèm ſpeciem, & perficiat genus, ſed non diuidat, aut diſtinguat.

diuide-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

diuidere enim, & diſtinguere eſt facultatis percipientis, ex comparatione conceptus diſtinguentis vtranque: & hoc eſt, quod ait. Porphirius; *Genus continere differentias poteſtate*, & eſſe prius illis, & habere rationem materiæ ad eam, quæ ſit quaſi forma illius. ex quo, veluti numeri ex pluribus vnitatibus, ità differentia multiplex eſt, quæ formam conſtituit, & ſpeciem: quippè ad hominem conſtituendum, non ſufficit rationale; ſed adiungendum mortale, & diſciplinæ capax.

De Proprio,

PRoponitur à Porphirio quartum prædicabile, quod videlicèt nos manuducat ad notitiam ſpeciei, & differentię, & non ſit ſpecies, nec differentia, nec ingrediatur rei quidditatem, non ſit compars, & tamèn quidditatem ſequatur, & dicatur conuersìm. quod fuit neceſſarium ad Ariſt. doctrinam; nè, quod proprium eſt, accipiatur interdùm pro ſpecie, aut differentia, nec ingrediatur rei definitionem, quod eſt tantùm connotatiuum. Adducit quatuor proprij acceptiones. Vna eſt eius proprij, quod alicui ſolę ſpeciei conuenit non tamèn omni: vt conuenit ſpeciei humanę eſſe grammaticum. ſoli enìm ſpeciei humanæ hoc competit, ſed non omnibus hominibus. Secunda acceptio eſt proprij, quæ conuenit omni, ſed non ſoli, vt, eſſe bipedem, conuenit omnibus hominibus, ſed non ſolis hominibus, verùm auibus quoquè. Tertia acceptio eſt, quæ conuenit omni, & ſoli, ſed non ſempèr. vt, ſi caneſcere competat ſoli homini, & omnibus hominibus, tamen ex natura non conuenit, niſi in ſenectute. Quarta acceptio eſt, quæ conuenit omni, ſoli, & ſempèr, vt conuenit homini riſibilitas. Omnis enim homo eſt riſibilis, ſolus homo eſt riſibilis, & ſempèr eſt riſibilis, quià, licèt non rideat, habet ſempèr proximam potentiam ad ridendum ex natura. ad grammaticam verò omnis homo habet potentiam, verùm nequè proximam, nequè ex natura Et ad caniciem ſupponitur ſolus homo potentiam habere, & omnis homo; non tamèn ſempèr proximam. Sola riſibilitas eſt, quæ omni homini, ſoli, & ſempèr conuenit, & propterea vera proprietas, quæque conuersìm dicatur. vt proponit Ariſt. 1. Top. Cap. 4. ex quo eſſe diſciplinæ capacem, creditur etiam verè proprium, quia non indicat, quid eſt eſſe hominis, ſoli homini conuenit, & conuersìm prædicatur; quarè videtur hanc conditionem tantùm expoſcere, vt ſoli conueniat; nemo enìm proprium dixerit, quod alijs conueniat. inquit Ariſt. loco citato. Vndè dicendum videtur poſcere etiam, quod omni; ſed non ſoli conuenit, proprium; vt omnes modos amplecteretur, quibus dici poſſit, non quod verè hoc proprium haberetur, & determinare quartam acceptionem, quæ omni; ſoli, & ſempèr, vt magis communem determinet: non ſolùm ſecundùm ſpeciem; ſed etiàm ſecũdùm varia temperamenta, & varias ætates. non quòd aliæ etiam proprietates, quæ ſoli ſpeciei conueniunt, non ſint veræ proprietates, & dicantur conuersìm, etiamſi non conueniant omni, nec ſempèr. Ariſt. tamèn proponit conditionem, vt ſoli conueniat, quia hæc eſt præcipua. quę ſi deſit alicui prędicabili; licet ſit verùm prædicabile, ſi non conueniat ſoli, non eſt hoc prædicabile, de quo agimus, nempè proprium, namquè Plato eſt riſibilis, & riſibilitas prędicatur de eo; verè tamèn in eo eſt accidens, & potentia, non proprium) quia non ſoli Platoni conuenit riſibilitas, nec dicitur conuersìm; eſt enim ridere proprium hominis, non Platonis. ſic vera eſt ſententia Ariſt. & rata; quod prædicatur de natura ſuperiori, prædicari etiam de in-

de inferiori, ſed non ſub eadem ratione, niſi ſoli, omni, & ſempèr conueniat; vt proponit Porphirius.

De Accidente.

VEra prædicabilia, & propria ſunt genera,& ſpecies.corũdem connotatiua ſunt differentia, & proprium. Eſt etiam ex ſententia Ariſt.1. Topic. Cap:4. quod facit diferre rem à re, & non admittit definitionem differentiæ, & eſt, quod conuenit ſoli, & non videtur dicendum proprium. Itaque eſt aliquid, quod non eſt genus, non ſpecies, non differentia, non proprium, & tamen eſt prædicabile. Hoc ſtatuit Porphirius quintum prædicabile, & vocat illud accidens. & oſtendit hoc ineſſe ſubiecto,& eſſe prędicabile de eodem, dicendo *eſſe id, quod adeſt, & abeſt, pratèr ſubiecti corruptionem*; Differt enìm homo ab equo per rationalitatem; & differt Socrates à ſe ipſo ambulante, quando ſedet; tamèn rationalitas dicitur differentia connotatiua ſpeciei; ſeſſio verò dicitur accidens. quia rationalitas non poteſt abeſſe ab homine, ſine hominis corruptione; ſeſſio verò abeſt, & adeſt, Socrate ſemper manente in eodem ſtatu hominis. &, etiamſi idem Socrates morbo correptus, aut phrenitide, aut alio inſaniæ genere videatur amiſiſſe rationalitatem; tamèn ex ſententia Platonis dicimus, etiàm inſanos ſapere; inſanire autèm nobis videtur homo, quandò circà obiecta ſibi malè oblata à phantaſia, alio modo diſcurrit, quo cæteri homines diſcurrunt circà obiecta ritè repræſentata. veluti eti m malè ſentire diceretur, qui viride obiectum diceret, quandò id, quod album eſt, mediante viridi chriſtallo oſtenditur. Itaquè, quod adeſt, & abeſt pratèr ſubiecti corruptionem, licèt faciat differre, non dicitur differentia, ſed accidens.

Ità etiàm. ſi quid competat omni, & ſempèr, imò, & ſoli, non eſt prædicabile, quod dicitur proprium. vt Æthiopi omni nigredo, & ſempèr, conuenit, & ſoli ex hominibus: tamèn non eſt eius proprietas nigredo, ſed accidens, quia ea nigredo non ſequitur eſſentiam hominis, vt ſequitur riſibilitas; & licèt Cato nunquàm riſiſſe dicitur, tamèn ſempèr riſibilis fuit, proptèr potentiam ad ridendum. & accidens non requirit actualem exiſtentiam ſubiecti; habet tamèn ſimilitudinem quandam proprij illud accidens, quod dicitur inſeparabile; vt eſt albedo in cygno, & nigredo in coruo. non eſt tamèn proprium, quià non conſequitur eſſentiam; & poteſt præſcindi à cygno albedo, & nigredo à coruo, ſinè defectu conceptus eſſentiæ eorum, & ponitur hoc accidens inſeparabile intèr prædicabilia à Porphirio, non ſolùm, vt diſtinguatur à proprio; ſed quià verè ineſt ſubiecto, & prædicatur de ſuppoſitis indiuiduis principalitèr, ſecundariò verò de his,quæ continent indiuidua.vt, ex aduerſo,genus, ſpecies, proprium, & differẽtia prędicãtur primò de continentibus, mox de indiuiduis contentis, ideòque de pluribus prædicantur cætera prædicabilia, quàm accidens; & priùs eſt illud, cui accidit, &intenditur, & remittitur in ſuppoſito corpore, etiamſi ſit inſeparabile à ſubiecto, & competit pluribus ſpeciebus, & non prędicatur conuersìm; vt propriũ.

DE

DE PREDICAMENTIS.

Quid ſit Prædicamentum.

CAP. I.

CHategoriæ hoc eſt prædicamenta ſunt propriè ſignificationes nominum, ad rerum diſpoſitionem aptatæ; vt id, quod de altero affirmatur, magìs appoſitè dignoſcatur. Plato in Cratylo cauſas denominationis ſectatur, quas vocant ethimologiam. Ariſtotiles verò quærit potiùs eſſentias rerum. non enìm hæc eſt nuda tractatio de vocibus, veluti nominales ferunt; neque tamèn abſolutè de rebus; ſed agitur de vocibus, quæ rebus reſpondent, & hoc propriè pertinet ad Dialecticum, vt viam paret, per quam modum definiendi, & demoſtrandi conſequamur.

De Æquiuocis, Vniuocis, & Determinatiuis.

CAP. II.

QVoniàm diximus prædicamenta eſſe voces aptandas rebus, ſecundùm naturalem ſubordinationem. Ad id primò proficuum duxit Ariſtotiles, oſtendere, quænam voces rebus benè reſpondeant, quæ non benè, & quæ medium modum ſeruent. Quæ non benè reſpondent, appellantur ab Ariſt. æquiuoca; quæ benè reſpondent, vniuoca; quæ medio modo, dicuntur denominatiua.

Æquiuoca ſunt, quorum nomen commune eſt, ſed res, ſecundùm illud nomen ſignificata, eſt diuerſa. veluti nomen canis eſt commune ad animal quadrupes, ad ſydus, & ad piſcem; ſubſtantiæ verò ratio per hoc nomen ſignificata eſt longè diuerſa in quadrupede, in piſce, & in ſtella.

Vniuoca ſunt, quorum nomen commune eſt, & ſubſtantia ratio, per illud nomen ſignificata, eſt eadem; vt eſt nomen animal: quod dicitur de equo, cane, leone, &c. quæ animalia, licèt ſint intèr ſe diuerſa ſpecie, tamèn ſubſtantiæ ratio per illud nomen animal ſignificata eſt eadem in ſingulis, aut ſaltèm quàm ſimillima, quod ſatis eſt apud peripateticos ad coſtituendam vniuocationem.

Denominatiua ſunt, quæ nomen deriuatum habent ab alio nomine, ſiuè per participationem eſſentiæ, ſiuè per dependentiam ab ea, vt à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis.

Analoga paritèr, vt denominatiua, media ſunt intèr ea, quæ dicuntur vniuoca, &, quæ dicuntur æquiuoca. Intercidit tamèn hæc differentia; quòd denominatiua ſequntur potiùs vocem: analoga potiùs ſequntur eſſentiam æquiuocatam, vel vniuocatam. Ariſt. hoc loco refert tantummodò vniuoca, & æquiuoca; quià quædam analoga ab eo dicuntur vniuoca, & quædam æquiuoca. Analoga enim, quæ talem habent aliquam proportionem, & conuenientiam; etiamſi ratio eſſentiæ non ſit prorsùs eadem; ſi diuerſitas non eſt manifeſta, ponuntur intèr vniuoca, vt ratio animalis in homine, & equo, dicitur vniuoca; quia diuerſitas, quæ eſt intèr rationem animalis in ſingulis, eſt inconſpicua; & non apparet, vt apparet in homine vero, & lapideo; in quibus illud nomen dicitur æquiuocum. ità nomen oculi æquiuocum eſt in homine etiam viuente, ſi non poteſt videre. Analoga autèm excluduntur ab vniuocis; quandò præſeferunt euidentem inæqualitatem rationis in re ſignificata, per idem nomen. vt eſt ratio ſanitatis, quæ primò dicitur in viuente de libera facultate ad ædendas operationes naturales, vel de conſtitutione ſecundùm naturam inſtrumentorum ad has ædendas operationes: per attributionem autem, & relationem ad has edendas operationes, alia quoque dicuntur

tur ſana, vt dicitur medicamentum ſanum, quià reſtituit deperditam ſanitatem: dicitur etiàm ſanus pulſus, quià ſanitatem ſignificat per hanc analogiam. Extendunt nonnulli etiàm analogiam ad proportionem proportionis. Vt, quià eſt eadem proportio, ſeù ratio proportionis intèr duo, & quatuor, quæ eſt intèr quatuor, & octo, intèr has rtiones dicitur quædam proportio, ſeù analogia. latiùs etiàm extendunt alij rationem analogiæ.

Sua quæque ſub arbore poma.
Omnia nunc rident, &c.

Quià ſimilem lætitiam ferunt prata virentia, & floribus diſtincta, quam præſeferunt homines ridentes, dicuntur prata per hanc analogiam ridere. Verùm Ariſt. ſecundam tantùm ſpeciem analogiæ refert in Metaphiſicis. primam reducit ad vniuoca, vt exemplo ab eo relato compræhendi poteſt. ità vt ex eo, quidquid manifeſtè tollit vniuocationem, inducat æquiuocationem, aut ſaltèm denominationem. Verùm de his luculentiùs agendum in Metaphiſicis.

De rerum diuiſione.

Eorum, quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, &c.

CAP. III.

HÆC prædicata vniuoca, æquiuoca, vel denominatiua vel compręhenduntur ſecundùm eſſentiam ſimplicem, inquit Ariſt. vel per complexam, per ſimplicem concipi, ait, quandò non niſì vna ſimplex eſſentia conſideratur; ſiuè ea ſit ſubſtantia, vt homo, leo; ſiuè ſit actio, vt currere, pugnare. per eſſentiam complexam compræhendi, ſiuè concipi, ait, quandò ſit vnus conceptus plurium entium, veluti, dùm compræhenditur homo currere, ſimul vnico conceptu duæ eſſentiæ copulantur, nempè ſubſtantia, vt homo, & actio in curſu. quaproptèr operæ pretiũ duxit Ariſt. diſtinguere ea, quæ meliùs per ſimplices conceptus, & quæ meliùs per complexos explicantur.

Primam rerum diuiſionem tradit Ariſt. in ſubſtantiam, & accidens; & vtrumque diuidit in ſingulare, & vniuerſale. & hæc ſecunda diuiſio pertinet ad Logicum, & ingreditur tractationem de prædicamentis. Subſtantias ſignificat per ea, quæ in ſubiecto non ſunt. Accidentia ea, quæ ſunt in ſubiecto; Itàque tàm ſubſtantia, quàm accidens poteſt conſiderari à logico, vt eſt vniuerſalis, vel vt ſingularis. Subſtantia vniuerſalis eſt, quæ non eſt in ſubiecto, ſed tamèn dicitur, & prædicatur de ſubiecto. vt homo, quià eſt ſubſtantia, non eſt in ſubiecto; verùm quià eſt ſpecies, & vniuerſale dicitur de ſubiecto; & prædicatur de Socrate; & Platone. Subſtantia ſingularis, nequè eſt in ſubiecto, n ec dicitur de ſubiecto, aut prædicatur de vllo, nisì identicè. non eſſe in ſubiecto illi competit, pro vt ſubſtantia eſt, non dici de ſubiecto, prout eſt ſingularis. Accidentia autem in hoc diſtinguuntur à ſubſtantia, quia ſunt in ſubiecto, & per inhærentiam ità denominantur; aliàs, ſi albedo, aut quantitas ſubſiſteret per ſe, non diceretur accidens, ſed ſubſtantia. ſuppoſito igitùr, quædam entia requirere actualem inhærentiam, ea ſunt, quæ in ſubiecto ſunt, & vocantur accidentia. quæ etiàm, veluti ſubſtantia, poſſunt conſiderari, vt quid vniuerſale, & veluti ſingulare. Accidens vniuerſale eſt in ſubiecto, pro vt eſt accidens, & dicitur de ſubiecto, provt eſt vniuerſale; veluti eſt ſcientia, quæ, quià eſt accidens, eſt in ſubiecto, nempè in anima, & quia eſt quid vniuerſale dicitur de ſubiecto, nempè de grammatica. Accidens verò ſingulare, vt accidens, eſt in ſubiecto; at, quia ſingulare eſt, nõ dicitur de ſubiecto, vt eſt grammatica in ſingulari ho-

mine conſiderata, quæ inhæret animę, vt in ſubiecto, & tamèn non dicitur de ſubiecto, quià non diuiditur in alios mentis habitus.

Regula de prædicatis eſſentialibus.

Quando alterum de altero prædicatur, &c.

CAP. IV.

INſiſtendo Ariſt. in tractatione de prædicamentis, qùm oſtenderit tàm ea, quæ in ſubiecto ſunt, vt accidentia; quàm ea, quæ non ſunt in ſubiecto, vt ſubſtantiæ, poſse dici de ſubiecto, & prædicari de alio. regulam tradit in præſenti capite, pro diſtinguendis his, quæ vniuocè, & eſſentialitèr prædicantur, & quæ prædicantur non vniuocè. Quandò alterum de altero prædicatur, ait Ariſt. tanquàm de ſubiecto, hoc eſt eſſentialitèr, & vniuocè. quæcunque prædicantur de eo, prædicantur etiàm de ſubiectis; pro exemplo ſit animal, quod prædicatur de homine vniuocè, idem prædicatur de his, de quibus prædicatur homo. & æquè dicitur homo eſt animal, ac dicatur Socrates eſt animal. quià, ſi Socrates eſt homo, & homo eſt animal; quicquid prædicatur de homine, prædicatur etiàm de Socrate; ratio eſt, quia prædicatio eſt vniuerſalis in continendo, multa enìm continet, vt partes vniuerſale, ait Ariſt. 1. phyſ. tex. 4. aliàs enìm, ſi vniuerſale in prædicando non reſponderet vniuerſali in continendo, & acciperetur præciſiuè, non eſſet vera prædicatio, quia verè Socrates non eſt homo in communi, ſed eſt vnus ex hominibus. Ex quibus Ariſt. verbis patet. ſi, quæ in ſubiecto ſunt, vt accidentia, poſſunt dici de ſubiecto, habent etiàm rationem vniuerſalem generis, & ſpeciei, & erunt vniuoca: quia repugnat, eſſe vniuocum, & non habere rationem generis, & dici de ſubiecto, & non eſſe vniuocum. ſi igitur ex capite ſuperiori etiàm, quæ non ſunt in ſubiecto, dicuntur de ſubiecto. & ex hoc capite quæ dicuntur de ſubiecto, dicuntur etiàm, & prædicantur de his, de quibus id ſubiectum prædicatur. ſequitur ergò etiàm, quæ in ſubiecto ſunt, vt accidentia poſſe eſſe vniuoca, & habere rationem generis, & eſſe extrà rationem differentiarum. ratio enìm qualitatis eſt extrà rationem accidentis, & ratio figuræ extrà rationem qualitatis, vt patefiet manifeſtiùs in metaphyſicis.

De diſtinctione generum ſubalternorum.

Diuerſorum generum, & non ſubalternatìm, &c.

CAP. V.

DIxerat ſuperiùs Ariſt. quandò alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur; dici etiàm de ſubiecto. In præſenti capite reddit rationem, & tradit regulam, per quàm cognoſcere poſſimus, quandò alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto. Ratio autem eſt hæc, quia voces, & prædicata debent reſpondere eſſentiæ, ſed diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum ſunt diuerſæ ſpecies, & differentiæ, ergò ſuperiora prædicata non prædicantur de his, tanquàm de ſubiectis; & ſic ea prædicata non traſferuntur ad ſpecies ſub altero genere poſitas, & non ſubiectas; quæ enìm prædicantur de animali, prædicantur etiàm de homine, & leone; & etiàm de Socrate; nàm Socrates eſt homo, eſt animal, eſt ſubſtantia. Ità ſi ſcientia dicitnr habitus, & qualitas, & accidens, etiam grammatica, & logica dicetur ſcientia, habitus, qualitas, & accidens, quia hæc ſunt genera ſubalterna-

ternatim poſita. At, quià ſubſtantia, & accidens ſunt in diuerſo genere, & non ſubalternatim poſito; diuerſæ erunt etiàm ſpecies, & differentiæ. Accidens enìm non benè diuiditur: animatum, & inanimatum: ſenſu prę-ditum, ſenſu expers: rationale, inrationale. tales enìm differentiæ pertinent ad ſubſtantiam; tàm diuiſiuæ generis, quàm conſtitutiuæ ſpeciei. &, quæ ſunt prædicati, erunt etiàm ſubiecti, vt concludit Ariſt. in præſenti capite. Ex qua concluſione probantur prolata in præcedenti capite. nempè, quæcumque dicuntur de prædicato, dicuntur etiàm de ſubiecto, & ſubalternatim poſito. Prædicatio enìm diuerſa ſequitur diuerſitatem eſſendi ità, vt, ſi ratio eſſendi ſit in inferiori inadæquata, erit etiàm inadæquata prædicato.

De Prædicamentorum diuiſione.

CAP. VI.

EOrum, quæ ſecundùm nullam complexionem dicuntur, &c. Cap. 5. &c. Ariſt. cap. 1. prædicam. duo propoſuit quærenda. vnum de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis. alterum de complexis, & incomplexis. Vſque adhùc patefecit, quamodò communicentur vniuoca inferioribus, & ſubiectis; & quomodò deſtinguantur æquiuoca. In hoc capite progreditur ad complexa, & incomplexa. &, quoniàm in proximè præcedenti capite dixerat, diuerſorum generum diuerſas eſſe ſpecies, & differentias, explicat modò, quæ nàm ſint hæc primò diuerſa genera eorum, quæ ſecundùm nullam complexionem dicuntur. videlicet per voces, quæ ſignificant vel ſubſtantiam; vel quantum; vel quale; vel ad aliquid; vel vbi; vel quando; vel ſitum; vel habere; vel agere; vel pati. Sic prima prædicamenta reducit ad decem capita reſpondentia decem primis, & maximè genericis entitatibus. Explicat ſubſequenter in figura, hoc eſt pro exemplo, quænam ſint huiuſmodi entitates. ſubſtantia homo, equus, &c. Quantitas bicubitum, tricubitum, &c. Qualitas, vt album, nigrum, &c. Relatio, duplum, dimidium, &c. Vbi, in foro, in lyceo, &c. Quandò, hodie, heri, &c. Situs, iacere, ſedere, &c. Habitus calceatum eſſe, armatum, &c. Agere ſecare, vrere. Pati ſecari, vri. Hæc, inquit, ſunt prædicamenta prima, & primò diuerſa, quæ prædicantur de omnibus ſibi ſubiectis. At, quia prædicatio eſt, quandò aliquid de aliquo affirmatur, aut negatur; proptereà animaduertit Ariſt. in hoc eodem capite. Si ſumantur voces ſimplices, & incomplexæ, quæ has relatas eſſentias ſignificent, aſque eo, quod de his aliquid affirmetur, aut negetur, non conſtitui ſub eſſe prædicamenti; quia ad huius conſtitutionem neceſſe eſt aliquid affirmari, aut negari. Ex eo enìm quòd aliquid affirmatur, aut negatur: per coherentiam rei, ità affirmatæ, aut negatæ emergit veritas, vel falſitas, de quibus quæritur in dialecticis. *Poſt argumentis, & quaſi rerum notis vtebantur ad probandum, & concludendum id, quod explicari volebant, in qua tradebatur omnis dialectica diſciplina, ait Cic. lib. 4. Acad.* & Ariſt. proſequitur agere de his entitatibus, tanquàm incomplexis, vt tranſeat ad complexa, quæ per vnionem verbi conſtituunt affirmationem, aut negationem.

Hæc ſunt decem prædicamenta vera, & realia à Deo conſtituta antè omnem operationem intellectus, & his excluduntur omnia entia alia, quæ ſunt rationis, aut ratiocinatæ, aut ratiocinantis. intelligendo, quo ad eſſe, non quo ad prædicari. Nàm, quo ad prædicari, poſſunt eſſe entia ſimùl realia, & rationis: ſi prædicamentum ſumatur ſub hac formalitate prędicamenti, & pro vt pendet ab intellectu.

Ariſtoteles has prædicamentorum

voces hoc loco explicat in figura, quod ſatis arbitratus eſt, eſſe in dialecticis. tamèn, quia plures ſunt, qui dialecticis intermiſcent etiàm, quæ ad metaphiſicam ſpectant, non erit ab re, enumeratarum eſſentiarum cauſas adumbrando, ſeriem earum aſsignare.

Primò quicquid primo enti,& perfectiſsimo ſimile aliquo modo eſt,hoc in ſuo ente perfectum, & per ſe ſubſiſtens dicitur *ſubſtantia*. Dein, quia hæc virtutem habet participatam à primò ente, quòd eſt virtutis infinitæ, & quælibet pars infiniti eſt infinita: neceſſe fuit modum rebus creatis tradere, quo agant, qui modus concluditur, & terminatur per quantitatem, vndè in maiori quantò maior eſt virtus, ideò ſecundo loco intèr entia ſtatuitur *quantitas*. quoniàm vltrò bonum eſt communicabile, ne denegata ſit hæc virtus infinita rebus creatis, ſuper addita eſt *relatio*, per quam, quicquid eſt,alterius eſſe dicitur, & omnia, ſimùl quæ ſunt, referuntur ad primam cauſam, vt in ea omnipotentiam conſequantur. qua tamèn vti non poſsit ens creatum ſinè acceſsione diuina;interim tamèn agat intrà ſpheram quodque ſuæ actiuitatis per ſibi datum inſtrumentum, quòd dicitur *qualitas*. Quam immediatè ſequitur *actio*. & hanc *paſsio*. &, quia agens, agendo, repatitur, nulla actio poteſt in æternum durare, ad cuius terminum determinandum datur *duratio*. quæ conſtantiſsima ſeruatur in cuiuſcunque rei loco, ideò *locus* enti cuique datus eſt terræ, aquæ, aeri, igni, &c. & quia cœlorum corpora in proprio loco poſita tamèn mouentur aſsiduò, his conſtitutus eſt *ſitus*. & omnium perfectio *habitus*, *& poſſeſſio*, ſinè qua nequè forma vlla ſubſtantialis, aut accidentalis ſuas vires exercet, vt luculentiùs differo oſtendere in metaphiſicis.

De Subſtantia.

CAP. VII.

SVbſtantia, quæ propriè, & principalitèr,& maximè dicitur,&c. Ab Ariſt. 1. Top. Cap. 7. Subſtantia dicitur, quid eſt: & de ea diſſerere, pro vt ens eſt, pertinet ad metaphyſicum At, pro vt ſubijcitur prędicationi, pertinet ad logicum, indè enim hæc entia prædicamenta, & mentis conceptus dicuntur. neceſſe eſt enim ſeriem cuiuſcumque eſſentiæ determinare à ſupremo eius genere vſque ad indiuiduum; & in intermedijs ſpeciebus determinare, & diſtinguere participatas naturas, & eſſentias; vt voces rebus accomodatæ, & congruentes, quantum fieri poteſt, referantur.

Sunt, qui paucioribus capitibus poſſe contineri huiuſmodi eſſentias crediderint; & ſatis fuiſſe credunt,diſtinguere id, quòd eſt in ſubſtantiam, & accidens. ſed ſunt etiàm, qui plura rerum genera poſſe aſsignari arbitrantur. & irridet intèr neotericos præcipuè exiſtimationis Arriaga hunc numerum determinatum, & tàm facilè receptum prædicamentorum, vna enim, & eadem entitas, inquit, pro vt ſe habet ad agens, conſtituit prædicamentum actionis; &, pro vt ſe habet ad patiens, producit prædicamentum paſsionis, ergò eadem cognitio, pro vt ſe habet ad cognoſcentem, pertinebit ad prædicamentum actionis, vel qualitatis; &, pro vt ſe habet ad obiectum cognitum, efficiet aliud prædicamentum. ſed hanc liberalitatem in aſſignandis pluribus prædicamentis in metaphyſicis examinare oportet. pro nunc denarium numerum recipimus tanquàm Ariſtotelis à Talete receptum, & ab omnibus Philoſophis adhùc ſinè contractione, aut dilatione traductum,quòd eſſe poteſt maximum argumentum hunc numerum non potuiſſe variari, aliàs Ariſt. ſinè nouatione

tione non præterijſſet. præſertim qùm dixerit, meliùs eſſe pauciora recipere, & fruſtrà fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora. At Plato vnum tantùm poſuit prædicamentum, Xenocrates duo iam narrata ſubſtantiam, & accidens. Stoici quatuor ſubſtantiam qualitatem, modum rei, & relationem. Alij nouem, non agnoſcentes ſubſtantiam, niſi per concurſum cæterorum entium. aut vbi; aut quandò referentes ad quantitatem. & tamèn ſequitur Ariſt. numerum ab Archita poſitum decem prædicamentorum realium. Entia rationis non augent hunc numerum, quia ſunt ad ſimilitudinem alicuius ex his: Indiuiduum eſt fundamentum prædicamentorum; tamèn, quia de nullo ſubiecto dicitur, non poteſt adnumerari intèr prædicamenta rigorosè accepta, & diſtinguenda per ſuprema prædicata. Nec ſupponi poteſt primum prædicatum ens cum Platone, quià non eſt vna ratio in omnibus, vt ſuo loco manifeſtabitur. Quarè talis numerus prædicamentorum ſtatutus ſit, non conſtat validè apud Philoſophos; veluti non conſtat de denario numero, non dicam corporum cœleſtium, ſed nè quidem digitorum, aut numeri arithmetici. Maironus diſtinguens rationem ſex poſteriorum debebat afferre etiàm cauſam diſtinctionis. Ochamus referens ad petitiones, quæ de ſubſtantia fieri poſſunt, non reddit cauſam ipſius ſubſtantiæ, & actum agit, nanque hæ petitiones fiunt, quia ſunt. Diuus Thomas quoquè habet petitionem principij; dicens, quæri, quid eſt in prima ſubſtantia, vel pertinet ad eius eſſentiam, &c. omnia enìm prædicantur, quia ſunt. at quæritur quarè ſint, & quo ordine diſtinguantur. Ratio tamèn à Diuo Thoma relata, & ſolidior, & magìs recepta eſt. niſi addere velimus à Deo vniuerſum creatum eſſe ex Platone, & conſilio, quo quæque ferũtur creata. vnicuique enìm ex natura promptiſſimum eſt. ſibi ſimile generare. &, quia Deo nihil æquari, poteſt, omnia tamèn ad eius perfectionem tendunt. & præſertìm, vt vnum ſint, vt hoc vnum perenne, vt potens quàm maximè. Ens igitur erat ponendum maximè vnum perenne, ſtabile, & hoc eſt *ſubſtantia*. &, quoniam ſolus Deus immenſus eſt, tributa eſt primùm huic enti *quantitas*, &, ne aliquid habeatur fruſtrà in natura, hanc ſubſtantiam quantam ſequitur forma alia, quæ dicitur *relatio*, ſeù ad aliquid. Nihil autem operatur per eſſentiam, præter Deum, ſed mediante aliquo inſtrumento, quod omnibus rebus commune tributa eſt *qualitas*. quę ne fruſtrà ſit, neceſsariò eam ſequitur *actio*. quæ eſse non poteſt, niſi ſequatur *paſſio*. Solus Deus æternus eſt, & immortalis: ideò rebus creatis ſtatuta eſt *duratio*. Solus Deus vbique eſt, propterea proprium vbi cuicunq; rei firmatum eſt. Et, quia omnia corpora quanta conſtant ex indiuiſibilibus, quibus etiàm proprium vbi eſt aſsignatum, ſed indeterminatum, pro vt ipſa indeterminata ſunt, iccircò corporis partes habenti, pratèr vbi neceſsariò etiàm fuit determinatus ſitus, nè, partibus ad proprium vbi ſe trahentibus, corpus diſſoluatur. ac demùm hæc omnia entia ſubſtantiæ determinatæ determinanda ſunt, quæ determinatio dicitur *habere*. Quarum rerum ratio, & effectus formalis magìs propriè exponetur in metaphyſicis. modò ſit ſatis hæc decem prædicamenta reſpondere decem rerum formis ſupremis, quæ deindè ab omni ente creato participantur, & ob eam participationem prędicantur.

Sub-

Subſtantiæ diuiſio.

CAP. VIII.

SVb ſtantia diuiditur ab Ariſt. in primam, & ſecundam. Subſtantia prima eſt, quæ propriè, principalitèr, & maximè dicitur ſubſtantia, & eſt ſubſtantia ſingularis, Socrates, videlicet, & Plato, & cæteræ ſubſtantiæ ſingulares ignis, aqua, &c. hæc enim ſubſtantia, quia ſubſtantia eſt, non eſt in ſubiecto, & quia eſt quid ſingulare, de nullo ſubiecto dicitur. ideò deſcribitur ab Ariſt. quæ neque in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur. Hæc dicitur propriè ſubſtantia, quia genera, & ſpecies propriè non ſunt ſubſtantiæ, vndè Ariſt. 7. metaph. C. 13. negat eſſe ſubſtantias. Subſtantia indiuidua eſt etiàm ſubſtantia principalitèr, quia ſubſtantiæ cæteræ ab hac dependent. deſtructis enìm primis his ſubſtantiis, impoſſibile eſt aliquid remanere. Dicitur etiàm hæc maximè ſubſtantia, quià ſolùm ſingulare eſt ſubſtantia completa, & de hac omnes prædicantur, & ſunt ſubiectum omnium entium. Genus eſt ſubſtantia incompleta, & tāquàm materia. Species conſtat ex hac ſubſtātia incompleta, nempè ex genere, & ex differentia, quæ prædicatur in quale quid, quarè ſolum ſingulare ex toto, & maximè, & per ſe ſubſiſtit.

Secundæ autem ſubſtantiæ, &c. allata propria ratione ſubſtantiæ, quæ tamèn non poteſt dici propriè prædicamentum, quià de ſubiecto aliquo non dicitur, affert eius ſubſtantiæ ſignificationem, quæ propriè prædicamentum eſt; hæc autem eſt ſpecies, quæ dicitur ſecunda ſubſtantia, quia eſt poſt primam. Vniuerſale enìm ex Ariſt. 1. de an. tex. 8. aut nihil eſt, aut poſterius. Species autem eſt vniuerſale, ideò dicitur ſecunda ſubſtantia. Igitur ab Ariſt. non ſupponitur diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam, vt aliqui referunt; ſed conſtituitur ab eodem, vt diſtinguamus primam, quæ eſt baſis, & fundamentum cæterarum, ab his, quæ ſunt rationis, & dicuntur prædicamentum, & ad hanc tractationem maximè pertinent, vt ipſe oſtendit, dùm à primis breui ſe expedit, in cæteris verò diffunditur luculentèr, In his ſunt, inquit, primæ ſubſtantiæ hoc eſt ſub his continentur, veluti Socrates continetur in ſpecie humana, & hæc ſpecies in genere animalis, ſpecies igitur, & genera ſunt hæ ſecundæ ſubſtantiæ.

Manifeſtum autem eſt ex his, &c. qùm Ariſt. inſtitutum ſit, loqui de his ſecundis ſubſtantijs, quæ ſunt prædicamentum, & dicuntur de ſubiecto; refert, quid debeamus intelligere, per, dici de ſubiecto; & eſt, inquit, prædicari ſecundùm nomen, & ſecundùm rationem de ipſo. vt animal, & homo prædicantur de Socrate, & Platone, & ſecundùm idem nomen, & ſecundùm eandem rationem, nàm vterque dicitur homo, & animal, & vterque pari modo includit rationem hominis, & rationem animalis, & hoc eſt, eſſe prædicamentum, videlicèt prædicari de ſubiectis eſſentialitèr.

Commune autem eſt omni ſubſtantiæ, &c. proponit Ariſt. ſex conditiones ſubſtantiæ contingentes. prima eſt non eſſe in ſubiecto, ſecunda prædicari vniuocè, tertia primas ſubſtantias ſignificare propriè hoc aliquid; ſecundas verò, de quibus agitur, non propriè, ſed metaphoricè, quarta conditio eſt ſubſtantiæ, non habere contrarium, quinta, non ſuſcipere magis, & minus, ſexta, eſſe ſuſceptiuam contrariorum. Non eſſe igitur in ſubiecto, eſt commune omni ſubſtantiæ, hoc eſt tàm primæ, quàm ſecundæ: nàm, licèt ſecundæ ſubſtantiæ dicantur de ſubiecto, tamèn non ſunt in ſubiecto; &, quandò Socrates dicitur eſſe in homine, tanquàm in ſpecie, non eſt tanquàm in ſubiecto. veluti neque homo eſt in Socrate tanquàm in ſubiecto, ſed eſt homo tāquàm pars eſſentialis, & forma: materia autem Socratis,

non tànquàm ſubiectum, ſed tanquàm compars, quæ tamèn partes non ingrediuntur ſeriem prædicamenti, quia ſunt traſcendentia prædicamentum. Secunda conditio ſubſtantiæ eſt, prædicari vniuocè, hoc eſt ſecundùm idem nomen, & ſecundùm eandem rationem de ſubiectis. nàm accidens prædicatur quoquè vniuocè de proprijs ſpeciebus, non autem de ſubiecto. vt color prædicatur quidèm vniuocè de albedine, & virore; non tamèn de pariete, ſi fuerit ſubiectum albedinis, à qua dicitur album per denominationem; ratio tamèn coloris non prædicatur de pariete. At ſubſtantia ſecunda, quæ prædicatur de ſubiecto, & ſecundùm nomen, & ſecundùm rationem; vt ſuprà explicatum eſt. quam conditionem ponit Ariſt. vt diſtinguat ſubſtantiam ab alijs accidentibus, non autèm à differentijs, quibus quoquè competere, ait, hanc conditionem, vt prædicentur vniuocè de ſibi ſubiectis. ex quo inferri poteſt, licèt differentiæ ſint accidentia, tamèn connotare ſubſtantiam, & prætèr hoc prædicari vniuocè de ſubiectis. Tertia conditio ſubſtantiæ, quæ ingreditur prædicamentum: non ſignificare hoc aliqcid, niſi per figuram. nàm prima ſubſtantia eſt, quæ ſignificat aliquid. at ſecunda ſubſtantia, dùm prędicatur de prima, non ſignificat directè, & rigoroſè id, quod quæritur, quodque dicitur hoc aliquid. dùm enim dicimus, Socrates eſt homo, non ſignificatur per prædicatum hoc aliquid, de quo quæritur. quia Socrates non eſt ſpecies humana; ſed plurimi etiàm alij ſunt ſingulares homines; & eo minùs ſignificatur hoc aliquid, ſi dicatur Socrates eſt animal; quia animal multò plura continet, quàm homo; & quodcunque genus ſuperius plùs, quàm ſubiecta ſpecies. Quarta conditio ſubſtantiæ eſt, non habere contrarium; nulla enim ſubſtantia eſt contraria alteri ſubſtantiæ; quam conditionem tamèn, animaduertit, non eſſe propriam ſubſtantiæ, ſed alijs etiam conuenire, vt quantitati, cui non competit habere contrarium, nàm licèt magnum, & paruum videantur contraria, & pertinere ad quantitatem, tamèn non competunt quantitati vllæ determinatæ. Quinta conditio ſubſtantiæ eſt, non ſuſcipere magis, & minùs. quod non eſt intelligendum facta comparatione intèr gradus ſubſtantiæ ſuperiores, & inferiores, quia de his iam relatum eſt ſingulares ſubſtantias maximè omnium eſſe ſubſtantias; & ſpecies magìs, quàm genera, ſed comparatio attendenda eſt in eodem gradu, aut, ſi fiat intèr primas ſubſtantias, nulla ſingularis ſubſtantia eſt magìs ſubſtantia, quàm alia, non Socrates magìs, quàm Plato, nec Plato puer magìs, quàm ſenex, ac paritèr, facta comparatione ſecundarum ſubſtantiarum, nulla ſpecies poſtrema eſt magìs ſubſtantia, quàm alia poſtrema. non enim homo eſt magìs ſubſtantia, quàm leo, nec leo, quàm equus. Vltima conditio eſt, quàm maximè propriam, dicit, eſſe ſubſtantiæ, ipſam, qùm vna ſit, eſſe ſuſceptiuam contrariorum, hoc enim nulli alij prædicamento competit. nàm eadem quantitas, & ſub eodem reſpectu non poteſt dici magna, & parua. Idem color non poteſt dici albus, & niger, neque eadem actio recta, & praua. At eadem ſubſtantia, eadem numero poteſt eſſe calida, & frigida; alba, & nigra. Et, quoniàm dixerat eſſe maximè proprium ſubſtantiæ ſuſcipere contraria; hoc eſt proprium quarto modo, quòd ſoli competit. obijcit, orationem quoquè, quæ non eſt ſuqſtantia, eſſe ſuſceptiuam contrariorum, vtpotè veritatis, & falſitatis. nàm eadem enunciatio Socrates ambulat, eo ambulante eſt vera, eodem ſedente eſt falſa. Quam obiectionem diluit, afferendo diſparitatem. nàm Socrates fit ſanus, & æger, albus, & niger, recipiendo mutationem in ſe ipſo, & ipſe idem numero permanens. at enunciatio modò vera, modò falſa eſt, non recipiendo mutationem in ſe ipſa; ſed in

reſpectu ad aliud, quòd mutatur. Socrates enim eſt, qui ægrotat, & ſanus eſt. Oratio autèm, qua ſanus dicitur, ſempèr eadem in ſe permanet, & vera per reſpectum, quo prolata eſt, nempè, dùm ſanus erat. falſa fieret enunciatio, ſi illa eadem eſſet de Socrate ægrotante, qua diceretur ſanus, ſed hæc alia eſſet enunciatio, non eadem, nàm de ſano ſemper eſt vera, de ægro eſt falſa, nec eadem numero exiſtens recipit vllam mutationem.

Circà hanc explicationem notandum primò, deſcriptionem ſubſtantię, quæ propriè principalitèr, & maximè dicitur, aptari præſertìm poſſe materiæ primæ; non ſolùm, quià hæc nullo modo eſt in ſubiecto, ſed omnium ſubiectum, ſed etiàm de nullo ſubiecto dicitur. Verùm quia Ariſt. loquitur de ſubſtantia prædicamentali, quæ debet eſſe completa, ideò debemus intelligere ſuppoſita. Videtur intelligere prima facie materiam primam; quià de hac loquitur numero ſingulari, & de ſecundis ſubſtantijs numero plurali; qùm certum ſit, ſuppoſita multò plura eſſe, quàm genera, & ſpecies; imò, ſi ſucceſſiuè accipiantur, erunt etiàm infinita. tamèn, quià vna tantùm ratio eſt ſubſtantiæ in quocunque ſuppoſito. & ſecundæ ſubſtantiæ varietatem recipiunt; quò magis diſtant à primis, ideò primam ſubſtantiam nomine ſingulari: ſecundas, vtpotè multiplices, nomine plurali explicauit, de quibus habenda eſt ratio, & diſtinctio in prædicamentis.

Subſtantiæ nomen ità accipiebamus, vt quasì eſſentia, vt inquiunt, optima cuiuſcunque naturæ perfectio intelligeretur. Gal. 7. de Hip. & Plat. dec. Cap. 1.

De Quantitate.

CAP. IX.

POſtquàm agit Ariſt. de ſubſtantia, meritò agit de quantitate; quia patet ad ſenſum, & inductione, nullam ſubſtantiam eſſe ſinè quantitate, ex qua inductione à plurimis concluditur, eam eſſe coæuam materiæ; quamquàm Ariſt. dixerit in metaphyſicis primam materiam non eſſe quantum, & prædicamenta eadem ſunt apùd metaphyſicos, quæ apùd logicos, præter quàm quod metaphiſicus conſiderat rerum eſſentias, logicus voces rebus aptatas. Ideò, ſi materia eſt ſubſtantia, & non eſt quantū, ſubſtantia erit quid diſtinctum à quantitate; vt apertè docet Ariſt. 1. phyſ. quando ait, ſi conſideretur ens, vt quantum, & cùm affectione aliqua quantitatis, ponenda eſſe duo principia rerum, & non vnum, quia ſubſtantia eſt eſſentia realitèr diſtincta à quantitate, & in ſuo eſſe, ſaltèm entitatiuo, etiàm actu completa ſinè quantitate. & quantitas eſt entitas per ſe independens, &, in abſtracto per ſe conſiderata, concipi poteſt per modum per ſe ſubſiſtentis, & non inhærentis; qua ratione ipſa quoque dicitur ſubſtantia; vt colligitur ex capite de æquiuocis; quia poteſt concipi independentèr ad ſimilitudinem ſubſtantiæ. Quià tamèn Ariſt. non conſiderat hoc loco quantitatem ſecundùm propriam eſſentiam; ſed ſub ratione, qua prædicatur, & dicitur prædicamentum; propterea de ea agit in cōcreto, & non proponit agendum de quantitate; ſed de quanto; quarè prætermittenda ſunt omnia conſideranda in eius eſſentia, & differenda in tractationem metaphiſicam.

Hoc caput diuiditur in tres partes: iuxtà tres conſiderationes habitas pręcipuè ab Ariſt. In prima parte aſſignat duas diuiſiones quantitatis, & colligit

git numerum ſpecierum ipſius. In ſecunda explicat ſingulas illius ſpecies. in tertia enumerat proprietates.

Prima diuiſio quanti,hoc eſt quantitatis in concreto, eſt, in continuum, & diſcretum. Continuum eſt, cuius partes communi termino terminantur; diſcretum eſt, quod habet proprios terminos ſingularitèr. Secunda diuiſio quanti eſt in id, cuius partes habent inuicem poſitionem, & id, cuius non habent. primum eſt permanens, ſecundum eſt ſucceſſiuum: in quo poteſt quidèm aſſignari ordo priùs,& poſteriùs; vt in ſermone, & tempore; partes tamèn, vtpotè fluentes, non habent inuicèm poſitionem.

Aſſignantur prætereà ſpecies quanti: nempè quinque continui, & duæ diſcreti.continui ſpecies ſunt linea, ſuperficies, corpus, locus, tempus. Diſcreti numerus, & oratio. cætera omnia, quæ dicuntur, & videntur quanta; per ſe quanta non ſunt, ſed horum participatione, & modo.namquè dicitur album quantum, quia ſuperficies quanta eſt, quæ alba eſt; albedo autèm per ſe non eſt quanta. Item actio dicitur longa, aut breuis, & deſcribitur per affectiones quanti, quia tempus, quo actio editur, quantum eſt, & vel longum, vel breue.

Demùm affert Ariſt. proprietates quanti, quæ tres ſunt: prima eſt,quantum non habere contrarium: ſecunda eſt, non ſuſcipere magìs, & minùs. tertia, quam maximè propriam vocat, quanto competere æquale, & inæquale, & per illud ſolùm æqualia, & inæqualia dici. Contrà primam proprietatem obiicit Ariſt. dicendo, poſſe de ea dubitari, quia magnum, ac paruum ſunt affectiones quantitatis, & ſunt contraria; vndè ex hoc videtur quantitas habere contrarium. Diluit tamèn hanc difficultatem, oſtendendo, magnum, ac paruum non eſſe affectiones quantitatis, ſed pertinere ad relationem; quod probat, per ducens ad abſurdum; nempè quia idem eſſet contrarium ſibi ipſi:namquè vnum, & idem, ad diuerſa relatum, poteſt eſſe magnum, & paruum; quod implicat, ergò contrarietas non eſt penès quantitatem. Addit etiam aliam obiectionem de loco, qui eſt altera ſpecies quantitatis,cui videtur competere contrarium, qùm in eo ſit sursùm, & deorsùm, quæ contraria dicuntur. tamèn diluit vtramque difficultatem, afferendo definitionem contrarij. Contraria ſunt, inquit, quæ in eodem genere maximè diſtant. Sed magnum, & paruum non diſtant ſub eodem genere quantitatis, ſed relationis. Ità ſursùm, & deorsùm pertinent ad ſitum, non autem ad locum. qùm igitùr diuerſitas non ſit ſub eadem ratione quantitatis, ſequitur quantum non habere contrarium. Secunda proprietas quanti eſt, non ſuſcipere magìs, & minùs, quod etiàm intelligere oportet de eodem, quià, licèt tricubitalis quantitas ſit maior bicubitali, & quinque ſint plura, quàm tria; tamèn, facta comparatione intèr bicubitum, & bicubitum; & intèr ternarium numerum, & ternarium,non eſt diuerſitas in gradu; nequè in tempore eſt diuerſitas in gradu, quò ad eſſentiam, & rationem quanti. quia, quandò quis aſſignat maius, aut minus temporis ſpatium, non proptereà, quòd maiore ſpatio continetur, eſt magìs tempus, quàm momentum, in quo tota ratio temporis conſiſtit, vt explicabitur, quandocunquè de indiuiſibilibus ſermo intercidet. Tertia proprietas aſſignatur quanto ab Ariſt. quod videlicèt à ratione quantitatis res dicantur æquales, & inæquales, quàm proprietatem dicit maximam; quia, non habere contrarium, & non ſuſcipere magìs, & minùs competit etiàm ſubſtantiæ; at dici æquale, & inæquale non benè emergit, niſi à quantitate. & per ſimilitudinem illius. Velutì temperamentum dicitur æquale etiàm, & inæquale; ſed impropria

loquutione, & non dialectica; nàm temperamentum, quod in gradu eſt ſimile alteri, propriè dicitur ſimile, non autem æquale. ità album eſt ſimile albo: non autèm æquale; nàm, dialecticè loquendo, quod intendit in præſenti *Ariſt.* res non dicuntur æquales, & inæquales, niſi per quantitatem.

Qui nàm ſit effectus formalis quantitatis.

CAP. X.

QVærunt hoc loco interpretes Ariſt. quæ nàm ſit ratio formalis quãtitatis. Verùm, quià id difficillimum in quacunque entitate ſtatuit Ariſt. & explicatiùs lib. 1. de anima T. 4, & quià etiàm hoc loco non videtur Ariſt. loqui de eſſentia abſtracta, nempè de quantitate; ſed de diuiſione, ſpeciebus, & proprietatibus quanti, prout pertinet ad perfectam loquutionem ſcientificam, quod eſt munus dialectici. ideò, dimiſſa ratione formali, quæremus de effectu formali, quantum fieri poteſt, breuiſsimè. fatentur nonnulli effectum formalem quantitatis eſſe reddere ſubſtantiam menſurabilem. ex Ariſt. 4. phyſ. alij eam reddere diuiſibilem, ex 5. metaph: C. 3. alij aptam reddere ad occupandum locum, alij impenetrabilem. Verùm Ariſt. hoc loco videtur, ſatis apertè declarare, quæ nàm ſit ratio formalis quantitatis, & qui nàm ſit illius effectus formalis: dùm proponit agendum non de quantitate, ſed de quanto. ergò effectus formalis quantitatis, a quo dialectica determinatio prouenit, eſt facere ſubſtantiam quantam. quoniam, ſi cauſa formalis non producit ſuum effectum formalem, producendo aliquid extrà ſe (quia tunc haberet rationem cauſæ efficientis, ac non formalis) ſed perficiendo ſubiectum per ſui communicationem, & actualem exiſtentiam in illo, ſequitur effectum formalem quantitatis eſſe reddere ſubſtantiam quantam. non menſurabilem, quià menſura competit quanto, & ſuperuenit rationi formali actualiter exiſtenti in materia. Ità, eſſe diuiſibile, non competit ne dùm omni quanto, tantùm abeſt, vt ſit affectus formalis quantitatis, vt oſtendendum eſt, quando agendum de indiuiſibilibus. non extenſam, nequè aptam ad occupandum locum, quià non extenditur, nequè occupat locum, niſi ſubſtantia iàm actu quanta. ac tandèm corpus indiuiſible eſt quantum, vt ſuo loco oſtendemus; eſſe impenetrabile; non propter quantitatem eſt; ſed propter defectum partium, & extenſionis. Ratio igitur formalis quantitatis eſt ipſa eſsentia quantitatis, quæ, qùm ſit prima eſsentia, & primum genus, non poteſt per aliud prædicatum eſſentiale explicari. eius effectus formalis eſt reddere ſubſtantiam quantam, cauſa finalis eſt, reddere ſubſtantiam capacem aliorum accidentium, quæ ſinè quantitate eſse non poſsunt, vt detur in rerum natura diuerſitas formarum, & graduum agentium, ſecundùm naturales virtutes, & facultates. in maiori quanto enìm maior eſt virtus. Aliæ etiàm quàm plurimæ dubitationes excitantur hoc loco. an benè ſint diuiſæ illius ſpecies ab Ariſt. & rectè aſſignatæ, an proprietates appoſitè ſint deſcriptæ, & alia, quorum quædam tanquàm inutilia prætereunda, alia in metaphiſicam tractationem differenda ſunt.

De

De his, quæ ad aliquid.

CAP. XI.

AGens Ariſt: de his, quæ ad aliquid: etiamſi de illis agat dialecticè, & tanquàm prædicamento logico; tamèn ambiguè admodùm loquitur; &, animaduertens difficultatem apprehenſionis iſtius eſſentiæ, concludit in fine capitis. nihil poſse nos de hac re vehementer affirmare; & certè pronunciare. Aſserit tamèn eius notitiam, etiàm rudem vtilem eſse, & propterea plura dubitando protuliſse, etiamſi ex his nihil certè concludi videretur. &, licèt horum notitia directa ſit ad medicam artem; profectò incomprehenſibilem naturam rerum exiſtimo, & præſertim viuentium, quorum reductio quæritur in medicina; niſi harum entitatum recta ratio habeatur; & de illis aliquid, ſaltem confuſè, in dialecticis dicere, multum proficere poſse cenſeo ad notitiam eam, quæ luculentior, & magis determinata habenda eſt in metaphiſicis.

Fuit igitur celebris quæſtio apùd veteres philoſophantes, & viget vſquè intèr moderniores, an eorum, quæ ſunt ad aliquid, ratio ſit ex natura, an per operationem intellectus. hoc eſt, an ſint entia realia, an rationis. Ratio potiſſima, qua omnes vrgent ea eſse entia realia eſt, quià ab Ariſt. intèr entia realia numerantur. & indè ſibi perſuadent; hanc entitatem eſse in rebus antè operationem intellectus; antè quam duo alba ſint per eam ſimilia, & duæ magnitudines æquales. Ex aduerſo autèm, qui contendunt, hæc eſse entia rationis, id ſibi ſuadent, quià ſimile' æquale, pater, & dominus ſint denominationes extrinſecæ, & rei poſitæ in eſse per operationem intellectus; non à natura. etenim effectus formalis albedinis in quocunque albo eſt, facere album, nec poſsunt ab eadem forma plures effectus formales procedere; quòd autèm hoc album ſit ſimile illi albo, eſt per operationem intellectus comparantis vtriuſque ſpecies, & ſuperaddentis ſimilitudinem, ità effectus formalis animæ humanæ eſt, conſtituere hominem. generare autem ſibi ſimile, eſt actio, non relatio; & actionem ſequitur noua forma ſubſtantialis, per quam conſtituitur alter homo, qui per denominationem extrinſecam, & per operationem intellectus dicitur filius; ſic per naturam conſtituitur ſubſtantia, quæ eſt terminus generationis, per intellectum conſtituitur relatio. ex quo inferunt, hoc prædicamentum eſse à ratione, & non à natura.

Ex his igitùr, quæ hoc loco profert Ariſt. & quæ declaranda ſunt in metaphiſica, Relatio eſt entitas realis, non rationis, cùm fundamento in re, vt fertur communiter in ſcholis; ſed realis forma, quæ more aliorum accidentium inhæret ſubiecto. Sed, quoniàm ſubiectum illius non eſt ſimplex, ideò in concreto ſignificatur numero plurali, & dicitur ea, quæ ad aliquid. eſt enim forma, quæ conſiſtit in ordine, & dependentia vnius ad aliud. Vndè, velutì ordo, & ſymmetria non ſubiectatur in ſimplici, ità relatio pertinet ad plura; &, quia Ariſt. loquitur de relatione in ordine ad prædicationem, & abſtractum non prædicatur de concreto; ideò proponit agendum Ariſt. de his, quæ ad aliquid.

Hæc forma, quæ dicitur relatio, primò, & principaliter eſt ex natura, ſecundò eſt ab arte, tertio eſt à ratione, & per operationem intellectus. Et, quoniam ea, quæ eſt à natura, vera eſt forma, ideò ea verè dicitur eſſe ab Ariſt. & explicatur per ſecundam definitionem ab eo traditam. aliæ formæ, quia veræ formæ relationis non ſunt, continentur in prima

definitione, per dici, & non per eſſe.

Vera forma relationis ex natura ex his, quæ profert Ariſt. eſt intèr patrem, & filium; omnium conſenſu, & ex peculiari ſententia Ariſt. intèr ſeruum & dominum. intèr caput, & capitatum; intèr alatum, & alam, ſunt relationes partium, quæ definiuntur ab Ariſt. *quæ hoc ipſum, quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur*, quippè Socrates per propriam formam ſubſtantialem eſt homo, & per hanc formam accidentalem, veluti per albedinem eſt albus,ità per relationem, quæ eſt paternitas, dicitur pater in ordine ad filium. & hoc non per denominationem extrinſecam cùm fundamento in re, ſed per formam intrinſecam illi, tanquàm ſubiecto, inhærentem, qua afficitur, & propenſionem habet in filium, datam à natura pro conſeruatione generis cuiuſcumque. Relatio etiàm intèr ſeruum, & dominum à natura eſt, pro conſeruatione generis humani. Vt acutè contendit, & concludit Ariſt. 1. politicorum. qùm enìm ex eodem Ariſt. 2. de an. T. 37. omnia corpora naturalia ſint animæ inſtrumenta. ità in his, qui præualent mente, domini forma eſt; in his, qui præualent corpore, eſt forma ſerui, ſic ſeruitus eſt ex natura & intèr ſeruum, & dominum eſt forma quædam relationis pro cõſeruatione, & copula generis humani, vt hoc vinculo omnia quodammodò cõnectantur. Realis eſt etiàm relatio intèr temonē, & rem temonatam, quia totum eſſe temonis eſt in eo, quod rei temonatę eſt; aliàs abſq; hoc reſpectu non eſſet temo, ſed lignum ſinè hac forma temonis; ità res non eſſet temonata, ſinè reſpectu ad temonem. Totum igitur eſſe temonem, & eſse temonatum conſiſtit in eo, quod alterum alterius eſt, & alterum ad alterum aliquo modo ſe habet. Verùm hæc relatio non eſt à natùra, ſed ab arte, ideò non eſt forma intrinſeca, per quam hoc lignum ex natura dicatur temo, niſi ab arte ità fuerit diſpoſitum, & aptatum. Cæteræ omnes relationes, quæ recenſentur ab Ariſt: ſunt entia rationis, & nihil ſunt antè operationem intellectus, vt relatio ſimilitudinis; licèt albedo duorum, quæ dicuntur ſimilia, ſit realis; tamèn effectus formalis albedinis eſt tantùm facere album, et vnius formæ non poſſunt eſse duo effectus formales; nec per vllam emanationem forma ſimilitudinis emergit, niſi per operationem intellectus comparantis ſpeciem vtriuſque albedinis, & ponderantis gradus earum. Idem dicendum de æquali, & inæquali: magno, & paruo; poſitione; ſcientia, & ſcibili: ſenſu, & ſenſibili; conuenientia: habitu: diſpoſitione, duplo; & meliori, de quibus agit Ariſt. quià ad ſimilitudinem veræ relationis, per operationem intellectus dicuntur relatiua & de his exempla tradit Ariſt. quià forma relationis, quæ eſt à natura, ſub ſenſum non cadit, & difficilimum eſt eius idæam, &rationem formare. At intellectus faciliùs capit ea, quæ ipſe vel ex arte, vel ratiocinando efficit, quàm ea, quæ cæcæ naturæ è potentia educuntur. quomodò autèm ſimilitudo, æqualitas, locus, poſitio, ſenſibile, ſcibile, conueniens, habitus, diſpoſitio, & melius habere poſsint veram relationem, aliàs luculentiùs explicabitur in metaphiſicis.

De

De proprietatibus eorum, quæ ſunt ad aliquid.

CAP. XII.

REfert Ariſt. eorum, quæ ſunt ad aliquid, proprietates quinque, quarum quatuor, ferunt, proponere ex mente antiquorum, & reſpondentes primæ definitioni ab eo traditæ; & vnam tradere ex mente propria, & ad propriam definitionem directam.

Prima proprietas eſt, relationem habere contrarium; qùm enìm interdùm deſtruatur relatio, neceſſarium videtur, à contrario deſtrui, veluti deſtruitur virtus à vitio. tamèn, hoc non eſſe perpetuum in omni relatione, fatetur Ariſt. non quià non omnis vera relatio habeat contrarium; ſed, quià quædam dicuntur relatiua, quæ verè non ſunt; & fiunt ab intellectu, & nullam aliam habent formalitatem, prætèr ipſum intelligere in actu exercito, ideò non deſtruuntur à contrario, vt eſt duplum, & triplum, & alia ſimilis rationis, quæ dicuntur ad aliquid æquiuocè.

Secunda proprietas eſt, recipere magis, & minùs, quod intelligere oportet in vera relatione, ratione effectus procedentis à forma relationis; non autèm ratione ipſius formæ; quià paternitas, quæ eſt vera relatio, non ſuſcipit magis & minùs; effectus tamèn conuenientiæ; & amoris ab hac forma procedens, poteſt recipere magìs, & minùs. At in relationibus rationis, iuxtà naturam fundamenti, dicitur relatio ſuſcipere magìs, & minùs. Nàm duo alba, ſecundùm gradum conuenientiæ maiorem, & minorem, dicuntur magìs, & minùs ſimilia. Duplum autèm non recipit magìs, & minùs, paritèr ratione fundamenti, nempè quantitatis; quæ non recipit; & æquale, & inæquale, quæ pariter pertinent ad quantitatem, videntur quidèm recipere magìs, & minùs, propriè tamèn loquendo, non recipiunt. quia ſunt contradictoria; intèr quæ non datur medium. nàm æqualia ſunt, quæ eandem habent quantitatem, quæ non habent, ſunt inæqualia: at intèr habere, & non habere non eſt medium; &, propriè loquendo, ea magìs æqualia dicuntur, quæ magìs accedunt ad æqualitatem.

Tertia proprietas eſt relationum, ad conuertentiam dici; & hæc eſt vera proprietas, & veræ relationis; nàm, velutì pater eſt filii pater, & filius eſt patris filius, ità inuicèm reſpondet relatio, quæ in ambobus ſimùl ſubiectatur. Ità dominus, eſt ſerui dominus, & ſeruus eſt domini ſeruus, & caput eſt capitati caput, & capitatū eſt capite capitatum. Animaduertit autèm Ariſt. obiectione ab ipſo prolata, nos interdùm decipi in huius cōueniētiæ acceptione; quià interdùm, & ſæpè ſæpiùs ſubiectum relationis habet varias formalitates, a quibus denominetur: ſi igitùr denominetur ex alia formalitate, quàm ex ea, qua eſt ad aliud, non ſequitur dici ad conuertentiam, ſi verò accipiatur, vt relatum, & ſub tali formalitate, ſempèr neceſsè eſt dici ad conuertentiam. Veluti, vt ipſe Ariſt. exemplo refert, ſi dicatur auis alæ auis, non benè ſequitur dicto, quia auis poteſt conſiderari ſub alia formalitate, quàm ſub ea, qua refertur ad alam. ideò, ait, neceſſe eſse, vt exprimatur, ac referatur propria formalitas, qua refertur ad alam, & nomen aliud reſpondens componere: vt, ſi dicatur, alatum ala alatum, & ala alati ala, benè ſequitur ad conuertentiam. ita caput capitati caput dicendum eſt, non caput animalis caput. nàm caput, eatenùs eſt ad aliud, quatenùs ſupponit aliud ad illud ſubordinatum. Ideò ait Ariſt. omnia relata dici ad conuertentiam, ſi conuenientèr aſ-

aſſignantur. Nàm, ſi quis diceret, ſeruum eſſe hominis ſeruum, non aſſignaret conuenientèr, quia relatio ſerui, & domini non eſt in quibuſcunque hominibus ex natura. imò plerunquè euenit eos, qui domini ſunt ex natura, hoc eſt, qui animi bonis pollent, ſeruire. & intèr huiuſmodi ſeruos, & dominos non eſt vera relatio, & ex natura, de qua loquitur Ariſt. in politicis. ideò ſeruus debet referri ad dominum, qua talis eſt, & non ad hominem: & dominus ad ſeruum, & non ad hominem. qua ratione aſſignata relatio hanc proprietatem habet ſempèr, dici ad conuertentiam.

Quarta proprietas videtur, inquit Ariſt: debere ea, quæ ad aliquid ſunt, ſimùl eſſe natura. quæ proprietas duplici ratione poteſt intelligi: videlicèt, vel ſimùl exiſtere, & eſſe in rerum natura. vel ſimùl eſſe natura, hoc eſt ne alterum ſit natura, alterum verò ex inſtituto, aut per intellectum: & primus intellectus communis eſt in ſcholis: ſecundum exiſtimo magis ad mentem Ariſt: conceſſo tamèn aſſerto pro vero etiam in prima ſignificatione. quià, niſi duo relata ſimùl exiſtant, non poſſunt eſſe ſubiectum relationis, quæ ſupponit ſubiectum multiplex; &, mortuo patre, extinguitur relatio ſimùl paternitatis, et filiationis. Secunda tamèn intellectio magis philoſophia digna cenſenda eſt, quià non datur vera relatio, niſi, quandò relatio eſt ex natura in vtroque relato. quod ſempèr contingit in patre, & filio. non tamèn ſempèr in ſeruo, & domino: in quibus ferè non concurrit relatio ſerui, & domini, quæ eſt ex natura; cùm ea, quæ eſt ex inſtituto. namquè quilibet homo ex natura, vel ſeruus eſt, vel dominus; vel per varios habitus vtrumque habet; pro vt magis animi dotibus pollet, quibus dominus à natura eſt; vel prout corporis bonis præditus eſt, quibus ſeruus eſt à natura. ſed ferè ex inſtituto; & exercitè ſunt ſerui, & domini, qui vel vterque eſt à natura ſeruus, vel vterque à natura dominus; vel, quod maius inconueniens eſt, qui ſeruus eſt ex inſtituto, erit dominus ex natura; &, qui dominus ex inſtituto, erit ex natura ſeruus. quod à vera forma relationis valdè alienum eſt. nàm hoc peculiare habet vera relatio, vt in vtroque relatio ſit ex natura. & hoc modo intellecta relatione, verè, & ex natura eſt relatio ſerui, & domini, & ſeruitus eſt ex natura, vt contendit Ariſt. Quod autem obiicit Ariſt. cōtrà huiuſmodi determinationem, de ſcibili, & ſenſibili, quæ poſſint exiſtere ſinè ſcientia, & ſenſu, non videtur infirmare hanc realem proprietatem; nàm, ſi ſcibile eſt, qua tale, ſempèr erit ſcientia; quia, etiàm ſi eius ſcientia non ſit apùd Socratem, & Platonem; erit apud intelligentias, & apùd intelligentiam intelligentiarum; aut, quatenùs non ſcitur, non erit ſcibile, niſi in potentia. quarè vera relata ſempèr debent ſimùl exiſtere, & eſſe natura, vt propoſitum eſt. alia verò erunt relata ſecundùm dici, non ſecundùm eſse.

Demùm concludit Ariſt. veram definitionem *eorum, quæ ad aliquid ſunt, id ipſum, quo id ſunt, aliorum* eſſe. & ponit quintam proprietatem; nempè, non poſſe vnum ex relatis definitè cognoſci, quin definitè cognoſcatur etiàm alterum; quia tanta eſt dependentia vnius ad alterum per hanc formam relationis, vt vnum nulla ratione poſſit comprehendi, ſinè comprehenſione alterius; ità vt ex ambobus conſurgat quasi vna ſpecies, & ratio, & forma relationis.

Qua proprietate poſità, elicit difficultatem; quia per eam videtur excludi à forma relationis & caput, & quælibet pars, quæ referatur ad capitatum, & ad totum. Namquè, ſi quis definitè cognoſcat, quid eſt caput, in eius definitione non comprehendit eſſentiam capitati, ideò, ait, vel caput non eſt ex his quæ ad aliquid:

quid:

quid. vel hæc proprietas non eſt omnibus comunis. Verùm ſcire licèt.intèr caput, et capitatum veram eſſe relationem. quod autèm aſſerit Ariſt: per cognitionem capitis, non cognoſci definitè capitatum, ità intelligere oportet; non intelligi capitatum per definitionem capitis, circà alias formalitates pertinentes capitato, vt eſt eſse hominem, eſse animal, eſse ſenſibile, eſse graue, aliæque entitates illi competentes; At ratio, qua capitatum eſt, rectè concipitur per acceptam definitionem capitis, ſic proprietas in ſuo robore permanet, & eadem conſideratione tollitur difficultas, an vlla ſubſtantia ſit eorum, quæ ad aliquid; Nàm, ſi accipiatur ſub ratione ſubſtantiæ, non eſt relatio; ſed eſt ſubiectum relationis, veluti aliorum accidentium. itaquè veluti nix non eſt albedo; ità ſubſtantia non eſt relatio, nec, vt ſic, ad aliquid; quià ſubſtantia eſt quid abſolutum; & relationis eſſe tantùm eſt,ad aliud referri. Ità, ſi oculus conſideraretur, vt animal, vt ponit hypoteſim Ariſt. 2. de Anima 9, dùm conſideratur, vt oculati, & pars animalis, eo modo eſt ad aliquid; ſubſtantiæ igitùr etiàm ſingulares ſunt ad aliquid; ſed tunc, quandò conſiderantur, vt ſunt ad aliquid, non habent in mente rationem ſubſtantiæ, & proptereà ſubſtantiæ non videntur eſſe ad aliquid: præſertìm ſingulares; Quod tandèm difficillimum eſſe determinare,& declarare,aſſerit Ariſt.in calce capitis ab eo propoſiti. Ex quo tot diſſentiones oriuntur in ſcholis circà relationem, & conceptum huius formæ; qua res multæ in vnam conſpirant rationem; non enìm, inquit Ariſt. 1. de interp. Cap. 5. eo, quòd propinquæ partes ſunt, vnum conſtituunt, ſed neceſſarium eſt,vt intercidat hæc forma, quæ dicitur relatio, qua partes inuicèm referantur, & neceſſaria eſt alia forma paritèr accidentalis, per quam hæc relata dicuntur inuicèm haberi, & dicitur ea forma habitus. quod quùm ſit difficillimum apprehendere, alterius eſſe conſiderationis eodem loco aſſerit, nempè metaphiſicæ.

Concludendum relationem eſſe formam accidentalem datam à natura ſubſtantiæ quantæ, per quam plura ſuppoſita in vnam rationem ordinis conſpirent.

De qualitate, & quali.

CAP. XIII.

EGit huc vſque Ariſt. de prædicamentis, quarum nulla eſt actio, & quarum effectus euidens formalis eſt tantùm communicare propriam formam ſubſtantiæ, ſeu ſubiecto. modò aggreditur tractationem de eſſentia magis conſpicua, & ideò de ea non proponit, agendum tantummodò in concreto, ſed etiàm in abſtracto, proponendo de *qualitate*, *& quali*. qualitas enìm etiàm in abtracto videtur nota per actionem; quod non contingit in relatione, & quantitate. &, quoniàm qualitas eſt accidens omnium maniſeſtiſſimum, ideò ab Ariſt. 1 poſt. T. 44 quodcunque accidens dicitur qualitas, & à Cicerone forma ipſa ſubſtantialis dicitur, quaſi qualitas, quia per nullum accidens innoteſcit magis forma, quàm per qualitatem. &, quià nomen eſt confuſa quædam rei definitio ex Ariſt. 1 phyſ. T. 4, ideò id omne, vndè denominatur ſubſtantia, dicitur qualitas.

Quoniàm propoſuit agere de qualitate in abſtracto, & in concreto; ideò eam ſub vtraque ratione definit. In abſtracto, *qualitas eſt, ſecundùm quam quales quidam eſſe dicuntur*; vt, ſi petatur, qualis ſit homo, dicitur eſſe album, ſi verò petatur, quid ſit, dicitur animal; ſi petatur, quantus ſit, dicitur tricubitus &c. ve-

veluti igitur in abſtracto *qualitas dicitur*, *ſecundùm quam quidam eſſe dicuntur quales*. ità in concreto definitur quale id, quod ſecundùm qualitatem denominatur, vt album, & dulce. prima tamèn intentio Ariſtotelis eſt definire qualitatem in abſtracto; propterea illius varias refert ſpecies, quarum plurimos eſſe modos, aſſerit, ſed ad quatuor præcipua capita reduci. Primum caput eſt habitus, & diſpoſitionis. Secundum caput potentiæ, & impotentiæ naturalis. Tertium paſſibilis qualitatis. Quartum figuræ.

Primum genus qualitatis dicitur habitus, & diſpoſitio; qùm enim dixerit qualitatem id, per quod quidam dicuntur quales, indicando homines, qui per hoc præcipuè diſtinguuntur à brutis, quod ſint diſciplinæ, & ſcientiæ capaces, ideò, ſi quis petat, qualis ſit Socrates, ſi per qualitatem propriæ differentiæ competentem denominetur, denominabitur ſciens, & qùm ſciens denominetur à ſcientia, ſcientia erit qualitas, à qua homo ſingularis magìs propriè poteſt dici qualis. meritò itaquè habitus, vt ſcientia, ponitur prima ſpecies qualitates. ponitur etiàm diſpoſitio, quià non differt ab habitu, niſi quià habitus eſt qualitas permanentior; habitus enìm ſcientiæ difficilè tollitur, quandò verè ſcientia eſt, & innititur intellectus benè comprehenſæ connexioni, quæ eſt ìntèr cauſam, & effectum. Diſpoſitio verò, quæ eſt via quædam ad hunc habitum, faciliùs remouetur: ratio eſt, quià diſpoſitio non eſt quid intentum à natura, tanquàm vltimum, quemadmodùm eſt habitus, ſed eſt quid intentum ſecundariò. vt, pro exemplo, intellectus ex natura fertur in verum, & omnes homines natura ſcire deſiderant, ideò ſcientia eſt habitus intentus à natura: ratione cuius habitus intenduntur diſpoſitiones ad ſcientiam; &, quià intenduntur ſecundariò, facile remouentur. Simile exemplum, quod tradidit Ariſtoteles circà animæ habitus, affert de habitibus corporis, vt ſunt calor, & frigus, ſanitas, & ægritudo, quæ qualitates proponuntur ab Ariſt. non ſub ratione habitus; ſed ſub ratione diſpoſitionis, quià paritèr non ſunt qualitates primò intentæ à natura. & licèt ſanitas in corpore videatur reſpondere ſcientiæ in animo. tamèn, quià plura concurrunt ad conſeruandam ſanitatem, quàm ad conſeruandam ſcientiam, ideò ab Ariſt. proponitur ſanitas tanquàm diſpoſitio; & non tanquàm habitus. Re vera tamèn habitus eſt ſanitas, & difficilè remouetur, niſi naturæ ordo peruertatur. diſpoſitiones verò ſunt calor, & frigus, quæ conducunt ad ſanitatem in determinato gradu, ad ægritudinem, ſi ab eo gradu recedant. &, quoniàm vnus tantummodò gradus conſtituit ſanitatem, innumeri autèm ſunt, qui poſsunt conſtituere ægritudinem, ideò ait Ariſt. faciiè à ſanitate in ægritudinem hominem labi, & Hipp. optimum habitum periculoſum diffamauit, licèt ſub nomine habitus retulerit, quià tamèn habitus eſt etiàm diſpoſitio ex Ariſt. non fuit adeò alienum apùd eum, ſanitatem dicere diſpoſitionem, licèt verè ſit habitus, nàm habitus poteſt appellari diſpoſitio, & diſpoſitio non poteſt ſimilitèr appellari habitus.

Secundum genus qualitatis recenſetur ab Ariſt. potentia, & impotentia naturalis: eſt enim homo aliquis, qui potiùs mente valet, alter qui magìs corpore. vndè ſeruitus ex natura eſse dicitur. Illi, qui magìs mente valent, ad ſcientiam magìs inclinati ſunt ex natura; qui magìs valent corpore, ad pugillandum; illi ſunt dominationi, hi ſeruitio ex natura magìs idonei. Illi igitur feruntur in habitum ſcientiæ per potentiam quandam naturalem, & ſic per aliam qualitatem conducentem ad illam, & diſtrahuntur à ſeruitio, & pugillatoria arte per impoten-

tentiam quandam naturalem. Hi vero per aliam potentiam naturalem feruntur ex natura ad pugillatoriam; per impotentiam naturalem diſtrahuntur à ſcientia. qua diuerſitate qualitatum natura humanum genus concatenauit, & ordine quodam vniuit. Vndè, quando hic ordo peruertitur, omnia diſsoluuntur. vt, ſi, qui corpore valido pugillatoriæ ex natura habet potentiam naturalem, & velit ſtudio litterarum incumbere, & dominari, prætèr quàm quòd ſcientiæ habitum nunquàm conſequetur, renuente naturali impotentia, incidet etiam in ægritudines. & ſi, qui mente præcellat, & dominio ex natura feratur, vælit incumbere pugillatoriæ, à labore obrutus ægrotabit, ſeruitium inualidum præſtabit, & in arte pugillatoria parùm proficiet. vndè illi ſcientiam ſalubrem, hi ſalubrem probant pugillatoriam. propter potentiam hanc naturalem, & qualitatem dictam.

Tertium genus qualitatis eſt paſſibilis qualitas, quæ eatenùs qualitatem dici, aſserit Ariſt. quatenùs per eam aliquis qualis dicitur, & denominatur; quod aſsertum Ariſt. aptè intelligere oportet, quod videlicet, non ſit qualitas ex eo, quod denominet; ſed quòd denominet ex eo, quòd ſit. Ariſt. aut m à denominatione deducit exiſtentiam, quia denominatio ex omnium conſenſu accepta ſit ſignum exiſtentiæ.

Duplici autem ratione paſſibilis qualitas denominatur. primo, & principalitèr, quia ipſa qualitas, aut ſubſtantia per qualitatem eſt motiua ſenſus, &, ſecundùm eum, paſſionis effectiua. ſecundò minùs principaliter dicitur paſſibilis qualitas ex eo, quòd ipſa ab aliqua paſsione inferatur, & vtroque modo emanans à ſubſtantia dicitur paſſibilis qualitas. hac tamen animaduerſione, quod quandocunque hoc accidens albedo, exempli gratia, aut rubedo principium ſumpſerit ab aliquibus paſſionibus permanentibus, & difficilè mobilibus, tunc benè dicitur paſſibilis qualitas; ſi verò hi colores procedant à cauſa tranſeunte, & facilè mobili, tunc non dicuntur benè qualitates, ſed paſſiones. vt, ſi quis ex verecundia ruber factus eſt, non benè denominatur ruber; quià, ablata ea cauſa verecundiæ, rubor non permanet, quo poſſit homo denominari; ſed illa rubedo dicitur paſſio, ſumpta denominatione non à colore, ſed à cauſa inducente colorem incidentèr. ſanguis autem faciens rubedinem bene denominatur ruber, & eius rubedo qualitas; quia, licet ſanguis retrocedat, & relinquat hominem pallidum, tamen ipſe non amittit rubedinem emanantem ab eius ſubſtantia, & benè denominantem illum rubrum. Ità ſi per ſuffuſionem humoris melancholici cutis nigra fiat, non dicitur ea nigredo cutis qualitas, ſed paſſio; quia illa nigredo emanat ab humore ſuffuſo, non a ſubſtantia cutis; ſi verò illa nigredo inducatur in cutem per morbi diuturnitatem, ita, vt cutis ipſa ſubſtantia ex aſsatione, aut alio modo fiat nigra, tunc illa nigredo non dicitur paſſio cutis, ſed qualitas.

Quartum genus qualitatis eſt figura. non ea paritèr, quæ ex accidenti emergat, & facile labatur; ſed figura conſtans, & diſtinguens accidentaliter ſpeciem rerum, & per quam res denominari poſſit, & quæ emanet a ſubſtantia; vt eſt certa figura à natura data cuiuſcunque ſpeciei animantis; per quam denominatur animal ſimum, aquilinum; & inter arbores cupreſſus denominatur recta, abies plana, vitis recurua a forma, & figura, quam ex natura habet; ita vt, ſi cupreſsus eſset curua; ea curuitas non diceretur cupreſſi qualitas, ſed paſſio. quia ex natura talis non eſt. Rarum etiam, & denſum, aſperum, & lene in aliqua ſignificatione ſunt qualitates, pro vt Ariſt: videri, & putari proponit; ſecundùm verò aliam con-

ſiderationem dicuntur poſitiones, aut paſſiones. Qualitates ſunt, ſi conſiderentur, pro vt à natura fiant conſequentèr ad determinatam formam, & ſpeciem: vt lignum abietis dicitur rarum, quercus dicitur denſum, cortex roboris denominatur aſpera; lauri denominatur læuis; quia ita ſunt a natura, & hac ratione ſunt qualitates. Si verò conſideretur rarum in corpore determinato, ac pro vt eſt affectio non conſequens formam ſpecificam, tunc benè animaduertit Ariſt. non eſse ſub ratione qualitatis, ſed poſitionis, quia qualitas eſt id, propter quod quis denominatur qualis. & ex aduerſo quale dicitur id, quod ſecundùm has qualitates quale denominatur.

Poſt aſſignata genera qualitatis, proponit eorum proprietates, quæ tres recenſentur ab Ariſt. prima eſt qualitatem habere contrarium: ſecundo recipere magis, & minus: tertia, quòd ſecundùm qualitatem res dicantur ſimiles, vel diſſimiles.

Prima proprietas qualitatis eſt habere contrarium, vt eſt inter calidum, & frigidum; album,& nigrum; rarum, & denſum; rectum, & curuum; aſperum, & lene; validum, & imbecillum; ſalubre, & inſalubre; doctum, & indoctum, & ratio eſſe videtur, quia, qùm qualitas ſit primum, & præcipuum inſtrumentum cuiuſcunque formæ iuxtà exigentiam propriæ naturæ agendi; & , qùm actionem ſequatur paſſio, & in paſſionem terminetur, & omnis paſſio fiat à contrario, neceſſarium propterea fuit, qualitatem habere contrarium; & ſi vnum contrariorum ſit quale, alterum etiam eſſe.

Secunda proprietas eſt recipere magis, & minùs, & hoc ſequitur ex eadem ratione; quia, ſi actio debet eſſe ſecundùm exigentiam formæ, & diſtantiæ: vt forma aptè agat, neceſſe eſt recipiat magis, & minùs, & hoc magis, & minùs validum ſit, non ſolùm pro ratione ſpeciei, ſed etiam pro ratione edendæ actionis; alter enim gradus debetur igni ſub ratione elementi ad comburendum, & diſſoluendum; alter eidem exiſtenti in mixto, vt agat ſecundùm exigentiam formæ mixti, aut alterando, aut producendo.

Tertia proprietas eſt, vt ratione qualitatis res maximè dicantur ſimiles, vel diſſimiles; veluti ratione quantitatis dicuntur æquales, & inæquales. Ratio eſt; quia, vt ſuprà relatum eſt, qualitas eſt ad agendum, actionem ſequitur paſſio, paſſio eſt à contrario, qum igitur qualitas habeat contrarium, recipiat magis, & minùs, & ſimile non agat in ſimile, nec patiatur ab eo; ſequitur per qualitatem res dici ſimiles, vel diſſimiles; quia ſi inuicèm agunt, & patiuntur, ſunt diſſimiles; ſi inuicèm non agunt, nec patiunt, ſunt ſimiles.

De Actione.

CAP. XIV.

Poſt quàm egit Ariſt. de qualitate, & quali; iure agit de actione; quia hæc procedit à qualitate, & eſt forma accidentalis emanans a ſubſtantia, vt ſuppoſitum, iuxtà exigentiam propriæ formæ, agat mediante qualitate. actiones enim ſunt ſuppoſitorum; ſed habentium hanc formam, quæ dicitur actio; ſinè qua nequè ſubſtantia, nequè quantitas, nequè relatio, nequè qualitas exeunt in actum aliquem, aut quicquam producunt, aut fœcunditatem recipiunt. namquè in ſemine, etiam ſi ſit eadem ſubſtantia, & quantitas, & qualitas; tamen, niſi emanet actio, ſemen feriatur, nec potentia naturalis, aut qualitas agit, niſi mediante hac forma, quæ dicitur

tur actio. quæ tribuit & ſemini, & vtero, & telluri, & herbis, & arboribus fæcunditatem, &, non viuentibus, motum: iuxta exigentiam ordinis vniuerſi. Actio igitùr eſt forma, qua mediante effectus producuntur, vèl conſeruantur; ſiuè præſuppoſita cauſa materiali, vt in generatione, & nutritione; ſiuè non præſuppoſita cauſa materiali, vt in creatione; ſiuè quod fit, ſit accidens; ſiuè ſubſtantia, ſiuè fiat in inſtanti, ſiuè ſucceſſiuè.

Proprietates duæ recenſentur ab Ariſt: huius eſſentiæ, quæ dicitur actio. vna eſt, habere contrarium; altera ſuſcipere magis, & minus, quæ conueniunt omni actioni. nonnulli autem arbitrantur conuenire tantùm his, quæ verſantur circà terminos habentes contrarium; quia non datur actio, niſi in contraria, aliàs non eſſet vera propoſitio, omne agens agendo repati. vndè, communiter accipiendo, contraria actioni eſt paſſio. non autem calefactio, & infrigidatio; quæ, qùm ambo actiones ſint, non ſunt inuicem contrariæ,ſub hac ratione actionis; quicquid ſit de contrarietate illis competente, ſub ratione qualitatis. Competit etiam actioni magìs, & minùs. non quidem ratione ſui, quia eadem virtus ſemper eodem agit modo. neque etiam ratione terminorum, inter quos reperitur contrarietas, vt aliqui affirmant, quia actio ignis ſemper erit in eodem gradu g. exempli, vt octo. &, ſi contrarietate aliqua refrangatur eius virtus, vt in mixto; in quo ſit aquæ portio, per quam obtuſa vis ignis non agat, niſi vt quatuor, non tamen dicitur minùs agere, quia nihilominùs agit, vt octo, nempe quatuor reſiſtendo contrario admixto, & quatuor agendo in aliud contrarium extrà, quo gradu nonnulli tantùm menſurant actionem, non computantes actionem in contrarium admixtum, vt computandum eſt. Suſcipit autem magìs, & minùs actio reſpectu virtutis agentis, quæ maior in quanto maiori eſt, & minor in minori, quare tantùm reſpectu maioris, & minoris quantitatis agentis actio recipit magis, & minùs. alij addunt his proprietatibus poſitis ab Ariſt. alias duas. quarum vna eſt; actionem ſemper eſſe cum motu, altera inferre paſſionem. Quæ quidem veræ proprietates non ſunt, quia ratio actionis non eſt, niſi in agente, & ſic in termino à quo, ita vt actio conſiderata in ſimplici termino, à quo, non includat motum, & multo minùs includit illatam paſſionem, quam ſupponunt inferri, prout verè infertur; ſed ſubſequenter, non autem, quod ſit de ratione ipſius, neque quod poſſit aſſignari tanquàm vera proprietas.

De Paſſione.

CAP. XV.

ACtionem paſſio conſequitur. ideò Ariſt. de vtraque forma ſimul loquitur. Eſt enim paſſio exceptio actionis exeuntis ab agente. Ex aliquorum ſententia hæ formæ non diſtinguntur realiter, ſed per intellectum cum fundamento, vt aiunt, in re, quod ſatis eſſe exiſtimant ad conſtituenda diuerſa prædicamenta. Verùm acutiùs de hac re diſſerendum in metaphiſicis: vbi oſtendam creationem non eſſe prorſus ignotam peripateticis, per quam res exeunt in actum ſinè paſſione; veluti exit conceptus mentis; &,ſi formæ recipiuntur in ſubiecto bene diſpoſito, neque agit quodlibet, in quodlibet; nec fit quodlibet ex quolibet, inferatur, actionem quandoque eſſe poſſe ſinè paſſione, & ſic realiter diſtingui; licèt paſſio non ſit ſine actio-

ne, quia ſupponit illam, vt formam natura præcedentem. Paſſionis ſunt eædem proprietates, quæ actionis; habet enim contrarium, nempè actionem, & recipit magis, & minùs. namquè hæc forma, quæ tribuit ſubſtantiæ ſuum effectum formalem, faciendo illud paſſibile; hoc tribuit magis, & minùs, quo magis, & minùs patitur ab agente eandem actionem effundente.

De Quando.

CAP. XVI.

POſtquam Ariſtoteles protulit de actione, & paſſione; proponit prædicamentum Quando, quia per actionem, & paſſionem datur in natura rerum viciſſitudo, ac tranſmutatio. Et, quia actio, & paſſio dicitur recipere magis, & minùs, datur in rebus perſiſtentia determinata in primo eſſe, quæ perſiſtentia rerum, & formarum in eſſe recepto dicitur quando, & ab aliquibus dicitur duratio, quia huic prædicamento, quando, admiſcent etiam prædicamentum quantitatis, cuius ſpecies ponitur ab Ariſt. tempus; ex quando enim extenſo, & quanto fit duratio. quæ ideò dicitur forma denominans ſubiectum; quia forma, quando, ſine extenſione in æuo eſt in concreto etiam incomprehenſibilis; ſicuti etiam eſt incomprehenſibilis quantitas ſine extenſione in ſpatiò. non propterea debet dici fieri per denominationem extrinſecam, quia non eſſet diſtincta eſſentia, & realis, quemadmodum ponitur ab Ariſt. à quo ideò explicatur per tempus dicente, vt heri, & anno ſuperiore; non accipiens quando pro tempore; ſed explicans quando ex notiori, nempè in tempore. Tres proprietates recenſet Gilbertus huius prædicamenti, prima eſt, non habere contrarium, quo modo non habet quantitas; ac pariter non ſuſcipere magis, & minùs; tertia non conuenire æternis, quibus hoc prædicamentum non aſſignatur.

De Vbi.

CAP. XVII.

VBi dicitur à Gilberto circumſcriptio corporis, prouueniens à circumſcriptione loci; quæ circumſcriptio, licet reſpectu locati ſit paſſiua, & reſpectu locantis, ſit actiua; debet tamen intelligi actio, & paſſio ſecundùm exigentiam ordinis vniuerſi, in quibus nulla vis infertur. Vnde Vbi eſt realis præſentia, quam habet corpus in loco, aut ſpatio loci ſibi ab ordine vniuerſi definito, veluti nos dicimus incidenter aliquid eſſe in foro, aut in lycæo.

De Situ.

CAP. XVIII.

FOrma, quæ dicitur, Situs, ab Ariſt. 5. metaph. Cap. 19. creditur appellata diſpoſitio, quæ ſit ordo partes habens ſecundùm locum, ſeù diſpoſitio partium vnam conſtituentium ſubſtantiam. Competit igitur Situs ſubſtantiæ, quæ habeat partes quæ diſpoſitio dicitur ſitus. Quæ diſpoſitio alia eſt ex conſtitutione naturali, alia oportunè aduenięns. ex conſtitutione naturali eſt, caput ſupra collum, veluti in ſpecula; vbi oculi, nares, aures, & cæteri ſenſus, pro conſeruatione indiuidui dati, ſituantur, pedes infra, ad ambulandum, brachia ad latera ad operationes, venter in medio ad commodam diſtributionem alimenti in partes omnes, & aliæ partes ſecundùm locum diſtributæ ab origine. Diſpoſitio oportunè adueniens eſt pro exigentia operationum intercidentium; vt ſtare, ſedere, iacere, prout pro conſeruatione indiuidui conueniat, aut determinata in propria exiſtentia, aut indeterminata, & fortaſſe æterna in ſpecie. Hæc igitur forma, quæ dicitur ſitus, efficit diuerſum prædicamentum ab vbi, nec eius ratio formalis conſiſtit in ſola denominatione extrinſeca à loco, vt nonnulli propoſuere; neque in relatione partium; ſed in diſpoſitione earundem, non prout exigitur ad actionem, neque prout figuram conſtituit; ſed pro vt plures partes reducit in vnam ſubſtantiæ rationem, ſeu permanentem, ſiue oportunam, vt ſupra explicatum eſt. nec aliæ proprietates, vt arbitror, aſſignari poſſunt, quæ manifeſtæ ſint, aut comprehenſibiles. namque contrario carere; ſuſcipere magis, & minùs; & aſſiſtere propriè ſubſtantiæ, ſunt proprietates, quarum nulla eſt euidentia, reprobari tamen non videntur poſſe; quia, ſi quæ forma eſt contraria ſitui, per quam ſubſtantia non conueniat in vnam rationem; vt in morbis euenit, per quos etiam magis, ac minùs ſuppoſitum dimouetur à naturali diſpoſitione, non ſunt formæ nominatæ, nec facilè explicabiles; ideò, an dentur hæ proprietates, nec ne, potiùs cuiuſcumque diſcurrentis animæ committendum, quàm determinandum eſt.

De Habere.

CAP. XIX.

IVre numerat Ariſt. hoc prædicamentum habere vltimo loco, quia eſt ſupremum ſubſtantiæ complementum; & nulla alia forma verè poteſt denominare ſubſtantiam, & intrinſecè inhærere ſine hac forma, quæ dicitur habitus, cuius effectum formalè, & rationem Ariſt. primo loco, & ab eo omnes peripatetici in obſcurum proferunt, dum latentem formam magis conſpicuam reddere contendunt. Qùm enim Philoſophi non poſſint explicare luculenter rationem huius formę, vtuntùr ſimilitudine ab artificialibus, dicentes, habitum eſſe, vt eſſe armatum, veſtitum, vel calceatum; quod intelligere oportet per ſimilitudinem, non autem quod verè ſit forma, de qua agimus; propter quam malam acceptionem dixere nonnulli in ſola denominatione extrinſeca à veſtibus, & armis conſiſtere hoc prædicamentum, quod probarent efficaciſſimè, ſi illud aſſertum Ariſt. communiter receptum haberetur pro re explicanda, & non pro exemplo. nam ſola denominatio extrin-

trinſeca non poteſt conſtituere prædicamentum, & intèr corpus, & veſtem non eſt aliqua forma media realis, quæ abeat, & redeat cùm veſtibus admiſſis, & exutis; quæ forma effingitur a nonnullis, quia benè intelligunt, non poſſe denominationem extrinſecam conſtituere prædicamentum; quod reale, & inter realia entia adnumeratur; imò, quod eſt baſis, & fundamentum omnium aliorum prædicamentorum, & potiſſima perfectio ſubſtantiæ, emanans ab ea ex natura, & non ex aliquo artificiali, vt eſt armatura, & veſtis. Eius tamen eſſentia clariori modo non videtur poſſe explicari, atque explicata ſit ab Ariſt. 5 metaph. Cap. 10. Habitus dicitur, inquit Ariſt. tanquàm quiddam habentis, & habiti actus, & ſicut actio quædam, aut motus. non enim intelligit Ariſt. habitum eſſe actionem, aut motum, ſed intelligit eſſe prædicamentum reale, vt eſt actio. & veluti inter cauſam efficientem, & effectum eſt media effectio: ità inter habentem, & id, quod habetur, eſt medius habitus. ad explicandum autem id, quod habetur, & ponendum ob oculos habitum, vtitur exemplo veſtis. non tamen intelligere oportet inter veſtem, & habentem veſtem emanare hanc formam prædicamenti. ſed explicari per ſimilitudinem. nam habitus eſt forma intrinſeca, & ex natura, ideò, ſi velimus accipere formam inter veſtem, & veſtitum eſſe, debemus intelligere de veſte, & armatura, quæ ſit a natura, non de ea, quæ ſit ab arte. Veſtis autem, & armatura ex natura proponitur ab Ariſt. 3. de partibus anim. Cap. 1. vbi ait, naturam dediſſe animalibus veſtes, quibus operiantur, vt cutem, pilos, lanam, & dediſſe arma, quibus poſſint ſe defendere ab aliis. Habitus igitur, qui ponitur in prædicamento, eſt forma emanans a ſubſtantia, cuius effectus formalis eſt, conſtituere eam habentem, & ſecundùm hanc formam, & realem eſſentiam. quod autem ea, quæ dicuntur haberi, ſint partes integrantes animantis, non tollit, quin inter has, & animal habens intercidat neceſſariò hæc forma, quæ dicitur habitus. imò ſine hac forma media, & copulante cutis, manus, caput, oculus non dicerentur, nec eſſent eius, cuius ſunt; niſi æquiuocè, vt lapidei & depicti. quod ſi velimus plane accipere ſententiam Ariſt. habitum eſſe formam, ſeu medium, & cooperationem inter veſtem, & hominem; per quam formam dicitur veſtes habere, oportet eam rei optare, & in ſua ſphera eam accipere. Atque ita accipimus habitum pro forma reali, & ex natura conſtituente diuerſam ſpeciem prædicamenti; debemus accipere veſtem, & arma, quæ ſunt ex natura, vt eſt cutis, & dens: ſi verò accipiamus arma & veſtes, quæ ſunt ex arte, vt pallium, & enſis, erit etiam accepta forma habitus per denominationem extrinſecam, & non realis. atque ita ſenſa recipere, quæ feruntur in ſcholis, & dicere inter animal, & partes integrantes ipſius medium eſſe habitum, formam videlicet realem, per quam hæ partes ab animali habeantur, & hanc eſſe propriè acceptam formam habitus, de qua agitur in prædicamento; & impropriè dici haberi tunicam, & loricam ob hominem, quia nulla forma realis emergit inter hominem habentem, et tunicam, quod etiam luculentiùs oſtendendum eſt in metaphiſicis, & hanc veritatem apprehendere vtiliſſimum manifeſtabitur ad medicinam. nam interdùm hæ partes integrantes adſunt in homine, ſed propter defectum iſtius formæ, quæ dicitur habitus, inutiles ſunt, & tanquàm extrinſecæ, quæ forma in paralyſi, in ſtupore ſæpè depellitur, & inde atrophia, bulimus, inappetentia, priuatio ſenſus, et motus, ac alia mala multa procedunt in homine.

Proprietates huius prædicamenti aſ-

aſſignantur.prima ſuſcipere magis, et minùs, quod ex cōmuni opinione explicant; quia homo poteſt eſſe magis, et minùs armatus, & magis, & minùs veſtitus; quod tamen tanquam exemplo poſſumus ad proprium habitum referre, quo aliquis dicitur magis, & minùs animatus, magis, & minùs cordatus; ſi animum, & cor validiori ſpirituum ſatellitio munitum habeat: ità magis armatum animal, quod dentes plures, & validiores, ſi dentes, et vngues habeat. Non tamen adeò facilè admittenda eſt ſecunda proprietas, quod videlicet habitus non habeat contrarium; primò, quia ſuſcipere magis, & minùs videtur procedere ex maiori, vel minori admixtione contrarij, dein, quia habitum hoc loco intelligimus eam formam, quæ habet contrariam directò priuationem. Alia proprietas aſſignata admittenda eſt, ſi pro adiacentia accipiamus vnionem. nanque habitus alio vocabulo poteſt appellari vnio, per quam vnum eſt actu in alio, & non per iuxtapoſitionem, ſed per conuenientiam inuicem. vnde homo mortuus, qui non poteſt videre, audire, ambulare, intelligere, non dicitur propriè habere oculos, nec aures, nec pedes.

Ex qua interpretatione colligere poſſumus, omnia prædicamenta eſſe decem entia realia, per ſimilitudinem explicata; quia, qum ſint ſimplices formæ, non poſſunt explicari, niſi per ſimilitudinem rei compoſitæ, cuius poſſit formari phantaſma. Ità vt, ne quidem ſubſtantia, quæ primo principaliter; & maximè dicitur, quæ neque in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur, poſſit cognoſci niſi per ſimilitudinem ex Ariſt; 1. phyſ: Textu 69. quæ ſumitur ab Ariſt; hoc loco ab indiuidua ſubſtantia compoſita ex omnium accidentium concurſu manifeſta. Colligitur etiam, relationem eſſe prædicamentum reale, diſtinctum à cæteris omnibus; & actionem, paſſionem, vbi, ſitum, quando, & habere non eſſe relationes; ſed entitates abſolutas: vt primæ quatuor; nec modos cum reſpectu, ſed rationes verè abſolutas; quæ tamen compræhenſibiles non ſint, niſi per ſimilitudines, quibus vtitur Ariſt:, & quibus dedit occaſionem philoſophantibus, dicendi, ſex vltima prædicamenta eſſe modos, & tam variè de relationibus ſentire; & diſſerere. Quorum placita proponere, & refellere longum nimis, & inutile cenſeo; quia, ſi, quæ protulimus, ſatìs probata ſunt, erunt etiam reprobata, quæ his fuerint aduerſa; ſi non fuerint ſatìs probata, ne quidèm refelli poterunt, quæ ab alijs referuntur.

De Oppoſitis.

CAP. I.

Loquens Ariſt. de prædicamentis, intèr eorum proprietates adnumerādas quæſiuit; quænam habeant contrarietatem; quæuè ſuſcipiant magis, & minùs, quænam ſimùl ſint natura; quomodò alterum præſupponatur ab altero, & priùs, ac poſteriùs ſit; quænam ſint principium motus, vt qualitas; aut terminus, vt locus, & quomodo habitus in omnibus requiratur prætèr quàm In ipſo habitu. Ideò, pro certa oſtenſione, quid verè recipiat contrarium, de contrarijs primò loquitur; &, pro earum diſtinctione, & clariori notitia, agit etiàm de his, quæ videntur contraria, licet non ſint, ſed oppoſita. Inde de priori. Tertio de ſimul. Quarto de motu. Quinto iterum de habitu.

Oppoſitorum priùs refert quatuor genera. primum Relatiuorum; ſecundum Contrariorum; tertium Habitus; quar-

quartum Contradictoriorum. In quorum explicatione animaduertere oportet, Ariſtotilem vti ſimilitudine, quod declarat, dicendo figuratim eorum naturam quærere.

Prima oppoſitio traditur eorum, quæ ſunt ad aliquid, quæ appimè videntur contraria, vt duplum, & dimidium; at verè contraria non ſunt. imò, adeò conueniunt, vt, id ipſum, quod ſunt, oppoſitorum eſse dicantur; vt pater, nedùm non eſt contrarius filio, nec ſeruus domino; ſed maximè conueniunt: oppoſita tamen ratione, nàm ratio referens filium ad patrem aſcendit; &, quæ refert patrem ad filium, deſcendit; qua ſeruus refertur ad dominum, ſubijcitur; qua dominus ad ſeruum, præeſt; proptereà dicuntur oppoſita: non autem contraria.

Secunda oppoſitio eſt contrariorum; vt eſt bonum, & malum, quæ oppoſitio eſt omnium maxima; nàm contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, nec alterum alterius rationem vllo modo ingreditur: vt alia oppoſita faciunt, &, quandò vnum contrarium rei neceſsariò ineſt, non admittunt medium; vt ſunt ſanitas, & ægritudo, inter quas non datur medium: vt profert Ariſt. in hoc capite: & hæc eſt verè contrarietas.

Tertia oppoſitio eſt habitus, & priuationis. quæ ab Ariſt. dicitur quoque contrarietas in libris de naturali auditione, vbi affirmat formam, & priuationem eſse contraria; accipiens contrarium pro oppoſito. Hoc verò loco formam appellat habitum; quià nulla forma, nequè ſubſtantialis, nequè accidentalis poteſt habere rationem formæ; nisì mediante habitu, quo exiſtunt compoſita, & quam in ſcholis pænè omnes moderni philoſophantes appellant vnionem. Eſt autem priuatio negatio formæ in ſubiecto apto eam recipere; non igitur omnis negatio eſt priuatio; lapis enim, ſi non habet viſionem, non dicitur cæcus: veluti dicitur homo, qui habet oculum aptum videre, & omnia requiſita ad viſionem: pratèr habitum, vt clariùs explicandum eſt, quandò de principijs rerum naturalium dicendum eſt.

Vltima oppoſitio eſt intèr propoſitiones contradictorias, per quas affirmatur aliquid de aliquo, aut negatur; vndè ſemper neceſsarium eſt, alteram ex propoſitionibus allatis veram eſſe, alteram falſam; quià quæcunque res vel eſt, vel non eſt: & inter hæc non datur medium; quià eſt maxima omnium oppoſitionum, nec conuenit rebus, nisì ex ſuppoſitione conceptus, qui, vel eſt tranſcendens, vel determinatus; & affirmationem, vel negationem habet. ſic quod ſupponitur, vel eſt, vel non eſt, repugnat enim idem eſſe, & non eſſe.

Explicatis ſpeciebus oppoſitionum, quæ nomine contrarietatis aliàs, & præſertim libris de naturali auditione accipiuntur, vt benè diſtinguantur, quæ verè contraria ſunt, & maximam habent oppoſitionum: enumerat horum conditiones, & proprietates; ſi tamen plures formalitates includant; vt, ſi contrariè oppoſita ponantur bonum, & malum, ſi bonum, & malum accipiantur tranſcendenter ſub vna generaliſſima formalitate, ſimpliciter inuicem opponuntur contradictoriè: vt ens, & non ens: ſi verò malum accipiatur ſub determinata ratione, & formalitate, vtpotè prodigalitatis, habebit oppoſitum non ſolum bonum tranſcendenter acceptum, ſed etiam aliud malum ſub determinata formalitate oppoſita formalitati conceptæ: vt eſt auaritia, quæ eſt contraria prodigalitati. Altera conditio eſt, non eſſe neceſſarium, data exiſtentia vnius contrarij, debere etiàm alterum exiſtere: veluti eſt neceſſarium in his, quæ ad aliquid ſunt: quarè, quandò album exiſtit in rerum natura, non eſt neceſſarium nigrum quoque exiſtere. Tertia conditio eſt, contraria non poſſe eſſe

ſimul

ſimùl in eodem ſubiecto; quod, quomodò intelligendum ſit, explicabitur in tractatu de mixtione. Ex quo elicitur quarta conditio, contraria poſſe fieri circà idem ſubiectum, ſed identitate, vel ſpecifica, vel generica. Itàut ſemper vera remaneat tertia conditio; non eſſe prorsùs in eodem ſubiecto; nàm, ſi contingat intèr bonum, & malum tranſcendentèr acceptum, erit contradictoria; nàm idem eſt dicere bonum, & malum, atque ens, & non ens. ideò ait Ariſt. malum ex neceſſitate eſſe contrarium bono. ſi contraria ſint in eodem genere, erit diuerſa ſpecies; vt calidum, & frigidum: ſi ſint in eodem genere animalis, erunt in diuerſa ſpecie; vt calidum in leone, frigidum in ſalamandra: &, ſi ſint in eadem ſpecie, erunt in diuerſis indiuiduis; vt ſi in ſpecie hominis contingat alios calidos determinari, alios frigidos: in eodem indiuiduo erunt contraria in diuerſis partibus integrantibus: in eadem patte integrante in diuerſis mixtis: &, ſi in eodem mixto, erunt in diuerſis miſcibilibus: vt in tractatu de mixtione explicabitur.

Ita vt ſemper vera ſit ea conditio, contraria non poſſe in eodem ſubiecto permanere; ſed ſe inuicem expellere. Aliæ conditiones ab Ariſt. poſitæ has conſequuntur, neque neceſſarium videtur vltrò referre.

De Priori.

CAP. II.

AGit Ariſt: quid prius ſit, & quot modis dicatur, ſupponens ex hac notitia patere etiàm, quid ſit poſterius. Prius igitur maximè propriè dicitur, quod ex natura tale eſt, & tale eſt, quod tempore præcedit; cui vera prioritas contingit; nàm cæteri modi ad illius ſimilitudinem dicuntur.

Secundus modus perperàm dicitur à Zabarella natura, qui eſt in ijs, in quibus non conuertitur exiſtendi conſequentia; vt vnum dicitur prius, quàm duo; quià, ſi duo ſunt, ſequitur eſse etiàm vnum; at, ſi vnum ſit, non ſequitur necesſariò eſse duo. Hoc autem ſequitur ex conceptu, non autem ex natura, niſi reducatur ad primum modum ſuperiùs poſitum; nam, ſi ex natura vnus homo ſit prius, quàm duo, erit prioritas temporis, quæ prioritatis ratio non cadit intèr animal, & hominem: vt malè infert Zabarella: quia, ex Ariſt. primo de anima tex 8., animal vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius. Et ſequitur: ſi eſt homo, eſt animal, & non, ſi eſt animal, eſt homo: non, quià ſit hic ordo prioritatis, & poſterioritatis ex natura inter animal, & hominem, hoc ſecundo modo acceptæ; ſed quia duo gradus animæ non ſupponunt tertium, vt tres ſupponunt duos, quià hic prioritatis modus eſt in conceptu, non in re.

Tertio modo dicitur prius, & poſterius, quod pariter non tale eſt ex natura, ſed ex inſtituto ad eius ſimilitudinem, quod ex natura eſt: vt in ſcientijs priora ſunt principia, vel elementa; quià ſcientia ab eorum notitia eſt incipienda ex primo phiſ.

textu 1., & proemium eſt prius narratione; quare hæc quoque prioritas dicitur per anologiam ad eam, quæ eſt temporis, & naturæ.

Quartò dicitur prius dignitate, & præſtantia: quià per attributionem ad prioritatem, quæ eſt ex natura, & tempore, quod meliùs, & honorabiliùs eſt, videtur etiam tempore, & natura prius; & hi, qui dignitate præſtant, intèr homines: licèt ætate poſteriores ſint alijs, tamèn ſeniores appellantur.

Quinto loco non videtur aliam prioritatis naturam ponere Ariſt.; ſed declarare, & modificare ſecundam: namque in his, quæ conuertuntur, ex conſequentia ſubſiſtendi, vt eſt dualitas ad vnitatem, eo magis propriè, priora dicuntur; quæ non ſolùm dicuntur ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam; ſed etiàm ſunt cauſa conſequentiæ, cauſa enim dicitur ſempèr prior ſuo effectu. Itàque, quandò duo æquè dicuntur ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, vt accidit in hominis ſubſiſtentia, in enunciatione, qua dicitur, ſubſiſtere: æquè enim dicuntur ad conuertentiam; &, ſi vera eſt oratio, qua dicitur ſubſiſtere, ſequitur etiàm verè ſubſiſtere: & tamèn priùs eſt hominem ſubſiſtere, quàm enunciationis veritas, qua dicitur ſubſiſtere; quià hominis ſubſiſtentia eſt cauſa veritatis enunciationis, & veritas enunciationis non eſt cauſa ſubſiſtentiæ, forma enim intrinſeca tribuens effectum formalem veritatis non eſt alia realiter ab ipſa eſſentia rei.

De ſimùl.

CAP. III.

QVæ verò, nequè priùs; nequè poſteriùs ſunt; ſed eorum generatio eſt eodem tempore, ſimplicitèr, & proprijſſimè dicuntur ſimùl. Et natura dicuntur ſimùl, quæ, licèt dicantur ad conuertentiam, alterum tamèn non eſt cauſa alterius: vt eſt duplum; & dimidium, quia, ſi eſt duplum, eſt etiam dimidium, &, ſi erit dimidium, erit etiam duplum; &, qùm neutrum cauſa alterius ſit, per quam prioritatis vllam rationem ſumere poſſit, dicuntur ſimùl. Dicuntur etiàm ſimùl, quæ ex eodem genere à diuerſo ab inuicem diuiduntur; vt animal diuiditur in volatile, greſſibile, & aquatile, ideò hæc ſimùl eſſe dicuntur: licèt genus, & animal prius eſſe relatum ſit. quià non conuertitur ſecundùm conſequentiam eius, quod eſt, eſſe.

De Motu.

CAP. IV.

ASſignat in hoc capite Ariſt. ſex ſpecies motus, quæ ſunt generatio, corruptio; augmentum, imminutio; ſecundùm locum mutatio; & alteratio. Et, diſtingui generationem à corruptione, & augmentum ab imminutione, & mutationem ſecundum locum à ſingulis, non videtur dubium. De alteratione verò aliquo modo dubitari poſſe, affirmat; an ſit ſpecies motus diſtincta ab alijs; quià res, dùm generantur, aùt corrumpuntur, dùm augentur, aùt imminuuntur, videntur alterari. Hoc tamen negat Ariſt. quià generatio terminatur ad ſubſtantiam, alteratio ad qualitatem, ergò alteratio non ſequitur generationem, aut corruptionem; nequè etiàm ſequitur augmentum, aut diminutionem, quià datur augmentum rei ſine alteratione, vt ex libro elementorum Euclidis ſecundo habetur de quadrato, cui, gnomone addito, contingit augeri: non autem alterari. Aſſignat indè motui contingentes contrarietates: genericam vnam, alias verò ſpeciales. In genere cuicumque motui contraria creditur quies. In ſpecie generatio habet contrariam corruptionem: augmentum imminutionem; motus localis appoſitas loci rationes, vt ſursùm, & deorsùm &c: alteratio habet contrariam calefactionem refrigerationi &c. aliàs non poteſt aſſignari, niſi contrarietas generica motus; quæ eſt quies; nàm generationi, vt motus eſt, contraria eſt quies, non corruptio, nàm, ſi omne contrarium à proprio contrario deſtruitur, motus generationis tollitur per conſequutionem formæ, ad quam generatio terminatur; & in qua quieſcit. Ità auctio in termino augmenti tollitur, in quo quieſcit; quas rationes contrarietatis, vix aſſignari poſse, fatetur Ariſt. verè quies non eſt propriè contraria motui; ſed conſequens motum; aliàs non daretur motus tardior, & velocior: vt verè datur per maiorem, aut minorem quietis intermixtionem contraria autèm non intermiſcentur.

De Habere.

CAP. V.

DE habere iàm ſuprà diximus, quùm de prædicamentis ageremus. vbi Ariſt pauca admodùm protulit. Hic luculentiùs agit: quià de hac forma non loquitur, pro vt conſtituit genus prædicamentale, ſed pro vt habet rationem oppoſiti ab eo, quod habet, ad id, quod habetur; idcò non numerat formam mediam, quæ dicitur habitus; ſed eſſentiam aliam, quæ habetur, vt eſt habitus, & diſpoſitio, quæ ſunt ſpecies qualitatis; & ſic formæ diuerſæ genere ab ea forma, quæ propriè dicitur habitus, per quem ea, quæ habentur, haberi dicuntur; vt homo dicitur habere diſciplinam, aut virtutem, quæ ſunt qualitates; vel habere magnitudinem tricubitalem, quod pertinet ad quantitatem. Aut, ſi dicitur habere ſubſtantiam, hoc contingit impropriè, & propriè. impropriè dicimur habere veſtem, & tunicam, aut anulum. Propriè autèm, & ex natura habemus manus, & pedes, & oculos, quibus tamquàm habitis vtimur. Habere etiam di-

dicitur aliquid locum: & hoc quoquè, vel propriè, vel impropriè. Propriè dicitur habere locum, & haberi a loco; quod, ibi eſt, vbi ex natura eſſe, ſtatutum eſt: vt credi poteſt eſſe vniuerſum, qui locus propriè dictus dicitur immobilis. Impropriè dicitur habere amphora vinum, & modium grana tritici: quià videlicèt continentur. Impropriè etiam dicimur habere id, quod poſſidemus: vt habere domum, aut agrum. &, qui cohabitant, & quasì inuicèm poſſidentur, dicuntur haberi: vt vir dicitur habere vxorem, quia ex lege eam poſſidet. Concludit demùm, alios fortaſsè eſſe modos habendi, quos non prodit; quià, qùm loquatur de prædicamentis, ea tantùm recenſet, quæ ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem referuntur.

DE INTERPRETATIONE.

LIB. I.

CAP. I.

Habita ex ſuperioribus iudi notitia, & diſtinctione eorum, quæ ſunt, per confuſam ſpeciem (quantùm pertinet ad logicum) ſupræmorum generum: progreditur Ariſtotiles explicare horum ſuptemorum generum ſpecies, & affectiones, quæ paritèr ſpectant ad logicum; nempè quid ſit nomen, quid verbum, quid negatio, quid affirmatio, quid enunciatio; & quid oratio, quæ λόγος grecè dicitur, propterea orationis principia, & affectiones in his libris quæruntur, & oratio erit obiectum vniuerſæ logicæ narrationis, & horum librorum ſingularitèr enunciatio ex ſecunda intellectus appræhenſione.

Supponit primò Ariſt. notum, rerum ſpecies, & ſimilitudines in anima recipi ex natura, & efformari. Quo ſuppoſito, ſubdit modò, voces eſse notas, & ſigna eorum, quæ ſunt in animo; &, quæ ſcribuntur, eſse notas, eorum, quæ ſunt in voce. Vndè, veluti litteræ non ſunt omnibus nationibus eædem, ità nec voces eædem ſunt: non enim ſunt ex natura; ſed ex inſtituto. At conceptus rerum in anima, quia ſunt ex natura, ſunt omnibus iidem; &, veluti hi interdùm ſunt in anima ſimplices ſine conſideratione veri, vel falſi; ità in voce, & in ſcriptura neceſse eſt eſse; nàm nomen, & verbum, ſi ſimplex eſt, ſimplicem ſignificat conceptum; vt homo, ſanum; ſi nihil additur, non includit veritatem, nequè falſitatem; niſì aliquid addatur, eſse, aut non eſse ſignificans. Interprætatio igitur eſt nota, & ſignum conceptus in animo præexiſtentis ex voce humano arbitrio formata tanquàm animi interprete: vt iidem conceptus ad humanam ſocietatem valeant communicari, & propagari.

De Signis.

CAP. II.

Cùm dixerit Ariſt. voces, & ſcripturas eſſe ſigna rerum, quæ ſunt in animo, vtile erit explicare, quid ſit ſignum. Signum eſt, quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat, & hoc præter ſe ipſum; nàm nihil dicitur ſe ipſum ſignificare. Aliud autèm ſignum eſt ex natura, aliud ex inſtituto; ex natura eſt ſignum, quod apùd omnes homines idem ſignificat ex naturali proportione; vt gemitus dolorem; ex inſtituto, quod ſignificat ex hominis impoſitione: vt ſunt verba pronunciata, & ſcripta. Itèm diuiditur ſignum in formale; &, inſtrumentale; formale eſt, quod non cognitum ducit nos in rei cognitionem, vt ſpecies ſolis in ſpeculo; quæ, etiam ſi non ſit cognita, ſolem ſignificat, & fumus, etiam non cognitus, nos ducit in cognitionem ignis. Signũ inſtrumentale eſt, quod cognitum nos ducit in cognitionem rei: nempè mediante diſcurſu. ideò hæc ratio ſigni tantùm hominibus data eſt, quià per hoc ſignum debet percipi naturalis proportio, quæ eſt intèr ſignum, & ſignatum; quod non eſt conceſſum brutis animantibus, quæ non cognoſcunt effectus per cauſas. Nomina, verba, enunciationes, & orationes ſunt ſigna formalia conceptuum, & ex inſtituto in logicis, quià non neceſse eſt reflectere ſuper eſsentia verbi, & conceptus, vt nos ducant in cognitionem rei.

De Nomine, & Verbo.

CAP. III.

Nomen eſt vox ſignificatiua ex inſtituto ſinè tempore, cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua: &, licèt interdùm pars nominis videatur ſignificatiua, id non præſtat tamquàm pars; ſed tamquàm quid integrum per ſe ſignificans; vt, dùm dicitur ſacerdos, dos, tamquàm pars nihil ſignificat, ſed tamquàm quid integrum ſignificat. Verbum verò ſignificat tempus, quo differt à nomine; nam valetudo eſt nomen, valet eſt verbum; quià ſignificat valetudinem in concreto, & præſentem. Vndè, ſi quis dicat non valens, aut non laborans, non aſſignat verbum propriè acceptum; ſed verbum infinitum; quià eſt indeterminatum, quid ſignificetur; licèt aſſignetur tempus, & ſubiectum. Ità etiam valebat, valebit, & ſimiles deflexiones non ſunt verba, ſed caſus verbi, quibus actio ſignificata per verbum determinatur, vel, vt exercita, vel, vt exercenda per conceptus formalitèr diuerſos.

Differt autèm verbum infinitum à verbo negatiuo per particulam eſt, ad quam dirigatur negatio; vt, non valens, non laborans eſt verbum infinitum: &, non eſt valens, non eſt laborans, eſt enunciatio negatiua. Itaquè Verbum infinitum eſt ſimplex, negatiuum eſt compoſitum.

De Enunciatione.

CAP. IV.

POſtquàm Ariſt. egit de nomine, & verbo, quæ ſunt elementa, & principium materiale enunciationis, agit de oratione; quam dicit eſſe vocem ſignificatiuam, cuius partes ſeparatæ aliquid ſignificent; in quo differt oratio à nomine, & verbo, quià nominis, & verbi partes nihil ſignificant, & partes orationis ſignificant aliquid. oratio ſiquidem refert intellectum compoſitum; nomen; & verbum intellectum ſimplicem; qui diuidi non poteſt; &, licèt oratio ab Ariſt. dicatur vox nomine ſingulari. ſcire licet; dici per quam formam fit vera, vel falſa; itàque enunciatiua, & ad logicum ſpectans; aliæ enim orationes; quæ enunciatiuæ non ſunt, ad rethores; aut ad poetas pertinent, vt Ariſt. tradit. Enunciatio autèm præcipuè conſiſtit in affirmatione, in negatione verò ſecundariò. Vndè ad omnem enunciationem neceſſarium eſt verbum, vel caſus verbi, vt fiat affirmatiua, vel negatiua, & conſequenter, vel vera, vel falſa; quæ tamen veritas; vel falſitas non eſt vera differentia enunciationis, ſed proprietas quædam. Diuiditur primò enunciatio in affirmatiuam, & negatiuam; in ſimplicem, & compoſitam. Affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo, hoc eſt, quæ aliquid alicui ineſſe dicit. Negatio eſt enunciatio alicuius ab aliquo; hoc eſt, quæ aufert, non tribuit, à re: ex quo inuicem opponuntur affirmatio, & negatio oppoſitione maxima: nempè contradictoria: niſi aliqua in ſermone occurrat æquiuocatio, quod in elencis explicabitur.

De Enunciationum oppoſitionibus.

CAP. V.

POſthabitis enunciationibus, quæ non pertinent ad dialecticum, vt eſt ea, quæ dicitur imperfecta, & quæ verum, vel falſum non ſignificat, vt eſt interrogatiua, vocatiua, optatiua, imperatiua. Inſiſtens in affirmatiuis, & negatiuis, quibus veritas, vel falſitas proditur, quò tendit intellectus; progreditur Ariſt. ad oppoſitiones varias, & primò ad eam, quæ pertinet ad quantitatem; vt eſt vniuerſalis, & particularis; &, quoniàm enunciatio dicta eſt res ſignificare: & in prædicamentis propoſuit Ariſt. ſecundas ſubſtantias, quæ ſunt vniuerſalium, non eſse niſi in primis: & ſeptimo metaph. probauit, vniuerſale non exiſtere extrà res ſingulares; ne credatur ſibi contradicere, explicat hoc loco Ariſt. quid intelligat per vniuerſale, aut particulare: nempè id, quod de pluribus prædicari notum eſt, in quibus eſt, & a quibus abſtrahitur: namquè, de 1. an. Text. 8. non omninò nihil dixit eſse vniuerſale; ſed aut nihil, aut poſterius; intelligendo per poſterius, quod per intellectum abſtrahitur, vt enim benè probat D. Thomas, nomina non ſignificant res niſi intellectu mediante: ideò, prout ab eo appræhenduntur conſiderandæ, & accipiendæ ſunt. eædem enim res, quæ ſubſiſtunt poſſunt conſiderari καθόλου hoc eſt, vt totum cùm reſpectu ad partes, vt homo, vel καθέκαστον, hoc eſt tamquàm ſingulare, vt eſt Socrates, & Plato. ſeorsim ſingulos conſiderando. Homo item in enunciatione poteſt pronunciari vniuerſaliter, & particulariter

riter (diximus enim vniuerſalitatem non eſſe, niſi modum conſiderandi) Vniuerſalis enunciatio habetur, vel per omne, vel per nullum; omne affirmans, & nullum negans; vt, dicendo omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus. Particulariter ſumitur homo, dùm ſinè his notis ponitur in enunciatione: ſed cùm nota ſingularis; vt, dum dicitur, homo aliquis non eſt iuſtus, aut eſt iuſtus, affirmando, aut negando. Dum verò ponitur homo ſinè addito aliquo, omni, aut nullo, videtur quidèm ſumi tanquàm vniuerſale; ſed in ſpecie, vt vna, & ſine relatione ad ſingulas, ideò enunciatio dicitur indefinita; quæ æquipollet quidèm vniuerſali, non tamen eſt vniuerſalis. Vniuerſales propoſitiones, vt omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus non ſunt contradictoriæ, quià negatio, aut affirmatio vnius non dirigitur, ad deſtruendam negationem, aut affirmationem alterius: dicuntur tamèn contrariæ, quià ſimùl veræ eſſe non poſſunt, ſed, vel ambæ falſæ ſunt, vt in materia contingente; vel ad ſummum, ſi vna eſt vera in materia neceſſaria, alia erit falſa. Contradictoriæ ſunt quandò negatio dirigitur ad deſtruendam affirmationem oppoſitæ enunciationis; vt ſunt hæ; omnis homo eſt iuſtus: aliquis homo non eſt Iuſtus: nullus homo eſt iuſtus: aliquis homo eſt iuſtus. Quæ verò enunciationes idèm affirmant, aut negant, dicuntur opponi, ſi ſub diuerſa quantitate ponantur; vt omnis homo eſt albus: aliquis homo eſt albus, dicuntur ſubalternæ: quià ambæ veræ ſunt, ſi conſiderentur, vt includens, & incluſum; quià, ſi omnis homo albus eſt, etiàm aliquis homo albus eſt; rigoroſè tamèn acceptæ opponuntur, quià altera videtur excludere vniuerſalitatem; alia ſingularitatem. Tandèm enunciationes vniuerſales, ſi ſingularitèr pronuncientur, ſubcontrariæ dicuntur; quià, licet contrarium portendant ſingularitèr: non repugnat in vniuerſali ambas eſſe veras; vt aliquis homo eſt iuſtus; aliquis homo non eſt iuſtus.



Ex his animaduertere oportet, propoſitiones contrarias: licèt ambæ veræ eſſe non poſſint; ambas tamèn poſſe eſſe falſas. namque dicendo, omnem hominem eſſe iuſtum, falſum eſt: veluti etiàm eſt falſum, nullum hominem eſſe iuſtum: eſt enim aliquis iuſtus, & aliquis non eſt iuſtus. dicuntur tamèn oppoſitæ, imò maximè oppoſitæ illæ propoſitiones: licèt conueniant in eſſe falſi; quià oppoſitio conſiſtit in affirmatione, aut negatione, iuxtà, quam inuicem habeant repugnantiam aut in quantitate, aut in qualitate, aut in vtroque.

De Rerum contingentia.

CAP. VI.

DEcreuerat Ariſt. propoſitiones contradictorias non poſſe ambas eſſe veras, vel falſas. Quærendum igitùr, an hoc verificetur etiàm in materia contingenti: quemadmodùm admittitur in ma-

materia neceſſaria. Pro quare agitanda ſupponatur primò, enunciationes de præterito; quamuis ſint in materia contingente, tamèn determinatè eſſe vel veras, vel falſas; quià: ſi enunciatio repræſentat rem, prout eſt; quod iam fuit, non poteſt affirmari, aut negari fuiſſe ſinè certa rei veritate, vel falſitate; & idem ſtatuendum circà propoſitiones rei præſentis; licèt ſint de re; quæ contingeret eſſe, vel non eſſe; quià, quod eſt, iam de facto aut eſt, aut non eſt; & contingentià, cùm qua exijt in eſſe, non illam vltrò ſequitur, qùm iam de facto eſt; non enim contingentia opponitur exiſtentiæ; ſed neceſſitati; quod enim eſt contingens, & ex contingentia, licèt non ſit ex neceſſitate, tamèn eſt neceſſariò, quando iam eſt. Supponatur etiàm in propoſitionibus contradictorijs de futuris contingentibus ſemper alteram eſſe determinatè veram, & alteram falſam proptèr eaſdem cauſas ſuprà aſſignatas in præterito, & præſenti. namquè, ſi res contingens erit, falſa eſt propoſitio, quæ proferat, non futuram eſſe. Quandò autem Ariſt. ait in propoſitionibus contradictorijs de futuris contingentibus non eſſe determinatam veritatem, vel falſitatem, intelligendus eſt cum perſiſtentia contingentiæ in cauſa, quæ habeat libertatem agendi, & non agendi, ex qua, licèt permaneat contingentia, non tollitur propterea falſitas enunciationis, quæ non contigerit.

DE INTERPRETATIONE.

LIB. II.

CAP. I.

De Enunciationibus infinitis.

CVm egiſſet in primo libro. Ariſt. de enunciatione abſolutè conſiderata, ſequitur agere de modali, de qua luculentèr in ſummulis agitur. hoc loco pauca tradenda ſunt, animaduertendo ex Ariſt. Enunciationem affirmatinam quiddam de quodam dicere, quod vel nomen eſt, vel aliquid nomine carens, quod demitur, per particulam negatiuam: quæ, ſi ponitur extrà enunciationem nominis, illud nomen non appellat Ariſt., ſed nomen infinitum, vt homo eſt nomen: non homo eſt nomen infinitum: idem accidit verbo ſi particula negatiua apponatur verbo, vt, ſi quis dicat, non valet, dicitur verbum infinitum. Et quoniàm nomen in enunciatione aliud eſt ſubiectum, aliud prædicatum, ſi particula negatiua apponatur nomini ſubiecto, non parit negatiuam de ſubiecto; ſed, ſi apponatur verbo, eſt, ſinè quo, aut ſinè equipollente nulla poteſt eſſe affirmatio, aut negatio. Prima affirmatio eſt, vt, homo eſt; prima negatio homo non eſt: deindè per nomen infinitum affirmatio, non homo eſt; negatio non ho-

homo non eſt. dixi autem non fieri enunciationes affirmatiuas, aut negatiuas ſinè verbo, *eſt*, aut æquipollente, quià hoc in quocunque verbo includitur, & idem eſt dicere currit, ac eſt currens. Si verò particula negatiua apponatur nomini prædicato, erit enunciatio affirmatiua; ſed de prædicato infinito: vt, ſi dicatur, Bucephalus eſt non homo. Si prætereà particula negatiua apponatur verbo, tunc efficit propoſitionem negatiuam, vt homo non eſt. Ità etiam efficit negatiuam, ſi apponatur notæ quantitatis, & paritèr ſi in enunciatione modali apponatur modo: æquipollet enìm enunciatio: non poſſibile eſt hominem æternè viuere ei, quà dicitur: non eſt poſſibile eternè viuere.

De Enunciationum vnitate, & pluralitate,

CAP. II.

AGit poſtmodùm Ariſt. de enunciationibus, quæ ſunt de prædicato coniunctò: vt Hipocrates eſt bonus medicus, & de his, quæ ſunt de prædicato ſimplici, in quibus conſtituit has regulas. Primò. vt à diuiſis ad coniuncta valeat conſequentia. vt, ſi dicitur Socrates eſt homo, & Socrates eſt doctus: valet conſequentia, ergò Socrates eſt homo doctus: hoc autèm non ſemper ſequitur; ſed quandò alterum de altero prædicatur per ſe; & vnum habet locum materiæ, alterum formæ; quod duobus modis poteſt contingere: vel quod alterum ſit prò materià propria, alterum ſit differentia, ex quibus vnum conſtituatur, tunc vtrumque prædicatur de ſubiecto diuiſim, & ſequitur coniunctim: vt benè dicitur, homo eſt animal, homo eſt riſibilis, diuiſim: & ſequitur, ergò homo eſt animal riſibile; vel aliud ſit prædicatum non vt diferentia ſpecifica, ſed vt accidens, cuius accidentis alterum prædicatum poſſit eſſe ſubiectum, vt ſupra relatum eſt: dùm enim dicitur Socrates homo, & dicitur Socrates doctus, doctrina eſt accidens, quæ ſubiectatur in homine; ſic à diuiſis ſequitur ad coniuncta, dicendo, Socrates eſt homo doctus. Vnum igitur ex prædicatis debet eſſe forma alterius; & neutrum debet includi in alio. Si verò dicatur Socrates eſt bonus Socrates eſt pictor, non ſequitur, ergò Socrates eſt bonus pictor: etenim bonitas, & pictura prædicantur, & inſunt ſeparatim Socrati per accidens; & prædicata non ſe habent inuicèm, vt recipiens, & receptum; ſaltem tamquàm forma accidentalis; ſed prædicatur alterum de altero ratione tertij ſubiecti, & per accidens. Quod ſi bonitas acciperetur non ſingularitèr, & abſolutè; prout dirigitur ad Socratis mores; ſed acciperetur prout dirigitur ad artem pingendi, ità ut bonitas ſit quodam attributum picturæ; tunc, quià bonitas poteſt ſumi pro quadam forma accidentali ſubiectata in pictura, ſequitur à diuiſis ad coniuncta ergò Socrates eſt bonus pictor. Ità etiam eſſet nugatoria enunciatio, quæ traduceretur à diuiſis ad coniuncta, ſi in vno ex diuiſis alterum includeretur. Vt ſi quis dicat, Socrates eſt homo, & Socrates eſt animal, vtraque enunciatio vera eſt; &, ſi ab his diuiſis inferremus coniunctam, ergò Socrates eſt homo animal, ſequeretur quidem enunciatio, ſed eſſet, vt diximus, eluſoria. Idem quoque accideret, vt alterum in alterò actù contineretur, vel implicitè, vel expreſſè; quia, licèt ſequitur enunciatio, tamen eluſoria eſt; vt, ſi quis ſe-

ſeparatim dicat; Socrates eſt homo doctus, Socrates eſt doctus, non benè infertur, eſt homo doctus doctus, vt diximus ſuprà de incluſo eſſentiali; Socrates eſt homo animal. Eluſoria etiàm eſt enunciatio, quando ex diuiſis vnum prædicatum includitur in alio; vt, ſi dicas, Socrates eſt homo; Socrates eſt rationalis; Ergò Socrates eſt homo rationalis, etenim rationale includitur in ratione hominis; propterea eſt eluſoria prædicatio; Tertiò quandò in adiecto ſit aliquid oppoſitum, quod ſequitur contradictio, continet falſitatem; vt ſi dicatur Socrates homo mortuus, benè ſequitur; quià, dum dicitur mortuus, iam explicatur in ipſa enunciatione, & accipitur tamquàm æquiuocè homo, ac ex eo quod vera eſt hæc, Socrates eſt homo mortuus, non ſequitur enunciatio diuiſa, Socrates eſt homo; quià acciperetur homo in propria ſignificatione, & enunciatio eſſet falſa. Ità, ſi dicitur, Homerus eſt Poeta, non ſequitur diuiſa enunciatio, Homerus eſt, quià in enunciatione coniuncta verbum eſt eſt tertium adiacens, quod non eſt ad ſignificandam exiſtentiam Homeri; ſed eſt copula ſubiecti, & prædicati, vt eſt Homerus, & poeta.

De Enunciationibus Modalibus.

CAP. III.

Licèt plurimi ſint modi enunciationum, tamen Ariſt. ad quatuor reſtringit, qui magis vniuerſales ſunt, & rerum naturæ familiares, qui ſunt, neceſſarium; impoſsibile; contingens; & poſsibile. Extremi modi ſunt contingens, & poſsibile: ideò hi non diſtinguntur pænè, niſi nomine; tamèn poſsibile magis oppoſitum impoſsibili; & contingens neceſſario, & ſubalternum poſsibile neceſſario, & contingens impoſsibili, licèt hi modi minùs conueniant, quam illi. Enunciatio itàque modalis conſtat, vt cæteræ, ex ſubiecto, & prædicato; ex eo, quod dicitur, & modo; ità tamen, vt id, quod dicitur, ſit ſubiectum, & modus adiectus ſit prædicatum, ſiuè recta ſit enunciatio, ſiuè conuerſa. hoc eſt ſiuè in ea ſubiectum præponatur, vel poſponatur. Idem enim eſt dicere, Socratem volare eſt impoſsibile, atque dicere, impoſsibile eſt Socratem volare; in vtraque enim propoſitione, Socratem volare, eſt ſubiectum, & impoſsibile eſt prædicatum; ſimiliter, quicumque modus apponitur, eſt prædicatum in his enunciationibus, & ſignificat quantitatem alterius ſubiectæ enunciationis, & connexionem eius ſubiecti, & prædicati; quandò enim modus ſignificat qualitatem, aut ſolius ſubiecti, aut ſolius prædicati non conſtituit propoſitionem modalem; quia modus additur enunciationi in modalibus, & non ſubiecto tantùm; aut prædicato tantùm.

tùm. Ille enim modus dicitur, qui declarat, quomodò prædicatum inſit ſubiecto. Vndè in enunciatione negatiua particula negatiua, *non* debet apponi modo, non enunciationi, quæ ponitur tamquàm ſubiectum; vt, ſi dicatur poſsibile eſt hominem ambulare: eius contradictoria erit, non eſt poſsibile hominem ambulare; ſic illa eſſet affirmatiua, & hæc negatiua. At ſi diceretur, poſsibile eſt hominem non ambulare, quià particula negatiua non apponitur modo, non eſt modalis negatiua, ſed affirmatiua ſubiectæ enunciationis negatæ, quam vocant affirmationem infinitam, quia eſt de ſubiecto infinito. Numerantur itaquè enunciationes modales quatuor finitæ affirmatiuæ, & totidem infinitæ, ac pariter quatuor finitæ negatiuæ, ac totidem infinitæ ſecundùm ſubiectam ſeriem.

Poſſibile eſt Socratem ægrotare	Finitæ affirmatiuæ.
Impoſſibile eſt Socratem ægrotare	
Neceſſarium eſt Socratem ægrotare	
Contingens eſt Socratem ægrotare	
Poſſibile eſt Socratem non ægrotare	Infinitæ affirmatiuæ.
Impoſſibile eſt Socratem non ægrotare	
Neceſſarium eſt Socratem non ægrotare	
Contingens eſt Socratem non ægrotare	
Non eſt poſſibile Socratem ægrotare	Finitæ negatiuæ.
Non eſt impoſſibile Socratem ægrotare	
Non eſt neceſſarium Socratem ægrotare	
Non eſt contingens Socratem ægrotare	
Non eſt poſſibile Socratem non ægrotare	Infinitæ negatiuæ.
Non eſt impoſſibile, Socratem non ægrotare	
Non eſt neceſſarium, Socratem nou ægrotare	
Non eſt contingens, Socratem non ægrotare.	

Ex his quoque enunciationibus modalibus aliæ contrariæ ſunt, aliæ ſubcontrariæ, contradictoriæ, & ſubalternæ; non tamen rigoroſè, vt in ſimplicibus, quià non eſt in modalibus vniuerſalis enunciatio, vt eſt in illis; namquè omnis vniuerſalis modalis reſoluitur in ſingularem; vt, ſi dicatur, non eſt poſſibile omnem hominem ægrotare; in hac non *eſt* ſubiectum abſolutè omnis homo, quo conſtitueretur propoſitio vniuerſalis; ſed eſt tota dictio, *omnem hominem ægrotare*, quæ dicti eſt vna, & vna enunciatio, quæ ſubiectatur prædicato *poſſibilis*; ideò non eodem modo prorſùs ſe habent modales, veluti ſe habent abſolutæ.

Ex quibus patet contrarias eſſe per maximam oppoſitionem; qualis eſt intèr impoſſibile, & neceſſarium, & non per appoſitionem negationis verbo; nàm per negationem, & affirmationem ſemper oritur contradictio: dùm negatio apponitur verbo, *eſt*, & dirigitur ad modum: contràdictio eſt intèr eſt, & noneſt: velùti contrarietas non eſt in dictione, ſed in re; quæ non arctat, ſi negatio cadat in ſubiecto, vt ſi dicatur, poſſibile eſt Socratem ægrotare, & poſſibile eſt Socratem non

ægrotare: in his propoſitionibus per negatiuam particulam, non, nulla oritur contradictio: quià non eſt de prædicato; vt ſi dicatur poſſibile eſt Socratem ægrotare, non eſt poſſibile ſocratem ægrotare; hæ contradictoriæ ſunt, & ſimul veræ eſſe non poſſunt: at priores poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſe inuicem conſequuntur. Quoniàm verò voces, diximus, eſſe indicia eorum, quæ ſunt in mente; ſciendum eſt, coincidere in mente contradictorias cum contrarijs: vndè ſequitur, nequè contrarias enunciationes, neqnè contradictorias de eodem ſimùl veras eſſe poſſe. Idem enim pænè conceptus mentis eſt dicentis, Nullus homo eſt iuſtus, atquè dicentis. Omnis homo iniuſtus eſt, propterea ambæ opponuntur ei, quæ eſt. Omnis homo eſt iuſtus.

DE PRIORIBVS RESOLVTIONIBVS.

CAP. I.

AGitur hoc loco de tertia operatione intellectus, ad quam pertinet sylogizare. Inſcribuntur hi libri de reſulotione, non, quod quicquam reſoluatur in his; ſed, quia perpenduntur partes ſylagiſmi reſolutæ, & varii modi proponuntur componendi eas, & reſoluendi, & reponendi. Quarè autèm hi libri inſcribantur *priorum reſolutionum*, & ſequentes *poſteriorum*, celeberrimi quique auctores ambigunt: quorum placita repetere longum eſſet: refellere temerarium: nouum inuenire arduum: quodquam approbare, & recipere non promptum, aut facilè: ſaltem ſinè addita conſideratione eorum, quæ profert Ariſt: primo phiſ. Textu 48. vbi per priora habet nota ſecundùm ſenſum, per poſteriora nota ſecundùm rationem. Vndè hæc prior reſolutio conſiderare videtur partes ſylogiſmi modo materiali, & prout ad ſenſum conſpicuæ ſunt. Reſolutio verò poſterior videtur conſiderare partes eiuſdem ſylogiſmi ſecundùm rationem, & cum notione finis, & cum efficacia ad demonſtrandum, & concludendum; non per figuram ſenſu notam, ſed per vim notam ex intellectu. Vndè, qui dicunt in his libris agi de forma ſilogiſmi, & demonſtrationis, & in poſterioribus de materià, ità videntur intelligendi. In his libris pro ſcopo haberi formam, & configurationem demonſtrationis tantùm. At in libris poſterioribus eſſe hanc configurationem tamquàm ſubiectum materiale, nàm ſcopus, & finis eſt vis,

vis, & efficacia ipſius, quæ ſit tamquàm noua forma alterius conſiderata. Scopus igitur, & ſubiectum horum librorum eſt demonſtratio, & eius priùs intenta reſolutio; & reductio ad formam ſylogiſticam. In primò enim libro agitur de ſylogiſmo, & partibus eius, in quæ reſoluitur. In ſecundo agitur de paſſionibus ſylogiſmi, & proprietatibus, quas Ariſt. vocat potentias.

Tria agit in hoc libro Ariſt. primò de propoſitione, & terminò tamquàm de partibus, ex quibus componitur, & in quas reſoluitur ſylogiſmus. Secundò agit de reſolutione, & conuerſione propoſitionum. Tertiò de reſolutione, & compoſitione variarum ſylogiſmi figurarum; quæque perfecta, aut imperfecta ſit habenda.

Propoſitio eſt oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo: & alia eſt vniuerſalis, alia particularis, alia indefinita. Vniuerſalis propoſitio eſt, quæ id, quod affirmat, aut negat in eſſe de omni, aut de nullo affirmat, vel negat: vt omnis homo eſt animal, nullus eſt immortalis. Particularis propoſitio eſt, quæ id, quod affirmat, vel negat ineſſe, de aliquo tantùm affirmat, vel negat, vt quidam homo eſt ſanus, quidam homo non eſt ſanus. Indefinita propoſitio eſt, quæ quidèm aliquid de aliquo affirmat, aut negat, ſed ſine nota de omni, aut nullo, aut aliquo; vt voluptas eſt bonum, voluptas non eſt bonum. Diuiditur prætereà propoſitio in demonſtratiuam, & dialecticam. Demoſtratiua propoſitio eſt, quæ directè, & ſimplicitèr aliquid de aliquo affirmat, aut negat: vt homo eſt animal. Dialecticà verò eſt, quæ non explicat neceſſariam affirmationem; vel negationem; ſed vtramque includit, quaſi petendo, an homo ſit animal; quarè propoſitio demonſtratiua colligit neceſſariū, dialetica probabile.

Conſtat propoſitio ex terminis; & quoniàm omnia reſoluuntur in ea, ex quibus conſtant, definitur terminus id, in quod reſoluitur propoſitio: nempè in ſubiectum, ſeù id, de quo aliquid prædicatur, & in prædicatum.

Sylogiſmus eſt oratio, in qua, poſitis quibuſdam, & conceſſis, neceſſarium eſt ponere, & concedere aliud conſequens ex his, quæ poſita ſunt.

Eſt autèm ſylogiſmus alter perfectus, alter imperfectus; perfectus ſylogiſmus eſt, in quo concluſio ſequitur neceſſariò ex præmiſis ſinè alterius probationis auxilio; eſt ſubſtantia; vt omne animal omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. ſequitur neceſſarium per dictum de omni. In huius enim concluſione prædicatum maioris propoſitionis, quod dicitur maior extremitas, prædicatur de ſubiecto minoris propoſitionis, quod dicitur minor extremitas, & continentur ſub ſubiecto minoris. Itaquè talis ſylogiſmus nullius indiget, vt appareat neceſſarius, & ex hoc dicitur perfectus. Imperfectus verò ſylogiſmus, vt appareat neceſſarius, opus habet reductione, & reformatione in perfectum: vt planè appareat concluſio pendens ex proprijs principijs per ſe notis, quibus fundatur tota ars ſylogiſtica; vt ſunt, *dici de omni*, ac *dici de nullo*.

In dici de omni innititur vis ſylogiſmi affirmatiui; & in dici de nullo innititur vis ſylogiſmi negatiui.

De

De Conuerſione Propoſitionum Abſolutarum.

CAP. II.

PRopoſitiones Ariſt. alias vocat abſolutas, alias modales; alias affirmatiuas, alias negatiuas, alias vniuerſales, alias particulares; alias indefinitas. Propoſitiones abſolutæ dicuntur, quæ ponunt in eſſe aliquid alicui ſimplicitèr; hoc eſt non addito, an id, quod ineſt,inſit neceſſariò, an contingentèr; vt,dùm dicimus, homo eſt animal; animal non prædicatur de homine cùm modo aliquo, ſed abſolutè. De vnius abſolutæ propoſitionis conuerſione agit Ariſt., vt ea ſit tamquàm regula cæteris omnibus.

Quatuor regulæ traduntur ab Ariſt. pro conuerſione harum propoſitionum. Prima eſt vniuerſalis negatiuæ; quã, ait; conuerti in ſe ipſam per eoſdem terminos; vt propoſitio; nulla voluptas eſt bonum, conuertitur nullum bonum eſt voluptas. At vniuerſalem affirmatiuam; ait, conuerti quidèm, ſed non per eoſdem terminos vniuerſales; ſed tantùm per particulares. Vt omnis voluptas eſt bonum, non conuertitur conſequenter, omne bonum eſt voluptas; ſed particulariter, Quoddam bonum eſt voluptas, & eſt ſecunda regula. Tertia regula traditur particularis affirmatiuæ, quam, ait, conuerti per eoſdem terminos in particularem affirmatiuam, vt ſi dicatur aliqua voluptas eſt bonum, conſequenter ſequitur. Quoddam bonum eſt voluptas. Quarta regula eſt particularis negatiuæ, quam, ait, nullo modo conuerti; nam; ſi dicatur: Aliquod animal non eſt homo, non dicitur conſequenter. Aliquis homo non eſt animal. Quæ regulæ patent per principia ex ſe nota, & ſecundùm ſenſum. Sit enim voluptas, A. bonum, B, ſi A non ineſt vlli B neque A. erit cuiquam B: ſi enim voluptas non ingredietur vllam rationem boni, ſequitur nullam rationem boni poſſe dici voluptatem. Si verò hoc affirmatiuè ponatur, conuertitur, vt ſuprà propoſitum eſt. Ex quibus patet conuerſionem propoſitionum non conſiſtere tantùm in traſmutatione prædicati in ſubiectum; ſed ita, vt bona ſequatur conſequentia ex ea conuerſione, vt ſequitur, ſi quędem voluptas eſt bonum, quoddam bonum eſſe voluptatem, ſeù quandam voluptatem, veluti enim mala conſequentia non eſt conſequentia, ità mala conuerſio non eſt conuerſio.

De Conuerſione Propoſitionum modalium.

CAP. III.

PRoponit Ariſt. conuerſionem propoſitionum in materia neceſſaria, & contingenti; & in materia neceſſaria, ait, ſequi eandem conuerſionem, quam ſuprà poſuit, & eaſdem regulas tradi. Si enim neceſſe eſt, nullam voluptatem eſſe bonum, ſequitur neceſſe eſſe, nullum bonum eſſe voluptatem; & ſic ſequitur in cæteris, ſi addatur modus neceſſarius. Si verò ſumantur propoſitiones in materia contingenti, hoc con-

contingens poteſt accipi duobus modis; propriè, & impropriè: contingens impropriè ſumitur pro eodē, quod poſſibile; & in hac acceptione eædem regulæ ſequuntur, quæ ſequuntur in materia neceſſaria, & in abſolutis. Si verò contingens ſumatur propriè, hoc eſt non pro eo tantùm, quod poteſt eſſe; ſed pro eo, quod poteſt eſſe: & pro eo, quod poteſt non eſſe, differt à cæteris conuerſionibus, quia vniuerſalis negatiua non conuertitur, & particularis negatiua conuertitur ſimplicitèr; quià, ſi contingit hominem ægrotare, etiam contingit hominem non ægrotare.

De Prima figura Sylogiſtica.

CAP. IV.

AGit Ariſt. primò de Sylogiſmo, poſtmodùm de demonſtratione, quià sylogiſmus latiùs patet, quàm demoſtratio, quæ eſt ſpecies quædam sylogiſmi. Et, quoniàm in conſtruendo sylogiſmo varia haberi poteſt diſpoſitio terminorum, ex hac varia diſpoſitione terminorum variæ oriuntùr sylogiſmi figuræ, quæ ab Ariſt. très numerantur, à Galeno quatuor; quià totidem modis poſſunt diſponi maior extremitas, minor extremitas, & medius terminus in propoſitionibus conſtruentibus sylogiſmum. Conſtat enim sylogiſmus exduabus propoſitionibus, & concluſione; quarum propoſitionum prima dicitur maior, ſecunda minor, & tertia dicitur concluſio. Quandò medius terminus in maiori propoſitione eſt ſubiectum, & in minori prædicatum, conſtituitur hæc prima figura sylogiſmi. Quandò medius terminus eſt in vtraque propoſitione prædicatum, emergit ſecunda figura. Et, quandò eſt in vtraque ſubiectum, erit tertia figura. Et, ſi contingant medium terminum in maiori propoſitione eſſe prædicatum, & in minori ſubiectum, eſſet quarta figura à Galeno tradita, quæ ab Ariſt. non proponitur, quia ex natura id, quod ſe habet tamquàm forma debet eſſe prædicatum, quod non contingeret in hac quarta figura. In prima figura quatuor modis poſſunt diſponi præmiſſæ, vt ex eis euidentèr inferatur concluſio; ideò totidem modi conſtituuntur ab Ariſt. vt in primò inferatur concluſio vniuerſalis affirmatiua, in ſecundo vniuerſalis negatiua; in tertiò particularis affirmatiua; in quarto particularis negatiua. Quandò igitur tres termini præhabiti in maiori, & in minori propoſitione ità ſunt diſpoſiti, vt in maiori propoſitione medius terminus ſubijciatur vniuerſalitèr maiori extremitati, & in ſecunda, ſeù minori propoſitione minor extremitas ſubiiciatur mediò termino paritêr vniuerſalitèr, ſi propoſitiones ſint affirmatiuæ, eſt primus modus ſijlogiſmi; vt, omne bonum eſt expetibile, omnis diſpoſitio ſecundùm naturam eſt bona, ergò omnis diſpoſitio ſecundùm naturā eſt expetibilis; qui sylogismus conſtat ex tribus propoſitionibus vniuerſalibus, & affirmatiuis. Si verò maior propoſitio fuerit vniuerſalis negatiua, minor fuerit vniuerſalis affirmatiua, & concluſio erit vniuerſatis negatiua, erit ſecùndus modus in prima figura; vt nullum malum eſt expetibile, omnis diſpoſitio præter naturam eſt mala, ergò nulla diſpoſitio prætèr naturam eſt expetibilis. Tertius modus in prima figura eſt, quandò maior propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiuà, minor eſt particularis paritèr

riter affirmatiua, & concluſio particularis affirmatiua; vt, omne bonum eſt expetibile, quædam corporis perturbatio eſt bona, ergò quædam corporis perturbatio eſt expetibilis. Quartus modus eſt, quandò maior propoſitio eſt vniuerſalis negatiua, minor particularis affirmatiua, ex quo ſequitur concluſionem eſſe particularem negatiuam. quùm enim concluſio ſequatur ſempèr deteriorem partem præmiſſarum, qùm ſit quoddam incluſum cum illis. quoniam vna ex præmiſſis eſt negatiua, concluſio quoque debet eſſe negatiua, & quia altera ex præmiſſis eſt particularis, concluſio quoque debet eſſe particularis. In morbis nulli, ex his, quæ ſinè ratione fiunt, eſt fidendum, ſed quoddam morbi iudicium eſt ſinè rationè, ergò cuidam morbi iudicio non eſt fidendum; & hi ſunt quatuor modi *sylogizandi*, qui dicuntur perfecti, quinque alij in prima figura concludunt indirectè.

De Secunda figura.

CAP V.

SEcunda figura eſt, quandò medius terminus in vtraque præmiſſarum eſt prædicatum, & vtrumque extremum ſubijcitur in præmiſſis; quæ sylogismi figura qùm modos habeat, qui opus habent reductione, vt sylogiſmus appareat neceſſarius, ideò non dicitur habere modos perfectos. Primus modus conſtat ex vniuerſali negatiua, vniuerſali affirmatiua, & concluſione vniuerſali negatiua; vt. Nullum bonum eſt læſio facultatis naturalis, ſed omnis nauſea tio eſt læſio facultatis naturalis, ergò nulla nauſeatio eſt bona. Reducitur autem hic figuræ ſecundæ modus, ad ſecundum modum primæ figuræ directè concludentem hac ratione, Nulla læſio facultatis naturalis eſt bona, ſed omnis nauſeatio eſt læſio facultatis naturalis, ergo nulla nauſeatio eſt bona. Secũdus modus in ſecunda figura conſtat ex maiore propoſitione vniuerſali affirmatiua; minore vniuerſali negatiua, & concluſione; vt, omnis nauſeatio eſt læſio facultatis naturalis; nullum bonum eſt læſio facultatis naturalis; ergò nulla nauſeatio eſt bona; quæ paritèr reducitur ad ſecundum modum primæ figuræ, vt in ſuperiori oſtendimus. Tertius modus in ſecunda figura maiorem propoſitionem habet vniuerſalem negatiuam, minorem particularem affirmatiuam, & concluſionem pariter particularem negatiuam, vt nulla nauſeatio antè cibum aſſumptum eſt ſalubris, ſed quædam ſatietas eſt ſalubris, ergò quædam ſatietas non eſt nauſeatio antè cibum aſſumptum, & reducitur ad tertium modum primæ. Quartus modus conſtat ex maiori propoſitione vniuerſali affirmatiua, minori particulari negatiua, atque concluſione parit:r particulari negatiua, vt, omnis nauſeatio eſt mala quædam ſatietas non eſt mala, ergò quædam ſatietas non eſt nauſeatio. Hic modus non poteſt reduci ad primam figuram oſtenſiuè.

De Tertia figura.

CAP. VI.

TErtia ſylogiſmi figura eſt, in qua medius terminus in præmiſſis ſubijcitur, & extrema prædicantur, & omnes modi in hac figura, vt appareant neceſſarij, debent reduci ad primam figuram; ideò nullus ſylogiſmus in ea eſt perfectus. Primus modus in hac figura conſtat ex maiore, & minore propoſitione vniuerſali affirmatiua, & concluſione pariter affirmatiua, vt omnis ſpiritus eſt corpus naturale, ſed omnis ſpiritus eſt animæ inſtrumentum, ergò quoddam corpus naturale eſt animæ inſtrumentum. Reducitur autem hic modus ad tertium modum primæ figuræ per ſolam reductionem minoris in particularem affirmatiuam hoc modo, omnis ſpiritus eſt corpus naturale, ſed quoddam animæ inſtrumentum eſt ſpiritus, ergò quoddam animæ inſtrumentum eſt corpus naturale. Secundus modus eſt ex maiore vniuerſali negatiua, minori vniuerſali affirmatiua, & concluſione particulari negatiua, vt Nullis febricitantibus conuenit putredinem fouere, ſed omnibus febricitantibus conuenit victus humidus, ergò quidam victus humidus non fouet putredinem. Reducitur hic modus ad quartum modum primæ figuræ, per conuerſionem minoris vniuerſalis affirmatiuæ in particularem affirmatiuam, vt Nullis febricitantibus conuenit putredinem fouere, ſed quidam victus humidus conuenit febricitantibus, ergò quidam victus humidus non fouet putredinem. Tertius modus fit ex maiori particulari affirmatiua, minore vniuerſali affirmatiua, & concluſione particulari affirmatiua; vt Quædam exiccatio eſt in febre, omnis exiccatio conuenit apoplecticis, ergò quædam febris conuenit apoplecticis. Reducitur ad tertium modum primæ figuræ per conuerſionem maioris, & tranſpoſitionem præmiſſarum, hoc modo. omnis exiccatio conuenit apopleticis, ſed quædam febris exiccat, ergò quædam febris conuenit apoplecticis. Quartus modus fit ex maiori vniuerſali affirmatiua, minore particulari affirmatiua, & concluſione eadem, vt omnis replectio vaſorum eſt periculoſa, ſed quædam replectio vaſorum eſt ex bono corporis habitu, ergo quidam bonus corporis habitus eſt periculoſus. Reducitur ad tertium modum primæ figuræ per ſimplicem conuerſionem minoris; vt, omnis replectio vaſorum eſt periculoſa, ſed quidàm bonus corporis habitus parit replectionem vaſorum, ergò quidam bonus corporis habitus eſt periculoſus. Quintus modus eſt ex maiore particulari negatiua, minore vniuerſali affirmatiua, & concluſione particulari negatiua; vt quædam accenſio ſanguinis in corde non eſt periculoſa; ſed omnis accenſio ſanguinis in corde eſt febris, ergò quædam febris non eſt periculoſa. Hic modus non poteſt reduci ad primam figuram, niſi per impoſſibile. Sextus modus conſtat ex maiore vniuerſali negatiua, minore particulari affirmatiua, & concluſione particulari negatiua; vt nullus exceſſus ſanguinis eſt laudabilis, ſed quidam exceſſus ſanguinis facit colorem floridum faciei; ergò quidam faciei color floridus non eſt laudabilis. Reducitur hic ad quartum modum primæ figuræ per ſimplicem conuerſionem minoris hoc modo. nullus ex ceſſus ſanguinis eſt laudabilis, ſed quidam facie color floridus procedit ab ex-

ceſſu ſanguinis, ergò quidam faciei color floridus non eſt laudabilis.

De Quarta figura.

CAP. VII.

QVamuis Ariſt. tres tantùm figuras ſylogiſticas ponat, Auertœs tamèn priorum Cap. 8. de quarta loquitur, ex mente Galeni, vt ipſe fatetur. qùm enim figura ſylogiſtica emergat ex varia diſpoſitione terminorum; prima figura eſt, in qua concluſio conſtant ex maiori, & minori extremitate; ità conſtitutis in præmiſſis, vt maior extremitas in maiori propoſitione ſit prædicatum; & in minori minor ſubijciatur. Secunda figura eſt in qua ambo extrema ſubijciuntur. Tertia figura eſt, in qua ambo extrema prædicantur; ſupererat igitùr quarta figura conſtituenda, in qua concluſio conſtitueretur ex maiori extremitate ſubiecta, & minore prædicata. Vt omnis Intemperies calida indicat refrigerantia, ſed febris eſt intemperies calida, ergò quoddam indicans refrigerantia eſt febris; vel omnis febris indicat refrigerantia; ſed omne indicans refrigerantia eſt intemperies calida, ergò omnis febris eſt intemperies calida. Non itaquè prorsùs inanis, & ſuperuacua eſt hæc quarta figura, quia, quantùm ſpectat ad materiale ipſius, ſi datur quarta poſitio medij termini reſpectu extremorum, debet dari etiam quarta figura, in qua ſequitur concluſio, vt in cæteris, & poteſt reduci sylogiſmus huius figuræ ad primam, vt poſſunt reduci hi, qui in ſecunda fiunt; & in tertia, & ab Ariſt. præterita eſt hæc figura, quia formalis ratio ipſius, & vis eſt eadem, quæ in prima figura indirectè concludente, ex quo non elicitur concluſio ex arte, nec per medium terminum; & proptereà iure Ariſt. aſſeruit primo priorum. Cap. 31. per illas tres figuras tantùm ab eo propoſitas poſſe elici sylogiſmum, per regulas infrà tradendas.

De Arte inueniendi Medium.

CAP. VIII.

OMnis homo natura ſcire deſiderat, & mens in hoc eſt inexplebilis; & ſemper progreditur curioſa, & ſerpit quærendo, & coniugio quodam eorum, quæ habet, nouos ſpecierum partus parat. Itaque medius terminus eſt notitia quædam, ex qua elicitur, mediante intellectus fæcunditate, noua aliqua notitia; &, quia omnis noſtra notitia ortum ducit à ſenſu, ſupponamus notum, quid ſit tertiana; quod videlicet ſit afflictio quædam corporis humani de tertio, in tertio die inuadens. Supponamus etiàm notum, quid ſit febris; nempè morbus quidam calore affligens, & exeſtuare faciens. Sed ſupponamus ignotum, an tertiana ſit febris, & hoc à nobis eſſe quærendum; & concludendum, vel eſſe, vel non eſſe, & ſic conſtituendum problema, & tradenda concluſio, vel includens, vel excludens, vtroque enim modo proſequimur, quod quærimus; ſiuè concludamus eſſe, ſiuè non eſſe; quod vt conſequamur, oportet inuenire me-

medium aliquod, quod includat, aut excludat id, quod quærimus, & per quod ſubiectum, & prædicatum quæſitæ propoſitionis, vel vniatur, vel deſtinguatur. ſi vniantur, ſit concluſio affirmatiua. ſi diſtinguatur, ſit concluſio negatiua. vt in propoſito ſermone medium includens, & pariens per mentis conceptum concluſionem affirmatiuam, erit intemperies calida iàm ſuppoſita, tamquàm ſenſu notà: medium verò excludens, & pariens concluſionem negatiuam erit intemperies frigida, quibus mediis coniungente, & diſiungente inuentis ità conſtituimus ſylogiſmum. Per mediam intemperiem calidam includentem extrema hoc modo. Omnis intemperies calida cordis eſt febris. Tertiana eſt intemperies calida cordis, Ergò tertiana eſt febris. Intemperies calida cordis in hoc ſylogiſmo eſt medium coniungens tertianam cùm febre, & pariens hanc notitiam, tertianam eſſe febrem. in maiori propoſitione eſt ſubiectum febris, quæ eſt prædicatum concluſionis quæſitæ, & eadem intemperies calida cordis in minori propoſitione eſt prædicatum tertianæ, quæ eſt ſubiectum concluſionis quæſitæ; &, quià tertiana, ſumpta pro ſubſtantiuo, ſubiicitur intemperiei calidæ cordis, & febris eam conſequitur; per hanc intemperiem calidam cordis, tamquam per medium coniugens vtrumque concluditur, tertianam eſſe febrem. Medium autem diſiunguens debet inueniri extraneum, & diſſonum vtrique, vt per illud medium eliciatur concluſio negatiua. Quod medium diſſonum, & extraneum temperiei, & febris, eſt intemperies frigida, ſi conſideratur, & proponatur, vt repugnans extraneis conſtituentibus concluſionem. vt. Nulla intemperies frigida eſt febris, tetanus eſt intemperies frigida, ergò tetanus non eſt febris. itàque ad probandam propoſitionem affirmatiuam quærere oportet medium antecedens, vel conſequens reſpectu vnius, vel vtriuſque extremitatis; quod medium antecedens, aut conſequens non confert ad probandam concluſionem negatiuam; ſed ad hanc oportet quærere medium extraneum, quod diſtinguat. Ariſt. ea, quæ dicta ſunt, demoſtrat lib. primo cap. 29. priori demonſtratione, ac ſenſata reſolutione; quæ tamèn obſcura admodum videtur his, qui in matematicis demonſtrationibus exercitati non ſunt; quià nudis litteris vtitur, & nihil ſignificantibus, niſi ex ſuppoſito, quod certiſſimum eſt ſed facilè mentis aciem effugit, & præterlabitur legenti, niſi mente aliquid adſtruatur ſenſatæ ſignificationis.

DE POSTERIORI RESVLVTIONE

CAP, I.

CVm loquitur Ariſt. de tertia operatione intellectus: nempè de diſcurſu, alter fuit pro veritate inuenienda, ratiocinando ſecundùm ſenſum, & perpendendo partes orationis, quà ducimur in rerùm notitiam; alter eſt pro eadem veritate iàm inuenta confirmanda: noſcendo, quod ità ſe res habet, vt iàm erat appræhenſa; reſoluendo propoſitiones demonſtrandas vſquè ad primas cauſas, prima principia, & elementa per ſe nota, & indemonſtrabilia. Reſolutio, quæ eſt pro inuenienda veritate, dicitur prior; quæ verò eſt pro confirmanda, dicitur poſterior. per priorem homo ſcit, ſeù

opinatur ; per poſteriorem , ſcit , ſe ſcire , quod verè ſcire eſt. de hac poſteriori reſolutione agit Ariſt. in præſenti tractatu ; & ideò ſubiectum horum librorum , & ſcopus propriè eſt demoſtratio ; nàm modus ſciendi eſt etiàm prioris reſolutionis ; demonſtratio verò , qua ſcimus, nos ſcire , eſt ſolius poſterioris ; definitio eſt quædam demonſtratio ; ſeù pars illius . Et , ſi ex Ariſt. primo de anima , præſtat ſcientia ſcientiæ ratione certitudinis ; præſtat etiàm hæc tractatio poſterioris reſolutionis , ei , quæ eſt prioris ; quià per priores reſolutiones non habetur certitudo ; quæ acquiritur per has poſteriores reſolutiones , quæ fundamentum eſt omnium ſcientiarum ; nàm , licèt vnaquæque ſcientia reſoluat ſuas concluſiones , & demonſtrationes vſque ad prima principia ; tamèn modus reſoluendi habetur ex his libris, qui ad omnes ſcientias proficui ſunt, & neceſſarij ; & , ſi proptèr quod vnũquodque tale,illud tale magìs eſt: quùm quælibet ſcientia ratione certitudinis reddatur honorabilis mediantibus demonſtrationibus, de quibus hìc agitur, meritò hæc non ſolum tractatio præſtabit prioribus reſolutionibus ; ſed cuicũque alteri ſcientiæ proponenda eſt. hæc enim de omnibus iudicat, & eſt actus , & forma cuiuſcumque ſcientiæ .

De Præcognitis .

CAP. II.

VT has poſteriores reſolutiones proſequatur Ariſt. ſtatim pronunciat . omnem doctrinam , & omnem diſciplinam demoſtratiuam fieri ex præexiſtente cognitione ; & ideò ad habendam certitudinem cuiuſcumque rei,oportet etiàm præcognita , quæ duxere in eius rei notitiam , reſoluere , & partes perpendere , donèc ad primas cauſas deuenerimus , & ad principia indemonſtrabilia ; quæ tamquàm per ſe nota , non ſunt ampliùs reſoluenda . Qua ſententia excludit primò oppinionem Platonis , qui aſſerebat , non dari nouam rerum ſcientiam , ſed tantùm reminiſcentiam . eo , quià anima à ſui origine omnia ſciat , ſed corporis ; & ſenſuum diſtractione obruta ſuper his , quæ nouerit , non reflectat , niſi per diſcurſum , quem vocat reminiſcentiam . Ariſt. autèm oſtendit ; veluti per traduces , & ſemina res propagantur ; ità rerum ſpecies appræhenſas mentis fæcunditate , & cupiditate graſſari , & procedere ſempèr ad vlteriorem notitiam , quæ ſit nouus partus , & conceptus intellectus , & non veteris remiſcentia . Excludit etiàm opinionẽ Cratylli,qui nihil ſciri arbitratur, proptereà quòd non detur ſcientia , nisì æternorum , & omnia apud nos ſint corruptibilia , & ſingularia ; ex quibus per operationem intellectus poſſe abſtrahi vniuerſalia , non concedebat . Excludit quoquè opinionem Lycophronis,qui crederet nihil ignotum eſſe ; etenìm , ſi nihil eſſet ignotum , non daretur iſte proceſſus à no-

à notioribus nobis, vt; ex innatâ quadam via in nobis manifeſtum eſſe aſſerit, Ariſt. primo Phiſic. Cap. primo, quia rerum iudicium medio aliquo, & ratiocinatione acquiritur, & propagatur.

Prænoſcere autèm oportet, res propoſita an ſit, & quid ſit. Vt enim habeamus euidentem notitiam huius concluſionis; febris eſt calor extraneus; oportet prænoſcere ſubiectùm, paſſionem, & principia. ſubiectum eſt febris, de qua prænoſcere oportet, an ſit, & quid ſit; paſſio demonſtranda eſt calor extraneus; principia ſunt præmiſſæ, per quas demonſtratur hæc paſſio; nempè omnis intemperies calida eſt calor extraneus, & omnis febris eſt intemperies calidà. Q m enìm prænouerimus, omnem intemperiem calidam eſſe calorem extraneum, & omnem febrem eſſe intemperiem calidam, oritur hæc noua notitia in concluſione, omnem febrem eſſe calorem extraneum: quod formalitèr erat ignotum, & notum tantùm virtualiter in præcognitis; ac per ratiocinationem exit in actum, non autèm reminiſcimur. niſi, hoc Platonis reminiſci, ſit idem quod nos dicimus exire in actum, quod nos longè diuerſum appræhendimus.nam reminiſci eſt memoria repetere ea, quæ priùs nota erant; & exire in actum, eſt ſcire, quod nunquam anteà notum fuerat; & hoc notum non poterat oſtendere a poſteriori Plato, quià Socrates primo cognitus eſt per ſenſum viſus, qui denuo quæſitus, per reflexum ad primam notitiam habitam per ſenſum confirmatur, idem, qui priùs erat notus; veluti procedendo nos etiàm in ſcientiis, deuenimus ad principia per ſe nota, & indemonſtrabilia, in quibus ſiſtitur intellectus reſoluens. Nec etiàm poteſt oſtendi à priori notus, ac præcognitus Socrates, quià, ſi ea notitia eſt habita per ſenſum, & per eius obiecta cognoſcitur, non poterat vlla ratione præexiſtere ea notitia in anima, antequam ipſa ſenſibus ſubiiceretur; & propterea ait Ariſt. omnem dotrinam, & omnem diſciplinam demonſtratiuam fieri ex præexiſtenti cognitione; quià datur cognitio principiorum, & dignitatum, quæ, veluti non ſit ex præexiſtenti cognitione, ità non dicitur dotrina, aut diſciplina, ſed cognitio. vndè Ariſt. diſtinguit cognoſcere, quod poteſt eſſe per intuitum, & ſcire, quod eſt per cauſam primo phiſic. Et, licèt cognitio habita per fidem non videatus ſupponere præexiſtentem cognitionem, tamèn præſupponit præcedentem appræhenſionem, & iudicium certum eius, à quo fides emanat, &, in quo fundatur; ſiue ſit fides diuina ſiuè humana; nàm ſi eſt fides diuina, præſupponit certam notitiam exiſtentiæ reuelãtis Dei ea, quæ creduntur, & non potentis mentiri. Si eſt fides humana præſupponit perfectam integritatem: & iudicium eius, in cuius fide fundata eſt ea opinio. Probabilis quoquè concluſio præſupponit etiàm præcedentem notitiam, ſed eiuſdem notæ, nempè probabilem, & ſola notitia, quæ habetur per ſenſum, habetur ſine medio extremo, & intuitiuè; vt ſunt omnia ſingularia. in exedra enìm triangulum eſſe, non noſcimus ex præexiſtente cognitione, nequè binarium incluſum manu, ſed tamèn prænouimus omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & omnem dualitatem eſſe parem. An verò ea, quæ manu includitur, ſit dualitas, nec ne, non eſt neceſſarium ſcire pro firmanda ea concluſione, omnem dualitatem eſſe parem; veluti neque eſt neceſſaria actualis exiſtentia rei cognoſcendæ; ſed ſatis eſt eſſentia realis, poſſibilis: hoc eſt, quæ olim habuerit, aut habitura ſit propriam formalitatem extrà ipſum intelligere

in

in actu exercito: vel ſaltèm poſſit illam habere. Dùm verò Ariſt. profert, priùs habendam eſſe notitiam rei, an ſit, quàm quæramus, quid ſit, intelligi debet, non eſſe quærendam quidditatem aliquam, quin priùs nouerimus, an ſit qnidditas realis, an rationis; &, ſi eſt realis; an ſit illa eadem, de qua quæſtio apùd plures inſtituitur; nam ferè non conueniunt auctores in problematibus, quià præſupponunt quæſitum de diuerſis. vt Hip. inquit, calidum poſſe omnia ſcire, & intelligere, & præſentia, & futura, quià pro calido intelligit intellectum, & iurè poſteriores hanc ſententiam damnant, quià pro calido accipiunt qualitatem materialem; & ad hoc firmaudum antè demonſtrationem, maximè conducit notitia, quid nominis, per quam ſtatuatur, quid ſit præcisè, id, de quo quæritur; & propterea de recta nominum ratione librum conſtituit Plato; & Ariſt. logica hæc omnia tanta induſtria, & tàm exacta diligentia digeſſit. Aliàs tamèn notitia nominis extra id, quo confuſam quandam notitiam præponit, & præludit notitiæ rei, & extrà id, quo ſtatuit id, de quo quæritur, eſt inanis; Et iurè Galenus aſſeruit nihil intereſſe, ſi quis Dionem, aut Theonem vocet, dummodò res ipſa intelligatur. Ipſa enim res eſt, quæ debet intelligi, & diſtingui; & hæc intelligi, & diſtingui non poteſt; propterea in demonſtratione dicitur ſubiectum, ad cuius diſtinctionem quæruntur principia in præmiſſis; & paſſiones; & hæc dicuntur præcognita, quià ſunt cauſæ concluſionis; &, veluti cauſa quæque parit effectum, ſaltem natura, ità dicuntur præcognoſcenda principia, licèt tempore poſſint ſimùl cognoſci, & non ſecùs pariant notitiam, dùm concluſionem, ſeù demonſtrationem conſequntur, quàm dùm præcedunt. aut, ſi quid intereſt intèr conſequtionem, & præceſſionem; hoc tantùm intereſt, quo præmiſſæ, & principia, dùm prænoſcuntur, videntur habere rationem cauſæ efficientis ad eliciendam concluſionem, dùm verò ſimul noſcuntur; videntur habere rationem cauſæ materialis.

De Modis Sciendi, ac de Demonſtratione.

CAP. III.

QVoniàm ſcientia alia perfecta eſt, alia imperfecta imperfecta ſophiſtarum eſt, de qua non loquitur Ariſt. quia hæc eſt ex accidenti. multa enim ſciunt ruſtici; ſed quoniàm, licèt etiàm cauſam rei illius agnoſcant, non tamèn agnoſcunt naturalem conneſſionem intèr cauſam, & effectum, nec noſcunt, rem cognitam alitèr ſe habere non poſſe: ideò hi non dicuntur ſcire, niſi ſophiſtico modo. Vera igitur ſcientia, & philoſophia digna eſt, quæ habetur per demonſtrationem, & hæc debet materialitèr pendere ex *veris*, *primis*, *immediatis*, *notioribus*, *prioribus*, *& cauſis concluſionis*.

Ex veris debet conſtare demoſtratio pariens ſcientiam ſimplicitèr; quià res, vt ad eſſe, ità ſe habent ad notitiam; &, quæ verè non ſunt, nulla ratione cognoſci poſſunt: ideò, ſi quid verè cognoſci debet, debet agnoſci per concluſionem, quæ procedat ex præmiſſis veris: ſi enim concluſio cognoſcitur proptèr præmiſſas; & proptèr quod vnumquodque tale, & illud magis; ſi vera debet eſſe concluſio, veræ etiam debent eſſe præmiſſæ, à quibus pendet

Ex primis etiàm præmiſſis, & indemobſtrabilibus debet conſtare demonſtratio; quià, ſi præmiſſæ eſſent demonſtrabiles; non parerent ſcientiam ſimplicitèr, & abſolutè, ſed tantùm per accidens, dicuntur autem primæ in ordine ad concluſionem.

Ex immediatis præmiſſis debet conſtare demonſtratio; hoc eſt, non debet cauſari ab alio, quàm à præmiſſis; ſi enim pro elicenda concluſione, neceſſarium eſſet reflectere ſupèr alio principio, quàm ſupèr præmiſſis, non haberetur vera ſcientia, vt in hac demonſtratione. Omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, ergò omnis homo eſt riſibilis. Hæc demonſtratio non eſt ex immediatis, quia homo non eſt riſibilis immediatè ex eo, quod eſt rationalis; ſed mediatè; nempè, quia eſt rationalis, reflectit ſupèr mente apprehenſis: & qùm aliquid malè apprehendiſse animaduertit, in eodem actu expulſionis prauæ ſpeciei admiſſæ, & ſubſtitutionis bonæ ſpeciei, & veræ oritur concuſſio illa, quæ dicitur riſus; veluti in eodem actu expulſionis acris materiæ & ſubſtitutionis melioris, oritur pruritus in corpore, & titillatio. Hæc autem eſt ex immediatis. Omne rationale eſt ſcientiæ capax, omnis homo eſt eſt rationalis, ergò omnis homo eſt ſcientiæ capax quià immediate homo eſt ſcientiæ capax, quia eſt rationalis.

Debet etiam conſtare ex præmiſſis notioribus, quià proceſſus intellectus ſemper eſt à notis ad ignota, ideò præmiſſe debent eſſe notiores concluſione, ſi illius cauſa eſſe debent; nàm, vt ſuprà poſitum eſt, proptèr quod vnumquodque tale, & illud magis; quòd ſi concluſio eſſet æquè nota atquè ſunt præmiſſæ fruſtrà adhiberetur demonſtratio pro acquirenda illius ſcientia. non tamèn inconuenit poſt demonſtrationem habitam, concluſionem æquè notam eſſe, atquè fuerint præmiſſæ; ſed hac ratione accipitur, vt aſſertum, aut ploblema, non autèm ſub nomine concluſionis, quæ videtur ex vi nominis habere ordinem, & dependentiam à præmiſſis, & ab illis pendere illius veritatem.

Debet conſtare ex prioribus, vt naturalis proceſſus ſequatur in ſcientijs, appræhendendo: & differt hæc conditio, ab ea, qua requiruntur primæ, nàm primæ conſiderantur tamquàm indemonſtrabiles, aut pendentes ex indemonſtrabilibus, ſaltèm virtualitèr, & reductiuè: at priores dicuntur ratione ordinis, & pro inducenda cauſalitate.

Tandem dicuntur cauſæ concluſionis, quià, dùm intellectus concipit præmiſſas, ſi progrediatur ad elicendam concluſionem, neceſſariò illam concipit, & illi aſſentitur: vndè præmiſſæ ex ſe ſunt cauſa materialis, & cùm intellectu ſunt cauſæ efficientes concluſionis. Dixi ſi progrediatur ad elicendam concluſionem, quia intellectus progreſſus poteſt impediri à voluntate, quæ poteſt aliud pabulum proponere intellectui, & nouis ſpeciebus inſtantes & quæ neceſſariò prodirent conſequentèr à præmiſſis, confundere & perturbare, namquè aliàs etiàm, quoad exercitium cogeretur intellectus aſſentiri eius concluſioni, quia ex natura fertur in verum, veluti voluntas in bonum; & eſt potentia determinata ad illud, quomodò autèm ſit receptiuus habituum intellectus aliàs loculentiùs explicabitur; hoc tantùm ſtatuendo, non ex eo, quod habitus admittat, eſſe potentiam indifferentem, quià intellectus non eſt verè ſuſceptiuus habituum immediatè, & per ſe.

Ariſt. primò Phiſ. ait, contingere ſcire, & cognoſcere; quià non omnium eſt ſcientia demonſtratiua; ſed alia cognoſcuntur ſine mediis, alia ex mediis, quæ dicuntur ſciri. Duæ celebres opiniones vigebant tempo-

re

re Ariſt. Vna erat, nihil poſſe nos per demonſtrationem cognoſcere. Altera poſſe omnia demonſtrari hanc opinionem Lycophron, & Empedocles: illam Cratillus defendebat, & ſceptici. Sceptici, ſeù Phirronici ſuæ opinionis fundamentum ſtatuebant, nihil ſciri, niſi per demonſtrationem; & ſcientiam per demonſtrationem non benè confirmari, niſi benè intellectis principijs, & notioribus: quarè præmiſſæ, etiam per demonſtrationem aliam concludendæ: antecedentis demonſtrationis principia per aliam, & ſic proceditur in infinitium; qùm igitùr deueniendum ſit neceſſariò ad aliquod ignotum, & demonſtratio ſit ex primis, & notis, ſequitur corruere omnes concluſiones à prima inſtabili dependentes; aut concluſiones eſſe ex præmiſſis ſuppoſitis, non autèm demonſtratis: quorum propterea non eſſet ſcientia. Empedoclei cuiuſcumque rei demonſtrationem haberi defendebant: quià quæque res ſit ex ſui natura eſt ſimpliciter demonſtrabilis; & licèt aliqua ſint ignota nobis, non eadem ſunt paritèr ignota naturæ, & ſi quandò ad aliqua principia ſupræma deuenerimus, quæ per alia ſuperiora principia demonſtrari non poſſint, poterunt demonſtrari per concluſionem circulo quodam, & ſciri per cauſam ſaltem formalem, & finalem; ideò omnium haberi poterit ſcientia demonſtratiua. Ariſt. more peripateticò vtramque potiùs amplectens opinionem; quàm vllam euertens ait, non omnium eſſe demonſtrationem, & ſcientiam; ſed plurium eſſe, aliquorum non eſſe: Et, ſi ſcientia accipiatur pro neceſſaria, certa, & euidenti cognitione, aprobat Ariſt. Lycophronis ſententiam quia tàm concluſionum cuiuſcumque, quàm principiorum poteſt haberi certa, & euidens cognitio, cui aſſentimur etiàm ſinè demonſtratione, proptèr euidentiam terminorum: non autèm circulari demonſtratione, vt Empedoclei ſibi perſuadebant, quià idem eſſet priùs, & poſteriùs, notius, & ignotius, quod repugnat, & omnia demonſtrantur ex hypoteſi, aut, ſi datur circulus dabitur tantùm à primo modo. Si verò nomen ſcientiæ reſtringitur ad eam tantùm, quæ habetur per demonſtrationem, ſentit Ariſt. cùm Cratillo: quià, licèt quorumdam habeatur demonſtratio, corruit tamèn mediorum rigoroſa demonſtratio ob prima principia, quæ ſunt indemonſtrabilia; non tamèn ſequitur, prima principia abſolutè cognoſci proptèr euidentiam non poſſe, ac, his præcognitis ſubſequentium poterit haberi demonſtratio, ſic aliqua demonſtratione ſcibilia, alia per euidentiam ſunt; ſed non per demonſtrationem; &, qùm hæc cognita euidentèr ſint, licèt non per demonſtrationem, ſequitur ſcientiam, quæ ſubſequentium habetur, per demonſtrationem, eſſe de rebus neceſſarijs; quià principia, quæ euidentèr nota ſunt, non poſſunt alitèr ſe habere; & hoc eſt eſſe neceſſarium; namquè, vt propoſitiones ità ſint neceſſariæ, vt ex his componi poſſit demonſtratio, ſatis eſt, quòd ſint de omni, ſint per ſe; & vniuerſaliter prædicentur. propoſitiones de omni dicuntur, quæ de omnibus, & omni tempore prædicantur, vt ſi dicatur victum humidum febricitantibus omnibus conuenire, ſi non conueniat febricitantibus ex putredine; propterea, quòd putredo fiat ab vnoquoque humido, non benè diceretur de omni; at benè dicitur, quià propoſitio eſt de forma febriſ, non de cauſa efficiente, vndè reſpectu formæ, victus humidus conuenit omnibus febricitantibus. quià formalis tranſmutatio natiuæ caliditatis ad igneam eſt ex ſiccitatæ. At in caliditate eſt mutatio tantùm ſecundùm gradum, non ſecundùm formam.

Ita

Ità ſi inferatur , propoſitionem illam non eſſe de omni , quià , licèt conueniat omnibus febricitantibus , non tamen conuenit omni tempore, quià in acceſſionibus abſtinere oportet , & ſic victus eo tempore nullo modo conuenit . dici tamèn poteſt de omni, ſi propoſitio ſumatur ex hypoteſi , hoc eſt, ſi conueniat victus , conuenire humidum . Prædicari per ſe , quatuor modis dicitur ab Ariſtotile . primus eſt , quandò prædicatum pertinet ad eſſentiam ſubiecti . vndè hæc propoſitio videtur in primo modo dicendi per ſe . febris eſt calor extraneus : velùti hæc , homo eſt animal rationale . Secundùs modus decendi per ſe eſt , quandò ſubiectum pertinet ad eſſentiam prædicati , & illud neceſſario ſequitur , vt corpus viuens eſt ſanum , vel ægrum . Ex eo enim quòd viuit homo eſt morbi ſuſceptiuus , & ſanitatis neceſſariò quòdcumque aliud viuens . Tertius modus dicendi per ſed non eſt pænès prædicationem ; ſed penès eſſentiam . quarè per ſe dicitur tantùm hoc modo ſubſtantia , quià hæc ſola per ſe ſubſiſtit , & alteri non inhæret . Quartus modus eſt iuxtà cauſam , & effectum , quandò videlicèt prædicatur effectus de ſua cauſa per ſe, à quà pendet, & non aliundè , nequè ex accidenti ; vndè quandò Gal. ait , ſe venæ ſectione curaſſe febrem , non aſſignat curationis cauſam per ſe ; quià febris tollitur refrigerantibus : venæ ſectionem ſequitur ex accidenti ſanguinis effuſio , ſanguinis effuſionem ſpirituum transfuſio , & hanc refrigeratio . Ità , qui aſſerat hominem interijſſe ex vulnere , non aſſignat effectum cauſæ per ſe , ſi homo vulneratus procidat in terram , & ex ictu moriatur , non autem ex vulnere . Prædicari demùm vniuerſalitèr , quòd erat in tertia conditione poſita ab Ariſt. eſt prædicari de omni per ſe , & pro vt tale , quæ coincidunt pænè cùm allatis conditionibus . Duplex autem aſſignatur ab Ariſt. demonſtratio : vna eſt per cauſam proximam, & adæquatam , altera per remotam & inadæquatam . prima dicitur demonſtratio propter quid , ſecunda quià ; & , quoniam illa eſt à cauſa , & hæc ab effectu ; & cauſa eſt prior , & effectus eſt poſterior ; demonſtratio propter quid dicitur à priori , & demonſtratio quià dicitur à poſteriori , & , quoniàm demonſtratio propter quid habetur prior demonſtratione quia , ideò procedere à cauſa , aut ab effectu non diſtinguit has demonſtrationes , ſed potiùs adæquatio cauſæ ad effectum, itàut , licèt demonſtratio procedat à cauſa ad effectum , tamèn , ſi cauſa eſt inadæquata effectui , non dicitur demonſtratio propter quid , ſed quià ; & aduerſo . Si demonſtratio fuerit ab effectu , ſi effectus eſt adæquatus , & proximus , demonſtratio indè ſequens dicitur demonſtratio propter quid , & non quià ; aut ſaltem poteſt dici demonſtratio propter quid , quià effectus adæquatus conuertitur cùm ſua cauſa , vndè ab effectu adæquato vtraque demonſtratio fieri poteſt ; velùti etiàm poteſt fieri à cauſa remota , ſi ea fuerit adæquata . quippè remotio cauſæ non tollit perfectionem demonſtrationis , licèt retardare poſſit efficaciam , dùm intellectus non innititur ità facilè in naturali connexione , quæ eſt inter cauſam , & effectum , quandò aſſignatur cauſa remota , huius tamèn cognitio neceſſaria eſt ad confirmandas concluſiones ab ea procedentes . Vndè ſcientia ſubalternata ſinè ſubalternante non poteſt dici verè ſcientia , aut ſaltèm debet dici ſcientia imperfecta . qùm enim pendeat à concluſionibus ſuperioribus , ſinè illis non habet certam demonſtrationem , nec ſpecificam vnitatem . Proptereà medicina , prout conſideratur ab Auic. , in

qua aſſerit concluſiones haberi non, vt lex à legisconditore, ſed vt à legis promulgatore, malè dicitur ſcientia, & non niſi accipiendo ſcientiam lato modo. Eſto enim in ea ſint perfectæ demonſtrationes; tamèn, quià ſunt demonſtrationes ſubordinatæ alteri ſcientiæ, vtpotè naturali philoſophiæ, ideò eius conſiderationes eatenùs ſunt perfectæ, quatenùs, ex ſubordinante, & ſubordinato fit vna ſcientia, quæ ab Erophilo dicebatur ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum: intelligendo per neutra, ea, quæ in naturali philoſophia, & metaphiſica pertractantur. Imò Auicennas coarctans ſcientiam, qua, humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, qua ſanatur, vel à ſanitate remouetur, vt habita ſanitas reſeruetur, & amiſſa recuperetur, infirmat aliqua ex parte rationem perfectæ ſcientiæ ob dependentiam concluſionum à ſuperalternante; ſed, quandò explicat concluſiones in medicina haberi naturalis philoſophiæ, vt à legis promulgatore, hoc eſt ſinè notitia, & ſinè demonſtratione, propter quid, tollit omninò rationem ſcientiæ, & reducit ad fidem dogmatum Philoſophiæ, non ad opinionem, quià concluſiones Philoſophiæ receptæ in Medicina, recipiuntur tamquàm perfectè demonſtratæ, licèt non demonſtrandæ in medicina. vndè nulla ſupponitur dubitatio de illis concluſionibus; ſed tantùm excluditur demonſtratio, tanquàm impertinens ſcientiæ ſubalternatæ, & quaſi per habitum incluſæ in his, qui philoſophiæ ſtudio terminato, iuxtà aſſertum Ariſt., ad medicinam accedunt.

Sequeretur de habitibus dicere, quos Ariſt. vocat potentias doctrina acquiſitas 9. Meth. cap. 5. cuius habitus qùm ibi, & aliàs in Metaphiſicis explicet. ideò de habitu genericè differt, eò loci differere.

TOPICORVM.

CAP. I.

QVoniàm non omnium eſt perfecta demonſtratio ex veris, & primis, & certis principijs: vt poſſit Philoſophus cuicumque propoſito problemati ſatisfacere, neceſſe habet cognoſcere, quæ nàm, nisì vera ſint, ſaltèm probabilia habeantur; ità vt concluſiones, quæ de illis habeantur, poſſint quidèm oppugnari, ſed non euerti; &, qui eas propoſuerit: niſi tueatur, poſſit tamèn defendere, eo quià contrarium non poſſit demoſtrari, & aſſertum, vel omnibus, ità ſe habere videatur, vel plurimis, vel ſapientibus, & maximè notis, & illuſtribus. Qua de re regulas quaſdam genericas tradere promittit Ariſt. & quasì in figura, hoc eſt ſpeciem, & modum afferendo, vt exerceri, & colloqui, & ad philoſophicas diſciplinas dirigi poſſint, qui earum cupidi ſunt, quas regulas locos appellat, & ideò hi libri topicorum, hoc eſt locorum, vndè regulæ ille elici poſſint, inſcribuntur; & ſylogiſmus per has regulas conſtructus erit obiectum huius vniuerſæ tractationis.

De Prædicatis Dialecticis.

CAP. II.

PRopoſitio, & problema explicat, vel genus, vel proprium, vel accidens; &, quoniam proprium duplex eſt: aliud quod rei eſſentiam explicat, alterum non explicat; illud, quod explicat, nomine definitionis, ſeù termini habet Ariſt. vnde quatuor contingunt prædicata dialectica proprium, definitio, genus, & accidens; quæ prædicata non ſunt propoſitiones, aut problemata; ſed ex his propoſitiones conſtruuntur, & problemata.

Propoſitio dicitur, quandò de re eſt ſimplex interrogatio; vt, ſi quis petat, an in omni febre putrida ſit ſaluberrimum ſanguinem mittere. problema verò, quandò vtraque pars contradictionis proponitur. vt, an in omni febre putrida ſaluberrimum ſit ſanguinem mittere, vel non; quibus reſpondemus per dicta prædicata, vel aſſignando terminum, ſeù definitionem, vt ab alijs omnibus diſtinguatur res quæſita, vel aſſignando genus, vt, a quo contineatur, & habeatur; vel proprium, tamquàm id, quod rem conſequitur, & ſibi competit; vel accidens tanquàm manuducens ad illius notitiam, cùm quo tamèn & eſſe, & non eſſe poſſit: ità tamen, vt aliquandò proprium poſſit demonſtrari, & manuducat in notitiam rei. ex quibus fit propoſitio dialectica, quæ eſt interrogatio probabilis, vel omnibus, vel pluribus, vel ſapientioribus viſa, propoſita ad electionem, & fugam, vel cognitionem rei conducens incertæ. Dicimus incertæ, quià de nonnullis impium, de alijs ſtultum eſt diſputare, & quæſtionem proponere. vt, An Deum liceat venerari, impium eſt, an nix ſit alba, ſtultum; illud quià certiſſimum eſt: hoc, quià ſenſu patet. Proponuntur itaque problematum tres differentiæ morales, rationales, & naturales. Problema morale eſt quærens an potiùs Principi, quàm parentibus parere debeamus. Rationale, an contrariorum ſit eadem diſciplina. Naturale an mundus æternus potuerit eſſe.

Enumeratio locorum in genere.

CAP. III.

PRimum locum, vndè problema dialecticum elicit Ariſt.; elicit ab accidente, in quo aſſignando frequentèr errari docet, propterea pro vtraque parte poſſe defendi; vt, ſi quis dicat aliquid accidere, quod alio quodam modo rei competat. vt, ſi ſit genus, & dicatur accidens; vt ſi quis dicat, accidere febrem eſſe intemperiem, namquè febris quidèm eſt accidens, & poteſt accidere ſuperuenire alicui intemperiei, vt ophtalmiæ, aut ariſypelati, aut alij, non tamèn accidit eſſe intemperiem, ſed intemperies eſt genus ad febrem. qui igitùr problematicè defendit accidere febrem eſſe intemperiem, poteſt etiam defendere non accidere; nempè accidere, quià ſuperuenit, at rigorosè non accidere; ſed intemperiem eſſe genus. Ità ſi quis problema proferat vniuerſale negatiuum, aut affirmatiuum, vt omnia contraria contrarijs curari; vt pro vtraque parte problema poſſit defendi, oportet omnes

ſpecies contrariorum diuidere; &, ſi inuenerit aliqua contraria non iuuari contrarijs, ſed ijſdem; vt vomitus vomitum ſanat, & deiectio deiectionem: deſtruitur aſſertum vniuerſale; ſi verò velit defendere eſſe vniuerſale, debet diſtinguere, & inſtantiam innouare, in qua non eueniat: curare enim eſt, id, quod pratèr naturam eſt, remouere, at vomitu expellere, quod noxium eſt, non eſt pratèr naturam; ideò vomitus non curatur, ſed cura conſiſtit in eo comouendo, quod vomitum cieat, & naturam lædat, quod fit vomitu. Itaquè vno modo falſum eſt contraria omnia contrarijs curari, quià vomitus vomitum ſanat; & alio modo verum eſt, quià motus contrarius eſt quieti, & materia lædens ventriculum, catenùs ledit, quatenùs pratèr naturam ibi quieſcit, ideò mouenda eſt, quod facit natura per vomitum. ſed quià natura ſinè artis auxilio non ſufficit, expellere materiam adhærentem, & quieſcentem præter naturam, ideò ab arte vomitus vehementior excitatur, donèc materia eradicata expellatur, qua expulſa vomitus ſiſtitur. quarè, re bene intellecta, non deſtruitur vniuerſalitas problematis: nàm vno modo eſt vera, & alio non eſt vera. Tertio loco in terminis pendendum eſt in problematibus per definitionem, & accidens, & id, cui accidit, vt, ſi dicatur; abſynthium eſſe idoneum ſtomacho: definitione explicare oportet, quid ſit idoneum, & quid abſynthium; namquè, ſi vno modo accipiatur, non eſt idoneum; quià, vt ingratum eſt palato, tale ſtomacho eſſe credibile eſt; at nihil idoneum eſt ingratum: ſi verò idoneum accipiatur pro conducente; hoc modo poteſt defendi affirmatiuè, quià abſynthium proprijs qualitatibus nocet ſtomacho, cuius læſionem qùm principiat ſtomachus, contrahitur, atquè ità, dùm laxatus contrahitur, exprimit humorem, quo laxabatur, & vis illius vnita fit fortior; & hoc modo abſinthium eſt idoneum ſtomacho: Ità argumentum ab auctoritate poteſt pro vnaque parte defendi, attendendo auctoritatem iuxtà id, in quo auctor præualet: namque, ſi Galeni auctoritas afferatur pro aſſignando numero indicantium 9. Meth. Cap. 15. & de opt. ſecta ad Traſibulum, problema defenditur; quoniam in medicina maxima eſt auctoritas Gal., at, ſi eiuſdem auctoritas aſſignetur, pro defendendo numero figurarum ſylogiſticarum præualet Auctoritas Ariſt.

Locus ſextus a multiplici diſtinctione incogniti, ac cogniti.

CAP. IV.

Locus iſte conſiſtit in æquiuocatione, propter quam verbum dicitur multiplex, quà multiplicitate diſtincta pro vtraque parte defenditur, & diſtinguitur problema, ſiuè affirmatiuè, ſiuè negatiuè ponatur, vt eſt in eo Hippocratis axiomate par. 2. apho. 5. Quicumque, parte aliqua corporis dolentes, dolores non ſentiunt, his mens ægrotat. Multiplex enim eſt acceptio dolentis: atque, ſi accipiatur dolens rigoroſè, deſtruitur problema, quià impoſſibile eſt dolentem dolorem non ſentire; ſi verò per dolentes intelligamus eos, qui cauſam doloris habent efficientem, & partem ad recipiendam doloris cauſam paratam, quibus tamèn vltima doloris forma deficiat, vt eſt iudicium, problema conſtruitur, etiam ſi ne-

ſi negatiuè fuerit poſitum, ſi ità diſtinguendo procedamus; quod problema non poteſt defendi, aut conſtrui, neque affirmatiuum, neque negatiuum ſub ratione vniuerſali: nàm per particulare affirmatiuum, aut negatiuum deſtruitur oppoſitum vniuerſale; & neutro poſito particulari conſtruitur vniuerſale. quarè hoc problema vniuerſalitèr acceptum non poteſt defendi neque negatiuè, neque affirmatiuè poſitum; cùm diſiunctione tamèn poteſt vtroque modo, vt explicatum eſt.

Locus 7. Ab Amphibologia.

CAP. V.

DIximus de his, quæ dicuntur multiplicitèr ob æquiuocationem, ſequitur dicendum de alijs, quæ alio modo multiplicia ſunt: vt ſunt ea, quæ ſecundùm rationem multiplicitèr dicuntur per dictam analogiam, vel amphibologiam; vt eſt in exemplo poſito à Ioanne Grammatico in medicina, quæ poteſt defendi ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, ratione finis: nempè ſanitatis. conducit enim cognoſcere etiàm inſalubria, & neutra, hoc eſt, quæ neque ſalubria, neque inſalubria ſunt; qualia ſunt, quæ pertinent ad naturalem philoſophiam ob naturalem connexionem, quam habent cùm ſalubribus; ſic, ratione finis, ſana poteſt dici etiàm notitia de anima, quià ad functiones animaſticas regendas conducit, & adſtruitur problema. medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, quod ex aduerſo poteſt deſtrui, quià non conferat ad finem, nempè ad ſanitatem, quid morbum faciat, ſed quid tollat; ex quo concluditur notitia inſalubrium; ac pariter obſcurarum cauſarum, & naturalium actionum quæſtionem ſuperuacuam eſſe contendunt, inquit Celſus, quoniàm incomprehenſibilis natura ſit &c.

Locus 8. a Tranſumptione.

CAP. VI.

COnſtruitur, ac deſtruitur hoc problema per tranſumptam ſignificationem vocabuli accepti in proximum pro vtraque parte vergens ad appoſita; vt, ſi quis ex Callicle in Gorgia apud Platonem petat, an homines temperati ſint vtiles in Republica; pro conſtruendo problemate transfertur ſignificatio temperati ad prudentiam, vt abſtinentiam acris cupiditatis: ità enim profectò ſunt vtiles. Pro deſtruendo verò problemate, perperam transfertur nomen temperati cùm Callicle ad ſtolidum, & inſenſatum; ac benè dicitur in hac deteſtabili ſignificatione; temperatos viros non eſſe vtiles reipublicæ. Ità in medicina aſſertum illud Hip. 1. aph. 5. ſanis corporibus exactam victus rationem eſſe periculoſam; problematicè conſtruitur, & deſtruitur per tranſumptionem ſignificationis verbi illius exactæ victus rationes, quæ ſignificatio, ſi transfertur ad victus rationem ex conſilio inſtitutam pro ratione ætatis, & corporis, *modò ruri eſſe, modò in Vrbe, ſæpiuſque in agro, nauigari, venari, quieſcere interdùm, ſed ſæpiùs ſe exer-*

exercere deſtruitur problema: nàm ex acta victus ratio hoc modo accepta non eſt periculoſa. Si verò transferatur ſignificatio exactæ victos rationis ad tenuem ſibi conſtitutam nulla habita diſtinctione ætatum, & temporum, hac tranſumptione conſtruitur problema. nàm exacta victus ratio eſt periculoſa, quià, vt inquit Hip. errata difficiliùs ferunt.

Locus 9. a Genere ſubiecto.

CAP. VII.

SI ponendum ſit problema, quod pro vtraque parte defendi poſſit, oportet illud conſiderare in genere: ſic enim in genere, tanquàm plura continente, poterimus pro vtraque parte negare, & affirmare: ſubiectum affirmationis, & negationis facile inuenientes.

DE PHANTASTICIS REDARGVTIONIBVS.

CAP. I.

VElùti agitur in medicina de venenis, non vt illis vtamur; ſed vt illorum nocumentum cauti poſſimus euitare: ità agit Ariſt. de ſophiſmatibus, vt eorum habita notitia, cauere à ſophiſtarum argutijs valeamus. Inſcribuntur hi libri περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, hoc eſt de ſophiſtarum redargutionibus, quià in his non docentur, ſed deſtruuntur fallaciæ argumentorum. His vtuntur, qui ſapientes videri volunt, qùm ſapientes non ſint, & argumento plura in his libris coincidunt cum his, quæ habentur in topicis; verùm hæc differentia eſt intèr dialecticum, & ſophiſticum; quòd dialecticus ambigit; & quærit rei veritatem ex his, quæ vero ſimilia ſunt, & plurium opinionis ſunt. At ſophiſta volens, ac, ſciens decipit, aut verè ignorans, ea quæ profert, tamquàm nota profert. Aliàs autem intèr ſapientem, & ignorantem nullus eſt medius; velùti nec intèr verum, & falſum, nec inter ens, & non ens; quarè dialectica propriè non eſt media diſciplina intèr demonſtratiuam, & ſophiſticam, ſed in dialectica quæritur verum, in ſophiſticis detegitur falſum. In demonſtratiua proditur, & verum & falſum, & vtrumque manifeſtè diſtinguitur, &, velutì in athleticis diſpoſitionibus corporis humani, hæc quidem verè bona eſt, illa verò, quæ bona videtur, & in diſcrimen hominem adducit; Ità vera demonſtratio veritatem parit, ſophiſma ve-

verò videtur quidèm veritatem parere, ſed pro ea falſitatem gignit. demonſtratione parta concluſio verè aurea eſt, at ea, quæ ſophiſmate paratur, metallum eſt felle tinctum. Ratio autem deceptionis eſt præſertìm ex verborum æquiuocatione; quippè voces ad res ſignificandas, quæ vſu ſunt, ſub certo, & definito numero ſunt; res verò ipſe ſine numero ſunt penè infinitæ. qùm ergò plures ſint res, quàm rerum nomina, neceſsè eſt plures res ſinè nomine eſſe, & multa nomina ſingula pluribus rebus ſignificandis data; quorum ratio diuerſa quidèm, ſed ſimilibus compræhenſa accidentibus, habetur pro eadem; ex quo falſa principia aſſumuntur, & indè ſequuntur conſimiles concluſiones.

Diuiſio Elenci.

CAP. II.

ORatio in elencis vſitata neque doctrinalis eſt, quæ ex proprijs cuiuſcumque ſcientiæ principijs oritur, de qua di-um eſt in analyticis; neque tentatiua; ſed contentioſa eſt, qua vitioſus ſylogiſmus conſtruitur; quod vitium poteſt eſſe in materia, poteſt eſſe in forma, & poteſt eſſe in vtroque. In materia eſt vitium ſylogiſmi, quandò altera præmiſſarum, vel vtraque falſa eſt, vt in hoc argumento. Vbi vis hominis deficit non licet ſanguinem mittere; ſed in omni febre putrida vis hominis deficit; ergò in omni febre putrida non conueuit ſanguinem mittere. Vitium materiæ præſertìm eſt in maiore propoſitione à ſimpliciter, a non ſimplicitèr. quandò vis hominis deeſt prohibetur ſanguinis miſſio; nàm quandò homo poteſt ſufficere, etiam ſi vis deeſt, tamèn ſanguis mitti debet, quià magìs vrget vis magna morbi, quàm paruus virtutis defectus, ſi homo nihilominùs poteſt ſufficere. Imò, ſi deficiat virtus ex oppreſſione, detractio ſanguinis virtutem leuat potiùs, qnàm deiiciat. Ideò falſa eſt ea propoſitio ſimpliciter accepta, vbì vis hominis deficit non licere ſanguinem mittere. Vitium ſylogiſmi in forma eſt, quandò ex præmiſſis malè conſtitutis conſequentia elicitur. vt febris eſt calor extraneus, ophtalimia eſt calor extraneus, ergò ophtalmia eſt febris. Vitium ſylogiſmi in materia ſimùl, & forma eſt; vt omnis pleuriticus ex inſperato moritur, nullus febricitans ex inſperato moritur, ergò nullus febricitans eſt pleuriticus; Et hi ſylogiſmi contentioſi, ſeù ſophiſtici dicuntur: & pſeudographi, ſeù falſigraphi ſunt: quandò ex principijs veris, ſed malè intellectis falſum colligitur. Fit autèm ſophiſma vel redargutione; vel falſo, vel inopinabili; vel ſolæciſmo; vel nugatione. Redargutio eſt reprobatio alterius ſententiæ, veluti, qui rixandi ſtudio, & contentionibus propriam opinionem defendunt, continuò arguunt aliorum concluſiones, nunquàm proprias tuentur. Falſis etiàm principijs argumenta componunt, quæ veri ſpeciem habent. Inopinabili fit ſophiſma, quandò principia eius contrà opinionem multorum, vel plurium, vel ſapientiorum ſunt. Solæciſmo innititur, dùm ſermone vtitur ſophiſta grammaticæ regulis diſſonum, vndè nihil affirmat, aut negat, ex communiter accepto ſermone. Nugatione demùm contendit, quandò eadem ſæpè repetit, & æquipollentes multiplicat ſententias, tamquàm diuerſas. Fallit ſophiſta, vel in dictione, vel extrà dictionem. In dictione fallit per æquiuocationem, amphibologiam, compoſitionem, diuiſienem, accentum, & figuram dictionis. Extrà dictionem fallit, vel ex accidenti, vel per

vbi,

vbi, & ſimplicitèr, vel per ignorantiam Elenci, vel per conſequens, vel per petitionem principij, vel per non cauſam, vt cauſam, vel per plures interrogationes, vt vnam. Qui tamèn fallendi modi reducuntur In dictione, ad æquiuocationem, extra dictionem, ad ignorantiam Elenci. eſt enìm æqoiuocatio, quandò idem nomen ad ſignificandas diuerſas rerum rationes vſu eſt; & hanc potiſſimam cauſam tradit Ariſt. deceptionis in dictione, ſiuè plures rationes ſignificet idem nomen ſimplicitèr, ſiuè cum aliquo ſuperaddito. ſimpliciter fallit æquiuocatio, vt, ſi quis dicat, bubo eſt ſignum peſtilentiæ, bubo eſt auis, ergò auis eſt ſignum peſtilentiæ. bubo enìm eſt nomen æquiuocum ſignificans tumorem in corpore, & ſignificans auem. vndè ratio decipiendi conſiſtit in nomine ſolo. At amphibologia fallit oratione, quæ duobus modis poſſit accipi. Vt mundus victus Cæſari non tollebat auiditatem. In hac oratione eſt amphibologia, quià mundus victus poteſt ſignificare orbem ſuperatum, & poteſt ſignificare alimentum purum; itaque poteſt referri, vel ad auiditatem corpoream facultatis naturalis, vel ad auiditatem animi, qua gloriam ſectatur. Fallit per compoſitionem oratio, quando in ſenſu compoſito eſt falſa, & in ſenſu diuiſo eſt vera, vt, qui ſanus eſt, poteſt ægrotare; Socrates eſt ſanus, ergò Socrates ægrotat. Vbi maior propoſitio in ſenſu compoſito eſt falſa. at in ſenſu diuiſo, dicendo, qui ſanus eſt, dùm ſanitatem amittit, ægrotat; aut diuidendo, ægrotat, hoc eſt poteſt incidere in morbum, non quòd exercitè ægrotet. Fallit diuiſione, quandò veritas eſt in ſenſu diuiſo, & non in compoſito; vt ſi quis dicat quinquenarius numerus eſt par, & impar: nàm falſum eſt vtrumque huic numero contingere in ſenſu compoſito; at in ſenſu diuiſo poteſt contingere; qùm enim quinquennarius numerus contineat binarium, & ternarium; rationem ternarij eſt impar, & ratione binarij eſt par. Ponit alium modum fallendi Ariſt. per accentum, quòd frequentèr poteſt occurrere apud Græcos, apud Latinos verò raró accidit, vt eſſet hic ſylogiſmus Iure vti febricitantibus omnibus conuenit: ſed vxorem ducens iure vtitur, ergò vxorem ducere febricitantibus conuenit; quod argumentum, vt cætera omnia, reducitur ad æquiuocationem. Magis pertinet ad accentum, ſi quis ità argumentatur. Omnia iurè facienti non eſt tranſeundum ad alia, ſtantibus his, quæ à principio apparuere; ſed victum humidum inſtituens omnia iure facit; ergò victum humidum inſtituenti non eſt tranſeundum ad alia &c. vbì accentu in verbo iure ſenſus mutatur, & decipitur, qui diſputat, per figuram dictionis. Extrà dictionem præterea fallit ſylogiſmus, primò per accidens, ſecundo per vbi ſimpliciter, tertio per ignorantiam elenci, dein, per conſequens, inde per petitionem principij, ſexto per non cauſam, vt cauſam, demum per plures interrogationes, vt vnam. Qui omnes modi decipientes extra dictionem reducuntur ad vnum, nempè ad ignorantiam elenci. Per accidens fallit, qui id ſimpliciter apprehendit, quod per accidens eſt. vt apoplecticus laborat febre tertiana, laborans tertiana febre periculo vacat, ergò apopleticus periculo vacat; fallit hoc argumentum, quià per accidens eſt apoplecticum laborare intermittente febre; &, licèt verum ſit laborantem febre intermittente vacare periculo, tamèn periculum impendet ſimpliciter eſt apoplexia. fallit exaduerſo per vbi, & ſimpliciter; vt ſi quis dixerit Socrates non laborat pleuritide, ergò non laborat ſimpliciter. namquè poteſt alio morbo laborare, & eo grauitèr. hoc enim plerumquè euenit, medicos

car-

carpi apud vulgus, quod credit homines nullo alio morbo perire, quàm pleuritide. Vndè, ſi quem videant grauitèr ægrotare, petunt à Medico, an ægrotet pleuritide. &, ſi medicus reſpondeat non laborare pleuritide, & poſtmodùm æger moritur; damnant medici ignorantiam; quaſi æger nullo alio morbo perire poſſit, quàm pleuritide. Fallit ſylogiſmus per ignorantiam elenci, dùm non compræhenditur redargutio illius, vt, ſi quis dicat, tuſſis eſt morbus, & non eſt morbus: vt annotauimus in his, qui fallunt in dictione per diuiſionem; nàm verè tuſſis eſt actio, & paſſio; etenim quatenùs tuſſis pendet à cauſa morbica irritante expultricem, & diſtrahente illam à conſuetis naturæ operibus, eſt paſſio, & morbus: pro vt verò eſt opus naturæ expellentis noxium, eſt actio, & non morbus. Fallit per conſequens, dùm ex vno effectu, qui poteſt conſequi plures cauſas, vnam cauſam determinamus; vt, quoniàm ferè febrem ſequitur pulſus frequentia, & calor, ſi quis ſentiat pulſum frequentem, & calorem, aſſerat ſequi illum laborare febre: nam ſi quem curſu, aut ſub graui faſce ambulantem pulſus frequentia, & calor teneat: non propterea febre laborat, & præſertìm ſi timor aliquis acceſſerit, aut ſtomachi mala diſpoſitio, ex quibus etiam pulſus inæqualitas, & anhelatio ſequitur. Per petitionem principij fallit, qui ſupponit, quod erat probandum; vt, ſi quis aſſerat, mulierem non laborare podagra, niſi illi menſtrua deficiant, & aliquis eius rei cauſam petat, reſpondeat hoc euenire, quia mulier non laborat podraga, niſi illi menſtrua deficiant; at hoc enìm erat quod petebatur. Fallit per non cauſam, vt cauſam, dùm effectus traditur cauſæ, quæ verè cauſa non ſit; vt in peſte, ſi quis petat, cur Plato poſt Socratem ægrotauerit; inquiunt, hoc eueniſſe contagione, quià coabitaſſent, & ſi non coabitauerint referunt, quià Plato veſtes Socratis indutus eſt; &, ſi, nè indutus quidèm eſt, inquiunt, quià tetigit, &, ſi non tetigit, cauſant, quià litteras ab eo accepit: & ignoratione veræ cauſæ, quæ eſt, æqua corporis diſpoſitio comunem cauſam excipiens, ſempèr non cauſam, tamquàm cauſam referunt. Demùm fallit per plures interrogationes, vt vnam: dùm interrogatio multiplex non diſtinguitur; vt, ſi quis petat, an Philiſcus bonos habeat dentes. vel malos; ſi idem philiſcus aliquos bonos habeat, & aliquos malos, malè reſpondet, qui abſolutè vno reſponſo bonos, vel malos habere reſpondeat. de pluribus enìm vna interrogatio eſſe non poteſt, niſì illud multiplex ad vnam rationem reducatur, in qua conueniant omnes tunc poteſt ſatisfieri vnica tantùm reſponſione; ſed ſub vnica ratione non eſt, niſì vna interrogatio; vndè reſpondens non poteſt fallere ea ratione. Omnes autèm modi redarguendi ad inſcitiam reducuntur redargutionis; &, qui aliquo pacto ingenio poſſent, ignari autèm rerum ſunt, & gnari aut ſibi videntur, aut videri cupiunt, his vtuntur redargutionibus, & ſententias philoſophorum infirmant. Quod ſi coràm ipſis ſapientibus faciant, facilè poſſunt defendi ſententiæ, & remitti ſophiſmata, redeundo ad propria principia; ſi verò ſapientes abſuerint, apùd ignaros pleroſque euerſæ, aut deturpatæ remanent concluſiones etiàm veræ vi ſophiſmatis, & ignorantia redargutionis; quod potius in colloquijs, & ſermonibus mutuis euenit, quàm in cuiuſcumque contemplatione; quià colloquia verbis referuntur, contemplatio re ipſa appræhenſa. Maior autèm æquiuocatio, & frequentior euenire poteſt in rerum determinatione, & diſtinctione, quæ vi verbi mente repræſentantur, quàm, quæ per ſe ipſas.

Dialecticæ Stoica conſideratio prætermittitur:
nec ſummularum habetur vlla ratio, quia in
arte coniecturali parùm expoſcitur propria
demonſtratio, & de topicis, & elencis,
quorum obſeruatio frequentiùs eſſet
habenda, aliàs ſermo habendus
in medica tractatione.

ARISTOTELIS

STAGIRITAE

PERIPATETICORVM PRINCIPIS

DE NATVRALI AVDITIONE

LIBER PRIMVS.

Cur hi libri inſcribantur de Naturali auditione.

CAP. I.

QVùm modum ſciendi compoſuerit Ariſt. antè hanc tractationem, vt ſtoicorum ſpinoſum philoſophandi ſtilum ſuſtineret per traditas regulas in prioribus, & poſterioribus exactiſſimis reſolutionibus. atque vt Platonis magiſtri doctrinam ſequeretur præceptis datis in rethoricis, ac in topicis. & etiàm ſcepticos euitaret, ſinè ſpe finis alicuius inquirendo, in elencis. Aggreditur modò, quod proprij iſtituti eius eſt, referre, quæ audierit peragrando per vniuerſum, aut audiendo eos, qui orbem, diſcendi cauſa, peragrant; recipiendo ex his magis plauſibilia, quæ ipſe appellat manifeſta, & deſerendo, quæ non apparent. Non clarè conſtat apùd interpretes, cur hi libri inſcribantur de naturali auditione, credo, quià ne quidèm de nomine peripatetici acceptum habeatur. At, ſi eius ethimologia, quam nos retulimus, accipiatur, liquidò conſtabit etiàm, cur hi libri inſcribantur *De naturali auditione* Repetendo primùm acceptam quandam diuiſionem operum Ariſt. a Plutarco in vita Alexandri, à Cicerone, a Simplicio, & alijs relatam in libros auditorios, & exteros. Itaque hi libri dicuntur auditorij, quià peripatetici per vniuerſum peregrinantes, diſcendi cauſa, & ambulatorium accedentes, alios audiendo, ſimilitèr diſcerent. Vndè Ariſt. intendit in his libris referre, quæ audiuerit de natura, quanquàm non inſcripſerit pariter de auditione celeſti in libris de Cœlo; ſiuè de auditione animæ: poteſt tamèn ſubintelligi, qùm inſcripſerit *de Cœlo*, & *de Anima*, ſe velle de his quoquè referre, quæ audierit, &, quæ ab his audienda exiſtimauerit. Inſcripſit etiàm *de admirabili auditione* ob eandem cauſam, &, licèt ea a natura credantur, præter naturæ captum ſunt. M. Varro de Re Ruſt. cap. 1. *De his rebus*, inquit, *dicam ſequens naturales diuiſiones, ea erant ex radicibus trinis, & quæ ego in meis fundis, colendo, animaduerti, & quæ legi, & quæ a peritis audiui*, quæ legi, poetæ referunt, quæ audiuntur à vitæ functis; vt ſexto libro Aen: refert Virgilius; hoc enim eſt, inferos adire: legere ea, quæ ſcripta ſunt ab illis. Ità fieri poteſt; Ariſtotelem ſua opera partitum eſſe, ſequentem naturales diuiſiones. primæ radicis, quæ ipſe, ſcientias colendo, animaduerterit; vt quæ ab eo in dialectica traduntur: quorum ipſe ſe auctorem fatetur; intèr quæ recenſeri etiàm poſſunt ea, quæ promiſcuè idem Ariſt., & propria ſententia alijs tractationibus intermiſcet. ſecundo loco ea, quæ legerit ex Platone, Socrate, Zenone, Democrito, & alijs autoribus, quorum pendet ſententias; Tertio loco ea, quæ ipſe tàm vagando per orbem, quàm in ambulatorium ſe committendo, audierit. quæ tamquàm præcipua eligit in libri inſcriptione. *De Naturali auditione*; qua amplectitur non ſolùm octo libros huiuſmodi, ſed etiàm de Cœlo, de Anima, & Metaphiſica. ſupponendo hanc accedere inſcriptionis partem auditionis, qùm id ipſum nomen peripatetici præſeferat, & ſtili ratio eadem ſibi aſciſcit, abſque eo, quod repetat cœli auditionem, aut animæ. Inſcribit autem *de auditione*; ne aut per contemptiones cùm Stoicis abſolutè, aut cùm accademicis di-

diſcurſu inuicem habito; ſed omnia referendo, quæ audierit; aut, quæ audienda eſſe iudicauerit, ſinè rixa, ſinè verborum inani circuitu, admiſcendo etiàm, quæ legerit, &, quæ ipſe animaduertendo, iudicauerit. in Pythagorica Philoſophia, qui accipiebantur in diſcipulorum numerum, non erudiebantur ex libris, ſed ex auditu memoritèr, vt ex Plutarco in Numa. *Pithagorici non ſcripta mandare ſua præcepta ſolebant; ſed memoriam, & diſciplinam inſtillare viuam.* Idem fatetur Iamblicus lib. 1. cap. 32. Gellius verò lib. 1. cap. 9. latiùs hanc auditionem declarat, & quomodò auribus intentis diſcentes permanerent; is, qui tacebat, quæ dicebantur ab alijs audiebat, neque percontari, ſi parùm intellexerat, nequè commentari, quæ audierat, fas erat. Ex Theodoreto ſerm. 1. Pythagoras legem hanc diſcipulis ſuis ſanxit, vt perpetuum quinquennium tacerent; ſolùmque, audiendo, præceptori aures accomodarent; ità, vt, quæ dicerentur ſinè vlla diſceptatione, vel contentione admitterent, credentes, ità ſe rem habere; nec præterea quicquam vt dubij, curioſiùs inquirerent. Ex quo factum eſt: vt, qui ei ſucceſſerunt, ſi quis rerum, quæ dicerentur, demonſtrationem poſcat; *ipſe dixit*, aſſueuerint reſpondere. Hinc vulgatum eſt *oportere addiſcentem credere*, & exiſtere, ait Iamblicus, hanc doctrinam in nudis auſculationibus, abſquè vllis demonſtrationibus, quæ minimè requirerentur in naturali philoſophia, quià incomprehenſibilis natura ſit: non poſſe verò comprehendi, patere ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia. cùr enìm quis potiùs Meliſſo credat, quàm Diogeni, aut Parmenidi, quàm Anaximandro. omnium enìm rationes non improbabiles habebantur; &, diuerſa ſentientes, non ſinè ratione quiſque celebres viros ſequaces habebat. Agit Ariſt. his octo libris de principijs, & de motu. Principia in quacumque ſcientia ſunt indemonſtrabilia; propterea, quæ de his profert, ait, eſſe auſculatoria; quasì nihil aliud referat, nec alio modo diſcurrat: nisì per ea, quæ ab alijs audierit. alij enim calidum, & frigidum: alij rarum, & denſum: mobile, & immobile: vnum, & plura: finitum, & infinitum: continuum, & indiuiſibile; exceſſus, & defectus: magnum, & paruum: materiam, & formam: ſolidum, & inane. Qùmque hæc ſimul vera eſſe non poſſint, neceſſe eſt, vt recipiat Ariſt. id, in quo conueniant; quod in ſola contrarietate accidit. Ideò ſtatuit contraria principia; vt ex his, quæ ipſe audierit, id audiendum proponat, in quo omnes conueniunt; quæque refert ex aliorum ſententia, quæ opus non habent examine, & iudicio magìs exquiſito, erunt ea, quæ dicuntur Ariſt. externa, quæ recipienda videntur liquidò, & ſinè admodùm exacta animaduerſione. quæ verò ipſius examine ſunt elaborata, quià attentis auribus conuenit ea audire, vocantur auſculatoria, ſeù acroamatica ſtilo magìs proprio, & eleuato exarata. Intèr externa numerantur problemata, libri de generatione, & partibus animalium; & generaliter Hiſtoria eorum, & quæ de moribus, quia in his nihil de ſuo addit Ariſt., ſed omne, quod refert, ex aliorum mente, & relatione profert. recipiens ea, quæ magis plauſibilia ſunt, quæ ab eo dicuntur manifeſta.

De

De ſubiecto Naturalis Philoſophiæ.

CAP. II.

QVoniàm ex Ariſt. 1. poſt text. 4. Vna ſcientia eſt vnius generis ſubiecti conſiderans principia, partes, & paſſiones; quærere primùm debemus, quod nàm ſit hoc genus ſubiectum in naturali philoſophia. Ex inſcriptione, ex qua ferè deducitur id, quod quærimus, naturale aliquid proponitur conſiderandum. Inſcribuntur enim hi libri. *De Naturali auditione*; & primo Cœli, *ſcientia de natura ferè plurima eſſe videtur circà corpora, & magnitudines*, & ſecundo de Anima cap. 1. *ſubſtantiæ maximè videretur corpora, & horum naturalia*; ergò corpus naturale videtur ſtatuendum ſubiectum huius ſcientiæ; &, quoniàm natura eſt principium motus, idem eſſet dicere corpus naturale, atque corpus mobile, nisì corpus non eſſet principium, non ſolùm motus; ſed etiàm quietis. Subſtantiæ enim maximè videntur corpora; & ſubſtantia eſt præcipuum ens, cuius ſunt alia entia; propterea idem eſt dicere ens naturale, ens mobile, ſubſtantia naturalis, ſubſtantia mobilis. Omnia corpora naturalia ex Ariſt. ſecundò de anima textu 37. ſunt animæ inſtrumenta; & anima eſt actus corporis; prout eſt inſtrumentum, & omne inſtrumentum ſequitur leges, & arbitrium eius, cuius eſt inſtrumentum, & pręcipua naturæ vis eſt in anima. Ideò videtur ſtatuendum ſubiectum ſcientiæ naturalis, tanquàm Naturæ legibus mobile, corpus naturale; quod idem eſt, atque dicere corpus naturale, quà naturale eſt. Tamen rigoroſè; ſi diuina vi corpus naturale moueretur ſursùm, non eſſet hic motus naturalis conſiderationis: & tamèn in eo motu deberet cognoſci corpus naturale, vt naturale eſt: alias in diuina philoſophia non agnoſceretur in huiuſmodi motu ex vi ſupranaturali, nisì acciperetur corpus hoc naturale, vt naturali vi mobile deorsùm. Ideò appoſitè magìs ſtatuendum ſubiectum *corpus naturale, vt natura legibus mobile*, non abnuendo, ſi quis aut ens mobile, aut ſubſtantiam, aut corpus mobile ſtatuat, tanquàm parùm pertinens ad medicum hoc, aut illo modo recipere, nullum enìm ens mobile eſt, niſi ſubſtantia; & ſubſtantia tantùm corporea; & hæc, quia naturalis eſt. Principium enìm, aut eſt immobile in natura, vt dicunt Parmenides, vt Meliſſus, aut mobile, vt naturales, ait Ariſt. 1. phiſ. Textu 6. Tamèn corpus naturæ legibus mobile preſſiùs medicus conſiderat; cuius eſt animaduertere motus omnes corporis humani, qui præter naturæ leges ſequuntur. id autèm non benè poteſt comprehendere, inquit Gal. nisì, qui, quomodò ſecundùm naturę leges moueatur, intelligit.

De Diuiſione Ariſtotelicæ doctrinæ.

CAP. III.

QVi ſapientiæ ſtudio occupabantur, docendo alios, honorificè habiti, ſapientes appellabantur, σοφὸς græcè. Ipſi verò modeſtiùs ſe ipſos non ſapientes, ſed ſapientiæ ſtudioſos nominabant, φιλόσοφος. Qùm enìm ſapientia ſit perfecta Dei cognitio ex Platone, quæ humano ingenio non conceditur. Et animaduertunt etiam, qui alios docent, ſempèr proficere, quærendo, & noua ſectando, anteà comprehenſorum certitudinem infirmari, & nouorum acceſſione vetera exholeſcere, ſuperbum exiſtimabant ſapientis nomen ſibi arrogare, parùm diſtare animaduertentes inſanum à ſapiente; & longo, ac inceſſanti ſtudio conſumptos ab ignauis, qui nè elementa quidem didicerint. Scire igitùr nemo prudens præſumit, & nemo ſanus ſe vndequaque ſanum agnoſcit, &, ſatis præſtare cæteris, exiſtimare dignum eſt, eum, qui rerum abditarum notitiam quærit, & eius cupiditate incenditur. Ea philoſophandi cupiditas quandoque in ſola contemplatione ſiſtitur, nunquàm deficiente pabulo menti progredienti: quandoquè ad aliquod opus dirigitur humano generi proficuo, illam ſpeculatiuam, hanc practicam vocant. Ariſt. 6. Methap. Textu 2. ſpeculatiuam diuidit in naturalem, ſupernaturalem, & matematicam. Matematica antè omnia addiſcenda tradebatur; vt, quæ magìs euidentes habeat demonſtrationes, quibus ad magìs recondita via parari poſſit. Ideòque Ariſt. 7. Eth. cap. 16. pueris primò tradendam cenſet; & Plato 7. de Rep. Matematicas vocat priores iſtitutiones; quo duce etiàm Ariſt. Priores reſolutiones vocat in dialeticis eas, quæ magìs euidentibus, & mathematicis innituntur demonſtrationibus. Metaphiſica olìm alio vocabulo dialectica dicebatur; quià diuiditur in eam, quæ rerum voces, nomina, verba, enunciationes, argumenta, & quæque addiſcenti conferunt, conſiderat; & in eam, qua res, vt ſunt ſciunctæ à tranſmutatione, & in nudo eſſe, conſiderantur. Ea, quæ voces conſiderat, dicitnr rationalis, ſeù logica, & eſt, addiſcenda poſt matematicas, antè alias ſcientias, quià dicitur etiàm modus ſciendi, quem addiſcere antè ſcientias oportet. Poſt logicam ſequitur addiſcenda naturalis philoſophia, de qua modò agimus. Poſt quam tractanda eſt altera pars dialeticæ, quæ de rebus eſt, & propriè metaphiſica appellatur: hæc enìm maximè vniuerſalia prædicata conſiderat, & ex hoc præcellit omnes alias ſcientias ſpeculatiuas, quæ productà ſinè ea non benè propria placita confirmant: vt ex Ariſt. 11. Meth. cap. 2. deprehenditur. Habet quidèm naturalis philoſophia propria principia, atque indemonſtrabilia, vt propterea non videatur neceſſariò vlli alij ſubalternari: tamèn naturales etiàm definitiones, aut ſaltèm præcipuè metaphiſicam ſupponunt notitiam ad ſuarum ſententiarum veritatem confirmandam; vt ſuo loco luculentiùs demonſtrabitur.

Naturalis hæc philoſophia, quam, diximus conſiderare corpus naturale, vt tale eſt, & naturæ legibus mobile, primùm animaduertit circà communiſſima huius motus principia, qualia ſunt materia, quæ mouetur; priuatio, vt terminus, a quo mouetur; & forma, ad quam mouetur. Contemplatur etiàm cauſas horum motuum, quod peragit Ariſt. poſt tractationem de principijs. poſt

mo-

modùm agit de motu ipſo genericè: mox de motu determinato ad locum; quod præſertim competat ſimplicibus corporibus; & ad ſitum, cui aſſignantur libri de Cœlo. Poſteà De motu determinato ad formam communitèr, & eſt de generatione, & corruptione. Mox ad formam determinatè mixti imperfecti, & ſubindè perfectioris; quod peragitur in meteorologicis, quibus creditur determinari omnis naturalis contemplatio; ſaltèm eorum, quæ ab extrinſeco principio mouentur. Deinceps enim, alio ſumpto principio, agitur de Anima, & de his, quæ accidunt circà ipſam: de ſenſu, & ſenſili: de Somno, & vigilia: de Iuuentute, & ſenectute, vita, & morte; quam finem totiùs philoſophiæ ſtatuit Plato. Cætera enim, quæ ab hoc principio reguntur, & mouentur; & eorum generatione, inceſſu, & partibus ex hiſtoria habentur; & non contemplatione.

In his octo libris naturalium auditionum. In primo libro agit Ariſt. de principijs omnium conſenſu receptis: de numero, & ratione materiæ, priuationis, & formæ. In ſecundo libro agit de natura, quæ agnoſcitur tanquam principium motus: de quo motu loquitur in tertio libro, & motus ad rationem ſpeculatur de infinito. In quarto libro de loco, vacuo, & tempore. In quinto redit ad motum, & enumerat ſpecies illius. In ſexto de his ipſis, & de principijs, ex quibus componitur. In ſeptimo de motione perenni, & continuata, quam vitam vocat Ariſt. Et quam Cicero ſtatuit rationem animæ: & ea ſpeculatione reflectente ſupèr his, quæ audierit; vt ex mente Heſiodi, ait idem Ariſt. 1. Eth. Cap. 3. optimum illum eſſe, qui per ſe intelligit; proximum habendum illum, qui benè audit ſcita aliena: infælicem verò eſſe, qui nec per ſe intelligit, nec benè audit. indicando, oportere addiſcentem quidèm credere, ſed reflectere etiàm ſupèr his, quæ audiuntur, nec temerè eadem recipere. *Temeritas, quæ maximè illi hominum generi innata eſt, & leuem auditionem habet pro re comperta*, ait Cæſar De bello Galli lib. 7. ad quam temeritatem euitandam attento animo, non auribus tantùm, hos auditorios libros conſiderare oportet, & verba Ariſtotelis benè audire, qui a Cicerone non ſolùm doctrina, ſed facundia etiàm admirabilis dicitur.

Textus primi explicatio.

QVoniàm cognoſcere, & ſcire contingit &c. Conueniunt omnes Ariſt. interpretes hoc primo capite totius naturalis tractationis proemium contineri: & patefieri primùm, vndè nàm ſit incipienda tractatio, & quo ſtilo procedendum in ea. Addunt alij, & rationabilitèr, haberi etiàm ex hoc ſermone Ariſt. tranſitionem ex his, quæ huc vſquè protulit in logicis ad dicenda; hoc eſt à rationalibus ad naturalia, à vocibus ad res; ab abſtractione diſcurſus vniuerſalium ad exercitium ipſius in ſingularibus.

In hoc primo textu concludit, eſſe incipiendam tractationem à principijs rerum naturalium; & ex antè habitis reſolutionibus id ipſum deducit. Qùm enim in poſterioribus reſolutorijs oſtenſum fuiſſet, cuiuſcumque rei notitiam pendere ex cognitione cauſarum in his, quæ cauſas habent; & in incauſatis ex cognitione principiorum; & in compoſitis per accidens ex cognitione elementorum: & in rebus naturalibus alia ſunt æterna, & incauſata; ſaltèm ad captum humanæ mentis; & aliæ habent cauſas ſiuè per ſe, ſiuè per

accidens : ideò in naturalibus , vt ſtabilis eorum notitia habeatur, quærendum priùs de principijs , poſteà de cauſis , deinde de elementis : vt , his iactis fundamentis , firmior ſtatuatur notitia rerum naturalium.

Quandoquidèm &c. per hoc verbum rationabilitèr inferunt interpretes Ariſt. facere tranſitionem ex iàm prolatis in dialectica ; vbi , quæ profert hoc loco , probata ſunt.

Hoc loco *cognoſcere* , *& ſcire* non ponuntur tanquàm ſynonyma , vt nonnulli referunt. non enim decet philoſophicam grauitatem , & eloquutionem , quam prætèr doctrinam commendat Cicero in Ariſt.. Verùm cognoſcere latiùs patet ; & extenditur ad notitiam principiorum , quæ non habent principia , ex quorum cognitione pendeat eorum notitia ; extenditur etiàm ad incauſata , & ad ea , quæ immediatè pendent ex principijs , quorum pendimus tantummodò elementa. Scire verò eſt , rem per cauſam cognoſcere. Hoc verbum , *contingere* , non eſt ad infirmandam notitiam principiorum , & cauſarum , & elementorum efficaciam in ea tradenda ; quià ex horum notitia neceſſariò ſequitur , & non contingentèr notitia eorum , quæ ex horum cognitione pendet. *Contingentia* autèm cadit in differentiam , quæ eſt intèr cognoſcere , ac ſcire : per cognitionem cauſarum dicimur ſcire ; per cognitionem verò elementorum dicimur cognoſcere. Vndè contingentia ſuccedit , prout varia eſt via , quæ nos in notitiam ducit , per quam dicimus cognoſcere , aut ſcire : videlicèt ſcire per cauſas , cognoſcere inductione &c.

Sunt qui interpretantur Ariſt. per πάσας , hoc eſt *vniuerſas Methodos* non intelligere varias vias procedendi ; per quas aut reſoluere , aut componere , aut definire , aut demonſtrare docemur ; ſed , aiunt, indicare varietatem doctrinarum , quæ diſtinguuntur pro varietate ſubiectæ materiæ , de qua in qualibet agitur per varia genera rerum , quorum traditur notitia , & ſcientia , tàm de ſubalternatis , quàm de ſubalternantibus, naturalibus , methaphiſicis, mathematicis ; & hi , qui talia referunt , ſaltèm malè deducunt ex numero plurali , *circà vniuerſas methodos*. aſſerentes doctrinæ ordines , quas methodos vocat Ariſt. , eſſe tantummodò duos , & omne apùd græcos non dici , niſi ſaltèm de tribus. Gal. lib. artis medicinalis , ait , tres eſſe doctrinæ ordines nempè reſolutiuum, compoſitiuum & definitiuum ; quam ſententiam Galenus videtur ſumere ex hoc textu Ariſtotelis. *Quorum ſunt principia , aut cauſæ , aut elementa*. Dicendo enìm, *quorum ſunt principia* deſignat ordinem compoſitiuum : nàm ex principijs omnia componuntur ex Ariſt. 1. phiſ. Text. 42. Dicendo ; *quorum ſunt cauſæ* , deſignat ordinem definitiuum ; quià definitio naturalis , de quà quæritur in præſenti , debet conſtare ex omni genere cauſæ ex Ariſt. 1. de Anima. Text. 16. Dicendo , *quorum ſunt elementa* , indicat ordinem reſolutiuum: quandoquidèm elementum eſt , in quod exiſtens reſoluitur , ex Ariſt. 7. metha. Text. 60 ; & tùnc cognoſcere compoſitum arbitramur , quùm cognouerimus ex quibus , & quot ſit , ex Ariſt. 1. phiſ. Text. 35.

Ex horum cognitione &c. non debemus intelligere , ex horum cognitione copulatiuè : ità vt neceſſarium ſit cognoſcere cuiuſcumque rei principia , cauſas , & elementa , ſed tantùm iuxtà exigentiam ordinis doctrinæ , quo rei quæſitæ notitiam paramus : noſcendo videlicèt in ordine compoſitiuo vſque ad prima principia : in ordine definitiuo vſquè ad primas cauſas : & in ordine reſolutiuo , vſquè ad vltima elementa.

Tùnc enìm putamus cognoſcere &c. Vt , more peripatetico , omnium doctrinam ſequeretur in his , quæ rationabiliter recipi poſſunt. ſcepticorum

rum quoquè dogmata non irrationabilia quandoque habenda eſſe,& oſtendit per hæc verba, etiàm ſcepticorum dogmata eſſe aliqua ex parte recipienda. Non enim inqnit abſolutè cognoſcimus; ſed *putamus cognoſcere*, οἰόμεθα id ſonat, licèt non abſolutè ſcientiam negat: vt apud ſcepticos videbatur defendi. Tamèn, qùm omnis demonſtratio ſit per data, & conceſſa principia, & hæc ſint indemonſtrabilia, & vltimæ rerum differentiæ lateant; ideò nihil certi, & indubitati habendum monet, ſed cognoſci quantum humanæ menti conceſſum, in quo debet quieſcere, tanquàm progrediens deſiderio finis alicuius.

Vnumquodque non debemus intelligere ſingulare, ſeù indiuiduum, ſed diſtinctum à re ſub ratione tamèn vniuerſali, prout omnia cognita dicuntur, quæ quæruntur.

Qùm cauſas primas nouerimus &c. Quamuìs concludat Ariſt. à nobis primò eſſe cognoſcenda principia, tamèn primo loco ponit cauſas, quià potiſſima cauſa cognoſcendi eſt per cognitionem cauſarum, prout res eſt, vt primo poſt. tradit Ariſt.

Et principia prima &c. ait pendere notitiam cuiuſcumque rei ex cognitione primarum cauſarum, & primorum principiorum: quamquàm ſint cognoſcenda etiam media, quià perfecta cognitio non creditur, niſi qùm progreſſi fuerimus, inquirendo, ad notitiam primarum cauſarum, & primorum principiorum; & ratio eſt, qnià procedere debemus à notioribus nobis, & præmiſſæ debent eſſe magìs notæ, quàm ſit concluſio. Itaquè, ſi præmiſſarum notitia neceſſaria eſt, debet cognoſci per ſuas cauſas, & hæ cauſæ per alias præcedentes, donèc deueniamus ad primas cauſas, & prima principia.

Et vſquè ad elementa &c. Ex Auerh. *vſque* denotat ordinem ſeruandum in explicandis principijs: hoc eſt per media vſquè ad proxima, & interna; & hoc, ordine compoſitiuo; licèt enim dicantur elementa, in quæ exiſtens reſoluitur; ex his componuntur res, in quæ reſoluuntur, & infrà Textu 35. ait, idem Ariſt. nos arbitrari cognoſcere compoſitum, qùm ſciuerimus, ex quibus, & quot ſit.

Manifeſtum eſt &c. licèt initium ſumat ab inuentione principiorum; tamèn hoc *manifeſtum eſt* dirigitur ad principia, cauſas, & elementa, dicens manifeſtum eſſe ex dictis, incipiendum à principiis, à cauſis, & ab elementis, vt exercitè proſequitur in ſua tractatione de natura, in qua recipit tantùm manifeſta.

Circà allatam expoſitionem dubitatur efficaciter; quià, ſecundùm traditas regulas ab Ariſt. in dialecticis, ad probandum nos debere incipere à notitia principiorum, vt ſupponitur in ſcientia de natura, ità erat conſtruenda demonſtratio. Cognoſcere, & ſcire contingit, circà omnes methodos, quarum ſunt principia, cauſæ, & elementa ex eorum cognitione. Sed ſcientia de natura habet principia, cauſas, & elementa, ergò debet initium ſumi ab eorum cognitione; & eo magìs defeciſſe videtur Ariſt., quià ſtatim, datis regulis demonſtrationis, ab iiſdem regulis deflectit.

Deficere autem apparet primò, quià deſerit minorem propoſitionem, quæ neceſſaria erat ad firmandam concluſionem. deindè maiorem propoſitionem probat circulari oſtenſione, quæ decipientis ſpeciem habet. Ait enim cognoſcere, & ſcire contingit ex principiorum, cauſarum, & elementorum cognitione; quià, tunc arbitramur cognoſcere vnumquodque, qùm cauſas primas nouerimus, & principia prima vſque ad elementa; &, præterquàm, quòd vtitur oſtenſione circulari, re-

ducit etiàm omnem notitiam ad opinionem.

Non afferam aliorum reſponſiones ad hoc argumentum, quià longum nimìs, & inutile eſſet ea repetere, quæ iactantur in Ariſt. defenſionem. Ea enìm potiùs Ariſtotilem carpunt, quàm tueantur: dummodò præſertim omnes concedunt argumenti Ariſtotelici imperfectionem tàm circà formam, quàm circà materiam, & auctorem egregium (quem Cicero non ſolùm doctrinà, ſed etiàm elegantià ſermonis exactiſſimum fatetur) initio tractationis defectuoſam fatentur, quià centies, & vltrà euenit per interpretes carpi potiùs Ariſtotilem, quàm defendi validis obiectionibus, & ineptis reſponſionibus ob iſcitiam ſtili Ariſtotelici, & ignorantiam peripateticæ doctrinæ. Pro omnium defenſione, quæ inanitèr feruntur, nè milliès repetere tenear, & inſulſas patrocinantium reſponſiones detegere. Notandum eſt ab initio, & antequàm vltro progrediamur, id, quod initio etiam retulimus. Ariſtotelem exactam argumentandi rationem propoſuiſſe in dialecticis, primò ne eam ignoraſſe videretur: ad cuius regulam argumentari pertinet ad Stoicos; à quorum doctrina tanquàm ſpinoſa, & rixis plena, tenui potiùs, quàm acuta recedendum eſſe ſtatuit; & peripateticam inſtituit doctrinam; hoc eſt popularem, ac triuialem, quam ſeruat in omni tractatione, & quocumque ſermone, nec exactam vllam demonſtrationem componit, quæ iuxtà regulas à ſe traditas habeatur, ad quam quiſque, quandocumque libuerit, poteſt formam reducere. Interim ſequitur Ariſt. Hipp. præceptum de natura hom. Text. 3. vbi, ait res exactè demonſtrari, quando afferuntur, & ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem, & ſecundùm naturam, quam more peripatetico proſequitur Ariſt. Ideoquè ſylogiſticam formam non ſeruat; &, qui dubitationes mouent, ignorantes peripateticæ doctrinæ, & inefficacitèr ſatisfaciunt: verborum accuratiſſimam electionem peruertunt; ſententias obtenebrant; ſermones diſtrahunt; præcepta extorquent; &, quùm multum detrahant, nihil reſtituunt; & quæſtionibus inanibus ſæcula inutilitèr abſumunt.

Innata autèm eſt à notioribus nobis via &c. Textus 2. Loquens Ariſt. de naturali auditione, conſonum erat proponere, quæ nobis magis ex natura ſunt, quæque dicuntur innata, & qùm propoſuerit Ariſt. in ſuperiori textu, debe e nos procedere ad cognitionem principiorum, cauſarum, & elementorum, vt cognoſcamus vnumquodque. ſupererat determinandum: vndè nàm ſit incipienda quæſtio. an à principijs, an à cauſis, an ab elementis; & hoc erat quærere, an procedere debeamus ordine compoſitiuo à principijs: an ordine definitiuo per cauſas; an reſolutiuo, ad elementa, & inſiſtens Ariſt. in Hipp. decreto de natura hum. Text. 3. debere nos procedere & ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem, quam νόμον vocat Hipp., & ſecundùm naturam, aſſerit debere nos ſequi quandam naturalem, & inſitam nobis viam, procedendi à notioribus nobis. Velùti enim omnis homo natura ſcire deſiderat, ex primo meth. Text. 1. ità, & natura progreditur ad ea, quæ deſiderat. at non deſiderat ea, quæ iàm nouerit, ergò ab his, quæ iam nouerit, eodem innato deſiderio debet procedere ad ea, quæ minùs nouerit.

At notioribus nobis &c. Ex Platone in Cratylo notiota nobis ſunt ea, quæ ſecundùm nominis acceptionem concipimus: & hoc eſt ex Hipp. loco citato, quæ feruntur vulgata loquendi conſuetudine; idcò fortaſſe Ariſt. hos libros inſcripſit, *de naturali auditione*; & procedimus ab

his;

his, quæ ſecundùm vulgatam conſuetudinem magìs conſpicua nobis offeruntur ad ea, quæ minùs nota nobis ſunt; ſiuè ea ſint principia, quæ magìs nota nobis ſunt; ſiuè cauſæ; ſiuè elementa. Atque ità non proponit Ariſt. ordinem nequè compoſitiuum, vt paſsìm fertur, nequè reſolutiuum, nequè definitiuum, ſed prout ſermonis proceſſus ferat, oportet, modo componere; modò reſoluere, & modò definire; &, quod idem eſt, demonſtrare. nàm demonſtratio non differt à definitione, niſi per tranſpoſitionem terminorum; & hac ratione exercitè procedit Ariſt. interdùm componendo: aliquando reſoluendo; & multoties definiendo. Dicitur autèm, vti ordine compoſitiuo, quià procedens à notis ad ignota, notis ſempèr aliquid adſtruit; ex quo componit primùm corpus ſimplex, cuius principia, & affectiones conſiderat in 8. libr. naturalibus, & de Cœlo. poſtmodùm loquitur de mixtis, ac generatione eorum: antè de imperfectis in metheorologicis: indè de perfectioribus: ſuperaddens aliud principium formale, quod vocat animam: qua mixtum perfectiſſimum conſtruitur, & in quo tractatio naturalium ſiſtitur.

Via &c. grecè ὁδὸ, à qua denominatur methodus, & in qua eſt ordo doctrinæ. eſt enìm methodus progreſſus mentis in acquirenda ſcientia; ordo eſt directio iſtius progreſſus: non igitùr differunt via, & ordo; quià in ordine indicatur, quid poſt quod ſit inquirendum: nam in methodo, quid per quod ſequitur etiàm noſcere quid poſt quod. Ordo tamèn habet rationem multiplicem, & analogicam. nàm alio modo apprehenditur ordo in cauſis; alio in exercitu; alio in dignitatibus; alio in toto. Et hoc loco ſignificatur ordo, quem ratio ſeruat in propriis proceſſibus; de quo Diuus Thomas 1. ethic. Qui actus dicuntur, etiàm methodi, quià explicantur ſimilitudine viæ. Velùti enìm, qui ambulant in via, conceptu præ accepto loci, ad quem tendunt, etiam ſequuntur faciliorem, & breuiorem. Ità mens, dùm ſcientias quærit, procedit breuiori, & faciliori modo, quo poteſt; & ab hac ſimilitudine ordo in ſcientijs dicitur via, ſeù methodus. in qua ambulantes peripatetici dicuntur.

Propterea neceſsè eſt &c. concludit in proceſsu doctrinarum neceſſe eſſe procedere à notioribus nobis ad ea, quæ ſunt notiora natura. ſeù nota ſimplicitèr: quod pro eodem habetur, quià natura notæ ſunt ideæ, & formalitates maximè ſimplices.

Plurimæ autèm oriuntur dubitationes circà intellectum huius textus; & primò dùm, ait, debere nos procedere ex his, quæ ſunt naturæ minùs manifeſta, & magìs nobis manifeſta. Summæ enim imprudentiæ videtur tradendum, credere eſſe quicquam magìs nobis notum, quàm ſit naturæ; & de natura, quæ ab Auerh dicitur naturans, non eſt ambigendum: omnia æquè cognoſcere, ſi enìm Hipp. ait, Id, quod calidum appellamus, optimè cognoſcere, & præſentia, & futura: multò magìs, à quo calor iſte cognoſcendi facultatem habet. & aliàs retulit Hipp. Naturam nullo magiſtro edoctam optimè ſcire; quomodò igitùr poteſt eſſe quicquam illi minùs manifeſtum, quàm ſit nobis?

Difficultas certè inextricabilis eſſet: niſi ſolutio ex eodem Ariſt. haberetur; qui ait ab initio huius textus, innatam eſſe in nobis viam, procedendi à notioribus nobis ad notiora naturà; ex quibus deducitur, naturam optimè callere omnia: vt id, quod calidum appellamus. Comparatio itaquè intellectus non eſt, intèr nos, & naturam: intèr quæ nulla intercedit comparatio; ſed comparatio eſt intèr nos, & naturam in nobis, quæ habetur per ſenſus ex-

extrinſecè ; & intrinſecè per naturam ; & videtur idem diſcurſus Ariſt. ac, ſi diceret, debere nos procedere, inquirendo, ab his, quæ nobis magìs vera apparent, ad ea, quæ verè ſunt talia : dicuntur autèm ea, quæ nobis primò notiora ſunt, minùs nota naturæ, quià ea verè nota non ſunt. Quarè ignota dicuntur naturæ, quià ea omnia ſimplicitèr, & ſinè admixtione falſitatis recipit ; ea igitur, quæ nobis notiora ſunt, ſunt ignota naturæ, quià natura non intelligit, nisì ſub ratione ſimplici, & vera : non ſub ratione admixta falſitati, vt nos, qui per ſenſus in notitiam ducimur rerum, quæ ſimpliciter notæ ſunt, & ex natura. quo loquendi modo videtur proſequi tanquàm imbutus Platonica doctrina, per quam noſtrum intelligere ferebatur reminiſcentia : ideò iam naturà notum reſumi, licèt hanc opinionem videtur aliàs refellere.

Sunt autem nobis primùm clara &c. Textus 3. clariorem reddit ſupradictam difficultatis ſolutionem Ariſt. indicando, quæ nam ſint primùm nota ; & eſſe, ait, ea, quæ magìs confuſa ſunt ; & hæc ſunt, quæ plures formalitates, & naturas multiplices continent, vel actu, vt in compoſitis per accidens ; vel in potentia, vt in compoſitis per ſe ætherogeneis ; quę non, nisì per operationem intellectus poſſunt in varias rationes, ſeù formalitates reſolui ; quæ formalitates, ſi conſiderentur in concreto, vocantur elementa ; quod experimur in mixtis, in quibus ſi præſcinditur forma mixti, repræſentatur materia illius ſub ratione elementi adeò efficacitèr, vt dubitetur adhuc in ſcholis, an formæ elementorum integræ remaneant in mixto : & ex hoc etiàm eſt celebris quæſtio de formis partialibus : dùm recipiuntur, præſcindendo à forma relationis, per quam partes conſtituuntur, & a forma habitus, quæ vltimum tribuit actum.

Confuſa magìs &c. hoc confuſum poteſt recipi & tanquàm ſubiectum, & tanquàm prædicatum, dùm dicitur nobis notius magìs confuſum. tanquàm ſubiectum, confuſum eſt nobis notius, quià eſt magìs conſonum naturæ noſtræ, quæ ſimplex non eſt ; tanquàm prædicatum ob eandem rationem, quià, qùm ſimplex natura noſtra non ſit, quod notius eſt, neceſsè etiàm eſt, eſſe magìs confuſum, & non ſimplex.

Poſteriùs autèm nota fiunt principia, & elementa &c. principia, & elementa nota fieri per abſtractionem ab intellectu patet, dùm, ait, *poſteriùs &c.* abſtractum enim dicitur ab Ariſt. poſterius, quià ſuccedit operationi intellectus abſtrahentis poſt confuſum rei conceptum.

Diuidentibus hæc &c. non debemus intelligere *diuidentibus hæc*, quæ proximè nominata ſunt principia, & elementa ; ſed hæc, hoc eſt *confuſa*, quæ priùs innoteſcunt, ex quorum diuiſione nota fiunt principia, et elementa, quæ ſimplicia ſunt.

Quapropter ex vniuerſalibus in ſingularibus oportet procedere &c. Tex. 4. Diſſentiunt penè omnes interpretes in explicatione huius textus Ariſtotelici : ex quo tàm Ariſt., quàm Plato prædixere malam interprætationem, quam conijci, dixere, ex eorum, qui de quaque re diſputarunt, diſcordia ; quæ quidem diſcordia non eſt in arguenda ſententia Ariſt., ſed in conciliando eius ſenſu. Omnes enim ferunt Ariſt. hoc loco ponere vniuerſalia tanquàm magìs nota nobis : dixit enim innatam eſſe nobis viam procedendi à notioribus nobis, & ex hoc infert in textu eſſe procedendum ab vniuerſalibus, ergò ſtatuit vniuerſalia tanquàm nobis magis nota, quàm ſint ſingularia. Qua de re omnes ambigunt, quià omnis noſtra cognitio ortum ducit à ſenſu ; &, ad ſenſum non patent, niſi ſingularia,

er-

ergò ſingularia ſunt notiora nobis: vt aliàs etiàm profert idem Ariſt., Et de hoc primo cognito agitantur quæſtiones acerrimæ, innumerique ſermones iactantur: in quæ occupari, qùm minimè conducat medico, breuibus referam, in quo conſiſtere arbitror differendi cauſam, quam, credo, quià verba Ariſt., & ſenſa diligentèr non animaduertuntur. Ait Ariſt. quidem, procedendum eſſe ab vniuerſalibus; ſed non arbitror, poſuiſſe vniuerſalia tamquàm terminum à quo; & ſingulare tamquàm terminum, ad quem; ſed in ſingularibus videtur ſtatuere terminum, a quo, & terminum, ad quem: licèt enìm grecæ linguæ acutiores ſenſus non calleam, tamèn facilè eſt animaduertere, pronunciaſſe Ariſt. procedendum ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθέκαστα & non ait, πρὸς τὰ καθέκαστα, vt, credo, eſſet dicendum: ſi poneret vniuerſale terminum, à quo, & ſingulare terminum, ad quem. Igitùr ità intelligendus eſt Ariſt. procedendum eſſe ab vniuerſalibus; ſed non in abſtracto, quæ conſtituunt formalitates dictas poſteriores: ſed ab vniuerſalibus conſideratis, & exiſtentibus in ſingularibus non enìm temerè deſerit Ariſt. propoſitionem πρὸς, & profert ἐπὶ, qua omnes vtuntur in actione, quandò in eodem ex terminus, a quo, & terminus, ad quem, vt ἐπὶ τὴν γῆν, ſuper terram ambulare: ſic Ariſt. indicat procedendum eſſe ab vniuerſalibus, quæ ſint in ſingularibus, quo excludit idæas Platonis: atquè vniuerſale poſterius, quod dicitur in prædicando, quod etiàm eſt in ſingularibus, ſed abſtrahibile, & poſterius, ideò non primò cognitum.

Pro clariori intelligentia ſenſus Ariſtotelici repetere oportet, quatuor eſſe doctrinæ ordines, nempè reſolutiuum, compoſitiuum, definitiuum, & demonſtratiuum. Galenus tres tantùm ponit, quià definitio non differt à demonſtratione, niſì per tranſpoſitionem terminorum, ideò includit demonſtratiuum in definitiuo. Ariſt. hoc loco loquitur de omnibus: nempè de reſolutiuo, & compoſitiuo in hoc textu; & de definitiuo, & demonſtratiuo in Tex. 5. ſequenti. oſtendendo ſempèr in quocumque ordine procedendum eſſe à notioribus nobis, prout innata eſt quædam in nobis via. Vt agnoſcamus, in hoc textu agere de ordine reſolutiuo, & compoſitiuo: qùm præcipiat procedendum eſſe ab vniuerſalibus: ſcire oportet, vniuerſale duplex eſſe, nempè vniuerſale in continendo, & vniuerſale in prædicando, & ab vtroque procedendum eſt ad notitiam ſingularis, quod dicitur ab Ariſt. illud *vnumquodque quod putamus cognoſcere, qùm cauſas primas nouerimus, & principia prima &c.* Ab vniuerſali in continendo procedimus ordine reſolutiuo. Ab vniuerſali in prædicando ad ſingulare procedimus ordine compoſitiuo. Ab vniuerſali in continendo procedimus ordine reſolutiuo, quià, qùm hoc vniuerſale genericum contineat in ſe varias ſpecies, neceſſe eſt diuidere, & reſoluere per differentias ſuperadditas, vt deueniamus ad ſingularia cognoſcenda. Ab vniuerſali in prædicando procedimus ad ſingularia ordine compoſitiuo, quià hæc vniuerſalia in prædicando ſunt quædam formalitates, quæ recognoſcuntur in indiuiduo, de quo prædicantur.

Quoniàm verò dubitare poſſemus, quomodò hoc vniuersale in predicando poſſit dici quoddam totum, ſi eſt in ſingulari tanquàm pars. proptereà ad remouendas omnes difficultates Ariſt. vtitur propoſitione ἐπὶ, & non πρὸς: vt denotaret, hoc vniuerſale in prædicando eſſe conſiderandum in ſingulari, & non preciſum, vt poſterius; quià, conſideratum in ſingulari, licèt haberet rationem partis, vt preciſum, & poſte-

ſterius: tamèn, quamquàm non ſit totum abſolutè, eſt quoddam totum, & multa comprehendit, vt partes, quià ſunt, vt ità dicam, comprędicata eſſentialia, à quibus nullum prędicatum eſſentiale abſolutè, & exercitè diſtinguitur. idèo dicitur ἐπὶ, non πρὸς, quià ſempèr conſiderandum eſt hoc vniuerſale in ſingulari, & ἐπὶ nunquàm exuit propriam ſignificationem, quià ſempèr includit terminum, ad quem. Apud Herodotum ἐπ' οἴκου ἀπικέαται ὄντες idest *ad domum ſe receperunt*. videtur quidèm habere diſiunctum terminum, ad quem, quià non erant in domo, quando in domum erant recipiendi; tamèn Herodotus includit mentis conceptum; in his enìm, quæ meditatur homo, ſempèr eſſe dicitur, vt *Neſcio quid nugarum vertens, totus in illis* inquit Horat. ſic in propriam domum conuerſi non conſiderabantur, tanquàm à domo diſiuncti. Ariſt. itaquè hoc loco non quærit terminum, ad quem ſit procedendum; ſed ponit tantùm terminum à quo, hoc eſt vndè nàm ſit incipienda tractatio. terminum, ad quem, ſupponit omne ignotum; ſiuè ſit ſingulare abſolutè, ſiuè vniuerſale in ſingulari. Qua ſcribendi formula accuratiſſimus inſcribendo Ariſt.; qùm antè hanc tractationem egiſſet de logicis, quæ ſunt de rebus abſtractis in vniuerſalibus. modò in naturalibus, ea, quæ tractata ſunt in logicis, eſercitè aptat ſingularibus. Sic vniuerſale intèr ſingularia, aut ſupèr ſingularibus, eſt terminus, a quo, ait, eſſe procedendum, terminum, ad quem non proponit, quìà ſupponit ex ſupradictis, id eſſe debere, quod ignotum eſt, & conſequenter innoteſcit per diſcurſus emergentes. Et hac ratione acceptum vniuerſale intèr ſingularia, & ſimùl ſumptum eſt quoddam totum, & compræhendit multa, vt partes: quià in ſingulari ſunt omnia prædicata eſſentialia, & eſt illud totum, quod eſt notum ſecundùm ſenſum; & propterea eſt nobis notius, quià in nobis eſt ratio, & eſt ſenſus, & patet ratione, quà vniuerſale: ſenſui patet, quà ſingulare. Vulgata interpretatione carpitur Ariſtotelis eloquentia à Cic. commendata, & dialetica ratio διὸ: inferendo vniuerſale, quandò nunquàm de vniuerſali, aut particulari mentionem fecerat; dialectico enìm præcepto illatio debet fieri ex præmiſſis; ſi verò ſumimus vniuerſale in ſingulari, prout verba Ariſt. ſonant, benè deducitur, dùm ait. *innata eſt à notioribus nobis via* procedendi: confuſa ſunt notiora nobis: ergò procedendum ab vniuerſali confuſo in ſingulari: ſic ἐπὶ rectam facit illationem, & Ariſtotele dignam. Et accipiendo hanc interpætationem ex claro Teſtu Ariſt. procedendum eſſe ab vniuerſalibus intèr ſingularia, ſinè expræſſione termini ad quem, quem ſupponat omne, quod ſit ignotum, remouetur quæſtio adeò celebris de primo cognito. namquè ſingulare, vt tale non cadit ſub ſcientiam, ſed vniuerſale conſideratùm in ſingularibus. Quandò autèm vniuerſale abſtrahitur à ſingularibus, & appræhenditur tanquàm vna forma, non eſt quoddam totum; ſed vel nihil eſt, vel poſterius, ex Ariſt. primo de anima Textu 8. dummodò enim vniuerſale non conſideretur intèr ſingularia, nullam habet formalitatem, prætèr ipſum intelligere in actu exercito, & ſic nihil eſſet reale. At in ſingularibus habet propriam exiſtentiam. Et hac loquendi formula prolata ab initio totius naturalis tractationis carpit tacitè ſententiam Platonis, qui de vniuerſali extrà ſingularia, tanquàm exiſtente loquebatur, & ſub nomine Ideæ exiſtimabat eſſe ens reale. ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα ponit Ariſt. vniuerſale magis cognitum; quià magis vniuerſalia ſunt in pluribus ſingularibus, & propterea per accidentia in ipſis ſingularibus exi-

exiſtentia latiùs feriunt ſenſus noſtros, & ex hoc in ſui cognitionem nos trahunt: vt patere poteſt, ſi quandò amicum à longè aduenientem cernimus; primò enim cognoſcimus eſſe ſubſtantiam, indè ex motu progreſſiuo eſſe animal, indè ex inceſſu eſſe hominem, ac demùm eſſe Petrum; ſenſibilia enim corporis ſunt magis nota ſenſui, quam ſenſibilia animati, aut hominis; & nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, at ſingulare, quod patet ſenſui, non cadit ſub ſcientiam, ſed tantùm vniuerſale; nec procedendum à magis vniuerſalibus ad minùs vniuerſalia, ſed ab vniuerſali noto ad vniuerſale ignotum, quæ omnia vniuerſalia ſint in ſingularibus, vt à ſenſu notis feratur rationi vniuerſale ignotum.

Concluſiones Stoicæ de primo Cognito.

Cognitione diſtincta actuali magis vniuerſalia notiora nobis ſunt, quàm minùs vniuerſalia. At cognitione diſtincta potentiali notiora nobis ſunt minùs vniuerſalia, quod probant, quià ea notiora nobis dicuntur, quæ cognita requiruntur ad aliorum intelligentiam.

Cognitio confuſa debet præcedere diſtinctam ex Ariſt. 1. phiſic. Text. 3. ordo enim ſempèr eſt ab imperfectis ad perfecta. At naturæ magis vniuerſales, quià pauciora prædicata in ſe habent, ideò ad notitiam diſtinctam actualem pauciorum egent, & conſequentèr faciliùs à nobis concipiuntur, & priùs. Ad notitiam verò confuſam actualem plura requiruntur, proptereà, quod plura ſub ſe continent, à quibus ſunt abſtrahenda, vt conſtituantur vniuerſalia, idcircò poſteriora ſunt, aut nihil ex Ariſt. 1. de anima Text. 8. & poſteriora erunt etiàm ad notitiam nobis, quum res ſe eodem modo habeant ad eſſe, quo ad cognitionem.

Concluſiones Scepticæ De primo Cognito.

Ex ſententia Ariſt. 2. de an. Text. 124. cognitio impeditur à materia, quod recipi poteſt ex parte ſubiecti, & ex parte obiecti: ex parte ſubiecti intelligentis plantæ proptèr materialitatem non habent vim intelligendi, quod intelligere oportet in doctrina peripatetica, quæ non recipit, niſi manifeſta: Plato autèm plantis tribuit ſenſum, licèt quaſi dormientem; qui tamèn ſenſus in vite magis euidens eſt, quàm in oliua; & in hac magis, quàm in quercu; in bellua vis intelligendi euidentior eſt, quàm in planta; in homine magis, quàm in bellua; in intelligentia magis, quàm in homine. datur igitùr innumeri gradus materialitatis, qui ſuperari non poſſunt; ſed progredi neceſsè eſt, ſempèr inquirendo ſinè ſpe finis alicuius. quod impedimentum ſequitur etiàm ratione obiecti, quià vniuerſale non poteſt cognoſci, niſi priùs ab omnibus incognitis ſingularibus abſtrahatur, ſic impoſsibile eſt diſtinguere, quod priùs obiiciatur, ſeù repræſentetur intellectui; an vniuerſale, quod antè abſtractionem à ſingularibus nihil eſt; an ſingulare, quod ſinè numero eſt, & ſic inintelligibile.

Concluſio Accademica De primo Cognito.

EX Platone rerum cognitio ſequitur per reminiſcentiam. quarè cognitio præexiſtit in animo, in quo reperitur, non primò fit. Ergò hæc reperitio non poteſt fieri, niſi per memoriam à ſenſu; ſic videtur cognitio priùs à ſenſu procedere, saltèm tempore; ſed, quià cognitio rei iam animo inhærebat, nulla cognitio videtur prior, aut poſterior: quod etiàm videtur affirmare Ariſt. 3. de an. Textu 27., vbi priùs, & poſterius tribuit *energia*, non *entelechia*: inquit enim ex actu exiſtente omnia, quæ ſunt. *Actum* primò vertit Boetius ex græco vocabulo *energia*. *actum* ſecundò loco vertit ex verbo *entelechia*, quæ eſſentia dicitur præexiſtere, & in hoc differt ab *energia*; quià hæc refert non actum ſimplicitèr, ſed emergentiam in actum, quorum verborum differentiam non potuit repræſentare Boetius propter inopiam linguæ latinæ; at in græco idiomate differunt admodùm *energia*, & *entelechia*.

Concluſio Peripatetica De primo Cognito.

IN hoc tantùm videtur differre concluſio peripatetica à concluſione ſtoica, quo peripatetici recognoſcunt confuſionem in rebus, non in intellectu: ſic non habent vllam confuſam notitiam, & quandò ait Ariſt. *ſunt autèm notiora nobis confuſa magis*, intelligendus eſt de cognitione diſtincta; ſed rei confuſæ. ideò ſuperaddit, *poſteà verò nota fiunt principia, & elementa diuidentibus hæc.* ſic prima notitia eſt diſtincta rei confuſæ: poſteà verò ſequitur diſtinctio, quæ non poſſet ſequi, niſi intellectus prænoſceret ea, quæ ſunt diſtinguenda. ſic peripateticè ſunt intelligendi thomiſtæ, & plures ex ſcotiſtis. Vniuerſale eſſe nobis notius; non cognitione confuſa, ſed cognitione diſtincta confuſi vniuerſalis exiſtentis in ſingularibus; & per ſingulare recipiunt peripateticè omne, quod habet rationem partis, & refertur ad totum; quod, inquit, eſſe diuidendum poſteà, vt nota fiant principia, & elementa, quorum quæritur notitia, & a quorum notitia pendet cognitio cuiuſcunque rei, cuius quæritur notitia. *tunc enìm arbitramur cognoſcere vnumquodque*, hoc eſt, quicquid quærimus, *quùm cauſas primas nouerimus.*

Illatio quæ fit, διὸ, non eſt peripateticæ doctrinæ, qua docemur in dialecticis, concluſiones ſumere, & illationem facere ab antecedentibus: at in antecedentibus Ariſt. nullibi meminit de vniuerſalibus, aut ſingularibus: ſed ait notiora nobis eſſe confuſa magis, & ex his oritur recta illatio, διὸ, debere procedere ab vniuerſalibus; ἐπὶ, hoc eſt *ſupèr* ſingularibus, & in ſingularibus confuſis, & non exiſtentibus

bus extrà ſingularia, vt Plató fatebatur; & non eſt in hac concluſione vniuerſale terminus à quo; & ſingulare terminus, ad quem, ſed omnia confuſa ſunt terminus à quo; ac terminus, ad quem, eſt omne, quod ignotum eſt; quùm præceperit in dialecticis proceſſum inquirentium debere eſſe à notis ad ignota; & primò notum nobis eſt vniuerſale in ſingularibus confuſum; quià Ariſt. 1. phiſ. T. 49. inquit, vniuerſale eſſe notum ſecundùm rationem, & ſingulare ſecundum ſenſum: at in nobis eſt ratio, in nobis eſt ſenſus: ideò obiectum ad ſenſum eſt ſingulare, obiectum rationi eſt vniuerſale; quod repræſentatur primò rationi intelligenti in ſingulari obiecto à ſenſu, quià nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu: propterea neceſſarium eſt hæc vniuerſalia tam nota, a quibus procedimus, quàm ignota, ad quæ cognoſcenda progredimur, ſint in ſingularibus, & non extrà ſingularia, vt Plato ſtatuit; nequè per præciſionem abſtracta, quæ ab Ariſt. 1. de anima T. 8. vocantur poſteriora, & prædicata. Ad ſingularia autem non poſſe fieri proceſſum in ſcientijs, quia ſingularium non eſt ſcientia; licet omne ſcibile ſit in ſingularibus, tanquàm in primis ſubſtantiis, quibus deſtructis impoſſibile eſt aliquid ſcibile remanere. iure itaque & doctè profert Ariſt. illationem *epi*, & non *pros ta catecaſta*.

Patiuntur hoc idem quodammodò & nomina ad rationem T. 5. Hieronimus Balduinus ait, in explicatione huius Textus haberi tot ſententias, quot capita exponentium ità, vt æquè difficile ſit omnes ſequi, atquè nouam interpretationem inuenire. Vnam tamèn proferam, & quæ non adhuc relata ſit, & quæ pauciores habeat obiectiones.

Nè omnium ſententias ferendo, & pendendo obiectiones, & ſolutiones, longam nimis afferam tractationem; primò magis communem explicationem afferam; Inde, quæ ab ipſis interpratibus obiiciuntur, compilabo; tertio eorum ſolutiones examinabo; quarto proferam expoſitionem, quæ & noua ſit, & nullam ex allatis obiectionibus admittat: ne ſempèr in perpetua repetitione rerum perſiſtamus.

Communis explicatio huius textus in hunc ſenſum trahitur. Quùm Ariſt. in T. 4. præcedenti decreuiſſet, debere nos, addiſcendo procedere ab vniuerſalibus ſuper ſingularia, & ſic à notioribus nobis, & a confuſis; in hoc textu, aiunt, affert duo exempla ad hanc ſententiam comprobandam. Vnum exemplum deſumit, aiunt, a notitia, quæ habetur per nomen circuli ad notitiam, quæ habetur per eiuſdem circuli definitionem. Quippè per ſolum nomen circuli, inquiunt, habemus confuſam notitiam ipſius; ſed per definitionem habemus diſtinctam: nàm per definitionem cognoſcimus, circulum eſſe figuram planam, in qua eſt centrum, a quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt æquales. Alterum exemplum, inquiunt, adhoc idem probandum, eſſe deſumptum ex pueris, qui primùm confusè omnes homines appellant patrem, & omnes fœminas matrem; & poſtmodùm diſtingunt patrem, & matrem à cœteris cuntis. Sic magni Ariſtotelis ſequaces philoſophantur.

Contrà quam communem expoſitionem tantum lucis ſaltèm derelictum eſt, vt obijciant 1. Ariſtotelem vti exemplo, vbi exemplo opus non eſt; ſic abbundat in ſuperfluis. Exemplum enim eſt quaſi inductio, qua vtimur in difficillimis, quæ aliàs demonſtrari non poſſunt; ſed hoc aſſertum, debere nos procedere a notioribus, a confuſis ad diſtincta pænè a nemine eſt controuerſum: ergò non opus erat exemplo, quo ferè vtuntur rethores, non philoſophi; & hoc minùs deberi, conſtat,

quia iam Ariſt. efficacitèr probauerat, debere nos procedere ab vniuerſalibus intèr ſingularia: videlicet, quià hoc vniuerſale in continendo eſt quoddam totum; qùm contineat multa, vt partes; & quià totum ſecundùm ſenſum notius eſt, ergò erat clarum, & probatum: non opus erat exemplo. Ità Balduinus obijcit.

Secundo obijcit Simplicius, eſto opus fuerit exemplo pro imperitis: non erat hoc exemplum ſumendum ex mathematicis; quià Ariſt. 1. priorum reſolutionem Cap. 7. damnat eos, qui in aliqua ſcientia ſumunt oſtenſiones ex aliena ſcientia, cuius plerumque diuerſa ſunt principia.

Tertio, ſumendo etiàm exemplum ab aliena ſcientia mathematica, quæ ſupponeretur, vt *non niſi mathematicus accedat*. Tamen hoc exemplum non coeret cùm his, quæ quæruntur de nomine circuli, quod confuſum aliquid, & indiſtinctum ſignificat: quià intèr figuras matematicas non eſt alia præter circulum, quæ nullam habeat diſtinctionem, Triangulus enìm eſt alius, qui habet angulos æquales, & qui non habet. Quadrangulus eſt altera parte longior, & non longior. Circulus verò nullam habet diſtinctionem; quomodò igitùr nomen circuli confuſum aliquid, & indiſtinctum ſignificat; ſi ex Ariſt. 2. Cœli T. 22. nulla figura magis ſimplex eſt.

Quarto Si, vt referunt, partes eius ſunt, quæ continentur in definitione eiuſdem. Definitur enìm figura plana, a cuius centro omnes lineæ ductæ ſunt æquales; obijcit pariter Simplicius, non coerere hoc exemplum cùm exemplificato; quià, ſi, vt inquit Ariſt., patiuntur hoc idem, & nomina ad rationem; quod accidit vniuerſali ad ſingulare; quemadmodùm vniuerſale prædicatur de ſibi ſubiectio, ità, & circuli nomen reſpondens vniuerſali deberet prædicari de his, quæ numeratur in definitione; quod non euenit; quià non benè dicitur figura eſt circulus, planum eſt circulus, centrum eſt circulus, imò nequè planum eſt figura, nequè figura planum ex Ariſt. 2. poſt. cap. 3.

Quinto vniuerſale dicitur notius ſingulari, de quo prædicatur, at in hoc exemplo circulus ponitur tanquàm quid notius, & eſt ſubiectum, non prædicatum. Dicitur enìm circulus eſt figura, & non exaduerſo, figura eſt circulus.

Sexto Definitio non diuidit partes circuli, ſed colligit, &, vt partes circuli dignoſcantur, neceſsè eſt, vt intellectus diuidat definitionem circuli, vt partes diſtinguat: ſic definitio diſtinguit quidèm circulum a cæteris figuris matematicis, at partes ipſius circuli colligit, & non diſtinguit.

Septimo ſi procedimus à circulo definito ad partes ipſius, ex 6. topic. 4. & 1. Metaph. Com. 48. partes definitionis ſunt notiores definito: ergò procedentes à circulo definito ad partes eius non procedimus a notioribus nobis.

Octauo Ex Ariſt. 7. Metaph. Com. 37. & 2. poſt. cap. 3. ſolius ſubſtantiæ eſt definitio; ergò circulus, qùm ſit accidens, non poteſt definiri; ſed eius eſt demonſtratio, non definitio. quomodò igitùr circuli definitio proponitur ab Ariſt. pro exemplo definitionis, qùm poſſet ſubſtantiarum definitiones proponere?

Hæc validè obiiciuntur, & in extrema caligine deferuntur per reſponſiones obijcientium. Nàm ad primum argumentum reſpondet Hieronymus Balduinus, licèt ea propoſitio, debere vos procedere à confuſis ad diſtincta, ab vniuerſalibus, non oppugnetur a doctis viris; tamèn afferri hoc exemplum ab Ariſt. pro imperitis, & rudioribus, ſic Ariſtoteli imponit, qui dogmata doctis rata peruertat, vt lippis, & ton-

tonſoribus ſatisfaciat, qui obſcurè loquutus dicitur, nè ſcientiæ vulgarentur.

Ad ſecundum Reſpondet D. Thomas. Ideò Ariſt. ſumere exemplum à matematicis, vt oſtendat, hanc viam procedendi à notioribus nobis, à confuſis, ab vniuerſalibus locum habere in omni ſcientia; quæ reſponſio tolerabilior haberetur, niſi aliæ ſubſiſterent obiectiones.

Ad tertium Argumentum, & ad alia omnia reſpondet Simplicius placidiſſimè concedendo imperfectionem, & incohærentiam exempli, & propterea, inquit, id animaduertens Ariſtoteles, affert aliud exemplum de pueris; quaſi ſciens, & volens, ſcriptor accuratiſſimus exemplum attulerit impertinens, inefficax, incohærens, vt eius cognitam ineptiam repararet alio exemplo, quod è directo eſſet aduerſum exemplificato. In vniuerſali enim concipimus, & præſcindimus vnum, quod competit vni tantùm, nempè genitori.

Expoſitio noſtra plana, & facilis eſt, & nullam ex allatis obiectionibus admittit, & talis eſt. Quùm Ariſt. in primo textu huius proemij ſtatuiſſet, in omni methodo debere nos quærere principia, cauſas, & elementa. In 2. textu oſtendit, innatam eſſe quandam in nobis viam, procedendi à notioribus nobis; in 3. hæc notiora nobis eſſe magis confuſa; & innoteſcere diuidentibus. Vndè infert, in 4 Textu debere nos procedere ab vniuerſalibus; ſed non idealibus cùm Platone, neque poſterioribus per præciſionem; ſed in ſingularibus, vt moueant ſenſum, a quo omnis noſtra notitia ortum habet; & habeant rationem totius, vt poſſint diuidi; & oſtenſum eſt, quomodò hæ conditiones verificarentur tàm in ordine compoſitiuo, quàm in ordine reſolutiuo; vt à nobis patefactum. Supererat oſtendendum, hoc idem euenire in ordine definitiuo, &, conſequentèr in demonſtratiuo; quod exequitur in hoc textu quinto dicens. *Patiuntur hoc idem quodammodò, & nomina ad rationem; confuſum enim aliquid, & indiſtinctum ſignificant, vt circulus: definitio verò ipſius diuidit in ſingula. Et pueri quidèm primùm omnes homines appellant patrem, & omnes fœminas matrem; poſteà verò diſtingunt vtrumque.*

Plato in Cratylo, ait, in ordine definitiuo debere nos procedere à notione nominis; nomen enim confuſum aliquid, & indiſtinctum ſignificat: definitio verò diuidit. Vt pro exemplo nomen canis ſignificat quoddam confuſum, & indiſtinctum; definitio verò diuidit in ſingula, nàm, ſi definitur canis eſt piſcis, diſtinguit marinum canem à cœteris. Ità ſi dicitur, canis eſt ſydus, aut canis eſt quadrupes, nomen confuſum, & indiſtinctum ſignificat: definitio verò diuidit in Celeſtem, Marinum, & Terreſtrem. Quandò autèm aſſerit, nomina confuſum aliquid, & indiſtinctum ſignificare; vt circulus, inſinuat, quæ dixerat ſuperiùs, locum habere circà omnes methodos; ſic videbatur teneri aliquid etiàm dicere de ordine demonſtratiuo, quod facit per hoc verbum circuli; quo ſignificat non figuram circuli, vt referunt interpretes; ſed demonſtrationem circularem, hoc ſenſu. Nomina, facta comparatione eorum ad definitionem, confuſum aliquid, & indiſtinctum ſignificant, quemadmodùm demonſtratio circularis. Ità vt intendat Ariſt. eandem proportionem habere notitiam, quam habemus per nomen, ad notitiam, quam habemus per definitionem, quam habet notitia, quæ habetur per demonſtrationem circularem ad notitiam, quæ habetur per veram demonſtrationem. Et ſequitur ſimilitudo per nomen, & demonſtrationem circularem; quià, veluti per nomen Socratis ſignificatur Dioniſci ſi-

filius, & per Dioniſeum intelligimus patrem Socratis: ità in demonſtratione circulari probatur vitem folio fluere; quià eſt latifolia; & probatur eſſe latifoliam, quià folio fluit. ſequitur quoquè proportio intèr definitionem, & demonſtrationem; quia ex Ariſt. 2. poſt. Textu 45. definitio non differt à demonſtratione, niſi per tranſpoſitionem terminorum: propterea Gal. tres tantùm ponit doctrinæ ordines; quià pro eodem habet definitiuum, & demonſtratiuum. Quæ expoſitio nullam ex allatis obiectionibus ſuſtinet. Et exemplum de pueris non eſt ad reparandam impertinentiam exempli allati de circulo; ſed ad comprobandum in fine proemij, quod principalitèr intenderat ab initio proemii; videlicèt hanc viam procedendi à notioribus nobis eſſe nobis innatam; & probat inductione; quod non aliâ ratione poterat, videlicèt hunc proceſſum à notioribus nobis, à confuſis patere in pueris; qui, naturâ duce, & nullo magiſtro edocti priùs omnes homines appellant patrem, & omnes fœminas matrem, nomine magìs ſibi noto, & conſueto; & poſteà diſtingunt; & hoc nomen confuſum priùs, & omnibus tributum ab illis applicant patri, & matri. Et hoc manifeſtius patet ex obſeruatione facta à Sueſſano, licèt non in hunc finem. Obſeruat enìm Ariſt. diligentiſſimè procedentem in ſcribendo, ſcripſiſſe: *ebiè ta pædia* & non *tus pædas*, vt ſignificaret puerulos, qui magìs propinqui infantiæ, naturæ inclinationibus procliuiùs ducuntur. Et Plato lib.16., qui inſcribitur ciuilis, vel de regno oſtendit ſeriem diſcendi eſſe innatam in pueris.

Quod autèm per circulum Ariſt. non intelligat figuram matematicam, patet ex obiectionibus perſiſtentibus; & quòd poſſit recipi pro demonſtratione circulari, patet ex eodem Ariſt. 2. priorum reſolut. Cap. 5. 6. & 7. 1. poſt. Cap. 3. lib. De mundo, & alibi vbi demonſtrationem circularem appellat ſimpliciter circulum, & talis ſignificatio habetur etiam apud grammaticos in græco idiomate.

Sed, obijci poſſe, ſcio, licèt aliàs Ariſt. accipiat circuli nomen pro demonſtratione circulari; tamèn hoc loco non videtur poſſe recipi pro hoc ſignificato: quià, ait Ariſt., definitio verò ipſius diuidit in ſingula. non enìm, ait, definitio abſolutè; ſed definitio ipſius; quod pronomen, ſi refertur ad circulum acceptum pro demonſtratione circulari, non benè ſonat; quià demonſtrationis circularis nulla poteſt aſſignari definitio; &, etiàm ſi daretur, quomodò definitio demonſtrationis diuidit?

Pro qua valida admodùm obiectione animaduertendum, pronomen ipſius non referri ad circulum, ſed ad confuſum. ità, vt ſenſus integer Ariſt. ſit. Nomen confuſum aliquid, & indeterminatum ſignificat, vt circulus, hoc eſt vt demonſtratio circularis. Definitio verò ipſius; hoc eſt ipſius confuſi, diuidit in ſingula; ſic ipſius non eſt circuli, ſed confuſi, vt oſtenſum eſt de nomine canis. Quæ ad declinandam ineſtricabilem quæſtionem de primo cognito, & ad componendam ſententiam Galeni: tres eſſe doctrinæ ordines, dicta ſufficiant. ſuperaddendo id, quod fertur de circulo: eſſe videlicèt figuram planam, in qua eſt centrum, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt æquales; benè intelligentibus non eſſe definitionem circuli; ſed demonſtrationem; quod admodùm differt.

Neceſsè eſt autem aut vnum eſſe principium aut plura &c. T. 6. Poſtquam in præcedenti capitulo exegit Ariſt., quæ neceſſaria viderentur ad indicandum, vndè nàm ſit incipienda tractatio, & quomodò ſit in ea progrediendum; aggreditur tractatio-

tio-

tionem. Et, quià principia latiùs patent, prout libros hos primos inſcripſit, de principijs ſic de his primò ſermonem inſtituit. More peripatetico id agit, in medium afferendò priùs varias opiniones philoſophantium, & magìs probabilem diligendo. Et ab initio ratiocinando à ſufficienti partium enumeratione, recenſet omnes opiniones, quæ poſſint haberi de principijs. & Text. 6. ait poſſe ſtatui principia, vel plura, vel vnum. Si vnum, vel mobile, vel immobile. Immobile inquit poſuere Parmenides, & Meliſſus. Meliſſus infinitum. Parmenides finitum. Mobile ſtatuunt, inquit, omnes naturales; ex quibus alij aquam, alij ignem, alij aerem dixere omnium rerum principium. Qui verò dixerint, eſſe plura principia rerum naturalium; vel finita eſſe ſtatuunt, vel infinita; &, qui ponunt infinita, vel ſtatuunt vnum genere diuerſum per plures differentias: quæ differentiæ ſumuntur, vel à figura, vel à ſpecie, vel ab aliqua contrarietate. Aſſerit deindè Ariſt. hanc partitionem de principijs ſequi partitionem de rebus, quarum ea ſunt principia. eſt enim ens, vel vnum, vel multa, vel mobile, vel immobiie, finitum, vel infinitum. His propoſitis, excludit à naturali conſideratioue, tàm principium, quàm principiatum vnum, & immobile. ſiquidèm, quandocumquè daretur, eſſet alterius ſcientiæ de eo diſſerere: quandoquidèm naturalis philoſophus tenetur conſiderare id, quod mobile eſt. Et paritèr excludit à naturali conſideratione Heracliti ſententiam, qui dicebat, omnia vnum eſſe: ſiquidèm, ſi omnia vnum ſunt, non neceſsè eſt vlteriùs progredi in inueſtigatione rerum naturalium, ſi diſtinctionem non habent.

Tanquàm litigioſam paritèr excludit Ariſtoteles à naturali philoſophia quæſtionem, an principium, & id, quod eſt, ſit finitum, vel infinitum, hoc enim quærere, indignum philoſopho arguit; quià ex hoc nulla notitia poteſt haberi rerum naturalium; ſed tantùm poſſunt iurgia, & lites excitari. Finitum dixit eſſe Parmenides; nequè de hoc videtur dubitandum. Infinitum poſuit Meliſſus, nequè eius paritèr ſententiam, cenſet, eſſe agitandam; quià in natura infinitum, vel non eſt, vt ſtatuerat Parmenides, vel eſt incompræhenſibile; quià, nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu; at hoc infinitum nec ſenſus, nequè capit humanæ coniectura mentis, ſic vana mouentur iurgia, quærendo, an, quod eſt, ſit finitum, vel infinitum. Vno enim abſurdo dato, videlicèt, conceſſo eſſe in natura infinitum, multa ſequuntur; &, hoc poſito fundamento, videlicèt conceſſo infinito in natura, quùm ſit id incomprehenſibile, non eſt difficile lites ſuſcitare inextricabiles, & opiniones inutiles defendere. Ideò Meliſſi opinionem magìs onéroſam arguit.

Textu 11. concludit, a naturali philoſopho non poſſe negari aut omnia moueri, aut aliqua: quoniàm hoc patet àd ſenſum, & probatur inductione, & ſtatuit ad eum non pertinere ſoluere omnes obiectiones, quæ feruntur, ſed eas tantùm, quæ ex iactis principijs, & ſuppoſitis oriantur. Attamen ea, quæ ab his feruntur ait, eſſe animaduertenda Text. 12. quià ab his ponuntur non naturalia, tanquàm naturalia: & ſe naturales iactant, ideò accuratè ſunt diſtinguenda naturalia à non naturalibus. Elidit etiàm Textu 11. eorum ſententiam, qui omnia vnum eſſe ferunt, quià rem impoſſibilem ferunt, & contrà proprias acceptiones; quià ijdem, qui vnum dicunt eſſe omnia, alij finitum, alij infinitum dicunt; ſed finitum, & infinitum ſunt affectiones quantitatis; ergò ſtatuunt ſubſtantiam quantam, & hac ratione ponunt ſaltem duo entia diſtincta

cta ſubſtantiam, & quantitatem; quo poſito impoſſibile eſt, eſſe vnum ex eorum ſententia. Cùm igitur vnum multiplicitèr dicatur; vel hi intelligunt vnum continuum, vel indiuiſibile; vel ità eſt vnum, vt ſaltèm habeat varia nomina & modò dicatur hoc idem ſubſtantia, modò quantitas &c. ſi dixerint eſſe vnum continuum; continuum eſt diuiſibile in partes, & eſt in potentia, fieri multa; & fruſtrà eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actum; nequè idem eſt totum, & pars. Si hoc vnum dicatur indiuiſibile, non erit quantum, quià quantitas alia eſt diſcreta, alia continua. continua non eſt indiuiſibilis: diſcreta non ſolùm eſt diuiſibilis, ſed etiàm eſt diuiſa. Si igitur hoc vnum non eſt quantum, non poterit dici infinitum cùm Meliſſo, nequè finitum cùm Parmenide, ſi verò ea, quæ ſunt, ſunt vnum ratione; licèt per varia nomina ſignificaretur, veluti dicitur Deus, Theos, Adonai. incidunt inquit Ariſt., qui hæc pronunciant, in Heracliti ſententiam, qui aſſerebat; idem eſſe bonum, & non bonum; nec diſtinguebat hominem ab equo. Ità non quærebatur ab Heraclito, quid ſint principia, nequè quid ſint res; ſed an ſint, vel non ſint. Si enim idem eſſet quantitas, & qualitas, ſequeretur nequè quantitatem eſſe, nequè qualitatem. In qua ſententia, tàm recentes, quàm antiqui confundebantur in hac opinione agitanda Heracliti, quod vnum omnia ſint. Vnde Lycophron, vt hanc opinionem ſequeretur, & manifeſtiſſimam rerum diſtinctionem fateretur, abſtulit à communi philoſophantium loquendi conſuetudine verbum ſubſtantiuum ſum, es, eſt. nequè dicebat propterea hoc eſt album, aut hoc eſt nigrum; ſed vt nigrum diſtingueret ab albo, & calidum à frigido: dicebat hoc albeſcit, vel nigreſcit; hoc calefit, aut refrigeratur; ne per verbum eſt de multis dictum multa entia emergerent. Concludit tandem Ariſt. in eo ſecundo capite; licèt vnum, & ens idem ſint; vndè fortaſſe eliciebat Heraclitus, & Lycophon omnia vnum eſſe: tamèn inductione poteſt diuidi hoc vnum in multa; vel diuiſa ſecundùm rationem, vel realitèr. Secundum rationem diuiditur muſicum, & album; aliud enim eſt eſſe muſicum: aliud eſſe album. realitèr verò diſtinguuntur ſaltèm pars à toto; ſic vnum hoc, quod dicitur ens; ſi non eſt multiplex actu, ſaltèm eſt multiplex potentia, & ideò, quæ ſunt, non ſunt vnum.

In hoc ſecundo capite Ariſt. (licèt prætereatur ab interpretibus) tamèn ſunt multa animaduertenda; & ea non leuis momenti; & primùm, quià ex Platone fertur, etiàm inſanos ſapere; propterea non eſt credendum viros magni nominis, qui digni ſunt ab Ariſt. recenſeri, vndequaquè temerarias ſententias tuliſſe. ideò quærendum quomodò, ſaltèm pro veris defendi poſſint; vt more peripatetico ab omnium ſenſu vera opinio eliciatur. aut ſaltèm magis plauſibilis.

De eo, quod eſt, & principio immobili.

Parmonides, & Meliſſus omnium principium ſtatuunt immobile, vt refert Ariſt. &, credibile eſt, intelligendam cauſam cauſarum, quæ *immobilis, ſtabiliſque manens dat cuncta moueri*; & hac ratione conſors veritati eſt eorum concors opinio. Quod verò Meliſſus infinitum, Parmenides finitum dixerit, nequè etiàm ſinè ratione cenſendum, nàm ſi vnum, & immobile creditur & omnium rerum principium, quod

alias

alias dicitur. Alpha & Omega. benè dicitur finitum, accipiendo finiti nomen pro eo, quod perfectum eſt, & cui nihil addi poteſt. Alia verò acceptione finiti pro terminato, perfectò hoc ipſum benè dicebatur a Meliſſo infinitum, quià hoc principium omnium finè termino eſt; duratione æternum; ſpatio immenſum; poteſtate omnipotens, & prudentèr Ariſt.; ait, hoc principium alios vnum dixiſſe immobile, vt Parmenides, & Meliſſus; alios mobile vt naturales; benè, inquàm, contraponit naturalium opinioni eam, quæ Meliſſi, & Parmenidis eſt: quià hi hoc principium ſuprà naturalem conditionem, & vltrà mentis humanæ captum conſiderabant. Ideò Ariſtoteles, eos falſa accipere, ait, quià, loquens ipſe de naturalibus, non poterat lumine naturæ hoc vnum principium immobile compræhendere. quanquàm octauo lib. phiſ. à poſteriori idipſum ille quoquè fateatur; qùm talis principij tantumodò poſteriora mentis acie liceat animaduertere. Quod autèm obſcuro lumine naturæ progrediatur inquirendo Ariſt. Parmenides verò, & Meliſſus excellentiori lumine patet, quia eos non ſylogizzantes eſſe fatetur, &, ſe ipſum caligare, oſtendit, dùm, ait, *etenim falſa accipiunt*. certum eſt enim, ſi alter finitum, alter infinitum ſtatuit, ambos falſa ſuſcipere non poſſe; quià ſufficienti partitione alter, aut alter falſa non poteſt accipere, ſi ſylogizzando procedant; at ſi ambo procedunt non ſylogizando, & varia acceptione infiniti loquantur, falſa ambo accipiunt, nàm, ſi conueniunt Parmenides, & Meliſſus in ſententia eius principij vnius immobilis, & Parmenides finitum intelligat, hoc eſt, termino concluſum, & Meliſſus infinitum hoc eſt, quo' accepto, ſit vltrò eius ſempèr aliquid accipere. falſa ambo accipiunt, vt refert Ariſt. litigioſam verò appellat rationem Meliſſi, & Parmenidis, quià eſt extrà mentis humanæ captum; & vltrà naturæ ordinem, cuius ipſe ſeriem profitetur proſequi, & magis *onero-ſam* Meliſſi ſententiam dixit, quià hic principium ſtatuit immobile, infinitum, quod infinitum in natura non poteſt admitti, & quæſtiones inextricabiles ex eo procedunt in peripatetica doctrina ex admiſſione iſtius infiniti, vel expreſsè, vel non expreſsè. hoc enìm abſurdo dato, multa ſequntur. hoc eſt; ſi admittitur in natura dari hoc infinitum, non eſt difficilè abſurda immunera ſuſtinere, vt admonet Ariſt. Integra enìm volumina incoantur noſtris temporibus de diſſectione continui, quià hæc traditur fieri in infinitum, quod abſurdum eſt; &, vno abſurdo dato, multa ſequuntur. Quæſtiones de vacuo inrequietos agitant profeſſores ex hoc ipſo: quià, hoc abſurdo dato, vacuum dari, multa ſequuntur. De quibus ſuo loco agendum luculentiùs ſuperſedeo Ad quæ confirmanda, ſatis cenſeo, de hoc text. 10, Ariſt. aliqua prælibaſſe. Videntur enìm antiqui, quorum ſcita adeò acritèr redarguuntur, & irridentur ſententiæ, quasì à veritate coacti ſupernaturali lumine confirmata præſenſiſſe, vt Heraclitus id vnum principium immobile, infinitum, quod dixere Meliſſus, & Parmenides, in vnum hominem merſit, vt Ariſt. Text. 9. refert.

Dato hoc abſurdo cum Democrito dari infinitum, & ampliando diuitem naturam dicendo infinitos eſſe mundos, ſequitur tot eſſe arenas maris, quot mundos. nam inter infinitum, & infinitum non poteſt aſſignari vlla inæqualitas, & ſic eo accepto infinito innumera oriuntur abſurda, ad quæ vitanda neceſſe eſt hoc infinitum negare, aut, ad captum humanæ mentis non eſſe, dicere, vt plauſibilia ſequamur.

Hoc autem modo dicentibus &c Cap.3. Text.22. Redarguit magis explicatè Ariſt. ſententiam Meliſſi, &

Parmenidis, dùm aſſerunt, vnum tantùm eſſe principium rei; quod facilè ducit Ariſt. redarguere, procedendo per naturalia principia; & repetit, quæ ſupra Text. 10. dixerat de Meliſſi opinione, quam dicit mag s onerosam, non magis ineptam, vt vertit Ioannes Grammaticus *phorticos* enim onerosum, & arduum; & non facile, & ineptum apud Grecos ſignificat. vt mag s conſonum eſt cùm animaduerſionibus à nobis ſuprà relatis. Paralogizantem autèm oſtendit Melliſſum, reducendo diſcurſum ad naturalem ratiocinationem. Aliàs autèm Meliſſi ſenſus non alienus eſt. Principia enim eſſe, aſſerit, eorum, quæ facta ſunt; id autèm, quod factum non eſt, non habere principium, rectè ſequitur; & omnia, quæ imponit Meliſſo, ſunt in eadem ſerie naturæ inconuenientia. Alio autèm ordine non adeò: namquè, ſi Meliſſus deduceret hoc vnum principium a ſe poſitum eſſe immobile, quia vnum eſt: ſequeretur abſurdum ab Ariſt. illi obiectum: nàm aqua etiàm mouetur in ſe ipſa; ità fieri poteſt, vt etiàm, vnum quod eſt, moueatur in operibus ab extrà fecunditate inexiſtente. Parmenidis quoquè falſam eſſe opinionem, aſſerit.; quià, quod eſt, ait, ſimplicitèr dici, quùm multiplicitèr dicatur: eius tamèn rationes aliqua ex parte recipit Ariſt., quià, quæ ab Ariſt. recenſentur contrà eum, ab eo non adhuc viderentur: hoc eſt non conſiderarentur. Quasi, vt ſubdit idem Ariſt. ſi Parmenides, & Meliſſus explicarent, quomodò intelligant id, quod vnum eſſe dicunt, vnum ſit, non adeò ſinè ratione loquutos. videlicèt, ſi per id, quod vnum eſſe affirmant, non accipiant ea, quæ manifeſtè diuerſa apparent, vt ſubſtantiæ pleræque, & accidentia ſubſtantiarum; ſed potiùs omnium cauſarum cauſam, quæ dat moueri ipſa manens ſtabilis, non ſine ratione vnum dicerent.

Vt autèm phiſici dicunt duo modi ſunt &c. Cap.4. Per ea, quæ profert hoc loco Ariſt. non videtur alienum credere Parmenidem, & Meliſſum loquutos de principio æterno, vno, & immobili ratione ſupernaturali, & quaſi Theologica. quandoquidèm, ait; Vt autèm phiſici dicunt. contrà ſtatuens naturales diſcurſus his, qui Parmenidis erant, & Meliſſi, quos propterea refert ſupèr naturales; poſt quos aggreditur referre, & examinare ſententias naturalium, qui ratiocinantur ſecundùm a ſe propoſitum ſermonem. Ex his naturalibus aliquorum ſententias refert ſin: nomine, alios nominat. Qui nominantur ſunt Plato, Anaximander, Empedocles, Anaxagoras. Plato ſtatuit quidèm vnum principium, & cùm eo duo contraria tanquàm diuerſitatem rerum conſtituentia. ponit, videlicèt magnum, & paruum: diſſentit tamèn, quià hoc vnum, quod alij ſtatuunt tanquàm ſubiectam materiam, Plato ſtatuit tanquàm formam; materiam verò eſſe, ait, id contrarium ſuppoſitum, quod vocat magnum, & paruum. Quæ ſententia ad peripateticum dogma ità poteſt reddi non improbabilis. Si, vt peripatetici diſcurrunt, formæ, quæ res diſtinguunt, educuntur ex potentia materiæ, ſequitur materiam eſſe formam formarum, quià nemo dat, quod non habet: ab ea igitùr pendet omnis actio. Magnum, & paruum, quo in vnaquaque ſpecie determinatur forma diſtinguens, dicuntur materia, quià his mediantibus illud vnum operatur: &, ſi his mediantibus operatur, dicitur in his ſubiectari: quia vis formæ, & potentiæ ad agendum in hoc magno, & paruo ſubiectantur. quod aliàs dicitur exceſſus, & defectus, & ſequitur quantitatem, quæ eſt prima forma tradita materiæ, quæ dicitur ſubſtantia; quam immediatè ſequitur quantitas, pro virtute ſuppoſiti danda ad menſuram; in maiori quanto

enim

enim maior eſt virtus; eandem proportionem, ſeù analogiam habet dualitas in quantitate numerica eſt enim dualitas in quantitate numerica primum diuiſibile poſt vnitatem; & quilibet numerus, qui aliàs etiàm ab Ariſt. dicitur rei ſpecies (ſpecies enìm rerum ſunt veluti numeri) conſtat ex vnitatibus; ſic vnum eſt forma, dualitas verò exceſſus, & defectus; magnum, & paruum ſunt materia. Vnum eſt forma, quià quælibet forma de eius potentia educitur. Quarè autèm implicita loquatur Plato in hoc diſcurſu, rationem reddit Philoponus in explicatione huius Textus; videlicèt, quià Plato fuit Pitagoræus, & propterea plerumquè ſymbolicè loquitur, & ſatis eſt poſſe reduci eius opinionem more peripatetico ad communem probabilitatem ſententiæ. Dicit enim id vnum, quod alij ſtatuunt ſubiectum, & materiam, ipſam formam; quià forma, & actus in ſententia Ariſtotelis eſt idem. hic actus educitur de potentia materiæ, & eadem materia in opinione probabili habet actum ſaltèm entitatiuum, quod moderni etiàm peripatetici concedunt.

Anaximander ex vno exiſtentes contrarietates ſegregat. Sic illud vnum, quod Plato ſtatuit tanquàm formam, Anaximander ponit tanquàm materiam, ex cuius potentia formæ educantur, quæ reſultantia in naturalibus ſic per artificiale declaratur ab auctoribus. Sit exemplum tritici quantitas immenſa in ſimilitudinem materiæ, & ſubiecti, quod dicitur illud vnum. in hoc maximo cumulo frumenti erit aliquid admixtum hordei, viciæ, orobi &c. tamèn ab his nomen nulla ratione ſumit; ſed à maiori quantitate dicitur triticum. Supponamus igitùr ſeparari ſeorsim hordeum, viciam, & orobum, ità, vt ſecundùm propriam ſpeciem quodlibet granum cumulum conſtituat; non dicitur amplius frumentum, licèt è cumulo frumènti ſit ſegregatus cumulus hordei, viciæ, & orobi; ſed dicitur hordeum, vicia, & orobus. Ità fieri in naturalibus, referunt ex Anaximandro. Reſpondere magno tritici cumolo illud vnum, quod ſubiectum, & materiam communem ferunt, ex huius potentia educuntur formæ, quæ dicuntur emanare ab Anaximandro per ſegregationem: non, quià natura ſegregans illas formas generet, ſed tanquàm priùs inexiſtentes ſegreget, velutì, qui ſegregat à cumulo tritici hordeum non dicitur hordeum generare, ſed ſegregare tantùm, & coincidit hic ſenſus Anaximandri cùm peripatetico, quo fertur formas educi de potentia materiæ; præterquàm, quòd principium illud ab Anaximandro poſitum, vndè res ſegregentur, appellant plurimi chaos.

Principium rerum quod dicit *homæomeriam* Lucretius, Peripatetici materiam primam vocant; quam opinionem recenſet Celſus, ex Aſclepiadis æmulis ſeruari in nutritione; nihil enìm concoqui; ſed crudam materiam, ſicùt aſſumpta eſt, in corpus omne deduci lib. 1. in proemio

Oſſa videlicet e pauſillis atq; minutis
Oſſibus sìc, & de puſillis atq; minutis
Viſceribus viſcus gigni, ſanguemque creari
Sanguineis inter ſe multis coeuntibu guttis
Ex Lucretio

Empedocles omnium peripateticæ ſen Ariſtotelicæ doctrinæ maximè coerens, quatuor vulgata elementa ſubiectum cuiuſcumque rei generandæ ſtatuit: & res per eorum permixtionem diſtinguit; hoc tamèn accedente diuerſitate; qua, perenni quadam cijcuitione data, res huiuſmodi modò per diſcordiam ſegregentur; modò per amicitiam vniantur; quas mutationes, & viciſſitudines in magno anno fieri poſſe recenſet Plato, quo Erodothus, at Mela ſolem ad

motum proprium aduerſo ordine conficiendum redire per vices fatetur, ità et tunc indè oriatur, vndè modò occidit; quod fieri ex obſeruationibus habitis numerantur anni 1296000. in Planphilia Capite de Actiope lib. 2., Cuius litis, & amicitiæ habentur documenta etiàm in minoribus mutationibus, quæ breuiores circuitiones ſequuntur.

Quin etiàm repetunt a cœlo, atque ignibus eius;
Et primùm faciunt ignem ſe vertere ad auram
Aeris, hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri, retroque à terra cuncta reuerti &c.

& litis illius, & amicitiæ ramenta retrauntur in cunctis mutationibus, quas fieri in viuentibus per iraſcibilem, & concupiſcibilem, refert Plato. medici expultricem, & attractricem vocant. In reuolutione maxima, quandò amicitia dominaretur, coniungi elementa credebantur, & indè factum eſſe mundum intellectualem, referunt moderni Ariſtotelis interpretes cùm Philopono. dato verò alio maximo temporis circuitu: iterùm res diſgregari per diſcordiam, in qua modo res eſſe teſtantur: & tùnc rediturum hunc mundum ſenſibilem. Quæ quandò futura ſint, poſteri animaduertent. Modo harum mutationum leues imagines obſeruantur, quas tamèn non omnimodas eſſe Empedocles opinatur commutationes, ſed apparentes: qùm enim aer rareſieret vltrà certam menſuram, ignem illi aeri immixtum à carcere ſibi impoſito liberari, & ſursùm aſcendere; & qùm idem aer paritèr vltrà certam menſuram denſaretur, a quam inexiſtentem exprimi, & ferri deorſum; & ignem rursùs recipi, & comiſceri, & aquam in vapores conuerſam iterùm in aerem intrudi; & hæc fieri, dicebat Empedocles, non per nouam generationem; ſed per commixtionem; per quam nullum elem entum purum dari, etiam peripatetici teſtatur.

His omnibus animaduerſis, & conſideratis, conuertitur Ariſt. magìs ex animo ad examen ſententiæ, quam refert eſſe Anaxagoræ: quasì ex eius animaduerſione ſententiæ aliorum; aut euertantur; aùt, quod magìs peripateticum eſt, ad probabilem opinionem reducantur; & primò aſſignat Ariſtoteles rationes, quibus motus Anaxagoras arbitraretur, omnia omnibus miſceri: & ſingula in ſingulis; & nihil purum, & ſincerum haberi. velutì etiàm Hippocrates teſtatur omnigena eſſe in terra, & Auicennas *colceda* recepit, & diffamauit. Duas propter cauſas, inquit Ariſt., Anaxagoram diffamaſſe ſententiam ſuam non improbabilem. Prima ratio deſumpta eſt ab Anaxagora ex communi omnium naturalium conſenſu, qua nihil ex nihilo fieri, vnanimitèr ſtatuunt: nè quidèm per diuinam potentiam: naturali lumine loquendo.

Nullam rem è nihilo gigni diuinitùs vnquàm.
Quippè ità formido mortales continet omnes.
Quod multa in terris fieri, cœloque tuentur.
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri diuino numine rentur.

ob eandem cauſam multa fortunæ tribuuntur. *Qùm enim in quasì fatali, & inuariabili continuatione ordinis ſempiterni quædam emergant improuiſa, nec opinata nobis, propièr obſcuritatem, ignorationemque cauſarum, ſapientiæ perfectæ fortunam intermiſcuerunt veteres philoſophantes*, ait Cicero.

At nihil ex nihilo fieri, nequè per diuinam vim, nec fortunæ omnes conſenſiunt, quam conſenſionem ſequutus Anaxagoras, ità argumentabatur. Ea, quæ fiunt, vel fiunt ex ente, vel ex non ente; ex non ente

eſſe non poteſt ex dignitate ab omnibus naturalibus probata. Si fiunt ex ente, ergò erant iàm, & eorum generatio non eſt, niſi excretio; & quià huiuſmodi productio per excretionem perennis eſt, ideò Anaxagoras infinita ponit ſimilaria, & omnia omnibus ineſſe affirmabat, ſi enim contraria fiunt ex contrarijs, vt patet ad ſenſum, ſunt igitur omnia in omnibus; nàm quæ fiunt ex contrario: vel contrarium permanet iam exiſtens in re genita; vel inerat in contrario, à quo gignitur. Non poſſunt, quæ fiunt, ex contrario manente, quià ſi calidum, quod gignitur; gignitur ex frigido, id frigidum non permanet in calido genito; nequè poteſt dici præexiſtens, ſi anteà erat frigidum, niſi dicatur præexiſtens latens, & ad ſenſum priùs immanifeſtum; & hoc non eſt generari, ſed manifeſtari per ſegregationem. Quæ ſententia Anaxagoræ poteſt reduci ad ſenſum peripateticum dicendo; quæ fiunt, non fieri ex non ente, quià, dùm generatur ignis, generatur ex ligno præexiſtente: ſic non fit ex nihilo; non tamèn fit, quod priùs eſſet, quià ignis in ligno non præerat, niſi in potentia, quod ſufficit, ne fiat ex nihilo, & nè dicatur præexiſtere; ſic peripatetici inſufficientem arbitrantur partitionem factam ab Anaſſagora. Quod fit, fieri vel ex ente, vel ex non ente; quià vltrò ens, & non ens diuiditur in ens actu, & ens potentia; ſic, quandò fit, fit ex ente actu contrario, potentia eiuſdem rationis; nec ea permutatio dicitur alteratio, quià eſt mutatio totius in totum, quæ dicitur generatio, & non alteratio: vt luculenter oſtendit Ariſt. & ſuo loco à nobis manifeſtabitur; & infinita illa corporum ſtrues ab Anaxagora poſita; & indiuiſibilia Democriti à perìpateticis dicuntur materia prima. Quam ſententiam reprobat Ariſt., non, quià, diuidendo, in infinitum progredi non contingat, nequè quòd materia prima non habeat in potentia formas infinitas; ſed, quia ſcientiam quærentibus id imprudens conſilium accedat; ſi quidèm ſtatutum eſt, cuiuſcumque rei notitiam pendere ex notitia principiorum, & cauſarum, à quibus pendet, quæ ſi infinitæ ſtatuuntur, & infinitum non capit humanæ coniectura mentis, fruſtrà quæritur notitia harum propoſitionum tolerantia; quæ præter quàm quòd imprudentiæ eſt, & furoris ſpeciem præſefert, ea quærere, quæ conſequi ſit impoſſibile: oſtendit natura ipſa hanc infinitam continuationem diuiſionis non dari; namquè eadem eſt ratio totius, & partis, & animalia, & plantæ habent à natura definitam magnitudinem, vltrà quam non exiſtunt; ſiquidèm homo, quamuis gigas dicatur, vltrà quadricubitum non extenditur, nec citrà cubitum: ſic cætera omnia animalia habent determinatam quantitatem in magnitudine, ex paruitate ſeruandam ſi igitùr totum ità determinatum eſt, credere dignum, & rationabile eſt, etiàm partes habere minimum determinatum, & credere dignum, & rationabile eſt, etiàm partes habere minimum determinatum, vltra quod ne quidèm ſimilaria corpora diuidi poſſint, etiàm ſi ſempèr minores, & minores partes diuiſione ſtatuantur; ità vt ne quidèm in proportionales partes infinita diuiſio ſuccedat: vt a nobis ſuo loco, dùm de continui diuiſione loquemur, oſtendendum eſt. magna enim nimis, & ineſtricabilis quæſtio agitur in ſcholis in omogeneis corporibus, & in inſtrumentalibus, & in ali s diſſimilaribus. An detur videlicèt minima pars cuiuſcumque corporis continui: an paritèr carnis, & oſſis: an hominis, & leonis de quibus aliàs magis vtilis recurret ſermo.

Præter opiniones de principijs Ariſt. eorum, quorum nomina profert, vt ſunt Plato, Anaximander, Empedocles, & Anaxagoras; aliam etiàm

etiàm recenſet aliorum, quos non proprio nomine; ſed communi naturales appellat, quorum duos modos recenſet. Alij enìm ex his conſtituebant *vnum* omnium rerum principium: non, quòd omnia ſint vnum, vt primo loco nominati crediderant; ſed quià ſupponunt vnum eſſe omnium principium, quod aſſignabant tribus vulgatis elementis, præter terram, in qua omnigenum eſſe refert Hipp. & ideò, non derelicta erat terra, quià nihil ex ea fieret, ſed quià cætera elementa, nihil poſſe, exiſtimarent ſinè ea. Heraclitus ignem. Anaximenes aerem: Tales aquam dixit omnium rerum principium, tertium vnum aliquid, inquit Ariſt., hæc elementa ſupponens tanquàm communitèr decantata. Anaximander verò non ex his tribus vnum, ſed corpus aliud inconſpicuum igne quidèm denſius, aere verò rarius; quod æther fortaſsè appellabatur. Duo modi tradebantur, quibus datum ex his elementis, tanquàm cæterorum principium exerceret ſe circà munia ordini vniuerſi debita. Alij enìm à ſe poſitum dixere materiale principium tàm aliorum elementorum, quàm aliorum corporum, quæ ex horum mixtione conſtituenda eſſe crederentur. In quo tanquàm materiali principio, tanquàm formæ attuantes reciperentur contraria, quæ numerabantur raritas, & denſitas; defectus, & exuperantia; magnitudo, & paruitas; calidum, & frigidum; plenum, & inane &c. Ex his opinionibus materialium principiorum, quæ ſubijcerentur primis formis contrarijs, elicit Ariſt.; & determinat commune ſubiectum, quod vocat materiam primam; & abſquè determinatione formæ contrariæ, ait genericè hanc materiam ſubiectari contrarijs: quæque ſint. Non enìm pro ſubiecto recipit aliquid ex enumeratis elementis ab Heraclito, Anaximene, Talete, & Anaximandro, quià, qùm inſcribantur hi libri; *de naturali auditione*, oportebat omnium, quæ narrarentur à philoſophis, placita, admittere; &, ſi id fieri non poſſet, ſaltèm recipere id, in quo conuenire conſpicuum ſit. Conuenire autèm, conſtat, naturales in primo ſubiecto contrariorum, quod materiam primam ipſe vocat, & non patere ad ſenſum; ſed eſſe tantùm cognitam per ſimilitudinem. Cùr enim potiùs Thalatis ſenſum ſequeretur, quàm Anaximenis? cur huius potiùs, quàm Heracliti, aut Anaximandri? ſi ſenſum ſequi velis, aerem denſari in aquam, rarefieri in ignem creditur; aquam denſari in terram, rarefieri in aerem. Item ignem, cui ſupræmam actiuitatem tribuere rationabilitèr poterat; nequè admodùm conſpicuum erat corpus, nequè in aliud rarefieri conuincitur; ſed tantùm in omnia miſceri. Terram verò non vltrò denſari in aliud corpus; ſed omnia vocata elementa in ſe recipere, ità, vt etiàm ignem remotiſſimum loco, tamèn à ſe dimittat. Ideò prudentèr vnum ſubiectum his omnibus commune ſtatuit, vt ſuo loco patefiet. Ità paritèr contraria huic ſubiecto formam tribuentia, non poterant, ob omnium opiniones ſubſcribere volenti, probabili ratione determinata recipi, nàm, licèt frigida corpora denſari, calore rarefieri, rarefactione exinaniri, denſatione repleri; tamèn non adeò clarum eſt, an calor rarefaciat, & frigus denſet; an potiùs ipſa denſatio frigoris ſenſum pariat, & rarefactio, caloris. Scitè igitùr, & ex auditu receptis conſenſiens; ea, quæ ſubiectam materiam diſtinguant, ſtatuit genericè *contraria*: vtpotè conuenientibus omnibus in ſola contrarietate.

Mouent circà ea, quæ profert Ariſt. in hoc cap. 4. dubitationes interpræte, præſertim contrà, quæ refert ex mente Anaxagoræ: dùm aſſerit, dari minimum partis ſimilaris, & par-

partis organicæ; quæ difficultas poteſt moueri circà ſimplicia, & circà mixta, tertiò circa organica viuentium, & circà ipſa viuentia. Quærendo primò, an detur minima quantitas elementi, ac maxima ſimplicis: ſecundo minimum in mixto, tertio in organo, & quarto in amimante integro. De prima diuiſione quærendum, quandò de continui diuiſione dicendum dabitur vltrò occaſio; quæ minima quantitas, ſi datur in ſimplici corpore, dabitur etiàm in mixto; non tamèn ea ratione, vt nonnulli ſtatuunt, quà ſufficiat quatuor minimas partes haberi in mixto iuxtà numerum miſcibilium, quia prætèr hoc requiritur etiàm minor portio, quæ exigitur à forma mixti diuidendi. In alio enìm mixto plùs ignis requiritur, ad explendam eius formæ actionem, aut actum, qui dicitur *energia*, in alio plùs aquæ, in aliò plùs terræ; aut aeris, atquè ità ad continendam formam mixti ſecundùm exigentiam eius formæ, ne fruſtrà informet: neceſſaria eſt proportio naturalis miſcibiiium, quæ ſi non ſeruatur, nequè etiàm poteſt ſeruari forma mixti; atque in diuidendo, poſſumus deuenire ad partem, quæ, licèt plures partes adhuc ſeruet miſcibilium, tamèn non ſeruat ampliùs mixti formam; vt caro in ſui ratione contineat plura indiuiſibilia aquæ; os plura indiuiſibilia terræ: ſanguis, proptèr admixtos ſpiritus, plura indiuiſibilia ignis; quibus poſitis, licèt diuiſio ſit proportionalis, tamèn partibus miſcibilium exiſtentibus indiuiſibilibus, neceſsè eſt, diuidendo, deuenire ad partem, per quam ea proportio deſtruatur, qua deſtructa, deperire, conſonum eſt, formam mixti; vt, exempli gratia, ſint in carne, ſecundùm exigentiam formæ illius 16 indiuiſibilia ignis, 8 aquæ, 4 aeris, 2 terræ. erit ratio indiuiſibilium 30 hac diuiſa, remanet proportio indiuiſibilium 8. ignis 4. aquæ 2, aeris 1. terræ. ſi verò denuò diuidatur caro, ſub ratione carnis manere non poteſt, quià, quæ ſupereſt, pars terræ, qùm ſit indiuiſibilis, non ingreditur proportionem. nàm in alia diuiſione vel excluditur, vel includitur, ſi excluditur, deſtruit mixtum, de cuius ratione ſupponitur: ſi includitur, deſtruendo proportionem, pariter deſtruit rationem mixti: ſic vt textu. 38. videtur concludere Ariſt. datur minima pars carnis, qua diuiſa, non ampliùs remanet caro, licèt aliàs tanquàm corpus continuum poſſit diuidi.

Quo verò ad tertium diuiſibile quod dicitur inſtrumentum, magìs coartatur diuiſio, per quam non deſtruatur forma eius in eſſe organi. namquè præter ea, quæ requiruntur ad formam mixti; vt ſuprà relatum eſt, alia etiàm expoſcuntur neceſſaria ad operandum, quibus non ſeruatis, exuit naturam organi, & ſic formam ipſiùs; &, quamquàm ſit diuiſibile, vt mixtum; &, vt continuum, non eſt diuiſibile, vt tale inſtrumentum, & multò arctior eſt diuiſio, ſi hoc inſtrumentum ſit diſſimilare, videlicèt non ſit neruus, aut os; ſed manus, aut caput; quià hæ partes videntur in ſuppoſito habere rationem integri animantis; vt hipoteſim recipit Ariſt. 2. de Anima, Textu 9. ſi *oculus eſſet animal* &c. quæ organa non ſolùm ab eo, cuius ſunt organa, diuidi, & ſeparari non poſſunt, ſed certam etiàm proportionem magnitudinis, & paruitatis debent ſeruare iuxtà magnitudinem, & paruitatem eius, cuius ſunt inſtrumentum; ex quo patet non eſſe abſolutè determinatam in his magnitudinem, & paucitatem, vt inſtrumenta ſunt; ſed vt talis corporis, & ſuppoſiti inſtrumenta. Oculus enìm exempli gratia non habet in natura, prout oculus eſt, determinatam magnitudinem, & paucitatem debitam ſecundùm exigentiam viſus, ſed reſpectu eius, cuius eſt

ocu-

oculus, quià tam elephas, quàm parruus pulex habet oculos, & in vnoquoque oculus ſua munia ad viſum exercet, & in oculo pulicis ſunt etiàm muſculi, & muſculorum chordæ, quorum vix poteſt animo comprehendi, & formari magnitudo; & tamèn idem opus operatur chorda in pulice, qnod operatur in elephante. Si igitur nulla eſt differentia ad ſuum munus præſtandum in tanta diuerſitate motis, quæ eſt intèr oculum elephantis, & pulicis: ità poteſt dari aliud inuiſibile animal tantò minoris molis pulice, quantò pulex eſt elephanto; vt microſcopis interdùm animalia cernuntur, quæ aliàs inuiſibilia ſunt; & eadem, qùm moueri appareat, poſſunt etiàm habere oculos, & muſculos oculorum. *Si oculus eſſet animal, anima vtique viſus eſſet, hic enim eſt ſubſtantia oculi, quæ ſecundùm rationem: oculus autèm materia viſus eſt, quo deficiente, non eſt ampliùs oculus, niſi æquiuocè, ſicùt lapideus, & depictus ex Ariſt. 2. de anima Textu 9.*, & hic viſus ſeruatur tàm in oculo elephantis, quàm inuiſibilis animalis: manifeſtum eſt, hanc menſuram maximi, & minimi non patere ad ſenſum, nec poſſe determinari. Et, ſi oculus eſſet in calcaneo, videret. ità ſi eſſet in toto elephante, & cætacei generis, in toto quolibet piſce. Si quidèm Ariſt. in hoc textu, preſertim 36. ait, non in quantacumque paruitate, aut magnitudine animal, aut plantam ampliari, aut reſtringi. Intelligendo tamèn minimum ad ſenſum in conſpicuum: ita vt inanis aſſignetur terminus à modernioribus ſtoicis magnitudinis, & paruitatis extrinſecùs, & intrinſecùs, maximus, aut minimus quòd ſic &c. & fruſtrà aſſignantur etiàm à viris claris modi incipiendi, & deſinendi intrinſeci, aut extrinſeci.

Eodem modo impoſſibile eſt animal, aut plantam quantamcumquè eſſe ſecundùm magnitudinem, & paruitatem, quià eadem eſt ratio, totius, & partis: ſatìs tamèn eſt, ſi ea quantitas totius, & partis tanta ſit, quæ ſufficiat ad exercenda munia vitæ; quod in nulla ſpecie animantis poteſt determinatè aſſignari; ſi, non poſſe aſſignari in coaſſumpto genere, patet experimento. Imò, ſi in eadem ſpecie tanta diuerſitas apparet magnitudinis, & paruitatis; vt in ſpecie canis, ità vt experimentò pateat dari canis magnitudinem, quæ non æquat toto corpore decimam partem capitis alterius in eadem ſpecie; quarè non poterit eadem proportio ſeruari minimi canis, qui in rerum natura eſt, ad minorem molem imaginati? quæ inductione probatur ab hoc ad maximam; & idem poſſumus à maximo exiſtente, ad maiorem immaginarium, data proportione, augeri. Non tamèn ex hac obſeruatione, & diſcurſu infirmatur argumentum Ariſt. contrà Anaxagoram, quia dirigitur ad probandum, non fieri quod libet ex quolibet; ſed determinatum ex determinato, quod conuincitur etiam per ea, quæ à nobis ſuperiùs decreta ſunt, dari minimum in mixto, &, ſecundum eius proportionem, dari etiàm in organico; in viuente ſimilari; & diſſimilari; in parte; & toto: termino ſempèr magìs amplo; ſed, in maxima etiàm amplitudine, ad ſenſum inconſpicuo: vt patere diximus in his animantibus, quæ ſenſum non afficiunt viſus; niſi per microſcopium id conuincamus, & ex eo etiàm poſſe dari alia animalia minuta, non dedecet ſuſpicari.

Meliùs eſt autèm pauciora, & finita recipere &c. cap. 5. Textu 41. Animaduertens Ariſt. ex auditis ab Anaxagora deuenire nos ad quæſtiones inextricabiles de principiis, diuidendo ſinè fine, &, qùm mens humana progrediatur inueſtigando deſiderio finis alicuius, & innata eſt quædam propterea in nobis via procedendi à notioribus nobis ad nota ſim-

ſimplicitèr, infinitum autem nobis ſit ignotum; ideò concludit, in hoc capite ex pluribus opinionibus auditis eam potiùs eſſe eligendam. quæ ab Empedocle fertur, qui principia rerum naturalium breui numero elementorum reſtringit, & paritèr, qùm omnes philoſophi conueniant in hoc, vt ea principia contraria ſtatuant; ideò veniendum in omnium conſentientium ſententiam; &, ſtatuendo principia contraria, melius eſt pauciora recipere, quià, veluti impoſſibile eſt vnumquodque cognoſcere, ſi ex infinitis ſtatuatur fieri; ſic eò difficilius deprehenditur, quò ex pluribus conſtituatur fieri: & ad faciliorem doctrinæ captum: dummodò, qui audiuntur, æquali polleant auctoritate; meliùs eſt eos audire, qui faciliorem doctrinam ponant paucioribus principijs. Declarat tamèn, non vndequaquè meliùs eſſe pauciora recipere; quià, ſi hoc verum eſſet, oporteret recipere ab his, qui aſſerunt vnum tantùm eſſe omnium rerum principium; ideò ſuperaddit, *vt facit Empedocles*, qui ſtatuit quidem pauciora, ſed non omninò vnum. In cuius ſenſum recedit etiàm ſententia eorum, qui vnum dixere principium, & immobile; quia, licèt faciant vnum, ſuperaddunt contrarietatem, per quam illud vnum fit multiplex. Aliàs vnum non poteſt habere rationem principij, a ſe ipſo enim fieri non poteſt, neque ſe ipſum parere, quod vnum eſt; neque habere terminum quò moueatur, neque, a quo, &, ſi non mouetur, ſed remanet immobile, non ingreditur tractationem de natura, quæ dicitur *principium motus*. Xenophanes autem, vt refert Ariſt. in libro de Xenophane &c. ſtatuit hoc principium æternum, infinitum, vnum, & immobile; quibus conditionibus hoc vnum exuit naturam, & rationem principij naturalis, quod motum ſupponit; addenda ergò videbatur contrarietas, quod faciunt omnes philoſophantes; etiàm, qui hoc vnum ſtatuunt: intèr quos numeratur Parmenides. qui,etiàm ſi ſtatuat illud principium à ſe imaginatum, & deſcriptum immobile: illi tamèn ſuperaddit calidum, & frigidum, appellando calidum nomine ignis, & frigidum nomine terræ. Nec aliàs benè diceret Ariſt. *Omnes igitur contraria principia faciunt*: niſi excluderet Xenophanem Parmenidem; & Meliſſum, quos à naturalium numero excluſos videtur ponere. In quo omnes videntur conſentire cùm Parmenide ſuperaddente ignem, & terram, hoc eſt calidum, & frigidum; qui enim ſtatuunt rarum, & denſum, hoc idem ferunt; nàm rarum eſt, quod calidum appellamus, ſeu ignem, & denſum, quod dicitur frigidum, ſeu terra. Democritus recenſet ſolidum & inane, ſolidum pro terra, inane pro igne, & calido. Et ex his aliud eſſe dicit, quod eſt, vt ſolidum; aliud, quod non eſt; vt inane: coincidens cùm opinione Parmenidis. hæc referendo ſecundùm vulgi opinionem, quæ ſenſum ſequens, multas res eſſe recipit; quarum ſtatuit principia ignem, & terram, in quibus contingit alia eſſe, & alia non eſſe, & recipere alias contrarietates poſitionis, figuræ, & ordinis. Poſitionis, vt ſurſùm, & deorſùm; ignis enim ſurſùm, terra verò deorſùm videtur habere poſitionem, quæ contrarietatem hanc habet. Quas contrarietates non dari in vero ente, quod ponunt Xenophanes, Parmenides, & Meliſſus, & ſtatuunt immutabile, & immobile; ſed in ente ad ſenſum, & uulgi captum apparens, quod vocant naturale, & de quo intendit Ariſt. referre; quæ audierit.

Neceſſariam eſſe hanc conditionem contrarietatis in principijs, deducit ex conditionibus principiorum; quæ ſunt, prima principia non debere eſſe ex alterutris, neque ex alijs, eo quod ex illis omnia oriantur.

Hæc autèm inſunt, inquit Ariſt., ex primis contrarijs. Ex eo enim, quòd ſunt intèr ſe contraria, non poſſunt inuicèm generari, quià quæ ſunt contraria, potiùs ſe inuicèm deſtruunt, quàm generent: ex eo, quòd ſunt prima, non fiunt ex alijs: aliàs non eſſent prima; &, procedendo, daretur progreſſus in infinitum. Quæ cùm audita referat, nititur etiam eadem ratione comprobare ad maiorem auditorum confirmationem. Patere enim, ait, non ex quolibet fieri quodlibet, loquendo de generatione per ſe; ſed omne, quod fit, non poteſt fieri niſi à ſibi contrario; non enim poteſt fieri id, quod eſt, ſed id, quod non eſt. Ideò neceſſe eſt id, quod fit album, priùs non eſſe album; ex defectu enim oritur, eſt fiat tranſitus ex eodem Ariſt. primo Cæli cap. 1., quod ſi contingat muſicum fieri album, non fit ex muſico; quia muſicum remanet, albo ſupergenito: fit igitùr album ex non albo, non ex muſico, niſi ex accidenti; quia contingit eum, qui fit albus, fuiſſe muſicum; &, ſi eodem tempore contingat fieri muſicum ſimùl, & album, muſicus fit & non muſico; & albus ex non albo; quià non poteſt fieri, niſi id, quod non erat; & ideò hæc fæcunditas tradita èſt naturæ, quæ nouis ſempèr gaudet, vt fiant ea, quæ non ſunt; & hoc proptèr defectum. ideò neceſſarius eſt huiuſmodi defectus præcedens; non fit igitur quidlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato; ſi enìm ſuppoſitum debet fieri album, non debet fieri album ex eo, quod ſit immuſicus; quià ſic tranſitus non fieret per defectum; ex immuſico enìm debet fieri muſicus, ex non albo albus. Et, quià poſſet aliquis obi cere, poſſe immuſicum fieri album, quià immuſicus eſt non albus, ideò fieri contingat album ex non albo; ideò ſuperaddit, fieri quidèm album ex non albo; ſed non ex quolibet non albo; &, ſecundùm exigentiam fæcunditatis, quæ ſupponit defectum eiuſdem rei generandæ ſecundùm eandem formam; ſic album debet fieri ex nigro, ſeu ex medio colore; quatenùs medius color habet admixtam albedinem, non fit albus; ideò omne, quod fit, fit à ſuo contrario, & defectu illius: veluti etiam aliàs hypoteſim refert Ariſt., ſi ex equo fiat canis, canis eſt animal, ſed ratio animalis non generatur in cane genito proptèr eandem rationem, quià ex defectu oritur, vt fiat tranſitus; itaque quià equus erat animal, dùm fieret canis, animal cùm cane non generatur; ſed fit canis ex non cane tanquàm ex ſuo contrario; & calidum ex frigido, & album ex nigro, quæ forma ſupponitur contineri, defectu albi, à quo defectu oritur, vt fiat tranſitus.

Neque igitùr corrumpitur in contingens primum &c. Textu 44. Eadem ſeries, inquit Ariſt., ſeruatur in corruptione, quam retulit, ſeruari in generatione; veluti enìm omne, quod generatur, generatur ex ſuo contrario, ità, quod corrumpitur, corrumpitur in ſuum contrarium; non tamèn debemus intelligere, vt animaduertit Philoſophus, contraria fieri ex contrarijs tanquàm ex partibus; quià iàm, protulit Ariſt., id non poſſe fieri, & potiùs contraria inuicem deſtrui; ſed dicuntur fieri contraria à contrarijs tanquàm à termino, à quo; aut, ſi velimus aſſignare aliquam cauſalitatem, quarè album fiat ex nigro, & non ex muſico: ea cauſalitas poteſt aſſignari ordini vniuerſi, quo ad perfectionem ſui exigitur id, quod non eſt, fieri, vt in capite de priuatione, oſtendendo, quomodò priuatio habeat rationem principij cùm aliqua formalitate, luculentiùs manifeſtabitur.

Similitèr autèm his, & in alijs &c. Textu 45. Quod oſtenderat de generatione ſimplicium formarum, oſtendit idem euenire in compoſitis, ſpecies enim rerum, & formæ ſunt veluti

luti numeri; ideò plura ſunt oſtendenda in compoſitis; quæ compoſita dicuntur generari, & corrumpi, etiàm ſi aliquid ex his maneret; vt, exempli gratia, denarius numerus, vna vnitate accedente, fit vndenarius; & vnitates, quæ erant in denario, velutì non erant in denario actu, ſic neque in vndenario; attamèn dicitur vndenarius numerus fieri ex denario, tanquàm ex non vndenario, vt contrario. Ità quælibet compoſita ex non compoſitis fiunt; & non ex omnibus non compoſitis, ſed ex negatione compoſitionis, quæ nouitèr fit; quæ in compoſito nomen non habet: ideò nomine generico eſt deſignanda, dicendo, compoſitum fieri ex non compoſito: ſic neceſſarium eſt, aſſignando contrarietatem cuiuſcumque formæ, aſſignare maximè genericum: dicendo cuiuſcumque formæ contrariam eſſe priuationem illius formæ; quæ priuatio nomen ſingulare non habet; & differt à negatione, quia vltrà negationem eſt etiàm adiuncta quædam aptitudo ad formam introducendam. Vndè ſequitur non fieri quodlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato. Non enim fit homo ex lapide, neque ex equo, licèt hæc ſint non homo, & homo fiat ex non homine; ſed neceſſaria eſt præuia diſpoſitio introducta à ſpiritu artifice exiſtente in alio homine, à quo homo genitus prodit. Quià verò huiuſmodi oppoſitæ diſpoſitiones (inquit Ariſt., nomen non habent, reſtant ignotæ: qùm non habeant acceptum ſignum, quo manifeſtentur. Neceſsè eſt enim omne conſonans fieri ex inconſonanti, & inconſonans ex conſonanti; & eadem ratione, quandò aliquid tranſmutatur ad corruptionem, contrarium in contrarium fertur, conſonans in inconſonans, & in conſonans in conſonans, vt in oppoſitum.

Differt autèm nihil inconſonantiam dicere &c. Textu 46. clariùs declarat, quæ protulerat ſuperiùs de tranſmutatione, & quaſi generatione artificialium, quæ magis ſenſata ſunt; quæ enìm ſuprà relata ſunt, pertinent ad muſicam, hæc verò ad artem ædificatoriam: cuius magìs ſenſata eſt acceptio. Si enìm debet fieri domus, ea non fit, niſi ex diſpoſitione, & coordinatione, laterum, lignorum, lapidum, & cæterorum, quæ concurrunt ad domus conſtitutionem; lateres enìm, ligna, & lapides præerant, & aptitudinem habebant ad conſtruendam domum; tamèn vbì ſeorsìm erant, domus non dicebantur, ex diſpoſitione igitur formam domus recipiunt; quæ diſpoſitio ex indiſpoſitione eorum facta eſt, tanquàm ex contrario, & non domo. ſed non ex qualibet; namquè ſi folia, & lac, & pannus ſumatur, dicuntur quidem non domus, ſed, quià non ſunt hæc apta ad conſtruendam domum, non dicitur domus ex his fieri. quià *non fit quodlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato*: nec ſimplex negatio terminus eſt, à quo generatio rei fiat; ſed negatio cùm aptitudine, quæ alio vocabulo dicitur priuatio, & ex his concludit Text. 47. quomodò fiant ex contrario, & in contrarium corrumpantur: & in hanc ſententiam, aſſerit Textu 48., conuenire omnes philoſophantes; licèt enìm diuerſa videantur proferre, tamèn ſecundùm, à ſe iacta, fundamenta, conueniunt; vt ait Ariſt., tanquàm à veritate coacti. Vndè apparet non eſſe Simplicij ſermones adeò acriter repellendos, dùm conatur omnium philoſophorum ſententias concordare. *Non perperàm agimus*, inquit Simplicius ſuper Text. 6. primi phiſ. *ſi digreſſione facta oſtendamus addiſcentibus, qua ratione, etiamſi antiqui diſſentire videntur, conueniant de rerum principijs*; idem enìm confirmat hoc loco Ariſt., aſſerendo; licèt in verbis diſſentiant, conuenire in re, & ſecundùm naturalem ratiocinationem, quæ omnes ad veritatem

ritatem ducit. Differre autèm horum verba, quia non per eandem viam gradiuntur, licèt ad eandem veritatem ferantur. Alij enim ad hanc veritatem feruntur per priora, hoc eſt per nota ſecundùm ſenſum: alij per poſteriora, hoc eſt per nota ſecundùm rationem. Omnes tamèn progrediuntur ſecundùm eandem coordinationem; non enìm, qui principia rerum ſtatuunt, ſtatuunt g. e. calidum, & denſum; aut frigidum, & rarum; aut litem, & magnum; amicitiam, & paruum; quià hæc contraria non ſunt ſecundùm eandem coordinationem veluti ſunt calidum, & frigidum; rarum, & denſum, lis, & amicitia: magnum, & paruum. In hoc igitùr conueniunt, quod recipiunt contraria, & contraria ſecundùm eandem coordinationem. Differunt tamen; aut differre apparent, quià alij hæc principia magis particularia tradunt; alij magis vniuerſalia. Itèm differre videntur, quià alij recipiunt magis nota ſecundùm ſenſum, quàm ſecundùm rationem; alij exaduerſo magis nota ſecundum rationem, quàm ſecundùm ſenſum. Nota ſecundùm ſenſum magis ſunt calidum, & frigidum; humidum, & ſiccum, rarum, & denſum. nota ſecundùm rationem ſunt magis quàm ſecundùm ſenſum, lis, & amicitia; par, & impar; vnitas & dualitas; hæc enim dicuntur magis nota ſecundum rationem, quià opus habent mentis reflexione. Ad ſenſum enìm illicò apparet calidum, & frigidum; lis verò, & amicitia debet in rebus conſiderari per ſimilitudinem quandam, & analogiam, quæ eſt inter litem, & amicitiam in cœtu hominum. Ita par, & impar opus habent mentis animaduerſione, etenìm ternarius numerus primo nobis menti offert rationem trium vnitatum: poſteriùs verò, reflectendo, hunc numerum ternarium non poſſe in æquales partes diuidi: veluti diuiditur binarius; ideò binarius numerus agnoſcitur per rationem par, & ternarius impar, calidum, & frigidum Parmenides: rarum, & denſum Thales: magnum, & paruum Plato: litem, & amicitiam Empedocles: par, & impar Pythagoras, calidum, & frigidum, rarum, & denſum notius eſt ſecundùm ſenſum; par, & impar ſecundùm rationem. Itaque qùm ſempèr à notioribus ſit procedendum; & alij ſequantur ſenſum, alij rationem; ſenſum qui priora; rationem, qui poſteriora ſequentes hanc peperere varietatem opinionum circà principia; quæ opiniones, vt Simplicius animaduertit, facilè poſſunt ad eamdem ſententiam reduci, ſtatuendo vnum principium: vt materiam primam, plura cùm contrarijs ſuperadditis. Immobile, vt ſtatuere Parmenides, & Meliſſus in ſuo eſſe perpetuo, & inuariabili ſinè contrarijs: mobile cùm ſuperadditis contrarijs. Finitum cùm Parmenide proptèr receptas formas, & actus terminum tribuentes. Infinitum cùm Meliſſo per potentiam ad innumeras formas, & indeficientes progreſſus. Non etiàm ex toto diſſentiunt, qui plura poſuere principia; ſi enìm contraria ſtatuunt, vnum eſſe non poteſt; ea, quæ plura ſunt finita in ſupremo generè, ſunt infinita ſecundùm ſpecies, & ſucceſſiones in perpetuos actus.

In expoſitione huius capitis animaduertendum, concludi in calce illius vniuerſalia eſſe nota ſecundùm rationem, particularia verò ſecundùm ſenſum Text.49. At Text.4. eiuſdem libri, ait totum ſecundùm ſenſum notius eſſe, & vniuerſale eſſe quoddam totum; ergò ibi manifeſtè ponit vniuerſale magis notum ſecundùm ſenſum, quod longè eſt à ſententia Ariſt., & omnis diluitur difficultas, ſi recipiatur expoſitio ibi habita: videlicèt: procedendo a notioribus nobis non eſſe procedendum ab vniuerſalibus abſolutè; ſed ab vniuerſalibus exiſtentibus in ſingularibus, & non per rationem præciſis; vt hoc loco de-

declarat Ariſt. dùm vniuerſale notum ſecundùm rationem non aſſignat vniuerſale in ſingularibus; ſed per præciſionem abſtractum; concludit tandèm ex omnium conuenientia debere ſtatui principia contraria: & hoc manifeſtum eſſe, ait, proptèr omnium conſenſum; atquè ità videntur dici contraria conuerſim: principia accipiendo, & pro ſubiecto, & pro prædicato: principia ſunt contraria: & contraria ſunt principia. quàm enim ſermo ſit de rebus naturalibus, quæ non fiunt ſinè motu, & tranſitu ad nouas formas; *ex defectu oritur, vt fiat tranſitus*, & defectus non inducitur, niſi per corruptionem, & corruptio eſt à contrario. Immenſitas enim quicquam capere non poteſt, niſi ſit, quod deficiat; vt ſuo loco oſtendendam in metaphiſicis: vbi manifeſtabitur ſententiam Ariſt. 12. metaph. Text. 12. ponentem priuationem intèr cauſas, non eſſe infirmandam per diuiſiones ineſficaces; dando priuationi rationem principij, & non cauſæ: quippè oſtendemus, ad generationem maiorem habere influxum priuationem, quàm habeat materia, & forma; quoniàm materia ſinè priuatione nihil appetit, & forma explet appetitum materiæ, quo eius motum ſiſtit; ſic ſola priuatio vocatur principium, aut ſaltem primum principium rerum naturalium, & ſola cauſat appetitum materiæ proptèr defectum à contrarietate exactum.

CAP. VI.

C*Onſequens autèm dicere, vtrùm duo, aut tria &c.* Cap.6.Tex. 50. Poſtquam expoſuit Ariſt. conditiones principiorum accedit ad determinandum numerum; & oſtendit in hoc capite principia non poſſe eſſe vnum, nequè infinita; indè duo non ſufficere; & demùm concludit, non poſſe eſſe plura tribus. Vnum non poſſe eſſe omnium rerum principium; quià, qùm ſtatutum ſit, principia debere eſſe contraria, vnum non poteſt eſſe ſibi ipſi contrarium. Et, qùm ex Alexandro veritas veniat in lucem, etiam non quaſita, Parmenides, qui poſuit vnum principium, & immobile, ab hac veritate coactus ſuperaddit calidum, & frigidum; & Meliſſus, qui poſuit vnum paritèr principium, ſuperaddit raritatem, & denſitatem: propterea plura vno neceſsè eſt ſtatuere principia. Infinita etiàm eſſe non poſſunt, quià, vt benè animaduertit Ariſt., non capit humanæ coniectura mentis infinitum; & res non dicuntur cognoſci, niſi per cognitionem principiorum, quæ, ſi fuerint ignota, ignotum etiam erit quidquid per ea cognoſci debet. Et præſertim ex finitis principijs omnia fieri ſtatuendum eſt; vt Empedocles facit: dummodò omnia complentur ex finitis, quemadmodùm ex infinitis compleri teſtabatur Anaxagoras. Ex quibus colligit auditis, non eſſe ſtatuendum nequè vnum principium, nequè infinita. Si igitur finita ſtatuenda ſunt principia, incipit Ariſt. examinare numerum à binario, & non eſſe rationabile ſtatuere tantùm duo principia, deducit ex iàm recepta ſententia, principia debere eſſe contraria. Siquidèm, ſi principia ſunt contraria; ea non poſſunt inuicèm fieri duabus de cauſis; prima quià intèr conditiones primorum principiorum ea eſt, inuicèm non fieri, & id deductum eſt ex ſecunda cauſa; quià, quæ contraria ſunt, potiùs ſe inuicem deſtruunt, quàm conſtituant. Non enim frigiditas poteſt caliditatem parere; nequè denſitas raritatem: nequè ex aduerſo ordine poteſt fieri ex caliditate frigiditas; nequè ex raritate denſitas.

Vt

Vt igitur ex auditis opinionibus recipiamus vnam nulli contrariam, & omnibus rationabilem, neceſſe eſt his contrarijs ab omnibus poſitis, ſudijcere aliquod tertium, quod omnibus ſit probabile. non enim credibile eſt eos, qui rarum, & denſum; calidum, & frigidum; plenum, & inane, magnum, & paruum, litem, & amicitiam ſtatuerunt rerum omnium principia; cogitaſſe ex raritate fieri denſitatem; aut ex frigiditate caliditatem, ſed rationabiliùs eſt, vt etiàm ex ſermone eorum deducitur, putaſſe aliquid tertium, quod priùs rarum erat, fieri denſum: &, quod erat frigidum fieri calidum; ergò poſuerunt aliquod tertium, in quo iſta contraria tranſmutarentur; ſic enim remouetur omnis dubitandi occaſio, ſi contrarijs poſitis ab omnibus recipitur ſubiecta aliqua tertia natura, quam ſubaudire rationabile eſt, etiàm ſi expreſsè ab illis non tradatur ſuppoſita.

Dandum eſſe hoc tertium principium duabus rationibus confirmat Ariſt. non repugnantibus antiquorum dictis, ex quorum auditu ſe hanc doctrinam conſtituere fatetur. Deducit autèm, quià principia ſunt ſubſtantia, & ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ergò eſt ponendum hoc tertium principium, tanquàm receptiuum contrariorum, quodque nulli ſit contrarium; ſi enim contraria ſe inuicem interimunt, non poſſunt conſtituere aliud ſubſiſtens, nec inuicem alterum in altero manere. In tertio autèm quodam ſubiecto recipi, & inuicèm agere, non repugnat: ità tamèn ne recipiantur in eo ſubiecto tanquàm accidens in ſubiecto ſubſtantiali; quià ſubſtantia eſt prior accidente; & principia, ſi principij rationem debent continere, non debent ſupponere aliquid priùs: aliàs non eſſent prima principia, ſi aliqua ratione penderent ex alio, & eſſent alicuius entis entia. Conditiones enim principiorum ſtatutæ ſunt, ne ex ſe ſint inuicem, nec ex alijs, & vt ex his omnia fiant. Sed, ſi ex his omnia fiunt, nulla ſubſtantia poteſt fieri ex non ſubſtantia: quemadmodùm diceretur non ſubſtantia, quicquid ſupponitur habere contrarium: qui igitur calidum, & frigidum dicunt contraria; & rarum, & denſum, non eſt rationabile intellexiſſe in abſtracto caliditatem, & frigiditatem eſſe principia; ſed in concreto; & hac ratione ſubiectum aliquod ſupponendo, quod ſit receptiuum horum contrariorum, & ex quo vnà cùm forma conſtituatur in eſſe ſuppoſitum, quod propriè dicitur fieri; quod, qùm ſit ſubſtantia, non poteſt dici fieri ex non ſubſtantia; nequè id, quod eſt ſubſtantia, poteſt habere priùs aliquod, quod non ſit ſubſtantia.

Hanc autèm opinionem accepiſſe ex auditu aliorum philoſophantium, teſtatur, quià omnes hanc tertiam naturam poſuere, qui, vt ſenſum ſequerentur, ponebant aliquod corpus ex ſenſui manifeſtis elementis, alij enim dicebant aquam, alij ignem, alij aerem; ſed animaduertentes hæc vocata elementa inuicem generari, quod à conditione principiorum longè abeſt, ideò rationabiliùs, quoddam tertium ſubiectum poſuerunt; quod igne denſius, aere ſubtilius tranſmutationibus magis ſubijceretur, & rarum, & denſum reciperet, quod conſequitur calidum, & frigidum; idem enìm fortaſsè eſt eſſe rarum, & eſse calidum: non enim benè conſtat an calorem raritas, an calor raritatem inducat. Ità an frigiditas denſitatem, an denſitas frigiditatem pariat. Quandocumque enim in viuente repentina, & valida contingit a frigore condenſatio, vt, exempli gratia, ex ſuperpoſita glacie carni ſequitur denſatio ſimùl, & ſenſus frigiditatis, ſed, quià partes denſatæ cùm violentia adiunctas partes ad ſe trahunt, neceſsè eſt eas, quæ ſequuntur partes denſatas, rare-

refieri, & ideò illicò ſenſus ille à glaciē inductus non diſtinguitur, an caloris, an frigoris ſit; & caro glacie tacta videtur vri, veluti, ſi ab igne tacta fuerit. Dicitur propterea hoc tertium ſubiectum igne denſius, aere rarius; vt ſuſcipere quidèm denſitatem vſquè ad terream poſſit, non tamèn raritatem vlterà igneam; qùm non ſit in ſublunaribus igne rarius; nisi ex hoc eliciamus mediam naturam raritatis tradi ab Ariſt. intèr aerem, & ignem, vt oſtendat veluti hæc ab eo ſtatuta materia prima poteſt non ſolùm in aeris denſitatem verti, ſed etiàm denſitatem aquæ, & terræ recipere: ſic poſſe non ſolùm igneam raritatem recipere ſibi, & naturæ ſuæ proximam; ſed etiam cæleſtium corporum: quo arguere poſſimus, materiam eandem eſſe cæleſtium, & ſublunarium: vt aliàs ſuo loco depræhendi poſſe alijs adhibitis animaduerſionibus oſtendam. Non enim materia prima differentias ſenſibiles vllas in ſe habet; ſed omnium tàm cæleſtium, quàm ſublunarium facilè recipit medium tenens; quàm indifferentiam qùm recognoſcerent nonnulli in aqua, aut in aere: ideò aerem, aut aquam eſſe huiuſmodi indifferens elementum arbitrati ſunt. Hæc enim elementa præ cæteris denſari, & rarefieri patet ad ſenſum; quas differentias contrarietatis ad exceſſum genericè, & defectum videbantur tradere etiàm antiqui philoſophi; propterea Ariſt., vt non ſolùm per ea, quæ audierit a modernioribus, ſtatuat principia rerum naturalium; ſed eadem etiam confirmet antiquorum auctoritate, refert hoc omnibus probari ex antiquis, & modernis, exceſſum, & defectum eſſe principia rerum naturalium; per defectum priuationem recipiens, per exceſſum formam in his, quæ infrà prodit.

Hanc differentiam ſtatuit Ariſt. intèr recentiores philoſophos, & vetuſtos; quod antiquis, ex tribus a ſe ſtatuendis principijs, duo agerent vt forma, & priuatio; vnum verò pateretur, vt materiale principium. Ex recentioribus quidèm vnum agere, nempè materiam, & duo pati, nempè priuationem, & formam; ſeù exceſſum, & defectum; vel magnum, & paruum, quod Platoni traditur. Philoponus, ait, hanc ſententiam Platonis ſumptam ab eo eſſe a Pythagorejs in hunc ſenſum, vt vnum principium ageret, nempè forma, duo verò paterentur, nempè magnum, & paruum conſtituta pro materia. Sed magis rationabile videtur credere, Platonem poſuiſſe magnum, & paruum non pro materia, ſed pro contrarijs materiæ inhærentibus, quæ contraria inuicèm paterentur alterum ab altero; materia verò, tanquàm ex qua forma educeretur, & per quam ſuppoſitum conſtitueretur in eſſe, ageret; quam propterea non videbatur conſtituere materiam puram potentiam, ſed habentem actum ſaltèm entitatiuum, vt ex modernioribus plurimi defendunt; & olim, refert Albertus 1.phiſ. Text.3.cap.13. quendam Alexandrum epicuræum non ſolùm hanc rationem tribuiſſe materiæ, ſed, quùm ea non componatur, nec admittat vllam differentiam, non poſſe à Deo diſtingui opinabatur: cuius virtute omnia peragi certum eſt.

Tria igitur dicere elementa &c. Text. 56. oſtenſum eſt vſque adhuc ab Ariſt. duo contraria, quæ communi omnium conſenſu ponuntur tanquàm principia rerum naturalium, opus habere ſubiecto, & tertio principio, quo recipiantur: ex quo concluſum videtur, principia ſaltem tria debere ſtatui. At non adhuc manifeſtum fecerat, an plura tribus requirantur; quod nititur oſtendere impoſterùm, videlicèt tria tantùm debere eſſe principia. Oſtendit autèm hoc demonſtrando, nec plura requiri ſubiecta, quàm vnum, nec plures contrarietates, quàm vnam,

quod

quod ità oſtendit. Vel enim ponuntur plures contrarietates, & vnum ſubiectum: vel plures contrarietates, & paritèr plura ſubiecta: vel vnum tantùm ſtatuitur ſubiectum, & vna contrarietas: vel plura ſubiecta, & vna contrarietas. Si fuerint plures contrarietates, & vnum ſubiectum, vel vnaquæque ex his contrarietatibus cùm dato ſubiecto poteſt omnia generare; vndè altera contrarietas erit fruſtrà, quod Deus, & natura aborret. Si verò neceſſariæ fuerint huiuſmodi duæ contrarietates, quià vna non ſufficit ad omnia generanda, ideò neceſſariò addenda eſt alia contrarietas, per quam generentur ea, quæ ab alia contrarietate non poſſunt generari; vel non fiet determinatum à determinato, vt vſquè adhuc concluſum eſt, neceſſarium eſſe; vel oportet vnicuique contrarietati proprium ſubiectum ſtatuere, & ſtatuere duo vniuerſa inter ſe diſcrepantia, quod rectè concluderetur, ſi darentur plures contrarietates primæ in genere ſubſtantiæ. At ſi dicerentur dari aliæ nouem contrarietates iuxtà decem genera prædicamentorum: tàmèn attenditur tantùm prima contrarietas, quæ eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ad quam reducuntur cæteræ omnes, tanquam primum analogatum, à quo dependent. in ordine enim ſempèr eſt vnum primum, nec differre genere dicuntur, quæ differunt in priùs, & poſteriùs, vt Ariſt. refert.

Quòd igitùr neque vnum ſit elementum, neque plura duobus &c. Text. 57. qùm oſtendiſſet Ariſt. ex aliorum Philoſophantium auditione, more peripatetico, tria eſſe omnium rerum principia. Idem enim eſt dicere ex auditu, atque lectione: legere enim eſt, oculis aud re, quæ ſcripta ſunt; & non in alium finem fingunt poetæ eos, qui perſcruptantur arcana naturæ, ſapientiam, quæ nomine ſibillæ denotatur, ad manes diſcendere, & cùm mortuis loqui; quià, hoc eſt cùm mortuis loqui, eorum, qui vita functi ſunt, ſcripta legere, & contemplari. Licèt igitur Ariſt. referat antiquorum ſententias, quas audire non potuerit auribus, percepiſſe tamèn, & audiſſe, fari licet, per oculos, legendo. propterea, quæ refert ex antiquis, non prætergrediuntur tractationem de naturali auditione, quam propoſuit. Ex hac igitur naturali auditione probauit hucuſquè, principia non eſſe plura duobus, vel tribus. Modò intendit, quæ topicis rationibus probauit ex aliorum relatione, etiam demonſtratiua ratione comprobare, & hoc maxima cùm doctrinæ prudentia. Nàm ex auditu videntur ſtatuenda duo tantùm, & tria tantùm, quod abſolutè eſſe non poteſt; & ideò varias referunt ſententias interpraetes in expoſitione huius textus; nèc adhùc videntur conuenire in re ſatìs clara, ſi dicimus; quod adhùc topicè oſtenſum eſt, demonſtratiuè comprobaſſe in poſterùm; & quomodò ſint tantùm duo, & quomodò ſint tantùm tria; quod demonſtratiuè oſtendere, neceſſarium exiſtimauit, & reddit cauſam ſuæ intentionis, quià videlicèt: an ſint ſtatuenda duo, vel tria dubitationem habet multam: & ideò rursùs aggredi id confirmare firmioribus argumentis neceſſarium duxit. nàm, quamuis notum ſit, principia non eſſe plura tribus, & poſſe dici duo, & poſſe dici tria, quomodò autèm hoc aſſignari poſſit: hoc eſt, quod ait Ariſt., habet dubitationem multam. Plurimi enim remouent à numero principiorum priuationem, tanquàm principium per accidens; qùm ſit verè principium, & ratione formæ aſſignari ab Ariſt. quæque non ſolùm neceſſaria eſt, quià ex defectu oritur, vt ſiat tranſitus, ex Ariſt. 1. Cæli; ſed influere etiàm videtur in cauſam finalem: ità enim ratio boni, & ordo vniuerſi videtur expoſcere huiuſmodi defectum; vt, quæ noua placent, fœcunditate naturæ perpetua

tna ſucceſſione, & inuariabili continuatione innouentur; & ideò, ait Ariſt., dubitationem habere multam, an principia rerum naturalium ſint ponenda duo, vel tria; quià ex eorum mala acceptione ratiocinantes philoſophi tollebant omnem rerum generationem. Simplicius difficultatem conſiſtere cenſet, quià à multis materia, & priuatio habentur pro vno, & eodem principio; qùm materia non videatur habere rationem materiæ ad generationem concurrentis; niſì includat rationem priuationis. ſi enim materia prima includeret priuationem in ſui rationem, eſſent tantùm ſtatuenda duo principia; ſi diuerſa recipiantur, ſunt tria: quæ res maximam habet difficultatem, vt profert Ariſt.. Et quòd huſquè Ariſt. loquutus ſit ex auditis; impoſterùm verò intendat ſupèr iiſdem ipſe ratiocinari; colligunt acutè interpræes ex illis verbis Ariſt. *Sic igitur nos dicamus &c.* quaſi dicat ea, quæ modò proferre intendit, non eſſe prorsùs ex auditione; ſed ex rationabili doctrinæ ordine à natura accepto; per quam recipitur priùs eſſe communia agitanda, & ex his deueniendum ad propria; *eſt enim ſecundùm naturam* inquit Ariſt., *communia priùs dicere, & indè circà vnumquodque propria ſpeculari in* confirmationem ſententiæ habitæ 1. phiſ. 4. Vbi, ait, ab vniuerſalibus, ſed in particularibus recognitis procedendum eſſe. Omnia enim ſunt concludenda de ſingularibus: tamèn in his priùs ſunt conſideranda vniuerſalia, & poſteà deueniendum ad propria. Aliàs, ſi priùs tractatentur propria, de vniuerſalibus tractarentur ea, quæ illis competunt per accidens; vera autèm notitia pendet ex propoſitione, quæ ſit ampliſſima, prima, immediata, & eſſentialis; non eſt autèm propoſitio eſſentialis, quæ refert ea, quæ competant per accidens, pro exemplo ſit. Si quis de animali in genere ſermonem habeat, quod complectitur ſentire, & ratiocinari. Si de rationali priùs loqueretur, loqueretur de re, quæ competit animali per accidens. Non enim animal, vt animal eſt, eſt rationale; qùm poſſit etiam eſſe irrationale, ſed, quià ſub ſe continet hominem. Sic ab vniuerſalibus eſt incipienda tractatio; ſed pro vt ſunt in ſingularibus, cuius communia primum, deindè circà propria debemus ratiocinari.

CAP. III.

D*icimus autèm, fieri ex alio aliud &c.* T. 58. Vt oſtendat principia eſſe tria, & quomodò tria ſint, præcipit Ariſt. in aſſignanda quacumque generatione, poſſe nos vti terminis ſimplicibus, vel compoſitis. Termini ſimplices intelligendi ſunt hoc loco, qui rem ſeorſim ſignificant, & quaſi præciſiuè. Compoſiti termini ſunt, qui repræſentant rem vnitè, & ſinè ea præciſione; quæ præciſio ſit per intellectum, & ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem; vt ſeruet tractationem de naturali auditione; ait enim *Dicimus* vt referat modum loquendi, quo res auditui repræſentantur, & per auditum intellectui. Hi autèm termini ſimplices, & compoſiti ſumuntur tùm reſpectu termini, à quo, quùm reſpectu termini, ad quem: Termini ſimplices ex parte termini, à quo feruntur, quandò ſumitur vel ſola priuatio, vel ſola materia, ſeù ſubiectum. Ex parte termini, ad quem ſi ſumatur ſola forma in concreto. Termini verò compoſiti ex parte termini, a quo, debent accipi quandò in his recipitur, & compræhenditur ſimùl priuatio, & ſubiectum, & reſpectu termini ad quem ſumatur paritèr ſubiectum ſimùl, & forma. Exem-

plum termini ſimplicis: vt, ſi quis dicat, hominem fieri muſicum, ſimplicitas enim termini attenditur ratione ſubiecti, qui eſt homo; ſi verò dicatur, non muſicum fieri muſicum, eſt ſimplicitas termini ex parte ſolius priuationis. Reſpectu verò termini, ad quem in hac eadem propoſitione ſimplicitas termini attenditur ratione formæ, dùm dicitur hominem fieri muſicum. Vtimur autèm terminis compoſitis, quandò ex parte termini, à quo, includimus ſubiectum ſimùl, & priuationem, &, reſpectu termini ad quem includimus ſubiectum ſimul, & formam: vt, ſi dicamus, hominem immuſicum fieri hominem muſicum: immuſicum eſt enim loco priuationis, quam alio vocabulo Auic. vocat priuationem, quæ eſt, quoddam contrarium commune ad contrarium priuatiuè, & verè contrarium ità poſitum, vt compræhenderet ſimùl principia ſubſtantiæ, & accidentium. Qùm enim ſubſtantia non habeat verè contrarium, admittit contrarium priuatiuum: in accidentibus autèm datur vera contrarietas. Duæ ſtatuuntur differentiæ intèr materiam, ſeù ſubiectum, & priuationem ex parte termini, à quo: prima, ſi ſola priuatio ponitur ex parte eius termini, à quo; poſſumus dicere ſecundùm vulgatam auditionem, ſeù loquendi conſuetudinem, & immuſicum fieri muſicum, & ex immuſico fieri muſicum. Si verò ſumitur tantùm ſubiectum ſinè priuatione adiuncta, non in omnibus vtraque dictio rectè ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem traditur; quanquàm enim benè dicatur ex ære fieri ſtatuam; non tamèn benè dicitur, ex homine fieri muſicum. Secunda differentia intèr ſubiectum, & priuationem eſt, quòd ſubiectum poſt generationem permanet, priuatio verò non permanet. Ex quibus deduci poteſt, quàm diligens, & accuratus fuerit Ariſt. in ſcribendo, & quantùm aberrent, qui emergentibus difficultatibus ſatisfaciunt, dicendo, cum ſubſtantiam pro accidente, contingens pro neceſſario accipere, aut exempla, vbi opus non eſt, & incohærentia apponere. Ait enim T. 58. *Dicimus enim fieri ex alio aliud, & ex altero alterum.* Oſtendendo in generatione fieri ex alió aliud, in alteratione fieri ex altero alterum. homo enim, dùm ex immuſico fit muſicus, alteratur, & fit ex altero alterum; &, quandò ex non homine fit homo, dicitur generari. quià fit per mutationem totius in totum; vt ſuo loco manifeſtabitur. Quandocumquè remanet ſubiectum, dicitur alteratio, quià non eſt mutatio totius in totum; dummodò aliquid priori nomine ſignatum remanet; ſecus autèm euenit, ſi ſubiectum omnia accidentia ſenſibilia amittat, quibus, & per quæ in genito poſſit recognoſci, & denominari; ſic enim fieri dicitur ex alio aliud per generationem ſubſtantialem, in quà nil permanet, niſi ſubiecta materia cognoſcibilis per ſimilitudinem, & non ex alio permanente vt T. 59. & 60. oſtendit Ariſt.

Sed ex aliquo fieri aliquid &c. T. 61. qùm inſtitutum ſit Ariſt. de naturali auditione ſermonem tradere, varias proptereà loquendi formulas refert, per quas hoc tertium ſubiectum, nempè materiam dari oſtendatur; & inquirit rationem varietatis in ſermonibus vulgatis, vt ſtatuat ſcientificam; dicitur enim fieri, ait hoc hoc, & ex hoc hoc, tàm in ſimplici generatione, quàm in compoſita. Dicitur fieri hoc hoc in ſimplici, vt dùm immuſicus dicitur fieri muſicum: in compoſitis, vt dùm homo immuſicus dicitur fieri hominem muſicum. Itèm fieri ex hoc hoc in ſimplici, vt ex immuſico dicitur fieri muſicum; & in compoſitis dicitur ex homine immuſico fieri hominem muſicum. Atquè ità loquutione magis vulgata, tàm de ſubiecto, ſeù materia; quàm de oppoſito, ſeù priuatione; & ſic

tàm

tàm de permanente, vt ſubiecto, quàm de non permanente, vt priuatione, dicitur fieri, & in recto, & in obliquo. hoc eſt dicitur fieri hoc hoc, & ex hoc hoc. Tamèn magìs propria loquendi conſuetudine, quæ recipienda videtur apud philoſophos; oppoſito, ſeù priuationi conuenit enunciatio in obliquo; & ſubiecto, ſeù materiæ conuenit in recto. Dicitur enim meliùs ex immuſico fieri muſicum, denotando terminum, a quò. Ac paritèr meliùs dicitur hominem fieri muſicum, quàm ex homine fieri muſicum: homo enìm non eſt terminus a quo muſicæ, ſed ſubiectum. Non benè tamèn dicitur in recto, æs fieri ſtatuam; ſed meliùs in obliquo, ex ære fieri ſtatuam, quia non ſolùm repreſentat ſubiectum; ſed etiàm priuationem adiunctam, & connotat terminum à quò: ex ære enìm fieri figuram aliquam, ſubintelligitur ex ære infigurato, & ideò æs, quod videtur ſumi tantùm pro ſubiecto, admittit loqutionem in obliquo, non quatenùs ſubiectum, ſed quatenùs connotans oppoſitum. rectum enim permanenti: obliquum abeunti aptatur. hoc autèm videtur ſequi ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem, & ſecundùm naturam: quià *non fit quodlibet ex quolibet; ſed determinatum ex determinato*. homo eſt in potentia proxima, vt fiat muſicus, ideò dicitur benè, homo fit muſicus: qualem potentiam non habet æs ad ſtatuam quod indifferens eſt ad quacunque figuram; ad ſtatuam autem non habet vllam potentiam; ſed opus habet directione artificis: ideò benè dicitur, ex ære fieri ſtatuam, non autem æs fieri ſtatuam: & proptèr eam indifferentiam dicitur, ex ære fieri tanquàm ex ſubiecto indeterminato ſinè artificis directione. Ità etiàm materia prima T. 82. definitur *ſubiectum, ex quo fit aliquid &c.* non autèm dicitur, quod fit aliquid; quià materia prima eſt indifferens ad quancumque formam ſubſtantialem, veluti æs, ad quamcumque formam accidentalem; quæ forma, ſeù figura competit æri tanquàm accidens: ideò non poteſt æs fieri ſtatuam, quià ſtatua non ex ære tantùm, ſed ex quocumque alio metallo, & ligno poteſt fieri; & dicitur fieri ex ære ſtatua tanquàm ex non ſtatua, aut abſolutè, aut tali, quod nomen oppoſiti, ſeù priuationis, qùm ſit ignotum, nec poſſit aſſignari, aſſignatur indifferens ſubiecto, & dicitur, ex ære fieri ſtatuam.

Multiplicitèr autèm qùm dicatur fieri &c. Tex. 62. progreditur Ariſt. probare, in omni generatione requiri aliquod ſubiectum: ideò diſtinguit rerum generationem in generationem ſimpliciter, & generationem ſecundùm quid. Generationem ſimplicitèr, ait, eſſe tantummodò ſubſtantiarum: aliorum verò accidentium eſſe generationem ſecundùm quid, *ſubſtantia autèm, quæ propriè, ſimplicitèr, & maximè dicitur, eſt, quæ neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur* videlicèt ſubſtantia ſingularis, cuius propriè eſt generatio; ex Themiſt. 7. Methap. T. 23. & hoc patet ad ſenſum. Et, quamquàm huiuſmodi ſubſtantiæ non ſint in ſubiecto in ſuo eſſe perfecto; tamèn in eſſe imperfecto ſunt in ſubiecto; quià *qùm ens, & vnum multiplicitèr dicatur, quod verè eſt, actus eſt*; qui actus eſt, per quod res in eſſe perfecto conſtituitur; & materia per ſe, ſeù ſubiectum non eſt hoc aliquid; ſed per huiuſmodi actum fit hoc aliquid, & conſtituitur ſuppoſitum in eſſe perfecto; & hoc manifeſtum eſſe, ait. Ariſt., ex inductione; namquè animalia, & plantæ ſupponunt ſemen tanquàm ſubiectum materiale, quod quidem non permanet, ſed materia eius permanet; hoc eſt, non permanet in eodem eſſe ſeminis; ſed in eſſe plantæ remanet; nàm ſemen nihil aliud eſt in planta, niſi planta minima: vt ad ſenſum patet in nucleo pineo manifeſtius, in quo eſt planta,

quæ deindè augetur per nutritionem, & ſemper ſuppoſita materia ad augmentum neceſsaria.

Fiunt autèm, quæ fiunt ſimpliciter &c. T.63. proſequitur Ariſt. oſtendere in omni generatione requiri ſubiectum: quanquàm expoſitores huius textus intèr ſe differant, communior tamèn, & magis probata ſententia eſt, Ariſtotelem inductione ab artificialibus, quæ magis manifeſta ſunt, patefacere hoc ſubiectum tertium requiri in generatione rerum naturalium; ità enim Themiſtius, & Alexander, & hos ſequuntur plurimi moderniorum. Mos enim Ariſt. fuit naturalia per ea, quæ ab arte ſunt, exponere: ea enim clariora ſunt, & euidentia: & proportionem maximam habent cùm naturalibus; vt enim natura dat eſſe rebus per formam, ità ars per figuram determinat eſſentiam artificialium, vt ſellæ, & ſcamni: &, veluti natura eſt, quæ agit proptèr finem, ità ars; & fortaſsè in arte non niſi natura. Intelligit igitùr, quæ fiunt ſimpliciter: hoc eſt, quæ fiunt abſolutè tàm amplectens, ea, quæ à natura fiunt, de quibus ſupra loqnutus eſt, quàm ea; quæ ab arte, de quibus agit in præſenti textu: Quinque modos in arte aſſignat generationis in artificialibus, in quibus omnibus requiritur ſubiectum: primus transfiguratione, ſecundus appoſitione, tertius ſubtractione, quartus compoſitione, quintus, & vltimus alteratione. Transfiguratio eſt mutatio vltimæ ſpeciei qualitatis, quæ dicitur forma, & figura: & exemplo hoc declarat ſtatuæ, quæ, quùm aliam figuram recipit, dicitur tranſmutari, & hoc præſertìm verificatur in ſtatuis, quæ ex metallis fiunt, in quibus, nihilo addito, aut ſublato, ſola transfiguratione mutari apparet; ita in cereis, quæ ceram, aut metallum ſupponunt tanquàm materiam. Alia autèm ſecundo loco dicuntur fieri per appoſitionem; vt, ſi lapidi; aut ligno à natura dato, aliquid addendo, mutetur in aliud: vt addendo lapidi aliquid, quod narium formam repræſentet, aliud, quod bracchiorum, per hanc oppoſitionem appareat tranſmutare figuram, & vſum. Ità, additis linteis cortici, aſſumit vſum, & figuram ſcyphi in mari. Subtractione frequentiùs fit, vt ſtatua ex lapide fit per ſubtractionem. &, qùm per ſubtractionem, quod remanet, habeatur tanquàm pars; ſed tamèn, quid perfectius: probant nonnulli partem toti præſtare, & toto maiorem eſſe. Quarto dicitur fieri compoſitione, dùm domus conſtruitur ex lapidum, lignorum, & laterum congrua compoſitione; qui modus, ne coincidat cùm ſecundo, qui dicitur fieri per additionem; debemus intelligere, has partes iàm eſſe; ſed inordinatas: ideò deberi in ordinem redigi, nullo eorum facto augumento: in ſecundo autèm modo non debent ſupponi res inordinatæ in ordinem poſitæ; ſed ſuperadditæ ideò non eſt neceſſarium in compoſitione res eſſe debere diuerſæ ſpeciei, quià etiàm ex iiſdem lateribus opere fornicario poteſt per compoſitionem fieri domus. Vltimò dicuntur fieri per alterationem; in quo variæ feruntur ſententiæ, quid intelligat Ariſt. per alterationem; vt, quæ mutantur ſecundùm materiam, & qùm adhùc non benè conſenſiant in huius tranſmutationis intellecta, ne ingenia medicorum in talium quæſtione diſtrahantur, ſubiciam clariùs. Alterari ſecundùm materiam, tanquàm diuerſo modo à ſupradictis, eſt, quandò eadem ſtatua, Mercurius videlicèt, quæ erat ex ære facta, fiat ex argento, vel auro, vel cera; hæc enim ſunt, quæ conuertuntur ſecundùm materiam, nàm forma Mercurii eadem eſt, & ex ratione fit tantùm tranſmutatio ſecundùm materiam. ità non fit mutatio per transfigurationem, quià eſt eadem forma Mercurii: non per appoſitionem, aut detractionem, quia ſupponitur eiuſ-

dem

dem molis, & non compoſitione; & hanc alterationem intelligere videtur Ariſt. ſuperaddendo exemplum eorum, quæ mutantur ſecundùm materiam, & præſertìm, ità eſſe intelligendum Ariſt. ſuadetur; quià, omnes interpræte in hoc conueniunt, hoc loco Ariſtotelem non loqui de generatione ſubſtantiali a natura, vt Themiſtius videtur recipere hanc alterationem; ſed de tranſmutatione arteficiali in hunc finem, vt ex hoc confirmet; omnem tranſmutationem ſimplicitèr, per quam dicitur aliquid fieri ſiuè in arte, ſiuè in natura, ſupponere ſubiectum, & materiam.

Quarè oſtenſum eſt ex dictis T. 64. manifeſtum eſſe, ait Ariſt. ex dictis: omne quod fit, eſſe compoſitum ex materia, & forma; & requiri ſubiectum, ſeù materiam, ad ſenſum patere, demonſtrauit. Verùm, quià ratione diſtinguitur materià, ſeù ſubiectum a forma, & priuatione; & quià alij ſequuntur ſenſum, alij rationem: vndè tanta varietas ſententiarum oritur, declarat luculentiùs, quommodò ordo generationis poſſit diſtingui. Eſt, inquit, aliquid, quod fit; & hoc ſempèr eſt compoſitum, ſed eſt etiàm aliquid, quod hoc fit: hoc eſt determinatum forma; qui enim dicit cælum dicit formam, qui dicit hoc cælum, dicit formam in materia; propterea ſubdit. hoc eſt duplex, aut ſubiectum, aut oppoſitum; dùm enim dicimus. homo hoc fit: hoc eſt fit muſicus, homo eſt aliquid, quod hoc fit: Ac paritèr dùm dicimus immuſicus fit muſicus, eſt aliquid, quod hoc fit, nempè immuſicus fit muſicus, ſic in figuratum ſumit hanc figuram, inordinatum hunc ordinem, deformatum hanc formam, vel dicimus æs fit hoc aliquid, hoc eſt, ſumit hanc figuram Mercurij; lapis ordinatur in hanc domum; aurum formatur in hunc anulum &c. ſic dicitur hoc fieri hoc; lapides enim eatenùs conſtituunt domum, quatenùs ordinantur in domus figuram, & vſum, quem q'm habet, dicitur facta domus. Habere enim ex ſecundo de anima 6. eſt actu continere principium eſſendi, & operandi proprium. Et dicitur materia, & priuatio hoc fieri, quandò hunc habitum internum, ſeù vltimùm (ità enim ſonat *entelechia*) ſeù actum receperit; & dicitur materia, & priuatio hoc fieri, ſignificans indiuiduum; nàm materia, forma, & priuatio, & aliud quodcumque ens habet actualem exiſtentiam, & naturalem in indiuiduo ex cap. De ſubſtantia, & 12. Meth. T. 14. hoc enìm fieri eſt, fieri indiuiduale; forma autèm propriè non fit hoc, ſed per formam materia, & priuatio fit hoc. Et priuatio eatenùs dicitur fieri hoc, quatenùs videtur habere inſeparabile ſuum eſſe cùm ſubiecto, ſeù materia, ità vt pro eodem plurimi habeant, & intèr alios Plato. Sicùt enìm materia nunquàm eſt ſinè forma, ità nequè eſt ſinè priuatione: præſertìm in natura, quæ eſt principium motus, & in qua inuariabilis continuatio ordinis ſempiterni perpetuam generationem ſuſtinet, dùm enìm homo ex ſemine fit, tanquàm ex non homine fit homo: ità ex homine ordinatur ad non hominem: & cùm forma humana includit etiàm, & ſuſtinet priuationem, quam vocant philoſophi recentiores potentiam ad cadauer, quæ eſt priuationis præcedentis quaſi continuatio.

Quæris, quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent *inquit Seneca tragicus*

Diſtinguit Ariſt. *eſt aliquid quod fit*, hoc eſt in eſſe compoſiti ſpecifici, cuius eſſentia permanet, eſt etiàm, quod hoc fit; hoc eſt indiuiduum, quod eſt corruptibile & cùm priuatione implicatum. Ideò diſtinguit Ariſt. eſt, quod fit; & eſt quod hoc fit; quippè eſt quod fit compoſitum ex materia, & forma tantùm ſinè conſideratione adiunctæ priuationis; eſt aliquid, quod hoc fit indiuiduum cor-

corruptibile , & priuationi obnoxium . eſt enim indiuiduum terminus ſubſiſtentiæ, veluti forma eſt terminus exiſtentiæ ſi concedatur exiſtentia a ſubſiſtentia diſtincta.

Manifeſtum igitur T. 65. Concludit in hoc T. ſi rerum naturalium principia, & cauſæ ſunt, de quibus quærere oportet in naturali auditione; manifeſtum eſſe, ait, principia illa, & cauſas eſſe materiam, & formam; & ideò de illis inquirendum eſſe in ſucceſſione ſermonis. *Si ſunt principia , & cauſæ &c.* dictum eſt, quo diſtinguatur principium à cauſa; nempè quià cauſa dicit influxum ad rei generationem, principium verò non: vt aliàs explicatum eſt. Conſiderando tamèn principium, & cauſam in fieri, videtur principium magìs influere, quàm cauſa; & præſertim priuatio, quæ videtur omnimoda cauſa motus ad formam per generationem. ex Ariſt. 1. Cæli cap. 1. namquè *ex defectu oritur, vt fiat tranſitus*; quicquid ſit de generatione completa, & in facto eſſe; in qua priuatio nihil cauſat, neque quò ad eſſentiam, neque quo ad exiſtentiam; ſed potiùs cauſat corruptionem, vt ſuprà animaduertitur. materia enim, & forma neceſſario requiruntur in generatione, tàm in fieri, quàm in facto eſſe; priuatio autèm in facto eſſe, non ſolùm non requiritur; ſed in corruptionem tendit, quæ tamèn neceſſaria eſt ad fæcunditatem, & conſeruandam ſeriem generandarum rerum; quia non poteſt quicquam generari, quin priùs aliquid corrumpatur. In his verò, quæ æterna creduntur, non eſt neceſſaria priuatio; propterea eam non nominat in præſenti textu; ſed tantummodò determinat omnia conſtare ex materia, & forma; & hoc deducit, quia res ex his conſtare dicuntur, in quæ reſoluuntur; ſed omnium rationes reſoluuntur in materiam, & formam, ergò ſunt, & fiunt ex materia, & forma; dicit rationes eorum diſſoluens; quià neque materia ſinè forma, neque forma ſinè materia exiſtit; dicit etiam, *quæ ſunt, & fiunt*; vt per, quæ ſunt, intelligamus ea, quæ non ſunt ſubiecta generationi, & creduntur a nobis æterna; quia æuum eorum non capit coniectura humanæ mentis: per ea verò, quæ ſiunt intelligamus obnoxia generationi, & corruptioni, de quibus loquitur præſertim in naturalibus.

Manifeſtum igitur, quod, quæ fiunt &c. T. 66. Quoniàm in textu præcedenti, aſſignando principia, & cauſas rerum naturalium, Ariſt. nihil loquitur de priuatione, à qua motus omnis procedere dixit 1. de Cælo cap. 1. & motus maximè conſiderabilis eſt in natura, de qua ſermo habetur. Ideò in præſenti declarat quomodò etiàm priuatio ingrediatur numerum principiorum, & quomodò res ex ente fieri dicantur, vel ex non ente. Concipitur itaquè, inquit Philoſophus, aliquod non ens abſolutè tamquàm ens: aliquod verò concipitur verè ens: aliud medio modò ſe habet, & poteſt concipi tanquàm ens, & tanquàm non ens. Abſolutè non entia concipiuntur omnes negationes; quæ ſpecificantur per formas negatas. Abſolutè ens eſt ſola forma, qùm enim ens, & vnum multiplicitèr dicatur, quod verè eſt, actus eſt, ait Ariſt. 2. de anima. cap. 1. ſi quidèm ſoli formæ tribuitur eſſe, quæ ratione ſui ne quidèm priuationem admittit: quandoquidèm oppoſita in eodem ſubiecto manere non poſſunt. Medio modo ſe habent, materia, & priuatio, hac tamèn differentia, quod materia eſt per ſe ens, & per accidens non ens. Priuatio verò eſt per ſe non ens, & eſt ens per accidens: Sola forma eſt per ſe ens, & per ſe principium; quia eodem modo, quo res ſe habent ad id, quo ſunt entia, ità ſe habebunt ad id, quo ſiunt principia. forma eſt per ſe ens abſolutè, quia ea eſt, quæ complet compoſitum, & ſimùl cùm priuatione eſſe nequit. Materia eſt per ſe ens,

&

& non ens per accidens proptèr adiunctam videlicèt priuationem. Per ſe ens: imò, quo eſt per ſe ens, eſt magis per ſe, quàm ſit forma; quia materia eſt per ſe hoc aliquid, & numerabile; quod, licèt competat propriè compoſito, tamèn compoſito competit eſſe hoc aliquid, & numerabile propter materiam, quam ſolam nonnulli arbitrantur eſſe principium indiuiduationis: quoniàm, qui dicit cælum, dicit formam, qui dicit hoc cælum, dicit formam in materia, & forma recedit, materia autèm ſemper manet: & forma, quandò ſubſiſtit, ſubſiſtit per materiam. At materia, licèt non exiſtat ſinè forma, tamèn, quo ad propriam rationem eſt ſinè forma; veluti, licèt æs non ſit ſine aliqua figura, tamèn eſſe æs non habet ab vlla figura, cùm qua ſit compoſitum. itàque magìs habet in matèria ſubſiſtentiam, & indiuiduationem, quàm a forma. Et ex Alberto primo Phiſ. Textu 3. ortus indè eſt error cuiuſdam Alexandri Epicuræi, qui arbitrabatur materiam primam eſſe Deum, qùm eodem modo habeatur eius notitia, ex ſententia Platonis, quæ habetur Dei: nempè per negationem; quemadmodum enim de prima cauſa, inquit Philoponus, nihil poſſumus affirmare, niſi dicendo, eſſe, quod eſt, prætèr corpus, animam, mentem, &, ſi quid ſublimiùs poteſt humana mens coniectura proſequi, his omnibus quid ſupereminens. Ità materia nequè ipſa eſt quicquam ex numeratis entibus; ſed quid aliud his ſubiectum; & ea paritèr videtur omnipotens, quoniam de eius potentia omnia educuntur; immenſa, æterna. Qùm igitùr nequè prima cauſa, nequè primum ſubiectum poſſit mente compræhendi, non mirùm in eum errorem incidiſſe Alexandrum illum Epicuræum. quis enim in obſcuris exiſtens poteſt regem à baiulo diſtinguere, aut ſi vtrumque nudum in luce haberet. Prima cauſa eſt purus actus; materia prima eſt pura potentia. ille eſt ſuprà omnem formam; hæc infra, & ex hoc dicitur non ens per accidens. exaduerſo priuatio eſt per ſe non ens, & eſt ens per accidens. Eſt per ſe non ens, imò de eſſentia ipſius eſt, eſſe non ens. omnis enìm entitas conſtituitur in ſuo eſſe à fine, & finis, proptèr quem priuatio eſt, eſt, vt fiat tranſitus ex Ariſtotile 1. Cæli cap. 1. itaque, quatenùs eſt aliquid, caret hoc fine; ſic per ſe eſt nõ ens, & magis non ens, quàm ſit ipſa negatio: quià negatio ſaltèm ſpecificatur per formam negatam; priuatio verò per formam, cuius eſt priuatio, non poteſt ſpecificari, & ne quidem concipi. Eſt tamèn priuatio ens per accidens, quia eſt cauſa, vt fiat tranſitus, & tribuit materiæ appetitum, quo fertur ad formam, & excitat, ratione finis per eam in naturalibus propoſiti, *energiam*, per quam educitur de potentia materiæ forma, qua priuata eſt.

Determinatur numerus principiorum.

QVa proptèr eſt quidem vt duo &c. T. 67. Qùm oſtendiſſet Ariſt. quomodò forma, materia, & priuatio habeant rationem principij: ex his deducit numerum principiorum: quæ, ſi vno modo recipiuntur, concludit eſſe duo; ſi alio eſſe tria; & inſupèr oſtendit quomodò poſſint dici intèr ſe contraria; & poſſint ſtatui non contraria. Quo ad numerum poſſunt dici duo principiâ, ſi recipitur priuatio per ſe; nàm hoc modo conſiderata priuatio non eſt ens. Itaque, veluti ſe habet ad eſſe abſolutum, ità debet accipi in eſſe principij. Si verò conſideratur

tur priuatio pro vt eſt ens, ſaltèm per accidens, eodem modo recipit rationem principij; & ſic principia hoc modo conſiderata ſunt tria. Sic ſimplicitèr accepta principia ſunt duo tantùm, nempè materia, & forma; recipiendo autèm priuationem, ſunt tria. Itaque vniuerſali propoſitione, & abſoluta principia, nequè poſſunt dici duo, nequè tria; ſed duo, vel tria ſub diuerſa conſideratione, vt dictum eſt. Poſſunt etiàm aliâ ratione numerari principia in fieri, & in facto eſſe. In facto eſſe ſunt duo; nempè materia, & forma, in fieri ſunt tria, etiàm accipiendo propoſitionem vniuerſalem; quià, licèt priuatio ſit per ſe non ens, vt diximus: tamèn tanquàm talis ingreditur rationem principij, & eſt principium in fieri per ſe; nàm ratione finis habet omnimodam entitatem, & eadem ratione, qua eſt ens, habet rationem principij; ſic principia rei, in fieri abſolutè ſunt tria, de cuius rei veritate luculentiùs dicendum ſequitur in metaphiſicis. Pari ratione determinandum, quomodò ſint contraria principia: &, ait, poſſe dici contraria, & poſſe dici non contraria. Dicuntur contraria, & ſuprà probatum eſt, topicè ex communi omnium philoſophantium conſenſu. At, demonſtratiuè ratiocinando, non poſſunt principia eſſe contraria; quia contraria non ſe inuicem compatiuntur, nec poſſunt ſimùl manere, nec etiàm ſub paſſione perfectiua; quià per formam perficitur materia, non priuatio. ſic abſolutè, ea contraria, ſiuè oppoſita nequeunt perſiſtere; nàm adueniente forma, priuatio directa ad eandem formam, recedit. Ità, & adueniente calore, frigus abit, ſaltèm in gradu caloris aduenientis. Quod verò fertur ex primo Cæli T. 20. contraria data eſſe à natura, vt inuicem patiantur, & agant, non remouet, nec probat poſſe inuicèm ſe pati, ſed infert data eſſe à natura pro conſeruando bono fæcunditatis in ea, inuicèm ſe deſtruendo; ità enim oritur ex his contrarijs priuatio, quæ eſt verè principium. Et in hoc animaduertere oportet proponere Ariſt. inductionem contrariorum, & oppoſitorum. oppoſitorum vt ſignificet priuationem, nàm verè forma, & priuatio ſunt oppoſita; non contraria, calidum autèm, & frigidum ſunt contraria; quæ, inuicem ſe deſtruendo, pariunt priuationem, quæ habet rationem principij; itàque caliditas, & frigiditas non ponuntur ab Ariſt. tanquàm contraria principia; ſed tanquàm cauſantia priuationem, quæ eſt verè principium in generatione. Et id clarè poteſt depræhendi ex ſolutione debitationis a ſe propoſitæ. Dùm enim, ait, contraria non poſſe ſe ſe inuicem pati, non ſoluit dicendo paſſionem aliam eſſe perfectiuam, vt aſſignat eam, quæ ſenſu, & intellectione fit; ſed, ait, ſolui dubitationem, aſſignando ſubiectum vtriuſque contrarij tanquàm tertium principium. Ità benè ab Ariſt. tollitur dubitatio, & intelligitur, quid ſibi velit, dùm ait, contraria ſe inuicèm non pati; non enìm controuertit, contraria inuicem pati, & agere, quod certiſſimum ſupponit: ſed, ait, non ſe inuicem pati, hoc eſt non ſe inuicem recipere, ità, vt vna contrarietas poſſit eſſe ſubiectum alterius contrarietatis. Sed, ponendo ſubiectum, tanquàm tertium principium, ſequitur poſſe in eodem ſubiecto eſſe: nàm, licèt ſint intèr ſe contraria, hoc ſubiectum non erit vlli ex contrarijs contrarium; & hac ratione poterit vtrumque ſuſcipere, & aduentu formæ eorum contrarietatem moderare; a forma enìm tribuitur actio ambobus contrarijs: ſecundùm exigentiam formæ aduenientis, per quam etiam ea, quæ calidiſſima ſunt, refrigerandi *energiam* recipiunt. vt clariùs manifeſtabitur, dùm de re medica magis ex profeſſo ſermo inſtituetur, & de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & nutrimento-

torum loquemur .

Quot igitur principia ſunt &c. T. 68. ſatis eſſe vſquè adhùc agitatum ſenſum penè omnium philoſophantium pro decernendo numero principiorum rerum generabilium concludit Ariſt. ſtatutum enìm eſt eſſe tria ; & , quoniàm non abſolutè tria eſſe viderentur , declaratum eſt, quomodò tot , hoc eſt , vel tria , vel duo ſint ſtatuenda ; tria videlicèt , quià tertium principium neceſsè fuit addere pro ſuſcipiendis contrarijs , quæ duo eſſe ſtatutum eſt ; quod tamèn non neceſſario concludendum eſſe affirmat ; videlicèt contraria concurrere ambo in generatione , quià vnum ex dictis contrariis poteſt ſufficere vnà cum materia ad rerum generationem , ad quam poteſt concurrere , mutationem parando vel præſentia , vel abſentia. Duo ſunt principia , ſi ſecundùm exiſtentiam numerantur ; tria , ſi ſecundùm rationem . Sufficiens enìm eſſe , ait, vnum contrariorum varia ratione conſideratum ; quod tàm de forma , quàm de priuatione videtur intelligere ; formam enìm ſui præſentia ; inquiunt interpretes , conferre ad generationem , & ſui abſentia ad corruptionem ; ex aduerſo priuationem ſui præſentia operari ad corruptionem , ſui abſentia ad generationem ; quod ſecundùm rationem poteſt hoc modo accipi ; at ſecundùm aliam conſiderationem poſſumus aduerſa ratiocinatione diſcurrere ; dicendo formam ſui præſentia eſſe principium corruptionis , & ſui abſentia eſſe principium generationis . Priuationem verò ſui præſentia eſſe principium generationis, & ſui abſentia principium corruptionis . *Ex defectu enìm oritur , vt fiat tranſitus* , ait Ariſt. primo Cæli cap. 1. Ideò forma per ſui præſentiam , qùm ſit generabilis , & corruptibilis ,vltrò generabilis non eſt ; qùm præſente forma fuerit completum ſuppoſitum : remanet tamen corruptibilis : ideò hoc modo conſiderata forma per ſui præſentiam eſt principium corruptionis , ſui verò abſentia eſt principium generationis , quià tunc eſt generabilis , & non adhuc corruptibilis , qualis eſt in ſuo eſſe perfecto , veluti apud medicos *habitus athletarum, qùm ad ſummum bonitatis deuenerit , periculoſus ; in eodem enim conſiſtere nequit* , quod eſt de ratione generabilis ſuppoſiti , & corruptibilis ; ex defectu enìm tendit ad generationem , ſic ſui abſentia eſt principium generationis , intelligendo ſempèr in fieri , prout ſempèr loquitur Ariſt. Priuatio exaduerſo ſui præſentia concurrit ad generationem ob eandem rationem ; quià *ex defectu oritur , vt fiat tranſitus* ; at per ſui abſentiam concurrit ad corruptionem , quia non remouetur priuatio formæ , niſi per formæ aduentum , quam , diximus , eſſe generabilem , & corruptibilem ; poſt quàm priuatio receſſerit , corruptibilem , ea verò præſente , generabilem : Introducenda enìm eſt priuatio , vt generatio ſequatur. proptereà ait Hip. *bonum habitum ſoluere oportere , vt rursùs corpus renutriri incipiat* : ſoluere autem bonum habitum non eſt , niſi inducere priuationem partis nutriendæ . In quo ſecundo diſcurſu animaduertendum , aliud eſſe , eſſe cauſam , & principium rei ; aliud principium , & cauſam generationis eiuſdem . A Themiſtio definitur forma , per quam res 7. Meth. 7. itàque : veluti ſui præſentia forma eſt cauſa rei , ità per abſentiam eſt cauſa generationis eiuſdem ob adductas rationes ; & in hoc etiam ſecundo ſenſu debemus , aut poſſumus intelligere per ſe . Non enìm forma , vt nonnulli moderniores contendunt , eſt cauſa generationis per ſe , & corruptionis per accidens ; priuatio verò cauſa , & principium generationis per accidens , corruptionis verò per ſe . namquè alia ratione diſcurrendum in inuariabili continuatione ordinis ſempi-

terni, qua generatio, & corruptio intenditur, & ſubſtinetur tanquàm bonum fœcunditatis. Itaque ſi materia, & priuatio ſumantur, quatenùs ſunt vnum ſubiecto, principia ad generationem conducentia erunt duo: videlicèt, materia, & forma; &, ſi priuatio ſecundùm rationem conſideretur, & recipiatur, vt quid diſtinctum ſpecie à materia, principia erunt tria.

De materia prima.

S*Vbiecta autèm natura &c.* T.69. qùm vſque adhuc Ariſt. decreuiſſet principia rerum naturalium eſse duo; eſse tria; eſse contraria; & non eſse contraria; præſertìm qùm ex omnium conſenſu, & auditione vniuerſali contraria ſtatuerentur: reddit rationem in præſenti ambiguæ huius determinationis, & eam procedere, aſserit, ex humanæ mentis caligine, quæ non poteſt capere hoc tertium principium, quod dicitur ſubijci contrarijs: niſi per ſimilitudinem. Ideò quidèm non appellat hoc loco materiam; ſed ſubiectam naturam; quasi dicat id, quod ſubijci contrarijs dicitur, quicquid ſit, non poteſt cognoſci, niſi per ſimilitudinem, & ea etiam, quæ fiat per ablationem; quod videlicèt hæc ſubiecta natura non ſit hoc, neque hoc aliquid, ſed tertium quoddam ens, de quo ſciamus eſse, quid ſit autèm neſciamus. Et Gal. de optima ſecta, ait, omnia præcepta in primis vera eſse debere: ſecundò vtilia: tertiò iactis principijs conſentientia. Quomodò igitùr ea, quæ narranda ſunt, & probanda poterunt certo argumento ſtabiliri, ſi de principijs adeò incerta habeatur determinatio? &, replicat cap. 2. abſtractarum rerum ſicùt plures ſunt differentiæ, ità, & diuerſa iudicandi inſtrumenta; & intèr vtilia numerat cap. 2. tranſitum ad ſimile, quod hoc loco vocat Ariſt. analogiam. Quid ſit autem ſcire ſecundùm ſimilitudinem, habetur ex 2. Rhet. cap. 24. vbi agit de exemplo, quo mira vis habetur ad agendum: ità, & ſimilitudo a ſenſatis ad intelligendum. Difficultas autèm conſiſtit in applicanda ſimilitudine. Vt in hac ſimilitudine, quam refert Ariſt. oſtendendo, quid ſit materia. Sicuti enim ſe habet æs ad ſtatuam, aut lignum ad lectum, & cuiuſcumque rei, quæ habeat formam in aliqua materia, vt figura in cera, aut lapide, & quicquid ſit forma habenda. Ità ſe habet hæc natura ſubiecta, quæ dicitur materia, ad omne ſuppoſitum, & indiuiduum, quod dicitur hoc aliquid, & quod eſt. Benè enim, attenta hac compoſitione data ab Ariſt. ſi rectè applicaretur ſimilitudo, quis ambigeret, & adeò inextricabili quæſtione contenderet; an materia ſit hoc aliquid: & an habeat actum entitatiuum? Nàm, ſi ſe habet, vt æs ad ſtatuam, & infiguratum ad figuratum; nulli videtur dubitandum, æs, & lignum, & lapides habere proprium actum diuerſum à figura, quam ſuſcipiant. Alterum eſt enim eſſe infigurato, & æri ex Ariſt. ſupra T. 67. ſic veluti æs habet diuerſum eſſe a figura, ſic materia à forma, quam ſuſcipit. Nec propterea inferatur: veluti figura eſt accidens, ità formas eſſe ſtatuendas accidentia; vt nonnulli ex philoſophis arbitrabantur, vt refert Ariſt. Nàm ſimilitudo eſt ab artificioſis ad naturalia, quæ ſunt artificialium principia ex Ariſt. 2. de anima. cap. 1. Ideò id ipſum, quod in artificiali eſt accidens, quod à natura producitur ad eius ſimilitudinem, eſt ſubſtantia; eo enim perfectiori modo producit natura, quò magis proxima eſt primo enti,

&

& magis de eius virtute participat. Definitio igitùr naturæ ſubiectæ dicitur ſcibilis per ſimilitudinem, alterius notioris: & vocat Ariſt. naturam ſubiectam non, quod non habeat proprium actum, vt habet æs, & cæra: ſed; quià eius natura non percipitur, niſi ſubiecta; veluti, nequè etiàm cæra, aut metallum inuenitur, aut ad ſenſum patet ſinè aliqua figura, aut ab arte inducta, aut emanante. Themiſtius non ſolùm ſimilitudine dignoſci, ſed addit, & relatione; quam relationem habet materia non ſolùm ad formas in vniuerſum quaſcumque; ſed per ſuperuenientes diſpoſitiones etiàm adhoc aliquid. Definitur enim materia per ſua relatiua, nempè formam, & compoſitum. Ex tertio de anima T.30. & 37. Cogitatiuæ animæ phantaſmata, vt ſenſibilia ſunt &c. quapropter nunquàm ſinè phantaſmate intelligit anima &c. & T. 37. aut ſunt ſenſibilia, ea, quæ ſunt, aut intelligibilia, ſed intelligibile non poteſt repræſentari ſinè ſenſibili phantaſmate; quod, qùm non poſſit repræſentare materia in ſuo eſſe extrà compoſitum, neceſſarium per ſimilitudinem ſenſibilium repreſentari. Non enim actu caret materia ex ſe, ſed actus illius non poteſt ſenſibus repræſentari, & conſequentèr, nequè intellectui. Vndè inferunt nonnulli formam eſſe principium indiuiduationis, quià indiuiduum, & hoc aliquid videtur determinari à forma: qùm materia ſit indifferens ad quamcumque formam; tamèn hic error procedit, quia omnia accidentia indiuiduantia ſequuntur hoc aliquid, quod ſuum eſſe ſpecificatiuum recipit à forma, loquendo in natura. At per ſimilitudinem datam in hoc textu ab Ariſt. non infertur ex hoc, non habere eandem naturam actum ſuum proprium, vt habet æs, & céra, in ſenſu manifeſtis. Qui negant materiam habere actum ſaltèm entitatiuum, etiam probè loquntur; quià non poteſt aſſignari vlla ſenſibilis differentia, per quam diſtingui poſſit, & actuari. habere tamèn non videtur negandum, nec poſſe quidèm negari; & puram potentiam non concipimus, niſi per conceptum illius actus, & in ordine ad formas, per quas manifeſtatur, & quibus ſubijcitur, vt cæra, & æs. Hoc autem quod ſequuturum, aiunt, impoſſibile ex his, videlicèt, quòd generatio ſubſtantialis eſſet alteratio, & formæ ſubſtantiales eſſent accidentia, corruit ex ſimilitudine data ab Ariſt. in præſenti textu; quià nos per huiuſmodi ſimilitudinem poſſumus ad ſenſum Ariſt. inferre, nullum ſequi impoſſibile; quià, veluti formæ accidentales ſequuntur æs, & cæram in eſſe artificiali, & fortuito. Ità in eſſe naturali ſequuntur formæ ſubſtantiales materiam, quæ eſt id, per quod ſubſtantialia formam habent ſubſtantialem, & conſtituunt hoc aliquid per eam. ſic ſequitur ſimilitudo formarum, non identitas intèr eas, quæ ſpecificant hanc materiam, & quæ diſtingunt ſuppoſitum accidentalitèr. Inductione enim facta ad ſenſum, educi ex potentia huius ſubiecti, quod dicitur materia, formas quaſdam, quibus per generationem ſuppoſitum conſtituitur in eſſe naturali; & quibus remotis corrumpitur, & per has formas eductas à potentia materiæ conſtitui ſuppoſitum, & hoc aliquid; non tamèn indè ſequitur, quin ad illius naturæ imitationem, & ſimilitudinem ſequantur hoc ſuppoſitum ſubſtantiale, & emanent ab eo formæ, quæ dicuntur accidentales; quià poſſunt accedere, & recedere abſquè illius ſubiecti corruptione, veluti accedit, & recedit figura Mercurii abſquè eo quod æs tranſmutetur a ſuo eſſe ſubſtantiali. Tamèn, quià, veluti non datur cæra ſine vlla figura; ità non datur materia ſine forma ſubſtantiali; &, quia ens, & vnum multiplicitèr dicitur, quod verè eſt

R 2 ens,

ens, actus eſt: ideò opinabilitèr plurimi philoſophantes putabant, materiam abſque forma ſubſtantiali eſſe purum nihil; ſic potentiam ſtatuunt. Sic nullus error ſequitur, nequè apùd antiquos, qui dicebant non dari rerum generationem; ſed alterari; nequè apud modernos, qui ſtatuunt hanc ſubiectam materiam puram potentiam, aut qui illi tribuunt actum entitatiuum. nàm res, vt ſe habent ad eſſe, ità, & ad cognitionem; ſed ſubiecta natura ex Ariſt. in hoc textu eſt cognoſcibilis tantùm per analogiam: ideò non poteſt ſtatui illius tranſmutatio; *niſi* ſecundùm analogiam ad formas artificiales, quæ per alterationem emergunt in ſuppoſito. Ità ad earum ſimilitudinem veteres appellabant tranſmutationem ſubſtantialem alterationem. Ità apud modernos, qui concipiunt hanc ſubiectam materiam prout eſt, quià nuſquàm èſt ſinè forma aliqua ſubſtantiali, & duæ formæ ſubſtantiales in eodem ſubiecto per inductionem probari non poſſunt, aſſerunt eam eſſe puram potentiam, & omnem actum illi adimunt in ſui natura. Qui verò hanc analogiam ab Ariſt. propoſitam in hoc textu acutiùs contemplantur: veluti agnoſcunt in ære, & in cæra proprium actum abſquè figura, ſic actum ipſi materiæ ad horum ſimilitudinem tribuunt; omnis enìm diſcordia philoſophantium, inquit Ariſt. procedit, quià alij priora, alij poſteriora recipiunt, alij ſecundùm ſenſum, alij nota ſecundùm rationem. Et fortaſsè Ariſt. accuratiſſimus in ſcribendo, qui non ſolùm doctrina, ſed etiam eloquentia mirabilis dicitur a Cicerone, non abſolutè materiam deprehendi per analogiam, ſed ſubiectam naturam, intelligendo ſuppoſitum, ex ea forma ſubſtantiali, quod ſubeſt accidentalibus. forma enim, vt materia, dicitur natura; imò magis natura, quàm materia, cuius differentiæ eam vltimo conſtituentes latent; ideò nequè etiàm forma cognoſci poteſt, niſi per ſimilitudinem; diſtinguimus enim æs a cera, & lapide per accidentia non per aliquid cognitum ſubſtantiale, & intèr accidentia in ſpecie qualitatis ponitur forma, & figura, & de principio ſecundùm formam, ait in fine huius libri, diligentiùs diſſerendum eſſe in metaphiſicis: cauſas verò harum diuerſarum opinionum prodit in ſequenti huius libri ſermone.

Hæc autem quomodò duo, & quomodò plura &c. Text. 70. colligit in hoc textu Ariſt. quid huc vſquè videatur deciſum, & demonſtratum circà numerum, & contrarietatem principiorum; vt, quod videatur concluſum, non ampliùs reuocetur in dubium, & tanquàm acceptum ex naturali traditione firmetur; & ad alia, quæ minùs conſpicua ſunt, animus conuertatur. Probatum eſſe, ait, & concluſum, qua ratione principia ſint duo, nempè duo in fieri priuatio, & materia; duo in facto aſſe forma, & materia. Sancitum quoquè eſſe, aſſerit, principia eſſe contraria: nempè priuatio, & forma, atquè hoc etiam modo eſſe duo; ſed oſtenſum eſt etiàm, non poſſe contraria inuicem ſuſtineri; ideò neceſſarium eſſe, accedere ſubiectum, quod nulli ex his ſit contrarium; & vtrumque ſuſtineat: in fieri priuationem, & in facto eſſe formam; in fieri materiam non differre à priuatione, & vnum ambo conſtituere: ratione tamèn diſtingui, & fieri plura, ſi enim ſubiicitur contrariis, quæ duo ſunt, ſubiectum diuerſum ratione ab illis, tria conſtituuntur principia. Id, quod indeciſum eſſe affirmat, eſt; an ſubſtantia ſit ſubiectum, hoc eſt materia, an forma. De qua re ſupereſſe dubitationem, refert, & nondùm eſſe deciſum; nàm nequè forma ſinè materia, nequè materia ſine forma videtur poſſe ſubſiſtere; ſic inuicem referuntur,

&

& totum eſſe cuiuſcumque videtur eſſe, ad aliud referri. Ideò materia, & forma videntur relatiua, nec ponenda in genere ſubſtantiæ. Vbi nàm de hac re decidendum ſit, non explicat. Auerrhoes de his decernere, ait, pertinere ad Metaphiſicum, & eò differri deciſionem; ſed alii animaduertunt Ariſt. proferre de hac re nondùm clari adhuc aliquid haberi: ideò, inferunt, & rationabilitèr, differre in hanc eandem tractationem de natura, quod facit in libris ſequentibus, ex præteritis tantùm patere, quot ſint, & quæ principia rerum naturalium: nequè de his ampliùs eſſe differendum, & contrà negantes non eſſe diſputandum.

CAP. VIII.

Q*Vòd autèm vnico modo ſic ſoluitur &c.* T.71. Ex his, quæ relata & ſtabilita ſunt, oſtendit remoueri omnes difficultates, quæ in naturali auditione poſſent occurrere ex placitis antiquorum, & eorum rationibus adductis. Primum, quod ex auditione recipiebatur, erat, non dari generationem rerum naturalium: & erat eorum ratiocinatio non improbabilis hoc modo dicentium. Id, quod fit, vel fit ex ente, vel ex non ente. Si fit ex ente, ergò non fit; quià, quod iàm eſt, non dicitur fieri. Si fiat ex non ente, ſequitur, oppugnari omnium opinionem, qua dicitur communi conſenſu, ex nihilo nihil fieri. Vndè inferebant hanc rerum varietatem, quæ inductione patet, eſſe mutationem accidentalem, per quam vnicum ab illis aſsignatum principium tranſmutaretur varijs modis, dùm frigore, aut calore denſaretur, aut rarefieret, & vacuum, aut plenum fieret, magnum, & paruum, conſentaneum per amicitiam, aut diſsentiens per inimicitiam. Vndè verè hoc vnum ab illis ſtatutum principium, licèt imperitis videretur differre ſecundùm ſubſtantiam, non differret niſi accidentalitèr. Hanc opinionem reducit ad veram rationem proponendo, vt facit Ariſt. duo principia contraria, & medium ſubiectum, in quo huiuſmodi tranſmutationes reciperentur. Sic corruit eorum argumentum; nàm, dùm petunt, an res fiant ex ente, vel ex non ente, reſpondetur, fieri ex ente, nempè ex materia. ad id, quod inferebant, ergò erant, antequàm fierent, reſpondetur erat ſubiectum, ſed non erat ſuppoſitum, quod conſtituitur in eſſe per formam; nàm materia, quæ præerat, non erat hoc aliquid; ſed per formam perficitur, & fit hoc aliquid, & id eſt, quod verè eſt. Ad id verò, quod inferebant, indè ſequi, eam eſſe tranſmutationem accidentalem; quià materia eſt ſubſtantia, ſed non eſt hoc aliquid, hoc eſt ſubſtantia indiuidua, & talis conſtituitur per hanc numero formam, & fit magis ſubſtantia, quàm antè erat; & id non ſequitur per tranſmutationem accidentalem, nequè ratione ſubiecti, nequè ratione formæ; non ratione ſubiecti, quià hoc eſt incorruptibile, & æternum, & non comparabile cùm ſubiecto corruptibili, quod eſt receptiuum accidentium. imò etiàm ſpecies ſunt æternæ, vndè ex duobus æternis conſtituitur vnum corruptibile quidèm, ſed ſubſtantiale, cui competit actio; quanquàm enim albedo ſit viſibilis, tamèn non videtur, niſi album, & ſic albedo in concreto, quæ abit, & redit prætèr ſubiecti corruptionem, & ex hoc conſtituitur in eſſe accidentis, & differt hæc tranſmutatio à tranſmutatione accidentali, quam fieri diximus in ſup-

ſuppoſito, quod nullam habet ſubſiſtentiam, niſi per materiam, & totum eſſe materiæ videtur eſſe, & referri ad formam: non tamèn accidentali relatione, ità vt non ſit ſubſtantia formæ, niſi in hac materia, nec ea materia exerceat munus ſubſtantiæ, niſi ſub hac forma; quæ conſtituit ſubſtantiam numericam; quod præſtare non poſſunt accidentia. coruus enìm etiàm albus eſſe poteſt, aut ſaltèm per rationem albus recipi poteſt; nigredo autèm ſinè forma corui, non conſtituit, niſi vt lapideum, aut depictum. Hæc autèm habent rationem, ſeù definitionem accidentis, quià ſuperueniunt enti completo, & in eo ſubiectantur: at formæ ſubſtantiales ſuperueniunt enti incompleto, & illud perficiunt; & vnà cum illo conſtituunt completum; ſic generatio tendit ad formam, non ad accidens; & ex eo non eſt alteratio. ex quo inferebant antiqui, vt refert Ariſt., non eſſe hanc rerum varietatem, de qua naturales quærunt, & ſic non dari generationem ſubſtantialem. Quam illationem fieri ab antiquis, ait, T. 72. quià, vno abſurdo dato, multa ſequuntur; quod conſequentèr accedit ex errore in errorem ruentibus ex eo, quòd arbitrarentur, materiam aut eſſe nihil, aut eſſe ens abſolutum, & completum. Vt eſt hoc aliquid inferebant, non dari generationem. Quam opinionem euertere conatur T. 73. Ariſt. oſtendendo, nullum ſequi inconueniens dicere aliquid fieri ex non ente, aut ex ente; nàm res, quæ fit, poteſt fieri ex non ente, hoc eſt ex tali non ente; & non propterea dicitur fieri ex nihilo. Ità poteſt fieri ex ente, & non indè ſequitur fuiſſe, antequàm fieret, quià fieri poteſt ex ente tali, quod non ſit hoc, quod ſubinde generatur, qua ratione corruit antiquorum argumentum. Et id clarius oſtendit T. 74. dicendo; id, quod eſt, &, quod non eſt, duplici ratione poteſt accipi; id enim, ex quo quod fit, ſatis eſt, vt non ſit id, quod fit: nè dicatur fieri, id quod priùs erat. ſupponitur enim iàm eſſe, ſed non eſſe id, quod fit; ſic non ſit ex nihilo, quià fit ex eo, quod priùs erat; & non fit ex eo, quod ſit anteà: quia, quamuis eſset, non erat id, quod fit. Et ad hanc veritatem magis explicandam, vtitur exemplo. Sumatur, inquit, eſse aliquem medicum, & ſupponatur hunc medicum ædificare; &, dùm ædificat, ſub ſolis radijs denigrari; hic, dùm ædificat, non ædificat tanquàm medicus, nec ſub ratione medici denigratur; ſed ædificat tanquàm habens peritiam ædificandi, non tanquàm habens peritiam medendi; ità denigratur non tanquam medicus, quià non eſt de ratione artis medicæ eſse album, aut nigrum; & poterant Auicennas, & Auerrhoes nigri, & quasì æthiopes mederi; veluti Hippocrates, & Galenus albi; atquè ità ædificat vt ædificator, & dicitur denigrari tanquàm albus. Ità euenit, vt, quod fit, fiat ex ente, ſed ente alterius rationis; & propterea, dùm ex ſemine fit homo, non fit ex nihilo, quià ſemen eſt ens, & acceſſione nouæ materiæ augetur. non debemus tamen dicere eſse antè, quàm fieret, quià ſemen non erat homo, licèt eſset ens, & ſubſtantia, quæ acceſſione alterius ſubſtantiæ augeretur in hominem perfectum; ſic dicitur fieri, & generari homo ex eo, quod eſt, ſed non quatenùs homo eſt, & ſimilitèr cætera cuncta, quæ ſubſiſtunt, fiunt ex materia, tanquàm ſubſtantia ex ſubſtantia; ſed non ex materia, quæ ſit id, quod fit. nec propterea ſequitur eam tranſmutationem eſse alterationem, & non generationem. & formas genitas eſse accidentia, & non ſubſtantias; quià accidentia ſunt, quæ adueniunt enti completo, & materia prima eſt ens incompletum, & completur à forma ſubſtantiali, per quam materia fit hoc aliquid, & completa ſubſtantia. Et ſub-

ſubdit Ariſt. veteres philoſophantes lapſos eſse in eam ſententiam ob incapacitatem huius diſtinctæ rationis, quæ eſt intèr materiam primam, & entia completa, & intèr formas ſubſtantiales, & accidentales, & opinantes idèm eſse aliquid euenire, & ſuperaddi enti completo, & incompleto, aberrauerunt eò vſquè, vt adimerent omnem generationem.

Nos autèm, & ipſi dicimus &c. T. 75. qùm peripatetici ſit ea, quæ ab omnibus referuntur benè audire, & recipere cùm modo, replicat Ariſt. Nos quoque conuenire cùm eorum ſententia, & recipere, nihil fieri ſimplicitèr ex eo, quod non eſt; ſed ſuperaddimus fieri ex eo quod non eſt per accidens, non ex eo, quod non eſt abſolutè, & per ſe; fiunt enìm ex materia & hoc à nobis ſuppoſito, & probato ſubiecto; quod non eſt abſolutè non ens, ſed eſt hoc non ens, quod generandum eſt, & dicitur non ens proptèr annexam priuationem eius entis, quod generandum eſt, dicitur etiam ens actu loquendo de ſubſtantia completa, quià materia præcedens quancunque, & cuiuſcumque rei generationem non erat nuda, nec ſine forma. atque ità erat ens actu materia, ex qua fit, quod fit, & generatur, quod generatur; tamen ille actus, quem materia præcedens habebat, reſpectu generationis ſequendæ, erat per accidens. veluti enim medicus ædificat, non vt medicus, & illi accidit eſſe medicum, dùm ædificat, & quatenùs ædificat; ità materia actum, quo erat prædita, habebat per accidens in ordine ad generationem ſequendam, per quam fit, quod fit, ex materia tanquàm non ente reſpectu priuationis, quam habet annexam eius formæ, quæ introducitur. ſic non fit abſolutè ex eo, quod non eſt, quod fit, vt dici poſſit fieri abſolutè ex nihilo; fit tamèn ex non ente vt dictum eſt, vt eſt neceſſarium in materia. in qua Dei omnipotentia adeò omnia impleuit, quæ fieri poterant, vt, niſi detur alicuius priuatio, non valeat ampliùs omnipotentiæ vires oſtendere per fæcunditatem, quam ſequitur generatio; & ex priuatione tanquàm *ex defectu oritur, vt fiat tranſitus* ex 1. Cæli cap. 1. ſic euertitur, ſeù potiùs conuertitur eorum opinio ad peripateticam doctrinam, vt benè audiatur, quid ſit generatio, & quomodò in ea confirmetur ex nihilo nihil fieri; nec tamèn fieri quodlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato. In quo argumento antiquorum diſſoluendo, multis modis vtitur Ariſt. proptèr difficilem captum huius a ſe allatæ diſtinctionis. ideò ſuperaddit hoc mirabile eſſe, & videri contrà omnium ſententiam, & extra peripateticam doctrinam aliquid fieri ex nihilo. Quam difficultatem terrorem animi, & tenebras dixit Lucretius

Hunc igitùr terrorem animi tenebraſque neceſsè eſt.
Non radii ſolis, nequè lucida tela diei
Diſcutiant, ſed Naturæ ſpecies, ratioque.
Principium hinc, cuius nobis exordia ſumet.
Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vnquam.
Quippè ità formido mortales concitat omnes.
Quod multa in terris fieri, cæloque tuemur;
Quorum operum cauſas nulla ratione videri
Poſſunt, ac fieri diuino numine rentur.

Et hoc eſt, quod mirabile vocat Ariſt.

Similitèr autèm neque ex eo, quod eſt &c. T. 76. declarato ſermone, quo res non fieri ex nihilo poſſimus defendere, & in hac parte benè audire ſententiam antiquorum; conuertitur ad eximendam alteram partem difficultatis, qua remouebant generationem, ſi res fierent ex eo, quod eſt:

nàm,

nàm, ſi remanet id, quod erat, illa transmutatio eſſet dicenda alteratio; & non generatio; *generatio enim eſt mutatio totius in totum*; ſi ergò remanet pars eius, ex quo aliquid generatur, non erit mutatio totius in totum: ſic nequè poterit dici generatio. ſimili argumento, & diſcurſu reduci ad verum ſenſum eam opinionem ait Ariſt. T. 86. Audiendam enim, fatetur, eorum antiquorum ſententiam: nihil fieri ex eo, quod eſt, ſed ſuperaddendum in generatione fieri res ex eo, quod eſt ſecundùm accidens. & affert exemplum. fiat e. g. ex animali aliquod animal, aut genericè animal: non fit animal tanquàm ex animali, ſed tanquàm ex ſubſtantia corporea, cui accideret eſſe animal, fit igitur in ea generatione animal, hoc eſt ratio animalis; ſed ſubſtantia corporea permanet, & non fit; &, ſi fit animal, eius dicitur vera generatio; quià animalis corrupti ſecundùm rationem in ea ſubſtantia corporea nihil remanet ſenſibile in animali genito, & hoc eſt de ratione veræ generationis, & completæ. Et clariùs etiam oſtendit ex hypoteſi ſi ex quodam animali fiat aliquod animal, vt ſi ex equo fiat canis; generatio ſubſtantialis eſt in ratione canis, qui generatur ex equo tanquàm ex non cane: & in hac paritèr transmutatione nihil remanet rationis equi in cane genito, animal tamèn permanet: nec propterea dicitur alteratio, quià equi fit transmutatio ſubſtantialis, & ratio animalis, quæ remanet in cane, ſi habet aliquod ſenſibile, non remanet vt ſubiecto eodem, quod erat de ratione generationis ſubſtantialis. res enim generanda ex nuda materia, & forma dicitur componi; vndè ſequitur, fuiſſe per accidens eam materiam informatam alia forma, Et concludit Tex. 57. ſe declaraſſe, quomodò benè audiantur ſententiæ antiquorum, quandò aſſerunt id, quod fit, fieri ex ente, vel ex non ente, quæ opinio ex parte recipienda, & parte declaranda erat.

Vnus igitur modus hic eſt &c. T. 78. Quoniàm ex præcedentibus poterat dubitari: ſi, quod fit, fit ex ente per accidens, quod videlicèt contigerit eſſe tale: ne ex eo deduceretur, poſſe quodlibet fieri ex quolibet, & non determinatum ex determinato, vt anteà probatum eſt. prætèr dictum modum benè audiendi antiquorum ſententias, aliam refert, nempè ens aliud eſſe actu, aliud poteſtate. fiunt igitur ea, quæ fiunt ex non ente actu ſecundùm ſuperius enarratam acceptionem; quod tamèn ſit ens potentia. ità non fit quodlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato, & non fit ex eo, quod non eſſet, nequè ex nihilo.

Quas ob res, vbì viderimus nil
poſſe creari.
Ex nihilo, Tùm, quod ſequitur,
iam rectius indè
Perſpiciemus, & vndè queat res
quæque creari;
Et quo quæque modo fiunt opera ſinè diuum.
Nàm, ſi de nihilo fierent ex omnibus rebus.
Omne genus naſci poſſet, nil ſemine egeret.
E' mare primùm homines a terrà
poſſet oriri
Squamigerum genus, & volucres, erumpere Cælo
Armenta &c.

Idem benè explicat Ariſt. 5. phiſ. T. 81. vbì refert difficillimum eſſe captu, quomodò, quæ fiunt, fiant ex ente, vel ex non ente, quam difficultatem Lucretius vocat formidinem, Themiſtius imperitiam, Ariſt. infirmitatem. Veluti enim infirmi nutant progredientes, ità humana ingenia in his mente concipiendis, quæ in caligine, & extrà ſenſus iura ſunt. propterea ſoluere omnem difficultatem retur Ariſt. diſtinguendo actum a potentia. Vt quod generatur, generetur ex ente in potentia, non ex en-

ente in actu: ne diceretur exiſtere ente quàm fieret.

CAP. IX.

T*Angentes autèm, & alij quidam fuerunt &c.* T. 79. Sequitur Ariſt. oſtendere ex declarata natura materiæ quomodò ſit ens per ſe, & non ens per accidens; quomodò non ſit ens actu, ſed ſit ens potentia; remoueri omnem dubitationem antiquorum, & benè audiri in naturali philoſophia eorum opiniones. Et hanc materiæ naturam, inquit, nonnulli ex antiquis videntur concepiſſe, & aliquo pacto proponere: tamèn non ſufficienter explicaſſe. Videntur enim aliqua ratione concipere, quià faterentur ſimplicitèr fieri aliquid ex eo, quod non eſt; quod non poterant concipere, niſi ex accidenti: quià iàm omnibus acceptum eſt axioma ex nihilo abſolutè nihil fieri; &, quià, aſſerit, in hoc benè ſenſiſſe Parmenidem ſe arbitrari. & Parmenides vnum eſſe omnium rerum principium, & illud immobile poſuit: qùm hoc principium, credant, intelligere materiam cùm priuatione: non diſtinguentes tamèn vnam ab altera. Tribuunt autèm hanc opinionem Platoni, benè ſentiſſe de Parmenide. Verùm opinio Platonis clariùs infra T. 80. deſignatur, & diſtinguitur ab hoc, dùm, ait Ariſt. Quidam verò, quod non eſt, magnum, & paruum ſimilitèr, aut ſimùl vtrumque, aut ſcorsìm vtrumque. Manifeſtè enim diſtingnit hanc opinionem a ſuperiùs poſita: dùm, ait. *Quidam autèm*, diſiunctiuè, qua ratione aſſignaſſe quoque Platonem, oſtendit, hanc tertiam ſubiectam naturam, quam nomine magni, & parui recenſet. Intelligendo, vel magnum, vel paruum ſcorsìm, vel vtrumque ſimul. Sed hunc modum trinitatis diuerſum eſſe, ait, à ſuperiori: in hoc tantùm conueniendo, quo ſupponunt debere generationi aliquid ſtatui pro ſubiecto. Et hoc ſubiectum vnum conſtituunt, nempè materiam, licèt alio nomine deſignent. Nàm etiam, qui dualitatem ſtatuunt pro ſubiecto, quam nomine magni, & parui intelligit Plato, non ſecùs vnam ſubiectam naturam ſtatuit. Nàm vbi magnum, & paruum, ſeù exceſſus, & defectus eſt, ſeù dualitas, ad vnam ſymmetriam debet res in generatione redigi ità, vt res neque magna, neque parua debeat dici: neque excedens, neque deficiens; ſed ſecundùm naturæ exigentiam. Si itaque quod debet in ſymmetriam reduci, ſit magnum, aut excedens; debet id magnum, ſeù excedens abijcere. Ità ſi fuerit paruum, aut deficiens ad ſymmetriã reducere, quam formam intelligit redactum, abieit, ſeù deſpicit paruum & deficiens, & idem ſequitur, quod in abiectione, magni, & deficientis, ſic permanet, & aſſequitur ſymmetria, tanquam forma, per quam abiecta eſt paucitas, & magnitudo: exceſſus, & defectus, & permanet ſymmetria, ſeu forma, quæ tanquàm mater cauſa eſt rerum, quæ ſunt, res conſeruando in eadem ſymmetria ſecundùm terminum durationis à natura datum cuicumque rei generabili, & corruptibili. Altera verò pars contrarietatis abiectæ, ſiuè magnum fuerit, ſiuè paruum, ſiuè exceſſus, ſiuè defectus, decedit, aut videtur deceſſiſſe, permanente forma, ſeù ſymmetria, cuius priuatio erat ille exceſſus, ſiuè defectus; magnitudo ſiuè paucitas, quæ videbatur in maleficium, & corruptionem tendere. Rectè autèm, ait Ariſt. videri per immaginationem abijſſe penitùs eam contrarietatem, quæ in exceſſu, aut defectu, magnitudine, & paucita-

te conſiſtit: quùm tamèn penitùs non abierit; quià quæcumque generantur, etiam ſunt corruptioni obnoxia, & ea contrarietas propterea, quæ abijſſe videbatur, perſiſtit; licèt penitus abijſſe videretur; nàm rebus generalibus, & corruptibilibus à natura certa conſtituta eſt duratio, & ſenſim tendunt res generabiles, & corruptibiles ad corruptionem; vndè nos aſſiduò morimur: cuius durationis cauſam aſſignat Ariſt. T. 81. dicendo *exiſtente quodam diuino, & bono, & appetibili* quod conſiſtit in recepta ſymmetria; quæ ſymmetria habet duos contrarios terminos exceſſum videlicèt, & defectum, vel magnum, & paruum. Dato igitùr, hoc diuino, bono, & appetibili, ideò in naturalibus ſequitur generatio, & corruptio; quià naturà eſt principium motus, nec res naturales poſſunt in eodem perſiſtere; ideò moueri per innatum appetitum neceſſe eſt, qui motus non poteſt contingere, niſi ad exceſſum, aut defectum, & ad conſonantiam, quæ poſſunt appeti; nec poteſt appeti ſymmetria ſiuè forma, quià eius non indiget, qùm iam habeat, & ſuſceperit; impoſſibile eſt enim quicquam appetere ſuam ipſius formam, quam habet. Sequitur itaque potiùs, res genitas appetere ſui corruptionem: non tamèn directè, & per ſe, quià nihil appetit ſui ipſius corruptionem, ex accidente tamèn poteſt dari aliquid appetere ſui corruptionem, *exiſtente enim quodam diuino, bono, & appetibile*: Materia, quæ in ſe, & ſecundùm ſui eſſentiam eſt incorruptibilis, hoc diuinum, & appetibile ſibi coeuum appetit; & quùm in naturalibus non poſſit conſequi formam, ſeù ſymmetriam inuariabilem, incorruptibilem, ſempiternam, & ſibi coeuam, ſemper aliud, atquè aliud appetit; velutì fœmina appetit marem, & turpè pulchrum, ſed, quià præſupponit Ariſt. fœminæ non poſſe contingere, vt conſequatur marem hunc, aut illum determinatè, ſed marem genericè, itàut ſi pulchrior offeratur, in eum tendat, ſtante vera Ariſt. ſententia, nihil poſſe appetere, id, quod habet; ità fœmina non poteſt appetere virum, quem habet; ſed alium, atque alium, ità & turpè formam adeò exactam non poteſt conſequi in mortalibus, quin magis exactam contingat appetere. Ideò datur in naturalibus hæc perpetua rerum viciſſitudo, & tranſmutatio *exiſtente quodam diuino, bono, & appetibili*, quod perfectum in mortalibus non poteſt contingere, quià materia, quam, ait, eſſe id, quod appetit formam, qùm ſit æterna, & incorruptilis hoc diuinum bonum, & appetibile, ſibi coeuum quærit. &, qùm non poſſit conſequi, ſemper ad noua progreditur, vt fœmina ad marem, & turpè ad pulchrum. Intelligendo tamen, vt declarat apertè Ariſt; materiam non habere per ſe rationem fœminæ, nec poſſe dici turpe ſed ex accidenti, videlicet proptèr annexam priuationem, quam ſeruat perpetuo, cum imperfectione fœminæ, & dicitur turpis non ex ſui natura, quæ per ſe eſt ens, & ens, & bonum conuertuntur, at proptèr annexam priuationem dicitur non ens per accidens, & eſt tranſmutationibus obnoxia.

Corrumpitur autem & fit &c. T. 82: proſequitur oſtendere Ariſt. materiam ex ſui natura eſſe incorruptibilem, & res eſſe corruptioni obnoxias proptèr annexam priuationem, proptèr quam id bonum, diuinum, & appetibile omnibus participatum eſt; ſed his quidem clariùs, illis vero obſcuriùs; ideò, ſi materia appetit formam, & hac ratione videri poſſit corruptibilis: id illi non euenit, niſi ex accidenti, & propter annexam priuationem. Materiam verò per ſe non poſſe generari, & corrumpi, oſtendit Ariſt., dicendo. ſi materia eſſet generationi obnoxia; qùm iàm oſtenſum, & firmum ſit, in omni tranſmutatione debere dari aliquod ſubia-

bieĉtum, in quo celebretur iſta tranſmutatio; eſſet neceſſarium dari aliud ſubiectum prius, in quo celebraretur ea materiæ traſmutatio; ſed hoc competit tantùm materiæ, habere rationem ſubiecti in tranſmutationibus, ergò materia eſſet, antè quam fieret: aut hæc non eſſet ſubiectum primum, quod de ratione principiorum eſſe, ſuprà demonſtratum eſt. Supereſt igitùr definiri materiam pro ipſius naturæ circumſcriptione, dicendo. *Materiam eſſe ſubiectum primum cuiuſcumque, ex quo fiat aliquid, qùm inſit, non ſecundùm accidens, &, ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*, ex qua deſcriptione concludit, & elicit materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem. nam,ſi eſſet generabilis, & corruptibilis, & ex numero generabilium, & corruptibilium; eſſet corrupta antequam corrumperetur, & abiret in ſe ipſam corruptam, & denuo corrumpendam.

De principio autèm ſecundùm formam &c. T. 83. vt, more peripatetico, quo omnium ex vniuerſo peragrato ſententiæ audiendæ ſunt, etiàm ſcepticis ſubſcriberet Ariſt. in calce libri primi ſanxit; principium materiale non eſſe cognoſcibile, niſi per ſimilitudinem; vndè definitio, quæ de ea ab eo fertur, eſt tantùm ad aſſignandum reſpectum, quem materia habet ad formam. De forma autèm, & principio formali: vtrùm ſit vnum tribuens actum entitatiuum eidem materiæ, an multiplex, & quotuplex ſit, fatetur non poſſe determinare in hac tractatione de naturali auditione; ſed differt diligentiùs agere in prima philoſophia. In hoc primo libro ſatis profeciſſe ad peripateticam doctrinam arbitratur, ſi decretum ſit ex omnium conſenſu, principia debere eſſe contraria, & quænam ſiut, & quot numero. Impoſterùm non ampliùs de principijs; ſed de principiatis, & completis dicturum promittit: alio tamèn ſumpto principio; hoc eſt non ſecundùm ſeriem tractationis, quam ſequutus eſt in hoc primo libro. in quo de principijs rerum generabilium, & non de rebus generabilibus dicere propoſuerat, referendo, quæ de his audierit, & quæ recipienda exiſtimauerit.

An Medico ſit neceſſaria ſcientia rerum naturalium.

Queſtio Stoica.

Contrà fertur definitio medicinæ ab Auicen. tradita, qui optimus fuit philoſophus, & accuratè ſcripſit de dialecticis, & metaphiſicis, & tamèn definit medicinam ſcientiam,qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, qua ſanari poteſt, aut à ſanitate remouetur, vt habita ſanitas conſeruetur, & amiſſa recuperetur. concludit itàquè conſiderationem corporis humani extrà finem a ſe deſignatum.

Præterea idem Auicennas, dùm loquitur de febribus, proponit quandam obiectionem contra febris diuiſionem, quam obiectionem nulla alia ratione repellit, niſi, deteſtando in re medica conſiderationes abſtractas nimìs & dialecticas.

Tertiò in proemio naturalis philoſophiæ Ariſt. ait, tunc nos arbitrari cognoſcere vnumquodque, qùm cauſas primas nouerimus, & principia prima; ſed intèr principia numerat materiam, quam non eſſe cognoſcibilem refert, nisì per ſimilitudinem; & de principio formali eſſe diſſerendum in metaphiſicis; ergo, ſi medicina fundamentum recipit à naturali philoſophia, & illi ſubordinatur, fundamentum habet inſtabile, incertum, & nullius vtilitatis.

Quarto, multi celebrantur medici clari admodùm, qui ſinè philoſophiæ ſtudio, ne quidem, quid morbos faciat, ſcire ſe, vtile crederent, ſed quid tollat, & à cælo ortam medicinam ferunt non ex philoſophantium dogmatibus partam.

Quinto experimento notum eſt, philoſophos præ cæteris ægrotare, & Celſus ait, *at imbecilli ſtomacho, quo in numero magna pars vrbanorum, omneſque penè cupidi litterarum ſunt,* imò fuiſſe priùs apud philoſophos ortam medicinam arguit, quià philoſophos primùm ea opus habuiſſe animaduertit, quod eſt palleſcere chartis.

Sexto, ſi fabulis ſtoicis vti licet, celebris ſententia Galeni eſt, qua oſtendit medicum debere eſſe philoſophum,& debere,ait, duobus cruribus incedere, nempè experimento, & ratiocinatione; & claudicare, ait, ſi vno tantummodo incedat, nempe aut ſola ratiocinatione, aut ſolo experimento. At Aſculapius, qui proptèr artis medicæ excellentiam intèr deos eſt habitus, dicitur conuerſus in ſerpentem, vt nè quidèm vllo ex his duobus pedibus opus habere oſtenderet.

Septimo, ſaltèm nullum medicamentum, quod vſu ſit noſtris temporibus, fertur inuentum ratiocinio; ſed tantummodò experimento. patet enim rhabarbaro purgari bilem; qua ratione autèm id ſequatur, nulla comprobat ratiocinatio. Imò Meſues, qui medicamentorum vires ſcruptatur egregiè, non hac, aut illa ratione, à ſe probata multiplici, id ſequi fatetur, ſed quià tale: hoc eſt occulta quadam, & incoſpicua facultate.

Prò huius quæſtionis determinatione præaccipiendum primò ex Ariſt.2. de Anima cap. de ſenſu communi, debere eum, qui ponit diſcrimen inter duo, vtrumque cognoſcere: aliàs non poſſe, quo diſſentiant, determinare.

Secundò præaccipiendum ex Hipp. de Lege T.2. ad medicum conſtituendum opus eſſe, natura, doctrina, moribus generoſis, loco ſtudiis apto, inſtitutione à puero, induſtria, & tempore.

Tertio præaccipiendas diuerſas eſſe medicinæ acceptiones, vt ſupra a nobis declaratum eſt.

Concluſio Sceptica.

Ex his concludendum cùm ſcepticis, nunquam deſiſtendum à perquiſitione ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; quià noua ſempèr emergunt, vt noſtris temporibus de circulatione ſanguinis, e motu eius noua credantur perſcrutatione inuenta, quæ ab antiquis clarè probata ſunt. cæterùm *obſcurarum cauſarum, & naturalium actionum quæſtionem ſuperuacuam eſſe contendunt empyrici quoniàm incomprahenſibilis natura ſit. non poſſe verò comprahendi, patere, ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia; cùr enim quis potiùs Hippocrati credat, quàm Erophilo; cur huic potiùs, quàm Aſclepiadi. ſi rationes ſequi velis, omnium videri poſſe non improbabiles: ſi curationes ab his omnibus ægros deductos eſſe ad ſanitatem; ſic nequè ratiocinationi, neque curationi cuiusquam fidem derogari oportere; etiam ſapientiæ profeſſores maximos medicos eſſe, ſi id ratiocinatio faceret, modò illis verba ſupereſſe, deeſſe verò medendi ſcientiam;* tamèn non deſiſtendum ab inquiſitione deſiderio finis alicuius, ſemper inquirendo ſcepticorum morè.

Concluſio Accademica.

PLato Academicorum princeps duos medicos à Deo datos recenſet vnus, qui corpori, alter, qui animo opem ferat. Animo medetur philoſophia; qua docemur, mortem ſiuè formidine contemplari; corpori opem fert medicina, qua procedentes cruciatus arcentur, aut ſaltem tolerabiliores fiunt; ſic mortem nec optare proptèr corporis languores, nec timere propter eius malam appræhenſionem docemur; ſic opus eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium ad corporis cuſtodiam, & neutrorum pro animi indemnitate ex placitis Platonicorum.

Concluſio Peripatetica.

EX Ariſt. peripateticorum principe incipit medicus, vbi deſinit philoſophus; ſic medicus non ſolùm ſalubrium, & inſalubrium ſcientiam habere debet, ſed etiàm neutrorum; accipiendo per neutra ea, quæ ad ſcientiam pertinent rerum naturalium.

Satisſit Argumentum.

QVæ concluſiones confirmari poſſunt ſolutione argumentorum, quæ in contrarium adducta ſunt, & ad primam deſumptum ex Auicennæ definitione. Reſpondetur ex primo iacto fundamento; quomodò enim poſſint diſtingui humani corporis diſpoſitiones ex parte, qua ſanatur; niſi cognoſcerentur etiàm paſſiones, & proprietates, quæ corpus humanum comitantur, qua naturale eſt; vnde etiàm Auicennas in confirmationem noſtræ ſententiæ ſcripſit luculentèr, & accuratè de dialecticis, & philoſophicis; vt exindè, niſi abſolutè medicus, ſaltèm maximus medicus celebretur.

Ad ſecundum reſpondetur. Auicennam deteſtari redargutiones ſophiſticas, & non placita philoſophica, quibus medicina firmior, non ſuperflua commendatur.

Ad Tertium reſpondetur neutrorum notitiam requiri in medicina, non tamen vltrà captum humanæ mentis.

Ad quartum reſpondetur, maximos quidèm fuiſſe Pirronem, & alios, qui ſciſſe, quid morbus tollat, non quid faciat proficuum exiſtimarent: non tamèn à philoſophia alienos hi cenſendi ſunt; imò eò vſque in inueſtigatione naturalium actionum proficiſſe, credendi ſunt, quo decernerent incomprehenſibilem naturam eſſe, & tutiùs procedere, qui a poſteriori ex iuuantibus, & lædentibus, quid agendum foret, determinarent.

Ad quintum reſpondetur eos ægrotare philoſophantes, quî aſſidua nimis cogitatione anguntur, vnde hi non ſapientes ſed inſani dicuntur.

Si tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt
Bis ſtigios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & inſano iuuat indulgere labori

& hoc eſt palleſcere chartis, qui non proprie peripatetici ſunt cùm Ariſt. & Omero; ſed cùm Virgilio ad inferos feruntur, legendo placita eorum, qui vita functi ſunt; quorum idem Virgilius inſanum laborem vocat.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt virtutem ſi petat ipſam. inquit Horatius.

Ad ſextum reſpondetur fabulam Aeſculapij in ſerpentem conuerti, non eſſe ad oſtendendum medicum non opus habere duobus cruribus à Galeno propoſitis; nempè ratiocinatione philoſophica, & experimento; ſed fabula detegitur, artem ſalutis præſidem proptèr abuſum iàm eſſe redactam in perniciem: vt oſtenderet plurimos medicos ſinè conſilio philoſophico, præſertim venæ ſectione temeraria, procedere, & ex Montano

More colubrorum, quorum eſt innata libido
Dente venenato pecudesque hominesque necandi.

quò non labuntur, qui benè imbuti præceptis philoſophicis medicam artem recipiunt, & exercent. quique nouerint conſeruandum eſse vitæ teſaurum ex præcepto Auicennæ, & qui animaduerterint oculatè exceptiones à Galeno propoſitas de vene ſectione.

Ad ſeptimum reſpondetur, licèt medicamenta omnia, præſertim catarctica, ſint inuenta experimento. nullum tamen vſu boni medici eſt, niſi ratiocinio comprobatum fuerit: quæ comprobatio, & examen non poteſt philoſophiæ ſtudio rectè celebrari, niſi omnia ab eo bene comprehenſa recipiantur.

An ad rerum notitiam medico neceſsaria ſit cognitio primorum principiorum & primarum cauſarum vſque ad elementa.

Quæſtio.

Primò. definitio eſt, quæ determinat vnumquodque. Sed ex Gal. 8. Meth. cap. 3. ſatis eſt, definitionem conſtare ex materia, & forma, ſeù genere, & differentia; Ergò cauſa efficiens, & cauſa finalis non expoſcitur ad cognitionem cuiuſcumque rei.

Secundò. Perfecta cuiuſcumque rei ſcientia habetur per demonſtrationem; ſed demonſtratio poteſt procedere per vnicum genus cauſæ: vt notum ſupponit Franciſcus Toletus lib. 1 phiſ. cap. 1. Ergò medico non eſt neceſsè cognoſcere omne genus cauſæ.

Tertiò: ſupponendo rem explicari per definitionem, ſic argumentantur. cognitio accidentium magna ex parte confert ad notitiam eſſentiæ rei, ſed definitio eſt ſolius ſubſtantiæ. ergò perfecta cognitio haberi non poteſt.

Quartò, vltimæ rerum differentiæ latent, & eſt quæſtio communis circà quid eſt ex Ariſt. primo de anima cap. 1. ergo rerum notitia nullo modo poteſt haberi: ſi eſt neceſſaria cognitio cuiuſcumque cauſæ, & vſque ad elementa.

Quinto materia non eſt cognoſcibilis, niſi per ſimilitudinem ad artificialia, ergò ſaltem per cognitionem cauſæ materialis, quæ eſt prima cauſa, non poteſt haberi notitia cuiuſcumque rei.

Sex-

Sexto eadem materia dicitur pura potentia, aut ſaltem nullum aliud habet actum præter entitatiuum, cum quo eſt infinitè mollis, infinitè fluxibilis, & reſpectum habet ad infinitas formas imperceptibiles, quas dicitur apta ſuſcipere; ergò eius notitia haberi non poteſt: quandoquidem infinitum imperceptibile eſt humano intellectui, & potentia ſine termino proprii reſpectus, ad quem tendit, concipi non poteſt.

Septimo matematica dicitur omnium ſcientiarum certiſſima; ſed ea non demonſtrat, niſi per cauſam formalem vt Alexander, Auerrhoes, & D. Th. referunt; ergò non eſt neceſſaria cognitio omnium cauſarum; quas etiàm matematica habet, ex Ariſt. 6. methaph. imò habet etiam principia, & elementa.

Octauo. Natura eſt, quæ agit propter finem, ſed non eadem ſunt uobis nota, & naturæ; ergò nobis cognitio cauſæ finalis rerum naturalium eſt impoſſibilis; & ad ſenſum id patet, quià cauſam finalem pilorum, aut mammarum in viro aſſignare poteſt nemo. præſertim ex medicis.

Nono. Series cauſarum efficientium in ſententia Ariſt. eſt infinita; ſed infinitum eſt ignotum; ergò eſt etiàm ignotum id, cuius quærimus primas cauſas efficientes.

Pro huius quæſtionis ſolutione ſcire licet cognitionem aliam dici ſimpliciter perfectam, aliam perfectam in determinato genere ſcientiæ. item alia notitia dicitur compræhenſiua: alia vſque ad aliquid debet menſurari, primùm reſpectu habito ad intellectum humanum communiter acceptum: dein ad intellectum cuiuſcumque ſingularis hominis iuxtà diuerſitatem corporeæ diſpoſitionis.

Concluſio Peripatetica.

QVibus præaeceptis ſit prima concluſio: ad notitiam ſimplicitèr perfectam requiri cognitionem omnium cauſarum in ordine ſuppoſito cuiuſcumque ſcientiæ. at in certo genere ſcientiæ non eſt neceſſaria cognitio, niſi cauſarum, quæ ſut in illa ſcientia; veluti; ſi in matematicis non datur, niſi cauſa formalis, non debemus in matematica inquirere cauſam finalem, aut efficientem. Ità in medicina, ſi quis de morbis agat, qui ſunt præter naturam, non debemus quærere morborum cauſam finalem, quæ non eſt; quatenùs verò ſit, debet inquiri, & cognoſci ſecundùm capacitatem.

Sceptica Concluſio.

SEcunda concluſio. notitia compræhenſiua in omni genere cauſæ non eſt ſperanda in intellectu humano; quià ea ſolius Dei eſt; & furor eſſet, ſi quis eo modo præſumeret rerum eſſentias compræhendere, quo à Deo compræhendutur, & in eo gradu, vnde etiam oritur ſiquens concluſio.

Con-

Concluſio Accademica.

TErtia concluſio. In ſcientijs ad humanum captum redactis debere diuerſa hominum ingenia diuerſum ſibi addiſcendi terminum præfigere, aut ſibi præfixum ſeruare. Non enim omnes in quacumque ſcientia omnia, quæ attingi poſſunt, capere poteſt; & fruſtrà laborat inquirendo, & ea prætærit, cuius fortaſſe capax eſſe poteſt. Vnde, qui medicus futurus eſt, in dialectica certas demonſtrandi formas debet præterire, & topicis ſedulò, & elencis incumbere, vt in arte coniecturali, vt medicina eſt, loca conſideret diligentèr ab Ariſt. propoſita; & caueat à decipientibus, quorum fræquentiſſimus eſt vſus in medicina, prout peculiarem tractationem in topicis, & elencis aueo inſtituere, ſi vita ſuperſit.

Solutio argumentorum.

AD primum, ſecundũ & tertium argumentũ reſpondetur. aliud eſt, eſſe neceſſarium ad comprehendendũ, aliud poſſe cõpræhendi. Ad perfectã notitiam rerum neceſſaria eſt cognitio omnium cauſarum: non tamèn ea poteſt haberi, aut debet inquiri, niſi ad certum terminum, ad quem ſecundùm captum humanæ mentis; & quatenùs intereſt hominum, ſperare poſſumus peruenire, ideò cognitio accidentium dicitur conferre magna ex parte; non ex toto ab Ariſt.

Ad quartum reſpondetur eodem modo. Non enìm ſequitur, rerum notitiam haberi non poſſe, & fruſtra quæri, ſi haberi poteſt, quouſque intereſt hominum; & capit humanæ coniectura mentis: hanc diſtinctionem tradit Ariſt. 1. de anima Text. 1. Notitiam rerum recipiens intèr bona honorabilia, aut ratione certitudinis, hoc eſt quantum capit humanæ coniectura mentis: aut ex eo, quod meliorum, hoc eſt quatenùs intereſt hominum pro boni conſequutione, aut mirabiliorum, quatenùs decet inquirere proptèr ignorantiam cauſæ.

Ad quintum reſpondetur. Notitiam rerum non eſſe petendam vltra quàm vires humanæ mentis ferunt, ideò terminum ſtatuit Ariſt; & inducta deſperatione vlteriùs procedendi, ait, materiam non poſſe cognoſci, niſi per ſimilitudinem; per quam ſatis eſſe, refert, vt rerum naturalium notitia habeatur, quouſque haberi poteſt, & modo, quo conceditur à natura, & manifeſtum eſt.

Idem reſpondetur ad Sextum, & ideò Ariſt. ſtatuit infiniti non poſſe haberi notitiam, ne humana ingenia extrà iura humanæ mentis vagantia, ea prætereant iniquirere, de quibus poſſit haberi notitia, & interſit; vt præ cæteris in re medica obſeruandum ſtatuit Auicennas.

Ad ſeptimum reſpondetur. rerum matematicarum propriè eſſe demonſtrationem, non definitionem; & dicitur ſcientia omnium certiſſima proptèr dignitates ad ſenſum manifeſtas, quibus fundatur, & a quibus certitudinem ſuarum demonſtrationum recipit; & propria habet principia, & elementa in ſuo genere, quorum ſimilitudine vocantur etiàm aliæ ſcientiæ; & præſertim dialectica in prioribus reſolutionibus; quæ ideò priores dicuntur, quia ſenſu patent, vt matematica, & ab ea recipiunt ſeriem docendi, prout dicebatur olìm; *non niſi matematicus accedat*, vt a cauſis veriſimilibus ad veras naturalium procdatur.

Ad octauum reſpondetur. Prope-

pterea, quòd non eadem ſunt nobis nota, & naturæ, debemus à notioribus nobis procedere ad ea, quæ notiora ſunt ſimplicitèr. Ariſt. enìm, ait, à prima origine non eſſe nobis eadem nota; quæ ſimplicitèr nota ſunt, quià omnis noſtra cognitio ortum duxit à ſenſu, qui, & multiplex eſt, & decipitur facilè; propterea, quæ ſenſu percipiuntur, ſunt diſtinguenda per intellectum, & reducenda ad ſimplicitatem naturæ, cuius fines non omninò ignoti ſunt; licèt cùm difficultate compræhendantur.

Ad Nonum reſpondetur paritèr, debere nos procedere in inquiſitione cauſarum efficientium, quatenùs intereſt hominum. Si enim humanæ mentis notitia non extenditur in hiſtoricis vltrà Iani, & Beli tempora, furori proximum eſſet, vltrò inquirere; & Auicennas refert, propterea vetuſtiores medicos diſtinxiſſe febrem in eam, quæ habet rationem morbi, & eam, quæ habet rationem ſymptomatis; vt, in ea, quæ habet rationem morbi, non vltra progrediamur, inquirendo, qùm deuenerimus ad notitiam illius cauſæ efficientis, qua remota, remoueri poſſit morbus. In ea verò febre, quæ habet rationem ſymptomatis, quià ſequitùr alium morbum; vt, quæ ſequitur tumorem, debemus vltrò procedere ad inquiſitionem cauſæ eiuſdem morbi; vt, ea remota, remoueatur morbus, & febris, quæ pendet ab eo.

Ad argumenta primum & ſecundum eadem ratione ſatisfacit Franciſcus Toletus. videlicèt, perfectam ſcientiam expoſci eatenùs, quatenùs in propria recepta diſciplina admittitur. Sic in medicina, quià morbi ſunt quid prætèr naturam, & natura eſt, quæ agit propter finem, non eſt aſtruenda cauſa finalis; nequè cauſa formalis in conſtitutione, & re informi. Ideò ſatis eſt definitiones componere ex genere, & differentia, iuxtà exigentiam ſcientiæ, in qua verſamur; &, quod dicitur de definitione, ſequitur etiàm de demonſtratione; quæ non differt à definitione, niſi per tranſpoſitionem terminorum. quomodò docet Ariſt.

Quùm propoſitum nobis ſit, nomen Peripatetici indè ortum eſſe quo doctrinam profiteamur omnibus probatam, & ex plurium opinione deductam. Ideò neceſſarium duxi, tradita de principijs in vnam ſententiam, quantùm fieri poteſt, trahere, & omnes benè audire. Id ipſum curauit Simplicius, qui omnes veterum ſententias de principijs intèr ſe conſentire arbitratur; qui tamèn paſſim impugnatur, ac temerè auſum eſſe, ferunt, eos conciliare, qui conſultò diſcordes eſſe vellent: nequè tamèn horum opinio à conciliandis horum ſenſibus deterrere nos debet; nàm, quamuis diſcordes eſſe intendant, ex hoc ipſo poſſumus ſuſpicari, eorum diſcrepantiam in verbis conſiſtere, non in rebus. veritas enim vna eſt; in quam cuiuslibet intellectus fertur; hanc tamèn ſubuertunt, qui ſuccedunt, vt aliquid noui offerre videantur. ſiuè nè credantur aliorum ſenſus tranſcribere, præſtandi ſemper cupiditate diſtracti. Non tamèn irridenda ſunt magnorum virorum ſenſa; ſed modeſtiùs pendenda, & audienda accuratiùs, vt concilientur.

Parmenidis, & Meliſsi opinio benè audita, aliorumque.

VSquè adeò ſententia Parmenidis, & Meliſſi aliena à naturali auditione habetur; vt, ne quidèm naturales appellare voluerit Ariſt.; quià opinarentur vnum eſſe omnium rerum principium, & illud immobile. Qùm enìm natura ſit principium motus; naturæ limites tranſgredi videntur Ariſtoteli; qui motum tollunt. Verùm non adeò aliena eſt à peripatetica doctrina hæc ſententia, ſi æquo animo percipiatur, nàm ex ſententia Ariſt. omnia, quæ mouentur, reduci debent ad vnum mouens immobile; de quo loquitur Ariſt. apertè 8. Phiſ.; quod mouens immobile ſupponunt phiſici; & de motu propterea ab eo pendente differunt. Imò hæc immobilitas poteſt etiàm recognoſci in diuerſis principijs ab Ariſt. deſignatis, nè adeò aliena à naturali philoſophia cenſeatur. Materia prima immobilis dici poteſt, quià ingenerabilis eſt, & incorruptibilis ex ſententia Ariſt. ideò non habet motum ad formam, in quo conſiſtit generatio, & corruptio; nequè motum habere poteſt ad locum: qùm ea vbiquè ſit, nec habet, quò feratur: &, ſi non eſt generationi obnoxia, nequè etiam erit alterationi, nec poterit augeri, ſi omnibus rebus, & cuicumque enti ſuppoſito ſubeſt; ſi igitùr nulla ſpecies motus illi competit, vt talis eſt, erit prorsus immobilis. Forma quoquè, qùm ſit rei, & ſuppoſiti perfectio, eſt in ſe, & per ſe ipſam immobilis, *ex defectu enim oritur, vt fiat tranſitus ex* Ariſt. 1. cæli. Priuatio quoque in ſuo eſſe priuationis; & ſinè reſpectu ad hanc, ſeù illam formam, eſt immobilis, quià ſempèr conſequitur ſuppoſitum, tanquàm terminus; videlicèt tanquàm terminus, a quo in generatione, & tanquàm terminus ad quem in corruptione; sic nunquàm deſerit ſuppoſitum. Nequè hæc acceptio immobilitatis per ſucceſſionem perpetuam noua habeatur in Ariſtotelis peripatetica doctrina. Nàm eadem ſtatuitur immobilitas ab Ariſt. loci, quam nos aſſignamus priuationi. Ait enim Ariſt. locum eſſe ſuperficiem corporis ambientis immobilem; certum eſt enim ſcopulum eſſe in loco, & turrim; & tamèn eius ſuperficies, quæ dicitur eorum locus, aſſiduò immutatur, & tamèn dicitur ab Ariſt. ea ſuperficies immobilis; quià vna ſemper, & eadem ſuperficies ſucceſſiuè permanet formalitèr, qùm non mutetur eius reſpectus, qui eſt ad puncta fixa. Ità in via Ariſt. priuatio tanquàm principium poteſt dici immobilis; quià nunquàm deſerit ſuppoſitum: licèt varij ſint reſpectus ad formas ſucceſſiuè ſubeuntes. Itaquè ſiuè cùm Xenophane, Parmenide, & Meliſſo ſtatuatur vnum rerum principium æternum, immenſum, erit quoque ſtatuendum immobile, ſiuè cùm Ariſt. dicantur principia, quæ ab eo ſunt materia, forma, & priuatio: non eſt adeò à naturali alienum, ea immobilia appellare modo à nobis ſuprà expoſito; licèt alia ratione accepta ea principia mobilia ſtatuantur.

Vnum ſtatuitur principium manens immobile cùm Xenophane; Vnum mobile: cum Thalete aqua: cùm Anaximane aer, vel quid medium inter aerem, & ignem; aut ignem ipſum cum Heraclyto, & Hippaſo: aut terram ex chao ortam cùm Heſiodo. omnes hi materiam, & ſubiectum ab Ariſt. principium intelligi credibile eſt; vario nomine eam aſſignantes, quià ea, quæ ſubiectum ab Ariſt. dicitur, non creditur ab eo cognoſcibilis niſi per ſimilitudinem ad hæc elementa; ſiuè vnum,

ſiuè plura ſtatuantur ; quæ ; tranſmutari inuicèm, & aliorum ſuppoſitorum tranſmutatione ſubijci, ſenſu percipiuntur.

Ex his elicitur principium materiale non diſſonum ab Ariſt. ſententia. At forma, & priuatio quoquè ab ijſdem ponitur, & ab illis deſumit ea duo principia Ariſt. Forma alio vocabulo ab illis dicebatur ens; vnitas, congregatio, amicitia. Et antiquam dixit Ariſt. hanc opinionem, quam ipſe ordinationem, conſonantiam, figurationem appellauit 1. phiſ, T. 64., & 67.

Qua proptèr ex his non videtur admodùm differre opinio antiquorum ab ea, quam recipit Ariſt. circà formam, & ſubiectum. Diſſentio maior videri poteſt circà id principium, quod Ariſt. vocat priuationem, de quo nihil videntur proferre antiqui conſentiens cùm Ariſt. opinione. quanquàm ſatis proxima ſententia videatur eorum, qui dixere rerum principia ens, & non ens, apparet enim per non ens eos accipere priuationem; differt tamèn, quià Ariſt. priuationem ens appellat, & tanquàm principium per ſe generationis ponit; imò ens etiàm videtur ſumere per ſe 2. de an. T. 138. dùm ait, ſenſu percipimus & lucem, & tenebras. Hanc diuerſitatem ſententiæ optimè conciliat D. Auguſtiuus lib. de natura boni aduerſus Manichæos. *Priuationes, inquit, rerum ſi a Deo ordinantur, vt non indecentèr vices ſuas habeant; quemadmodùm in cantu interpoſitiones ſilentiorum certis, moderatiſque interuallis: licet vocum priuationes ſint, ſuauitatem cantilenæ aliquam conferunt*; quemadmodùm itèm vmbræ in picturis, eminentiora quæque diſtingunnt, ac non ſpecie, ſed ordine placent. Sic ab antiquis priuatio, nomine non entis opponebatur enti, tanquàm ordini vniuerſi conferens, & conducens ad fæcunditatem a Deo procedentem; cui qùm verè nihil poſſit addi, vti enti perfectiſſimo. neceſsè eſt, vt vltrò aliquid producatur, præcedat aliquod ens à quo generabilia motus terminum recipiant, & id appellatur priuatio, ſeu non ens; non ens per ſe, ſed principium per ſe. Hoc ens opponebatur vnitati, quæ verum ens dicebatur, & vocabatur dualitas circumſcripta per eas contrarietates, quæ ab Ariſt. referuntur tanquàm contraria poſita ab antiquis pro principijs, hæ autèm ſunt rarum, & denſum; exceſſus, & defectus; magnum, & paruum; calidum, & frigidum; ſolidum, & inane, quæ omnes quandoquidem coincidunt cùm ea contrarietate, quæ a Platone ſtatuitur, & in cuius examine propterea Ariſt. immoratur; de ea quærendum eſt; quomodò rationem priuationis ab Ariſt. poſitam includat. Ea eſt magnum, & paruum, in cuius explicatione interpretes plures, & multiplices ſenſus expendunt; per magnum, nonnulli dicentes, ſub ratione magni materiam accipere, ſub ratione parui priuationem. Quæ interpretatio videtur manifeſtè contrà ſententiam Ariſt. T. 80. Vbi ait, quod non eſt, hoc eſt priuationem appellare magnum, & paruum, aut ſimùl vtrumque, aut ſeorsìm vtrumque. Ità vt clarè ſentire videretur accipere magnum, & paruum vtrumquè pro eadem priuatione, & rationabilitèr, quià idem Ariſt. loco formæ ſtatuit ordinationem, conſonantia &c. oppoſitum verò inordinationem, & diſſonantiam. At magnum, & paruum tanquàm reſpectiuè diſſonantiam accipiuntur, quià res magna, aut parua dicitur, quandò diſſona eſt; nempè quandò excedit, dicitur magna, quandò deficit parua; & in hunc ſenſum Hipp. ait medicinam eſſe ablationem eorum, quæ ſuperflua ſunt, & reſtitutionem eorum, quæ deficiunt. Ità Plato magnum, & paruum, tanquam vel vnum diſſonans, vel duo diſſonantia, & dualitates ab vnitate, & medio-

eritate conſona diſcrepantes ponebant, quam diſſonantiam magni, & parui; rari, & denſi, calidi, & frigidi; albi, & nigri &c. nomine priuationis recepit Ariſt.

Animaduertere tamèn oportet, dùm dicimus, per vnam priuationem intelligi magnum, & paruum; non propterea deſpexit, aut præterijt Plato materiam: quià non ponit pro priuatione magnitudinem, & paucitatem; ſed, ait, magnum, & paruum in concreto; vndè in his concipit materiam, quam deſpexiſſe ait Ariſt. quià minùs explicatè propoſuit, & tanquàm quid notiſſimum præterijt; vt in explicatione T. 80. relatum eſt. Quomodò igitùr rationem principij à veteribus, & modernioribus ſui temporis receperit Ariſt. & ſtatuerit ex iiſdem materiam, formam, & priuationem, ſatis explicatum ſit.

An naturæ lumine creatio concipi poſſit, & an Ariſtotili nota fuerit.

IN tractatione de principijs rerum naturalium, queſtio oritur non inutilis de creatione, quæ ſupponitur conſtitutio ſubſtantiæ de non eſſe ad eſſe ex nullo præſuppoſito ſubiecto; ex quo ſubiecto traduntur res conſtitui in eſſe per generationem; quæ ergò conſtituuntur in eſſe ſinè hoc præſuppoſito ſubiecto, dicuntur conſtitui per creationem. Et quoniàm non licèt ſuſpicari, an detur creatio iſta; quæritur an lumine naturæ concipi poſſit, &, an ab Ariſt. fuiſſe conceptam, aliquod habeatur ex eius ſcriptis documentum.

Contrà quam quæſtionem opponitur ab Ariſt. omnium philoſophorum conſenſu, & nullo vſquè ad noſtra tempora repugnante ſententia. Ex nihilo nihil fieri, quod eſt vnicum, & propterea validiſſimum, & omni inductione patens argumentum.

Ex altera parte acriùs rem conſideranti præter infallibilem fidem, videtur etiàm lumine naturæ neceſſario concipiendum ea, quæ ſunt ex nihilo, quod chaos priſci dicebant, eſſe producta; nàm, vel hæc antè erant, quàm fierent, vel non erant; ſi erant, antequàm fierent, eſt inintelligibile, quomodò idem poſſit eſſe terminus a quo, & ad quem ſui ipſius, & in quem finem natura ea, quæ ſunt, efficiat; & fruſtrà laboret producendo. Si non erant, & hæc complectuntur omnia, quæ ſunt, quod extra hæc eſt, eſt nihil, ergò ex nihilo producta ſunt. In hac enim rerum comprehenſa vniuerſalitate non habet locum diſtinctio Ariſt. qua refert, fieri ex non ente per accidens: quià medicus medetur per ſe, & ædificat per accidens, & ſi vtrumque calleat, ædificat etiàm per ſe tanquàm ædificator; ſed, deſtructa ratione medici, & ratione ædificatoris, neque per ſe, neque per accidens poteſt mederi, aut ædificare; ſic deſtructo, aut ſuppoſito in non eſſe omni ente: nihil poteſt fieri ex ente per accidens; ſic neceſsè eſt fieri ex nihilo, ſi fit, & ſi datur aliquis motus, qui non eſſet priùs.

Quod verò ſuperaddit Ariſt. in alio modo, fieri res ex ente in potentia: ità vt, vt ferunt, formæ omnes ſubſtantiales educantur de potentia materiæ, hoc eſt præſuppoſiti ſubiecti, namquè hoc ſubiectum, vel eſt pura potentia, vt plerique doctiſſimi philoſophantes tradunt; vel habet actum ſaltem entitatiuum; vt acutiora produnt ingenia. Si eſt pura potentia, & nemo dat, quod non habet, eſt inintelligibile, quomodò oppoſitus actus aliquis ex ea pura potentia poſſit

ſit educi. Si habet actum, *& quod verè eſt, actus eſt*, vt protulit Ariſt. Ergò duæ formæ ſubſtantiales informare poſſunt eamdem materiam; & enti in actu ſuperuenit aliquid ſubſtantiale pariter; aut, ſi id non conceditur, formæ ſuperuenientes erunt accidentia, vt philoſophi præſtantes prodidere. Ideò neceſse eſt, has formas ſubſtantiales, quæ probantur inductione, ſuperuenire per creationem, & ex nullo præſuppoſito ſubiecto ortum ducere, vel eſſe formas perpetuas, & exiſtentes, vt Plato videtur credere, quod vndequaque repugnat Ariſt. doctrinæ. Sic lumine naturæ videtur poſſe concipi creatio, & eodem lumine æternitas, immenſitas, & omnipotentia certa ſupponitur, nec poteſt negari; & per hanc omnipotentiam poſſe aliquid conſtitui in eſſe nullo præſuppoſito ſubiecto non videtur inconſonum.

Quod autem Ariſt. hanc conſtitutionem in eſſe ex nullo præſuppoſito ſubiecto concæperit, poſſumus afferre; quià, ſi id lumine naturæ poteſt concipi, non eſt credendum eum philoſophum id non percepiſſe, qui adeò acritèr naturæ arcana perſcrutatus eſt. Quòd verò non prodiderit, tribui debet doctrinæ peripateticæ, quam ſibi præfigit proſequendam, quæ euidentioribus progreditur, & ea, quæ intereſſe videntur, & omnium conſenſu confirmata habentur: at creatio neque manifeſta, neque conſenſu comprobata eſt.

Cognouiſſe tamèn etiàm in peripatetica doctrina, apparet ex T. 20 lib. 1. de Cælo. Vbi, ait, ſapientèr naturam id, quod futurum erat ingenerabile, & incorruptibile, exemiſſe à contrarijs. Per hæc verba prædicatur futuritio (vt ità loquar) de cælo; nec dicitur futurum incorruptibile: vt poſſit credi iam cælum ex ſententia Ariſt. conſtitutum in eſſe, ſed futurum incorruptibile; ſed ait, quod futurum erat ingenerabile: itaquè conſtituendum in eſſe; ſed non per generationem, ſi erat ingenerabile. Sed non adhuc eſt imaginabilis modus conſtituendi res de nouo in eſſe; niſi, aut per generationem, aut per creationem; ſed per generationem excluditur ab Ariſt quià, ait, futurum fuiſſe ingenerabile; ergò per Ariſt. erat cælum conſtituendum in eſſe per creationem. Et, niſi quis reducat, vt plerique ſolent, ad improprietatem loquendi Ariſt; ex his non poteſt decerni, quìn concludatur cognouiſſe Ariſt. creationem, nàm futuritio non poteſt prædicari de his, quæ abſolutè æterna ſunt; ſi quid abſolutè, & ab omni parte æternum dici poteſt pratèr Deum, quo in gradu non recepiſſe cælum in libris proprijs demonſtrabitur.

Quomodo in Generatione ſubſtantiali forma vniatur Materiæ.

INextricabiles quæſtiones agitantur in ſcholis modernorum ſtoicorum circà hanc nouam entitatem, quam addunt decem prædicamentis, quam vocant vnionem. In quibus quæſtionibus, ne medici occupentur, & diſtrahantur ab vtili negocio propriæ conſiderationis, animaduertant; quæri adeò acritèr de hac vnione materiæ, & formæ, quià forma recipitur, tanquàm quid præexiſtens ſegregatum realitèr à materia, velutì, ſi quis quæreret, quomodò forma domus vniatur lapidibus, & lignis, quæ ad domum conſtituendam componuntur; nec diſtinguunt emanationem ſubſtantialem, quam diuinum bonum, & appetibile, vt ait Ariſt; offert materiæ æternæ, & incorruptibili, ab emanatione accidentali, quam educit artifex à compo-

po-

poſito corruptibili. Supponant igitùr medici cùm Ariſt. 2, de anim.T.2. *Vnum genus eorum, quæ ſunt, ſubſtantiam*. Huic autem aliud materia, quæ per ſe non eſt hoc aliquid, & vt fiat hoc aliquid, quod eſſe debet determinatæ virtutis; vt in maiori quanto maior ſit virtus, debet recipere quantitatem ſibi debitam, vt exigere videtur officium, quod in vniuerſum debet exercere res genita; quod officium ei aſſignatum eſt per relationem: vt enim ſe habet caput ad capitatum, itá quælibet etiam minima pars ſe habet ad totum vniuerſum, qua habita quantitate, & iuxtà eam relationem ſubindè aſſignatur illi ab illo diuino bono, & appetibili qualitas, quæ eſt inſtrumentum cuiuſcumque ſubſtantiæ ad operandum; quo dato inſtrumento, illicò conſequitur actio, in cuius gratiam iſta tributa ſunt; &, data actione, quoniam agens, agendo, repatitur; ſequitur etiàm paſſio; iuxtà quam aſſignatur vnicuique rei genitæ duratio; & hæc ratione loci, qui res locatas ſeruat, conceditur; &, quià ſunt quædam corpora, quæ ratione totius locum non mutant, in his menſuratur duratio, habita ratione ad ſitum. Hæc autèm omnia, quæ dicuntur entia conſtituentia ſubſtantiam; vt ligna, lateres, & lapides conſtituunt domum, & variæ voces conſtituunt conſonantiam, nihil prorsùs operantur ad conſtituendam hanc ſubſtantiam, niſi accedat vltimum prædicamentum, quod eſt complementum omnium, & dicitur habere; & hæc entitas prædicamentalis eſt ea, quam moderni philoſophantes vocant vnionem, de qua tot iactantur diſputationes. Nec obſtat, hæc entia, ex quibus dicimus conſtitui ſubſtantiam, eſſe accidentia; & proptereà non poſſe ſubſtantiam conſtituere, quià hæc dicuntur accidentia catenùs, quatenùs ſunt entis entia, at, ſi ſeorſim habeantur, quatenùs ſunt abſolutè, dicuntur etiàm ſubſtantiæ. vt multa habemus exempla apud Ariſt; & præſertim quandò in hoc primo libro probatur, non poſſe eſſe vnum principium, neque finitum, neque infinitum, quia finitum, & infinitum ſunt affectiones quantitatis, & ideò eſſent plura principia, ſtatuendo quantitatem pro altero, contrapoſito ſubſtantiæ. Nec validè objicitur, hæc entia eſſe accidentia, quia ſunt in alio, quià hac ratione non ſunt in alio, veluti ſunt eadem in compoſito: ſed tanquàm ſubſtantiæ incompletæ conſtituentes compoſitum, quod eſt ſubſtantia, & hoc aliquid; ſic non ſunt in alio per inhærentiam accidentalem, quæ ſola conuertitur cum accidentibus. Potentia per ſe ordinatur ad actum; & potentia ſubſtantialis per ſe ad actum ſubſtantialem; ſed materia, ſeù quicquid ſit ſubiectum, aut quomodolibet appelletur, eſt potentia ſubſtantialis, ergò per ſe reſpicit actum ſubſtantialem, qui nomine conſonantiæ circumſcribitur ab Ariſt; quæ conſonantia dicitur etiam forma, & eſt congruus concurſus harum entitatum, quæ perficiuntur per vltimum eſſe prædicamentale, quod eſt habitus, & dicitur a modernioribus vnio: ab Ariſt. autèm proprio vocabulo, & ad hunc ſenſum deducens omnimodè, dicitur actus, grecè; *entelechia*; quod verbum latinè non poteſt melius reddi, quàm, dicendo internum, ſeù vltimum habitum. *telos* enìm ſignificat vltimum, internum *echin*, habitus, & dicitur internus, ſeù vltimus habitus, quià eſt ſubſtantiæ intrinſicus, & hac ratione ſubſtantialis. Quod autèm neceſſarium ſit hoc vltimum ſuppoſiti complementum per habitum, nec ſufficiat præſentia localis, aùt inhærentia accidentalis, oſtendit Ruuius exemplo animæ rationalis, quæ poteſt ſeparari ab homine ità, vt verè homo moriatur, & tamèn anima maneat in eodem corpore, vndè infert, ad animandum hominem deberi præſen-

ſentiam habitus, quem ipſe vocat vnionem plus quàm localem. Sunt qui vocant hanc vnionem relationem, & relatio certè, vt cæteræ entitates, debet concurrere ad conſtituendam conſonantiam, quam vocat formam Ariſt. ſed relatio, quæ concurrit, non eſt ea, quæ debetur formæ totius corporis, & ſuppoſiti; ſed quæ debetur ſuppoſito genito in ordine ad totum vniuerſum; & eſt relatio totius, & partis. Relatio verò, quæ eſt partium ſuppoſiti, vt capitis, & capitati, conſtitueret formas partiales, ſi daretur; qua de re aliàs differendum. Scotus vocat hanc vnionem relationem, quià, vt conſtituatur in ſuo eſſe prædicamentali relatio: cuius totum eſſe eſt, ad aliud referri, debetur hic habitus; aliàs relatio non eſt relatio, nec vlla entitas talis eſt, niſi per habitum, qui eſt omnium perfectio; &, quo concurrente cùm cæteris entitatibus, emergit ea conſonantia, quæ aliàs forma, & actus dicitur; & dicitur actus princeps: imò habitus internus princeps (ità enim ſemper appellat Ariſt. *entelechiam*) nec neceſſaria eſt alia vnio, nec alius modus ſubſtantialis; veluti, in conficienda ſtatua, demendo, emergit figura ſtatuæ ſinè alio modo vnionis eius figuræ cùm lapide; vt enim figura ſe habet ad æs, & lapidem, ità forma ſubſtantialis ad materiam ex relatione, quæ per ſe vniuntur, & conſtituunt ſubſtantiam completam ſine vllo accidentali modo. Hunc habitum, qui vltimus dicitur ab Ariſt. à præcipuis modernis philoſophantibus appellatur inhærentia formæ ſubſtantialis materiæ per informationem; & tota difficultas conſiſtit in diſtinguendis his entitatibus, & habitibus præſertim, quandò nàm habeant rationem accidentis, & quandò ſubſtantiæ. Accidentia ſunt, quandò adueniunt enti in actu completo, quod dicitur hoc aliquid; quo pacto ſunt entis entia; quandò autem adueniunt enti incompleto, & illud perficiunt per conſonantiam, quæ diuinum bonum, & appetibile referat, dicuntur, non omninò ſubſtantiæ; ſed concurſus earum entitatum dicitur ſubſtantia, & complementum ſuppoſiti. Ariſt. 2. de an. a T. 6. definit animam per hunc habitum internum, ſeù vltimum quià iàm T. 4. primi libri dixerat: vndequaquè, & omninò eſſe difficillimum habere aliquam notitiam de ipſa. ideò eam circumſcribit per complementum vltimum, quod eſt vltimus habitus princeps, ad differentiam eius, quod ſuperuenit enti completo, cuius reſpectu dicitur princeps.

Hac de re luculentiùs dixi, quàm videatur pertinere ad medicum, etiàm ſi philoſophiam profiteatur, quià neceſſarium duxi, huiuſmodi habitus vim percipere, & de eo benè ſentire in medicina, propterea quod ferè creditur in re medica deficere facultas ob intemperiem, quæ plerumquè abundat in ſuppoſito; vt ferè cruditates in ventriculo fiunt, & retardatur coctio; &, creditur, propter intemperiem frigidam ipſius, quando calore nimio is abundat; ſed eo abutitur proptèr defectum huius habitus: proptèr quem defectum non operatur calor ſecundùm exigentiam illius facultatis, cui deberet inſeruire. de qua re accuratè ſuo loco dicendum eſt. Omnes conditiones, quæ tribuuntur à modernis philoſophantibus vnioni, ab ipſis excogitatæ apertè applicantur habitui, poſtremæ entitati prædicamentali, vt eſt eſſe nexum, & vinculum plurium; &, vnus qùm ſit, poteſt plura attingere extrema; nàm quantitas, & relatio, & qualitas, & cæteræ entitates concurrentes ad actum, & conſonantiam ſubſtantiæ, eam non poſſunt complere ſinè hoc habitu, qui eſt actualis inhærentia ſubſtantialis entitatum dictarum, ad conſtituendam conſonantiam, quæ dicitur forma, & perfectio ſuppoſiti; & tàm

in

in homine, quàm in quocumquè alio ſuppoſito dicitur ab Ariſt. actus, grecè *entelechia*: quià non ſolùm de anima, ſed eſt quæſtio communis & cunctis alijs, quid ſit ſubſtantia, & id, quod eſt, ex Ariſt. 1. de an. T. 4. vndè explicatur per complementum ab hoc poſtremo habitu inducto, & per actionem, quæ primò manifeſtatur in ſuppoſito; quam entitatem vocat: & eodem nomine actus explicatur, & redditur a Boetio: qùm non alio modo magìs intelligibilis ea res ab eo cenſeatur; & materia ab Ariſt. ex mente Platonis dicitur *pantecher*: quià recipit omnem actum, ſeù omnem habitum 2. de generat. & corr. T. 4.

Ex his plura poteſt medicus tranſigere, de quibus prolixè feruntur queſtiones apud philoſophos; & primùm, quomodò forma ſubſtantialis educatur de potentia materiæ; ſi enìm non eſt forma ſubſtantialis, niſi ſubſtantialis inhærentia, ſeù habitus entitatum concurrentium ad complendum ſuppoſitum pro conſequutione diuini boni, & appetibilis; non alio modo educi videtur forma de potentia materiæ, quàm educatur forma domus ex lignis, lapidibus, lateribus, & calce; calx enim reſpondet habitui, ſeù actui, quem moderni vocant vnionem. Ideoquè quid ſit hæc forma ſubſtantialis, veluti nihil minùs probatum habetur apud antiquos philoſophantes; ſic indubitatum habetur apud peripateticos, à quibus non arbitramur recedere, explicantes eam per concurſum entitatum, dum iſtæ non ſtatuuntur inhærere accidentalitèr ſuppoſito, ſed ſubſtantialitèr materiæ; qua conſonantia diſtinguuntur res ſpecie; & hanc conſonantiam induci ſenſit Auicennas, non educi 1. ſufficientiæ Cap. 4. Nos autèm dicimus educi, quia, dato concurſu entitatum in determinato gradu, & certa ſymmetria per potentiam, quam vocant obedientialem, educitur conſonantia, ſeù forma à diuino bono, & appetibili, tanquàm agente ſuperiori, qui plura concurrentia cogit in vnum ſuppoſitum; & ei videtur mentem participare, & pulchritudinem, optimum, finem, diuinitatem, quæ conſequitur ſpecies, & ratio; & dicitur quod quid erat eſſe: & alijs vocabulis id ipſum ſignificatur, quibus in vnam rationem res conſtringitur, ità vt plures formæ, ſeù rationes eandem materiam informare non poſſint, loquendo de formis ſubſtantialibus; namquè ſubſtantia non dicitur, niſi tota rei eſſentia, & plures totalitates, vt ità dicam, non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; quidquid ſit de formis accidentalibus, quæ in eodem ſubiecto tanquàm ex pluribus compoſito, poſſunt emergere, vt color, odor, calor &c.

Veluti igitùr forma domus non educitur ex lateribus concurrentibus ad eam formandam, ſed inducitur ab artifice, iuxtà exemplar ſibi in mente præhabito, ità forma propriè non educitur: niſi hoc modo ex conſonantia entitatum, quæ ſunt materia, vel conſequuntur materiam. Imò, veluti appetitus formæ domus non eſt in lateribus, ſed in mente artificis; ità appetitus ad formam non videtur ineſſe materiæ, niſi per influxum primi agentis. Materia enim non videtur poſſe appetere formas, vt probat Ariſt. nàm vel appeteret eas, quas habet; vel, quas non habet: non poteſt appetere, quas habet, vt rationabile eſt, nequè poteſt appetere, quas non habet, quia nulla eſt forma poſſibilis, quam materia non habeat; & vnaquæque forma eſt quid optimum in ſuo genere, & materia in ſuo primo eſſe dicitur indifferens ad quamcumque formam; &, qùm habeat omnes poſſibiles exiſtere, non ſupereſt vllum illius deſiderium inexpletum, ſi hoc daretur: &, quià nulla forma ſubſiſtit extrà materiam, non eſſet, quod poſſet appetere. Ità concludit Auic. materiam non ap-

appetere formam, ſed diuinum, bonum, & appetibile mouere omnia ad perfectionem vniuerſi conducentia; quod tamèn perenni continuatione ſemper noua moliatur, & ſubſiſtant per vocatam generationem

De Principio.

VT proponit Ariſt. in titulo horum quatuor librorum, aggreditur poſt proemium tractationem de principijs; &, prout fieri conſonum prædixit, incipit à notioribus per ea, quæ vſque ad eius tempora relata fuerant à prioribus, & primò agit vniuerſalitèr de illis quot, & quæ ſint, poſtmodùm agit ſingularitèr de vnoquoque, & communem principij rationem in quolibet recognoſcit.

Primum, quod elicit ex omnium opinione, in cuius ratione conſentiant philoſophi, eſt contrarietas. Etenim, tanquàm peripateticus in ambulatorio, ac in triuio omnium opiniones auſcultans, qui de principijs diſputarent, in nulla alia ratione conuenire, animaduertit, quàm in contrarietate. namquè Parmenides principia naturalium rerum poſuit calidum, & frigidum, ſeù ignem, & terram. Democritus, quod eſt, &, quod non eſt, ſeù ſolidum, & inane. Empedoches litem, & amicitiam. Plato magnum, & parnum. Alij rarum, & denſum: humidum, & ſiccum: ſuperabundantiam, & defectum: par, & impar: conſonans, & inconſonans; & alias contrarietates in poſitione, ordine, aut figura: vt ſursùm, & deorsùm: antè, & retrò: angulare, & inangulare: rectum, & rotundum: figuratum, & infiguratum. Qùm igitùr tàm variæ, adeò diſcordes, tàm multiplices ſint veterum philoſophantium ſententiæ circà principia, abſtrahitur ab Ariſt. communis quædam ratio principij ab omnibus aut directè, aut indirectè propoſita; quod videlicèt principia ſint contraria; & ſtatuit primum aſſertum de principijs, contraria eſſe principia. namque, ſi omnia principia ſtatuuntur contraria, & in hac ratione contrarietatis omnes conueniunt, quià in ea videtur conſiſtere ratio principij; ex affectione vniuerſalitèr poſita, qualis eſt contrarietas, firmat concretum, quod ponit pro ſubiecto, de quo prædicatur principium & hanc concluſionem facit *contraria ſunt principia*, Hoc enim ſonare dicimus nomen peripatetici, nempè populare, & triuiale; vt qui in peripato, hoc eſt in triuio literario, vbi omnes philoſophi conueniunt, ex omnium opinione abſtrahit id, in quo omnes conuenire auſculauerit, vt facit manifeſtè Ariſtoteles.

De numero principiorum.

CVm patefecerit ex omnium philoſophorum conſenſu, ea, quæ ab illis vocantur principia, eſſe cōtraria, & hoc rationabilitèr, quià principia nō debent inuicèm fieri: neque ex alijs, & ex his debent fieri omnia; ſed prima contraria ſunt talia, ergò prima contraria ſunt principia. minor probatur; quià prima contraria ex eo, quod ſunt contraria, non poſſunt inuicèm fieri, & ſi ſunt prima nō poſſunt fieri ex alijs ex Ariſt. T.42., & propterea ait contraria ponēda eſſe pro principijs; proponit modò quæſtionem de numero principiorum; &, procedendo dilemmatè ſupra

prà dilemma, ait primùm principia vel eſſe vnum, vel plura; & concludit principia in hoc dilemmate eſſe plura; quià, ſi ſtatuuntur principia contraria, vnum non poteſt eſſe ſibi ipſi contrarium, vt tale; concedit tamèn vnum poſſe eſſe principium omnium, ſed, ùt, ex quo, & tanquàm ſuſceptiuum contrarietatum, velutì dicebant naturales philoſophi ex T. 24. itàque non erit vnum tantùm omnium rerum principium; ſed multiplex; vndè omnes, qui ſtatuunt vnum tantùm omnium rerum principium, abutuntur nomine vnitatis, namquè hoc idem procedente ſermone multiplex oſtendunt: namquè hoc vnum ab illis poſitum principium alij ponunt mobile, alij immobile; mobile ponunt omnes naturales; qùm enim natura ſit principium motus, qui de natura dicunt, neceſsè eſt ponant hoc vnum mobile; quod alij dixere eſſe aquam vt Thales; alij ignem vt Heraclitus, & Hippaſus; alij aerem, alij medium quoddam aere quidèm rarius, igne vero denſius; quod magis approbat Ariſt; quià, qùm hoc ſit ſenſu inconſpicuum, poteſt accipi tanquàm materia, & ſuſceptiuum contrariorum. Reprobat autèm omninò opinionem Parmenidis, & Meliſſi, qui dicunt hoc vnum principium eſſe immobile, quià ex inductione patet, aùt omnia, aut aliqua moueri in rerum natura; ideò hoc principium non poteſt eſſe immobile, de quo quæritur tanquàm de principio mobili, ideò motu negato in natura deſtruitur omnis ſcientia naturalis, & interdicuntur omnes quæſtiones, quæ ſunt in natura, & contrà negantes principia non eſt diſputandum. Imò oſtendit, etiàm ſi concederetur vnum eſſe omnium rerum principium, & illud eſſe infinitum, vt Meliſſus fatetur, ita vt non videretur, quò poſset moueri, tamèn non poteſt dici abſolutè immobile, namquè etiàm ſi fuerit infinitum, poſſet moueri in ſe ipſo, velutì conſpicimus moueri aquam in ſe ipſam, & aerem. Imò qui dicit infinitum, inquit, Ariſt, dicit multiplex, & non vnum; quià, qui dicit infinitum, dicit quantum, & quantitas eſt alia entitas diſtincta à ſubſtantia; ideò, qui dicunt vnum quantum, voce quidem dicunt vnum, re autem dicunt multa, nempè ſubſtantiam, & quantitatem; &, ſic vt quantum, erit multiplex, quià quantitas eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia; & multa abſurda ſequerentur, ſi omnia vnum eſſent, quià illud vnum ſimùl eſſet malum, & bonum: albnm, & nigrum; homo, & equus, quæ res adeò differentes natura non poſſunt rationabilitèr tanquàm vnum concipi, ex quibus concludit principium non poſſe eſſe vnum tantùm, ſed eſſe plura.

Firmata hac ſententia, principia debere eſſe multa, quærit alio dilemmate; an ſint finita, vel infinita, & concludit debere eſſe finita; quià, ſi eſſent infinita, fruſtrà quæreremus eorum ſcientiam; namquè infinitum non cadit ſub ſcientiam. Democritus arbitrabatur principium quidem genere vnum eſſe, ſed ſpecie multiplex: nec malè arbitrabatur, ſi hoc vuum dicebat eſſe materiam, & error illius erat, quià hanc multiplicitatem ſpecificam non credebat pendere ex natura, ſed eſſe accidentalem, & non eſſe rerum generationem vllam; ſed potiùs alterationem: dum res ordine, poſitione, & figura variarentur: ita vt eſſentia ſempèr eadem permaneret; ideòque à ſermone in eius ſcholis conſueto, ſecundùm propriam eius licæi conſuetudinem loquendi non vtebantur verbo eſt, itàut dicerent hoc eſt album, hoc eſt nigrum, hoc ſtat, hoc ambulat; ſed ſupponendo vnum eſſe omnia, dicebant tantùm albatur, nigreſcit, ſtat, ambulat; qua de re aliàs habebitur ſermo: modo habeatur hæc concluſio; Ariſt. in quæſtione, an principia (quæ iam plura probata ſunt), ſint fini-

finita, vel infinita; ea eſſe finita, quià infinita fruſtrà quærerentur.

Poſito igitùr eſſe finita, & plura vno: quærit an ſint duo, vel tria, vel quatuor, vel alio aliquo numero determinata: & primò oſtendit, ſaltem debere eſſe duo; quià in omni genere vno eſt vna prima contrarietas: ſubſtantia eſt vnum genus entium, ergò in genere ſubſtantiæ ſunt duo prima contraria, ac pariter in alijs generibus ſunt contraria; ſed, velutì entitates aliæ alijs priores ſunt, vt ſubſtantia eſt prior accidente, & fiunt alia contraria ex alijs, iſtà contraria non poſſunt aſſignari pro principijs, quia hæc adueniunt, & recedunt; vt calidum, & frigidum: magnum, & paruum: ignis, & terra: lux, & tenebræ &c., & aliæ contrarietates ſuprà aſſignatæ pro principijs. At principia debent ſemper manere, ergò ea, quæ aſſignantur, non poſſunt ſtatui pro principijs, ſed ab his omnibus neceſsè eſt abſtrahere vnam idealem contrarietatem, quæ ſempèr maneat, & à qua omnia pendeant; quæ contrarietas, qùm neceſſario ſit intèr duo: prima, ac maxima aſſignari poſſet inter ens, & non ens; ſed non ens eſt nihil, & ex nihilo nihil fit; &, ſi omnia ex principijs fiunt, non ens ſimplicitèr non poteſt eſſe principium. Ità ponere ens pro altero principio, aut principium eſſet vnum tantùm, aut eſſent infinita principia; & vtrumque excluſum eſt à ratione principij: pro ente igitùr ponenda eſt forma, & pro non ente priuatio, quæ poteſt habere rationem principij; nam; licèt habeat minimum entitatis, eſt tamèn forma quædam, per quam datur impulſus ad formam. proptereà Ariſt. ſtatuit prima contraria formam genericè ſumptam, & priuationem. Ac qùm oſtendiſſet Ariſt. ſaltèm duo debere eſſe principia, ſi contraria eſſe debent, dubitat ſubſequenter. an conſtituere duo tantùm principia ſit ſatis. Ex vna parte, quià contraria ſtatuuntur duo tantùm principia, videntur ſatis: at ex alia parte, ſi ſtatuuntur contraria principia, non videtur, quomodò ex his contrariis ſolis poſſit vna forma prodire: itàut raritas faciat denſitatem; aut denſitas raritatem; aut calidum quomodò poſſit facere frigidum, aut frigidum poſſit generare calidum ex ſe ipſo. neceſse igitùr videtur ponere tertiam aliquam entitatem, quæ formæ ſit ſuſceptiua, quod probat vlterius hoc modo. Principia debent eſſe primæ entitatis, ne detur principium principii, aut entitas ſinè principio: ſed prima entitas eſt ſubſtantia, ergò principia debent eſſe ſubſtantiæ: ſed ſubſtantia non eſt contraria ſubſtantiæ, ergò ſi ſubſtantia poneretur principium, principia non eſſent contraria, quod eſt id, quod ex omnium philoſophorum conſenſu iam determinatum eſt. Ac ſimùl dicere principia eſſe contraria, & principia non eſſe contraria, non poſſumus, nisì ponatur aliud tertium principium, quo poſito conciliantur hæ duæ propoſitiones contradictoriæ. Principia ſunt contraria, & principia non ſunt contraria; namquè principia ſunt contraria, vt forma, & priuatio. Principia non ſunt contraria, vt forma, & materia; aut materia, & priuatio. Neceſſarium igitùr fuit ponere tria principia, materiam, formam, & priuationem; duo contraria, & vnum medium ſuſceptiuum eorum. Et, quoniam hos libros vocauit auſcultatorios, ex eo, quod ea, quæ audierit, proferre aſſumpſerit; nè quidèm hanc opinionem ſibi aſciſcit de numero ternario principiorum; ſed, & apud antiquos, & apud moderniores philoſophos agitatam dicit, dùm dicerent principia rerum naturalium eſſe vnum, vt ſuperabundantiam, & defectum; & per vnum videtur accipere Ariſt. materiam, per ſuperabundantiam formam, per defectum priuationem. Hanc tamèn differentiam

aſſignat intèr priores, & poſteriores philoſophos, quod priores dicerent, vnum hoc eſt materiam pati, & ſuperabundantiam, & defectum, hoc eſt priuationem, & formam agere. poſteriores verò contrariam habuerint ſententiam: ita vt crederent, defectum, & ſuperabundantiam, hoc eſt priuationem, & formam pati.

Ex his concludit ex omnium conſenſu tria ſtatuenda eſſe principia, nempè materiam, formam, & priuationem, & non plura tribus, quià ſi eſſent quatuor continerent in ſe duas contrarietates, & intèr vtramque contrarietatem fuiſſet ponendum alterum medium; &, quià ad patiendum ſufficit vnum, vel iſtæ duæ contrarietates eſſent æquè primæ, vel altera eſſet prior altera; at eſſe duas primas contrarietates ſimùl ait, impoſſibile, ergò reducenda eſt ratio principij ad vnam tantùm contrarietatem, cuius vnum ſubiectum ſit ſubſtantia, ad primum genus ſubſtantiæ reducere oportet; nàm quamuis multæ contrarietates ſint aliæ priores, aliæque poſteriores; tamèn abſtrahibilis eſt ab omnibus vna ratio contrarietatis communiſſima, & prima, quæ ſtatuatur pro principijs, vt ſunt forma genericè accepta, priuatio, & materia.

Dubitationes contrà numerum trinarium principiorum.

Contrà ea, quæ determinata ſunt ab Ariſt. poſſet emergere dubitatio, quià inter principia rerum naturalium videtur ponenda etiam cauſa efficiens, ſiquidèm ſinè ea principia narrata, ac poſita nullius momenti, aut valoris ſunt; ergò principia erunt plura tribus.

Item ad rei generationem videntur concurrere duæ priuationes, nempè ea, quæ eſt formæ abeuntis, & ea, quæ eſt formæ accedentis, & non videtur maior ratio, cùr pro principio debeat ſtatui potiùs priuatio formæ futuræ, & accedentis, quàm abeuntis; imò maior ratio eſt abeuntis, vt quæ iàm poſſeſſa videtur etiam magis conſona materiæ, quam deſerit, vt in extincta candela apparet, eam extinctam flammam celerimè recipere, & potiùs, quàm quamcumque aliam formam; ergò erunt duo principia tantùm ex parte priuationis.

Tertio, Principia debent eſſe ſubſtantiæ; aliàs à non ſubſtantiis fierent ſubſtantiæ; ſed forma, & priuatio non ſunt ſubſtantiæ, & materia non eſt quid, nec quale, nec quantum: ergò materia, forma, & priuatio demendæ ſunt à numero principiorum. Probatur minor primò circà formam, & priuationem, quià Ariſt. ſuadet illis addendum eſſe ſubiectum, & materiam, quià ſecùs ex non ſubſtantiis fierent ſubſtantiæ; & de materia aut ſola remanet ſub ratione principii, ex quibus omnia fiunt, aut etiam excluditur, ſi nullum eſt ex allatis prædicamentis.

Satìs nihilominùs probatus permanet ex ſuperiùs allatis numerus prin-

principiorum; quià cauſa efficiens non concluditur per ſe in conceptu generationis, quod ad rationem principii expoſcitur. At cauſa efficiens, licèt neceſſario concurrat ad generationem rei, tamèn non exuit rationem cauſæ, quæ varia admodùm eſt à ratione principii; vndè priuatio eſt principium, & non eſt cauſa; cauſa efficiens, & finalis ſunt cauſæ, & non ſunt principia.

Ad ſecundum argumentum de duobus priuationibus, reſpondetur priuationem formæ abeuntis non poſſe habere rationem principii, quià ex ſententia Ariſt. non fit quodlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato; & qùm ex priuatione ad habitum non detur regreſſus, forma abiens non ingreditur conceptum generationis, ſed corruptionis, vndè ea poteſt potiùs dici negatio formæ, quàm priuatio; quià in priuatione expoſcitur aptitudo quædam adiuncta ad futuram formam, ſi fieri debet determinatum ex determinato.

Ad tertium Argumentum ſatisfactum creditur per ea, quæ dicta ſunt vſque adhuc; & per ea, quæ dicenda ſunt, qùm ſeorsim de materia, forma, & priuatione agendum eſt; nàm priuatio certè non eſt ſubſtantia, vt probat argumentum; ac nequè materia in actu, potentia tamèn eſt ſubſtantia, aut quid ſubſtantiale quandoquidèm vnà cùm forma componit veram ſubſtantiam prædicamentalem, quæ eſt compoſitum.

Defenditur deſcriptio Principiorum.

PRincipia hoc modo deſcribuntur ab Ariſt. 1. phiſ. T. 42. *principia ſunt, quæ nec inuicem fiunt, nec fiunt ex alijs, & ex his ſunt omnia*. tres ex hac deſcriptione conditiones eliciuntur; prima eſt, nè fiant vnum ex altero, quæ conditio illis dicitur conuenire, quià ſunt contraria, vt Ariſt. proponit. tamèn hoc ſe habet contingentèr, quià aliàs protulit Ariſt. omnia fieri ex contrarijs: vndè neceſſarium eſt mediatè, aut immediatè contraria fieri inuicèm: aliàs non fierent omnia ex contrarijs, & abirent in contraria. non repugnat igitùr contraria fieri inuicèm mediatè, vt ex aqua fit ignis, mediante aeris generatione, & etiam immediatè contrarium fit ex contrario, tanquàm ex termino ita vt; veluti frigus eſt terminus, a quo caloris geniti, ità calor poteſt eſſe terminus, a quo geniti frigoris; & ſic fieri inuicem, veluti mediatè ex aqua fit aer, ex aere ignis: & rurſùs ex igne aer, ex aere aqua. Hæc igitùr conditio principiorum, non fieri inuicèm, non aſſignatur à communi philoſophorum conſenſu, quià ſint contraria; ſed quià vocato principio poſſit aſſignari ſecunda condiio, non fieri ex alio: namquè, ſi fierent inuicèm, non poſſet aſſignari cuinàm competeret ratio principij, & multæ orirentur controuerſiæ, vt verè natæ ſunt inter philoſophos; quorum alij omnium rerum principium dixere aquam, alij aerem, alij terram, alij ignem; non conueniunt autèm hi, quià pro rerum principijs ponunt ea, quæ fiunt inuicèm, vt ex igne aer, ex aere aqua, ex aqua terra, & rurſùs ex terra aqua, ex aqua

aer, ex aere ignis. ad tollendam igitùr huiuſmodi controuerſiam; & vt ratio principij firmaretur ex omnium conſenſu, ex omnium opinionum auſcultatione ratum eſt: nulla ex his ſtatuenda principia, & principia non debere fieri inuicèm. Secunda conditio eſt, principia non debere fieri ex alijs: quià, ſi fierent ex alijs, non eſſent prima principia, & daretur proceſſus in infinitum. Tertia conditio eſt, ex his omnia fieri; vnde non hæc materia, aùt hæc forma ſtatui poteſt pro principio, ſed materia, & forma ſimplicitèr, & comunitèr accepta; & proptèr hanc conditionem, magnum, & paruum; calidum, & frigidum; humidum, & ſiccum, ſolidum, & inane; rarum, & denſum; ſuperabundatia, & defectus; par, & impar, lux, & tenebræ; lis, & amicitia non poſſunt ſtatui pro principijs, quià non poteſt fieri ex his calidi, & frigidi ſubiectum, & aliarum contrarietatum.

Contrà quam determinationem videntur emergere quædam difficultates. primò aſſignata principia, forma, materia, & priuatio non videntur habere has tres conditiones. nàm forma educitur de potentia materiæ, materia actuatur à forma. ergo fiunt inuicèm. Itèm priuatio habet pro termino, à quo formam præcedentem, & abeuntem, forma inducta habet pro termino, à quo, priuationem; ideò dùm dicitur non fieri ex ſe inuicèm: ſi propoſitio, ex, tribuitur termino, non parti, vt omnes interpraætantur, priuatio, & forma fiunt inuicem. Prætereà materia, & forma, loquendo de prima productione, per creationem facta ſunt ex nihilo, vt oſtendemus etiam ex ſententia Ariſt; ergò non competit illis ſecunda conditio, non fieri ex alio; quod, ſi quis replicet, fieri ex nihilo, non eſſe fieri ex alio, quià nihil non eſt aliud, dicimus hac ratione nequè etiàm priuationem ponendam eſſe intèr principia, quandoquidèm priuatio eſt negatio formæ, & veluti rationem principij recipit ex eo, quia eſt in ſubiecto apto recipere formam, ità illud nihil erat in ſpatio apto per Dei omnipotentiam vbique exiſtentem exire in actum. Tertio corpora cæleſtia non fiunt ex his principijs: qùm in his non contingat priuatio: ergò vltima conditio, ex his omnia fieri, nō competit omnibus principijs.

Non euertunt tamen ea, quæ obiecta ſunt Ariſt. ſententiam circà conditiones principiorum; &, quo ad primum, licèt forma corruptibilis educatur de potentia materiæ, tamen primò non dicitur fieri ex illa, dùm forma ſingularis eſt, quæ educitur de potentia materiæ, non autèm forma abſolutè ſumpta, & genericè accepta; & forma abſolute accepta eſt, quæ dicitur principium, materia autem non attuatur à forma, ſed per formam exit in actum, à qua actuatur compoſitum; nàm materia habet proprium actum entitatiuum, quem non recipit à forma. Item priuatio, & forma non fiunt inuicem, quià ratio principij tribuitur priuationi, quæ eſt negatio formæ in ſubiecto apto, non autèm ei, quæ eſt negatio formæ in ſubiecto non apto, & in quo non datur regreſſus; imò hæc ipſa aptitudo eſt, quæ tribuit effectum formalem priuationis ſub ratione principij: nàm ſinè hac aptitudine priuatio non eſt principium. Ad ſecundum reſpondetur, nos ponere conditiones principiorum rerum naturalium, & naturali modo procedentium. Vndè licèt Ariſt. nouerit creationem, vt ſuo loco manifeſtabitur: tamen, quod creatum eſt, licèt naturale ſit, non acceptæ naturæ ordine exiuit in actum, vndè materia, & forma facta per creationem non poſſunt dici modo naturali facta ex alio, neque tanquàm ex termino, nequè tamqnàm ex parte. Ad tertium reſpondetur principia tradita ab Ariſt. competere etiàm cæleſti corpori compræhendendo etiam

tiam priuationem, nec vnquam Ariſtotelem protuliſſe ea corpora eſſe abſolutè ab omni corruptione abiecta: vt luculentiùs oſtendendum eſt in libris de Cælo.

De Materia.

EXplicato quot ſint, & quid ſint principia rerum naturalium, & quibus conditionibus prædita ſint: supereſt ſeorsìm aliqua de ſingulis dicere; nempè de materia; de forma, & de priuatione, & primùm de materia illud præaccipere oportet, quod profert Ariſt. 1. phiſ. T. *69*. nempè, materiam non poſſe cognoſci, nisi per ſimilitudinem; quod ſi eſt, neceſsè eſt proponere priùs, quænam ſint, ad quorum ſimilitudinem materia cognoſci poſſit, & debeat. Primò, & principalitèr dicitur apud artifices materia ex qua, & in qua res fiunt: vt æs dicitur materia, ex qua ſtatuæ fiunt, & alia ærea vaſa; creta, ex qua fiunt fictilia, lignum, ex quo ſcamnum; & hæc eædem ſunt materiæ, in quibus figuræ ſtatuæ, fictilium, & ſcamni recipiantur. Hæc autèm materia in artificialibus, vel eſt ætherogenea, vel homogenea; homogenea eſt æs, lignum, creta, ex qua fit ſtatua, ſcamnum, vas. Etherogenea ſunt calx, lignum, lapis, ex quibus domus fabricatur. Materia homogenea eſt, quæ propriè dicitur materia, ex qua permanente eadem res fiunt ab artifice; Materia etherogenea eſt, quæ magis propriè dicitur elementum: ex qua etiàm, eadem permanente, fit domus: ſolo ordine, loco, ſitu, aut alio accidentali permutato, quatenùs verò hæc materia ſiuè ethærogenea, ſiue homogenea non rem ſubſtantialem efficit principium effectionis non habens in ſe, ſed in alio, ſed recipit tantummodò accidentia, tunc propriè dicitur ſubiectum, quià ex ea non fiunt res, ſed ipſa rebus ſubijcitur; &, ſi res, quibus ſubijcitur, fuerint ſubſtantiæ, non autèm accidentia, non materia neque ſubiectum, ſed baſis, fundamentum, vel ſimili nomine inſignitur. itàquè quoniam per ſe cognoſci non poteſt, tàm varijs nominibus prædita eſt, pro vt reſpondet varijs materi s in artificialibus conſideratis, à quibus in hoc differt, quod materia artificialium ſempèr eadem permanet, vt æs cera, creta, lignum, lapis, nisì ars ità actiua paſſiuis aptet, vt per naturam fiat mutatio ſubſtantialis; velutì dùm ex ligno fit ignis, quæ tranſmutatio eſt à natura non ab arte. ars tantùm aptat actiua paſſiuis; attenta igitùr hac differentia materiæ artificialis, ac naturalis, eodem nomine ſignificatur, diciturque materia, ſubiectum, elementum, aut ſimilibus vocabulis his reſpondentibus explicatur, vt rationi, quæ dicitur materia reſpondent hęc nomina, quibus dicitur *3*. phiſ. 27. *panſpermion* 12. meth. *chaos* 2. phiſ. 8*3*. aqua, ſeù *vlaphie*, & molle primo phiſ. 80. nutrix, mater, fœmina 1. de ortu, & interitu genus 1. phiſ. *56*. medium, in fine ſecundi phiſ. cauſa ſinè qua non, & a ſimilitudine camæleo, & Proteus, & ſylua ſtoicis; velutì enìm ex ſeminis potentia omnes formæ educuntur, ità ex potentia materiæ; ità velutì chaos omnia continere dicitur; aqua, & quodcumque molle in omnem figuram permutari; & per nutricem, matrem, & fœminam iam orta augeri: ità ex hac materia omnia fiunt, eaque in omnia tranſmutatur, & ab ea omnia incrementum recipiunt; ac, velutì genus per additas differentias in varias ſpecies diuiditur, ità materia per ſuperuenientes formas in varia erumpit compoſita; ex quo intèr priuationem, & formam

tiam ipſa ſola eſt, medium nuncupatur; & quoniàm ſinè ea nihil ſubſiſtere poteſt, cauſa quoque, ſine qua non dicta eſt; & quià tàm facilè tranſmutatur, & nouam ſempèr materiam pro rebus efficiendis indeficientèr prebet ſylua, & Proteus, & chamælo dicitur. Alia nomina reſpondent potiùs nomini elementi, aut ſubiecti, quàm materiæ; vt elemento reſpondet, dùm dicitur mixtio, & fæx vitæ ex Simplicio 1. phiſ. 65. veluti enìm ex elementis fit mixtio; ac, vita expirante, inutile corpus remanet tamquàm fex; ità ex hac omnia miſcentur, & viuentia in hanc, quaſi in cadauer reſoluuntur. Nomina verò, quæ ſubiecto reſpondent ſunt ſinus, locus ex Platone in Timeo: & 1. phiſ. 50. ſedes, *pandeches*, ſeù omnia habens, quo verò dicatur potentia, infinitum, magnum, & paruum, par, & impar, aut plenum, & vacuum, ad alterum ex his tribus nominibus reducitur; nempè, vel ad materiam, vel ad ſubiectum, vel ad elementum. Quod autèm verè materia non ſit cognoſcibilis, niſi per ſimilitudinem ex multiplici nominum congerie patere poteſt; & magis adhuc ex conceptu tàm diuerſo, quod de illius ratione auctores habent, ità vt ab alijs ſummis laudibus extollatur, ab alijs expreſsè vituperetur; ſunt enim, qui nihil ſublimius in vniuerſo eſſe credunt, quàm materia prima, ità vt eam Deum eſſe ſtultè crediderint, & non animaduertentes, quid interſit, inter differens, & diuerſum, aſſerunt, qùm nec in Deo, nec in materia prima ſit vlla compoſitio, nec etiam poſſunt includere aliquid, quo inuicem differant, & hoc ſophiſmate concludunt idem eſſe Deum, & materiam primam, quam opinionem tribuit Albertus M. 1. phiſ. cuidam Alexandro Epicureo. D. Thomas eſſe ait Dauidis de Dinanto. Ipſe verò D. Thomas ex aduerſo turpem vocat, & incompoſitam, ac maleficam. Ab Ariſt. dicitur per ſe ignota, & prope nihil, ab alijs tenebræ; vnde ex tam vario phiſophorum ſenſu circà eius eſſentiam, quàm difficilis captu ſit eius natura, licet exiſtimare.

Materiæ primæ deſcriptio.

EX dictis Ariſt. in hoc primo libro phyſicorum admodùm obſcura eſt natura materiæ primæ; & dicitur *ſubiectum primum, ex quo fit aliquid; qùm inſit, &, ſi quid corrumpitur, in hoc abibit vltimum*. Subiectum eſt quaſi genus, quo ſimilitudinem ſumit à ſubſtantia compoſità, quæ eſt ſubiectum accidentium: ità vt eodem modo ſtatuat materiam primam ſubiectum formæ ſubſtantialis, quo compoſitum eſt ſubiectum formæ accidentalis, licèt omnimoda ſimilitudo non ſit; quià materia eſt pars compoſiti, compoſitum autem non eſt pars adeò, vt vnà cùm accidentibus faciat vnum, ſed eſt admodùm diuerſo modo ſubiectum. ideò dicitur ſubiectum, *ex quo fit aliquid*, & non in quo. per hoc enim ſatis differt à ſubiecto accidentium; &, quià ex quo poſſet intelligi terminus à quo, & natura compoſita, id eò additur, *qùm inſit*: per hoc enim denotatur, materiam non eſſe ſubiectum tanquàm terminum, & excluditur priuatio. addit deinde, *&, ſi quid corrumpitur*: non quià concludat, fieri reſolutionem vbsque ad materiam primam in rerum corruptione; ſed, vt hoc idem ambiguum, & incertum referat. & res naturales in hanc materiam abituras ſub hoc hypoteſi, *ſi quid corrumpitur*: ſupponens fortaſſè, nihil prorsùs, &, omninò corrumpi; ſed tranſmutari: ità vt vnius corruptioni immediate ſub-

ſubſequatur alterius generatio ; ſic ipſa materia permanet incorruptibilis ſub aliqua forma ; per ſe autem non eſt , quid , nec quale , nec quantum , nec aliud ex determinatis prædicamentis : non negat tamen aliquid eſſe , etiàm actu , ipſa enìm non eſt poteſtate ; ſed omnia , quæ ex ipſa futura ſunt , ſunt poteſtate , quæ ſunt compoſita . Imò primo phiſ. T.60 dicitur eadem cùm priuatione; ſed priuatio eſt per ſe non ens , ergò id , quod tribuitur entitatis priuationi , pendet ex materia , quæ bona eſt , ſi dicitur bonum appetere ; namque omne ſimile appetit ſibi ſimile ; nec malum dici poteſt id , propter quod omnia , ſaltem partialiter , ſunt in eſſe boni , & perfecti ; ſi quidem ex Ariſt. materia eſt , quæ formæ , et formato dat eſſe ſubſtantiæ : aliàs forma non traderet eſſe ſubſtantiæ, vt refert Ariſt.&per eam verè eſt,quod eſt, & per eam eſt in loco locatum. Quod verò non ſit in prædicamento non tollit , quìn dici poſſit ens , etiàm nomine concreto,& determinante compoſitum ; quià , ſi ex Ariſt. debet cognoſci per ſimilitudinem ad æs , & lignum lignum habet propriam compoſitionem ex materia,& forma ligni ; quod lignum ità compoſitum ex materia , & forma eſt ſubiectum variarum figurarum , quibus figuris , & formis accidentalibus deducit nos Ariſt. in cognitionem materiæ exiſtentis ſubiectum formarum ſubſtantialium ; ad quam compoſitionem , & entitatem ignotam quidem , ſed non excluſam reſpiciens Ariſt. eam non eſſe aerem, nec aquam, nec ignem ſed potiùs medium quoddam igne craſſius , & aere ſubtilius . non eſt igitùr alienus Ariſt. materiam habere proprium actum extrà formas prædicamentales : quemadmodùm cera habet proprium actum ceræ extrà figuras , & formas accidentales . quandò autem dicitur non ens , & pura potentia , conſonantèr dicitur ad entitates prædicamentales , & actus earum : non tamen eſt prorsùs nihil , vt 1. de Cælo dicitur T. 100. extrà cælum nihil eſſe ; quod etiam intelligere oportet ſano modo , quippe extrà nihil eſt entium , quæ in prædicamento ſunt , neque materiæ , de qua agimus , quià iſta quoque eſſet fruſtrà,ſi nullum actum recipere poſſet ; dixi ſuprà prædicamentum , licèt alij referant infrà ; quià , veluti forma æris eſt antè omnem figuram , & ſtatuam , ità actus materiæ proprius eſt antè omnem actum prædicamentalem , ad quæ relata eſt potentia , non tamèn caret proprio actu extrà , & ſuprà prædicamentum compræhenſibile per ſimilitudinem æris , ceræ , et ligni , quæ ſimilitudo non propterea eius entitatem reducit ad ens rationis , quod nullam aliam habet formalitatem , prætèr ipſum intelligere in actu exercito .

An Materia ſit ſubſtantia.

DVm dicimus cùm Ariſt; materiæ eſſentiam dignoſci per ſimilitudinem , vt æris, ceræ , & ligni ad figuras , ità ipſam eſſe ſubiectum formarum ſubſtantialium ; non propterea quis deducat , veluti figura eſt accidens , ità formas ſubſtantiales concipiendas eſſe tanquàm abeuntes , & redeuntes ſinè ſubiecti corruptione , & conſequenter compræhendi ſub definitione accidentium ; namquè non idcircò arguitur vlla imperfectio formæ ſubſtantialis , qua in eſſe prædicamentali ipſa materia perficitur, & concipitur tanquàm quid ſubſtantiale , & pars ſubſtantiæ , quidquid ſit de proprio actu extrà prædicamentum , a quo manifeſtè excluditur 7. Metaph. T. 8. Attamèn non ex eo ,

quod nihil eſt actu eorum, quæ ſunt in prædicamento, excludenda eſt ab alio actu cognoſcibili per ſimilitudinem ab his, quæ ſunt in prædicamento, quæ ſimilitudo ſi quæritur, an ſit accidentis, vel ſubſtantiæ: profectò videtur ſinè controuerſia eſſe ſubſtantiæ; & , dùm Ariſt. 1. phiſ. Tex. 79. ait materiam eſſe propè ſubſtantiam: illud propè apponit propter ſubſtantiam prædicamentalem, in cuius genere non eſt, niſi partialitèr. At ſecundùm proprium actum extrà prædicamenta poſitum non ſolum eſt ſubſtantia, ſed ità eſt ſubſtantia, vt ſubſtantia prædicamentalis eandem proportionem habeat ad materiæ eſſe ſubſtantiale, quam habent accidentia ad compoſitum; ex Ariſt. 1. phiſ. T. 69. vt enìm ad ſtatuam æs, aut ad formam materia, & informe ſe habet, priuſquam accipiat formam, ſic hæc ad ſubſtantiam, & hoc aliquid, & quod eſt, ſe habet; vt velùti hominem albari, & ambulare dicebant ne id, quod vnum eſt, multa facerent, ità materiam, vt ità dicam, homineſcere & leoneſcere, qùm hæc ſubſtantia, excipiat formas ſubſtantiales eodem modo, quo ſuppoſitum ſubſtantiale recipit formas accidentales, abſque eo tamèn, quòd illæ exuant rationem ſubſtantiæ, quam euocant ex potentia materiæ, & ex illius præſtanti natura fœnerantur. Ea deſcriptio ſubſtantiæ, quæ primò principalitèr, & maximè dicitur, eſt deſcriptio ſolius materiæ primæ, quæ ſola nec de ſubiecto aliquo dicitur, nec in ſubiecto aliquo eſt, & per eam, hoc eſt ratione materiæ ſuppoſitum ſingulare in ſubiecto non eſt. namquè, qùm in ſuppoſito ſingulari conſideretur forma, & materia: reſpectu formæ ſuppoſitum ſingulare eſt in ſubiecto, nempè in materia; reſpectu materiæ non eſt in ſubiecto, ergò materia cauſa eſt ſingulares ſubſtantias non eſſe in ſubiecto. atque, ità quæ primò principalitèr, & maximè dicitur ſubſtantia, eſt materia prima; nàm proptèr quod vnumquodque tale, & illud magis; ſed per materiam ſingularis ſubſtantia non eſt in ſubiecto, & recipit definitionem ſubſtantiæ, quæ primò principalitèr, & maximè dicitur ſubſtantia. Nèc, qui ait non eſſe prædicamentalem, illius entitatis præſtantiam deterit, quià ne quidèm Deus eſt ſubſtantia prædicamentalis, à quo materia primùm eſſe recepiſſe per creationem credibile eſt, qùm potentia actum præcedat. nequè etiàm eius imperfecta cognitio arguit imperfectam eſſentiam, quòd res eodem modo ſe habent ad eſſe, quo ad cognitionem; nàm etiam forma, & hoc aliquid maxima cùm difficultate compræhenditur, & eſt quæſtio communis, ad omne, quod eſt ex Ariſt. ſingularitèr 1. de anima T. 4. & Deus non niſi per negationem concipitur; ſed credi poteſt, vt opus primò intentum à Deo, ità etiam maximè perfectum fore, & , ſi ratiocinemur cùm Ariſt. deducimus facilè ipſam habere actum perfectiſſimum, & naturam ſublimiorem, quam habeat quæcumque forma prædicamentalis, quod deducitur ex eo, quod Ariſt. primo cæli; & ſecundo de generatione èx duratione rerum arguit perfectiorem, imò diuinitatem; ſed materia prima ex eodem Ariſt. eſt æterna, & formæ quæcumque prædicamentales variabiles, ergò ipſa materia eſt omnibus formis prædicamentalibus perfectior; quod ſi quis replicet formas prædicamentales ſingulares eſſe corruptibiles, ſpecie tamèn, & per ſucceſſiuam generationem, & reparationem conſeruari æternas; hæc etiàm duratio ſpeciei materiæ tribuenda eſt, & illius potentię, per quam appetit formam, vt turpè pulchrum, quo appetitu mediante ſequitur ſpeciei perpetua ſeries; & ratio turpis, quam inducit materia, non eſt ratione propria, ſed ratione imperfectionis formę prędicamentalis

lis

lis, ad cuius interitum ipſa in eſſe prædicamentali turpis ſit, remanens tamèn in ſua perfectione materiæ primæ, veluti aurum in ratione metalli non amittit propriam præſtantiam, quandò ſinè informi aliqua figura maneat, quæ illi prorsùs eſt accidentalis, & accidentalem perfectionem tribuit artifex, dùm præſtantiorem figuram inducit.

An Potentia ſit de eſſentia Materiæ.

QVandò quæritur de potentia materiæ, non requiritur de potentia, quæ eſt vna ex ſpeciebus qualitatis competens ſubſtantiæ prædicamentali; ſed quærimus de quadam potentia, quam ipſa habet ad formas pro conſtituenda ſubſtantia, & eſſentia omni prædicamentali, quæ in materia eodem modo conſiderari, & cognoſci debet, quo ipſa cognoſcitur, videlicet per ſimilitudinem. Vndè ea potentia, qua materia eſt principium patiendi, & recipiendi formas, communitèr non diſtinguitur ab eius eſſentia: veluti principium agendi formæ non diſtinguitur à natura illius. At, veluti potentia naturalis, quæ eſt ſpecies qualitatis, diſtinguitur à ſubiecto, & non eſt de eſſentia ipſius; ità potentia materiæ proxima ad determinatas formas non eſt de eſſentia materiæ, quià hæc potentia non pendet intrinſicè ab eius natura, qua prima eſt; ſed à ſuperuenientibus diſpoſitionibus, per quas dicitur materia ſecunda, & non prima; ſcire tamèn licet, per has ſuperuenientes diſpoſitiones determinari materiam, & non exuere potentiam illam, quæ eſt de eſſentia ipſius, vndè dicitur tantummodò pura potentia ea ratione, qua dicitur materia determinata ad formam, quam non habet, ſub qua ratione, licèt ſit quid compoſitum ex actu, & potentia: tamèn ratio materiæ, qua appetit formam eſt pura potentia; & non includit vllum actum: aut ſaltem actus incluſus abſtrahi debet in conceptu materiæ, vt remaneat pura potentia; & controuerſiæ omnes, & rixæ de hac re ſunt, quià materia conſideratur tanquàm ens prædicamentale, &, vt tale, diſtinguitur in potentiam, & actum; vndè, qùm non ſit actus prædicamentalis, ſequitur, vt argumentantur, eſſe potentiam; imò puram potentiam; quià non excluditur à conceptu ipſius actus tantùm ſubſtantialis, ſed quilibet actus; quarè reſpectu habito ad actus prædicamentales, remanet in conceptu ipſius ſola potentia, ac diſtinguitur à forma per actum, ſed non per actum proprium, quem illa habeat in hac præciſione; ſed per actum genericè illi negatum: in hac enim præciſione nullus actus illi competit poſitiuè, ac ne forma quidèm corporeitatis, quæ, vt alia omnia accidentia ſubiectatur in compoſito ex materia, & forma, & non in ſola materia, quæ non habet differentiam, niſi metaphiſicam, per quam ne quidem componitur, ſed differt conceptu in compoſito, & in iſto conceptu remanet incompoſita, & incompleta, & non ingreditur prædicamentum, extrà quod ipſa materia habet propriam exiſtentiam: in prædicamento autem non habet vllam, niſi partialem in conceptu; & compoſitum eſt, quod recipit exiſtentiam, & complementum à forma, non autem materia; quæ, dùm perficitur à forma, & recipit complementum ab ea, amittit rationem materiæ, veluti vnitas amittit rationem vnitatis in binario, qui ſit vnus numerus; appellatur autem materia in compoſito ob vocabuli defectum, veluti appellatur So-

 cra-

crates etiam quando mortuus eſt: vel igitur compoſitum eſt quid extrà conceptum materiæ, vel materia in eo concipienda non tanquàm completa coæua potentiæ, ſed pura potentia communiter accepta pro abſoluto, & fundamento, & non pro aliquo relato, niſi extrinſecè accepto.

An materia poſſit eſſe ſinè forma.

HAnc quæſtionem multæ aliæ conſequuntur, primò an materia ſit intelligibilis, ſecundo an appetat formam, tertiò an ſit incorruptibilis, quarto an recipiat formam immediatè, quinto an eius exiſtentia pendeat à forma, ſexto an habeat inchoationem formarum, & ſeptimò quomodò forma ſit in materia. Quo ad primum quæſitum: an ſit intelligibilis, Ariſt. apertè negat abſolutè, concedit tamen per ſimilitudinem 1. phiſ. T. *69.*, & per negationem 10. Methaph. T. 24. Tamèn hoc aſſertum Ariſt., quo negat poſſe cognoſci, intelligere oportet, ſi materia poſſit eſſe ſine forma, aut quatenùs nullam habeat relationem ad formam, neque dependentiam; nàm aliàs, vt refertur ad formam, per eandem formam cognoſcitur eodem modo, quo forma in compoſito, aut per ſimilitudinem formarum accidentalium; & in compoſito poteſt etiàm cognoſci a poſteriori, & per ipſius compoſiti ſubſiſtentiam, & per aliquas operationes. A priori quidèm materia cognoſci non poteſt, niſi per prædicata comunia, quod ſit ens, & ſubſtantia; ſed à priori eſt quæſtio comunis de omni principio, & non de ſola materia; quarè materia eſt inintelligibilis prorsùs ſeorsim ab omni forma; &, ſi ſeorsim à forma non poteſt intelligi, neque etiàm dicendum eſt, poſſe eſſe.

Secundo ſuccedit examinandum: an materia appetat formam, quod fruſtrà quæreretur, ſi materia non poſſet eſſe ſine forma; non poteſt enim appeti, quod non poteſt amitti, niſi dicamus appetere formam nobiliorem, aut amiſſam. certum eſſe, decernunt philoſophi, materiam non appetere formam appetitu elicito, quià materia non intelligit. Dubitatur de naturali appetitu, quià hic procedit à forma, & eſt compoſiti, quod appetit nobiliorem formam ad ſui maiorem perfectionem. Vnde, ſi materia appetit formam, vt turpe pulcrum, veluti celebris eſt ſententia Ariſt. credere dignum eſt, eam appetere, quatenùs ſinè ea eſſe poteſt, qui appetitus eſt propter bonum vniuerſale, non materiæ ſingularitèr, ſed mentis, & naturæ communis tendentis in perfectionem vniuerſi, qua appetit ſempèr aut nobiliorem formam, aut amiſſam. nobiliorem quidèm dum forma, quæ poſſidetur poteſt gerere vicem materiæ, & perfici (ſpecies enìm ſunt veluti numeri, qui per ſuperadditas vnitates variant rationem) ſi verò forma data, vt mixti exempli gratia non poſſit proptèr aliquod occurrens, aut proptèr conſequutionem finis exercere proprias operationes conſequentes formam mixti; tunc quoniam data forma non poteſt gerere vicem materiæ progrediendo in nobiliorem formam, ne ſit fruſtrà, ordo vniuerſi infert appetitum formæ amiſſæ; vndè mixta ex elementis, ceſſante operatione formę mixti, & non valente progredi in perfectiorem formam, recipiunt formam elementi, quam amiſerant, dùm reciperent formam mixti; & ex hoc appetitu deducitur facilè, materiam poſſe eſſe ſinè forma, etiàm ſi exercitè nunquam ſit. Vndè ſequitur formam recipere immediatè, & ipſam eſſe

eſſe incorruptibilem: &, licèt nunquam materia ſit exercitè ſine forma; tamèn eius exiſtentia non pendet à forma, & nunquàm fit reſolutio vſque ad materiam primam, & conſernat inchoationem formarum, non quià ipſa materia abſolutè non poſſit eſſe ſinè forma, ſed quià mens, & natura comunis fuſa in materiam, cauſalitatem finis in ea ſemper conſeruat, in quem materia creata eſt: nempè pro ſuſtinendis primò formis ſubſtantialibus, & ſubſequentèr formis accidentalibus. Quarè materiam non poſſe eſſe ſinè forma, non procedit ab eius debili ſubſiſtentia; ſed procedit ex cauſalitate finis: qùm enim materia ſit in hunc ſinem creata, vt formas recipiat, ſi non reciperet, eſſet fruſtrà; ideò ſinè vlla forma non poteſt ſubſiſtere, quià in natura nihil eſt fruſtrà. Et hinc patet, quod vltimò conſequi dicebamus: quomodò forma ſit in materia; ſi enìm non poteſt eſſe materia ſinè forma, non ex eo, quod pendeat à forma, ſed quià proptèr finis cauſalitatem, formæ educuntur ab ipſa, & emanant neceſſariò; veluti accidentia in compoſito; proportionalitèr tamèn; quià hæc accidentaliter inſunt, formæ verò ſubſtantialiter, & tanquàm compartes eductæ à natura communi, quam Platonici mundi animam dixere, & nonnulli ex peripateticis naturam naturantem: quæ eductio formæ non eſt ex nihilo; quià, quod fit, eſt compoſitum, quod fit ex materia tanquàm ex aliquo præexiſtente, in qua potentia erat forma, & educitur per antecedentes diſpoſitiones vi ſupremi opificis eleuatas.

De Creatione.

QVoniam occaſione propoſitæ quæſtionis. An materia poſſit eſſe ſine forma, dictum eſt, formam educi de potentia materiæ, nihil in illa præſupponens ſui; ideò videtur ex nihilo producta; & qum ſit ſubſtantia, aut ſaltem præcipua ratio ſubſtantialis compoſiti, videtur educta per creationem; iuxta Philoponi ratiocinationem. quippe *creatio eſt actus perfectus ſupremæ cauſæ, quo res ex non eſſe prorsùs conſtituitur in eſſe*. Dicitur *actus perfectus* ad differentiam motus, qui eſt actus entis in potentia, & ſic imperfectus, & in tempore; creatio autem eſt actus perfectus, & in inſtanti; veluti eſt generatio, licèt hæc præſupponat materiam, dicitur *ſupremæ cauſæ* ad excludendas cauſas creatas, & dependentes, a qnibus non poteſt procedere actus adeò ſublimis, & diuinus, demùm dicitur *rem ex non eſſe prorsùs conſtitui in eſſe*, quià non præſupponitur vlla formarum inchoatio, aut potentia præcedens, ſed fieri ex nihilo. veluti fieri videtur forma in generatione, quamquàm non ita ſit. Vnde quærendum eſt: an lumine naturæ creatio comprærhendi poſſit; &, an ipſa cognita fuerit ab Ariſt. Pro qua re benè iudicanda, determinandum, quo differat creatio à generatione. primò differunt, quià generatio præſupponit materiam, creatio fit ex nihilo, & ideò non eſt mutatio, vt dicitur eſſe generatio, nec habet terminum, a quo; quibus poſitis manifeſtam eſſe ſententiam Ariſt. ſtatuunt Philoſophi, non dari creationem ex eo præſertim, quià ex nihilo nihil fit, vt Ariſt. 1. phiſ. 33. quod ex omnium conſenſu ſtatuit tanquàm certiſſimum Ariſt., præterea

Ariſt.

Ariſt. pluribus in locis nititur probare materiam neceſſariò requiri in rerum productione, & propterea materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem p. phiſ. T. 82. 1. de generatione T. 13. 12. Meth. T. 10., & alibi. Item Ariſt. 5. Metaph. T. 17. & 9. T. 2. ait, omnem potentiam actiuam eſſe principium tranſmutandi aliud, ergò omnis potentia agens ſupponit aliquid pro ſubiecto. Item Ariſt. 5. phiſ. non poſuit in ſubſtantia aliam tranſmutationem prætèr generationem, ergò non nouit creationem. Item ex 3. phiſ. a T. 18. ad 22. probatur, nullam actionem eſſe ſinè paſſione; & in creatione eſſet actio ſinè paſſione, quià nihil pateretur.

Tamèn his non obſtantibus: non ſolùm ex infallibili veritate tenendum eſt, dari creationem modo ſuperiùs explicato, ſed etiam tenendum eſt lumine naturali, licèt maxima cum difficultate, ac paucis conceſſum, poſſe compræhendi, & Ariſt. cognitam fuiſſe. Naturæ lumine poſſe cognoſci videtur probabile, quià omnis actio debet eſſe agenti proportionata, & omnes cauſæ debent vniformitèr concurrere; ſed agens materiale præſupponit materiam; ergò agens immateriale, vt eſt Deus nullam præſupponit materiam. ſecundo, ſi Deus pro actione aliqua præſupponeret materiam, ergò materia eſſet ante Deum, & Deo potentior, qùm, ipſa dempta, demeretur omnis actio. tertio ex Ariſt. in æternis eſſe non differt a poſſe. Sed Deus eſt ſupremæ virtutis, & vltra naturæ vires, ergò etiam vltra naturæ vires poteſt agere. Quod verò Ariſt. nouerit creationem patet præſertim ex primo cæli T. 20, vbi hæc habet *Vnde rectè videtur natura id, quod futurum erat ingenerabile, & incorruptibile exemiſſe a contrarÿs*. in quibus verbis eſt animaduertendum, ipſum ſupponere conſilium naturæ (intellige naturantis, ſeù Dei), & ponit, ac prædicat futureitatem vniuerſi, dicendo, *id, quod futurum erat*, ſed, quod futurum erat, & ex conſequenti olim non fuerat, dicitur *ingenerabile*, Ergò ex Ariſt. aliquid futurum conſtitutum eſt in eſſe extrà generationem, ſignificatio huiuſmodi verbi in tempore præſenti differt eſſentialiter à ſignificato formali eiuſdem verbi in tempore futuro: quià actio naturæ propoſita ab Ariſt. vt exercenda, inducit diuerſum ſignificatum ab ea, quæ dicitur exercita. quod, clarum eſt, non potuiſſe niſi per creationem, ex docta ſermonis ratione, prout certum eſt fuiſſe Ariſtotelem, ſi intelligeret de perpetuitate cæli à parte ante, & poſt, non dixiſſet, quod futurum erat, ſed congrua ſequeretur ratiocinatio, dicendo, rectè natura, quod fuit ingenerabile, & futurum eſt incorruptibile; at, dùm futurum dicit tàm de generabili, quàm de corruptibili, ſequitur id. quòd olim non erat conſtituendum fuiſſe in eſſe, & non per generationem, ergò per creationem: nulla enìm ratio conſtituendi ſubſtantiam in eſſe eſt, prætèr generationem, & creationem. Quod autèm ſermocinatio ità fuiſſet ab Ariſt. ſtatuenda, patet ex eodem T. 1. 8. phiſ. vbi intendens proponere quæſtionem de motus æternitate, à parte ante, & à parte poſt, non ponit tantùm futureitatem, vt ità loquar, ſed ait *vtrum factus eſt aliquandò motus, quùm non eſſet priùs, & corrumpitur rursùs ità, vt moueatur nihil, an nequè factus eſt, nequè corrumpitur; ſed ſempèr erat, & ſemper erit &c.* Ità dicendum erat, quod fuerat ingenerabile, & futurum erat incorruptibile; vel igitùr Ariſt. nouit creationem, vel à veritate coactus olim futurum pronunciauit cælum, vt ipſe teſtatur de antiquis philoſophis à veritate coactos 1. phiſ. T. 48. poſuiſſe principia contraria.

Ad Argumenta in contrarium adducta Reſpondetur ad primum, quod ex ſententia omnium philoſophan-

phantium ex nihilo nihil fiat, intelligere oportet per generationem. Et paritèr dùm Ariſt. pronunciat in rerum productione neceſſariam eſſe materiam, intelligendus de generatione, a qua materia eſt requiſita. Ità dùm potentia actiua dicitur principium transmutandi aliud; non enim poſuit Ariſt. aliam tranſmutationem ſubſtantiæ, præter generationem; no n quià ipſe non nouerit creationem; ſed, quià ſtatuit materiam tanquàm principium rerum naturalium, & ſupponit principia non fieri ex alijs, & hoc ſatis eſſe, pro ſtatuenda ratione principij, non fieri ex alio; non fieri inuicèm, ſed ex his omnia fieri. Ideò, licèt nouerit, vt credibile eſt, materiam eſſe creatam, ſatis tamèn credidit ponere, non eſſe factam ex alio: an verò fuerit facta ex nihilo, non quærit; quià locus diſputationi datus eſſet, an ipſa eſſet aliquid; & , veluti propè nihil dicitur, ab aliquo etiam abſolutè nihil diceretur, & negaretur hoc principium; & contrà negantes principia non eſt diſputandum. Supponit itàquè, materiam eſſe, quomodò autèm ſit poſita in eſſe, non quærit; ſed ſubindè loquitur de his, quæ hoc ſuppoſito principio ſequuntur, quæ qùm omnia ſint per generationem, & ſupponendum eſſe hoc ſubiectum, & actionem non eſſe ſine paſſione, ea omnia, quæ ſuperiùs allata ſunt, protulit; ſecùs autèm loqueretur de conſtitutione in eſſe materiæ, ſi de principijs eſſet diſputandum, & eſſet quærendum, quid ſit in ſuo eſſe perfecto, & primigenio. At Ariſt. loquitur de materia tanquàm de principio rerum naturalium, & conſequentèr de ſubſtantia imperfecta in ordine ad naturalia; &, veluti plurimi defendunt, quæ omnem actum, & omnem exiſtentiam recipiat à forma.

An ſit eadem materia cæleſtis, & ſublunarium.

Omnis difficultas in eo videtur conſiſtere apud philoſophos: an materia ſublunarium, & cæleſtium ſit eadem, quià cælum creditur compoſitum ex materia, & forma, & , ſaltèm ex ſententia Ariſt. incorruptibile; vndè videtur alia ratio materiæ celeſtis ab ea, quæ eſt ſublunarium; quoniam mortalia ab immortalibus differunt plùs quàm genere; & alterius formæ altera eſt materia. Moderniores ſuppo. nentes hanc ſententiam Ariſt. de cælorum incorruptibilitate, quærunt vltrò an hoc ſatis ſit ad conſtituendam variam rationem materiæ. Non autem minùs dubiam hanc rem credere debemus, quià etiàm ex ſententia Ariſt. cælum tenendum corruptioni obnoxium, vt ſuo loco oſtendetur fortaſſe manifeſtiùs. At data etiam hac cæli incorruptibilitate: vt omnes Ariſt. tribuunt, credo materiam primam nullo modo eſſe variam ſtatuendam in ſublunaribus ab ea; quæ eſt in cælis, quippè, quæ, vt incorruptibilis, poteſt formæ corruptibilis, & incorruptibilis eſſe capax; imò, quoniàm formæ corruptibiles nō poſſunt illius ſatiare appetitum, data eſt in corruptibilibus ſeries generationis, per quam ſpecies reddatur æterna, & æquabilis æternitati materiæ. quarè non videtur ambigendum, materiam cæleſtium corporum, & ſublunarium eſſe vnam numero, & ſpeciem eandem eſſe tenendam, quià materia eſt ſubiectum formæ, & forma, & ſpecies idem eſt apud Ariſt. vndè materia eadem in ſublunaribus. Et qùm Ariſt: vnam conſtituit; dicendo, ad patiendum ſufficit vnum: affert materiam omnium corporum naturalium

ſic

ſic includit etiàm corpora cælestia, eſt ſubiectum formæ æternæ, & nihil intereſt, an æternitas ſit ſucceſſiua, an aliàs, & per continuationem, an per reparationem: dummodò nunquàm ſit ſinè forma, idcircò nullam refert differentiam, quòd ſubſit formę æternæ, an illi, quæ dicitur corruptibilis; nàm ſub vtraque etiam habet appetitum, licet in vna ſit appetitus deſiderij: in altera fruitionis, nam ſub vtraque eſt appetitus continuationis, ad quam ordinata eſt reparatio in ſublunaribus. duplici ratione itàque eandem dicimus materiam cæleſtem, & ſublunarem ex mente Ariſt; & quià cælum ab Ariſt. nunquàm abſolutè æternum creditum eſt, & quià etiam ſi fuerit, etiam forma, vt forma, & ſpecies æquè æterna eſt.

Obijciunt, qui aduerſam tuentur ſententiam, & nè quidem in ſublunaribus omnibus eandem eſſe defendunt: Ariſt. ſententiam 2. phiſ. T. 26. vbi ait alterius formæ alteram eſſe materiam. Item 5. Metaph. T. 12. vnum numero dicitur cuius materia eſt vna. Itaquè ſi eadem eſſet materia celeſtium, & ſublunarium, vnum omnia eſſent, aut fieret quodlibet ex quolibet, quod reprobat Ariſt. primo phiſ.

Prò reſolutione difficultatis ſatìs eſt diſtinguere materiam in primam, & ſecundam; prima, de qua quærimus, eſt vna in omnibus, vt ſuprà probatum eſt; materia ſecunda, quoniàm includit quaſdam formalitates, eſt diuerſa non ſolùm in cœlo, & ſublunari, ſed etiam in ipſis ſublunaribus numero, ſpecie, genere, analogia, & quacunque ratione diuerſitatem ſortitur, quæ tamen diuerſitas non eſt propriè tribuenda materiæ, ſed formalitatibus illam conſequentibus, per quas materia prima recipit varios actus, per quos exuit rationem primæ materiæ, & inducit rationem ſecundæ; & omnia, quæ obijciuntur, refelli poſſunt, dicendo ea intelligi de materia ſecunda, quæ pèr aliquàm formalitatem; aut per relationem ad ipſam formam ſpecificantem ſit altera alterius formæ: & vnum dicitur, cuius materia eſt vna, veluti etiam per materiam vnam vnum eſt vniuerſum. at Ariſt. redarguit Anaxagoræ opinionem aſſerentis fieri quodlibet ex quolibet, non abſolutè, ſed quatenùs arbitraretur fieri quodlibet ex quolibet ſinè præcedente congrua diſpoſitione, qua data non repugnaret fieri quodlibet ex quolibet, imò hoc fieri quodlibet ex quolibet pendet à materia prima, non in quam, ſed, ad quam reſoluitur omne compoſitum. *Eſt enim materia prima ſubiectum primum, ex quo fit aliquid, cum inſit, & ſi quid corrumpitur, in hoc abibit vltimum* ponit enim conditionalem Ariſt. *ſi quid corrumpitur*, quià nihil vnquam abſolutè, & omninò ſecundum omnem formalitatem corrumpitur ità, vt fiat reſolutio vſque ad materiam primam, ſed formæ corruptæ ſemper noua ſuccedit, & ſpecies ſunt veluti numeri, quibus vltima vnitas ſpeciem variam conſtituit: licèt nulla ex vnitatibus ſit actu in data ſpecie, tamen aliæ vnitates remanent antecedentes, dum vna additur ad conſtituendam variam numeri ſpeciem. vnitates actu ſunt materia numerorum, quæ nullam habent formalitatem: numerus autèm binarius eſt prima numeri ſpecies, quæ reſpondet ſubſtantiæ prædicamentali, quæ conſtat ex materia, & forma; huic formæ ſubſtantiæ, ſi acceſſerit quantitas vndequaque partibilis, & in ſuo eſſe perfecto, emergit genus ſubſtantiæ corporeæ: ex quo patet tantùm ab eſſe, vt materia prima habeat formam corporeitatis, vt ne quidem ingrediatur prædicamentum, nec poſſit dici ſubſtantia, ſed pars ſubſtantialis, loquendo de ſubſtantia prædicamentali, quæ eſt compoſita, & in ſuo primo eſſe eſt quid: non tamen quantum; aliàs non diſtingueretur ſubſtantia in ſubſtantiam corpoream, & ſubſtan-

ſtantiam incorpoream, ſi forma corporeitatis ſequeretur materiam primam, & illi competeret, quando in ſuo primo eſſe concipitur tanquàm principium ſubſtantiale, non autem tanquam ſubſtantia. Decipimur autem tribuentes materiæ formam corporeitatis, & aſſerentes quantitatem eſſe coeuam materiæ, quià concipimus pro prima materiam ſecundam, & non primam, quæ per ſe non eſt quid, nec quale, nec quantum, ſed mediantibus formis, tum ſubſtantialibus, quas recipit immediatè pro conſtitutione compoſiti, & mediantibus formis accidentalibus, a quibus ipſa denominatur, & dicitur illis ſubijci per accidens, quatenus ipſa eſt pars ſubſtantiæ compoſitæ. Et quoniam omnis noſtra cognitio ortum ducit a ſenſu, & non poteſt nouere ſenſus materiales exiſtentes niſi ſubſtantia quanta, & qualis iuxtà exigentiam obiecti ad determinatas potentias directi, ideò videtur inintelligibile, quomodo materia poſſit eſſe ſinè forma corporeitatis. ſenſibus enim non obijcitur niſi materia ſecunda, per quam prima dicitur ſubiectum primum ad ſimilitudinem ſubſtantiæ corporeæ acceptum in naturalibus, quià ſcientia de natura ferè plurima eſſe videtur circa corpora, & magnitudines, quæ conſurgunt ex quantitate: non autem ex materia, quæ non eſt quid, nec quale, nec quantum, ex 12. Metaph. T. 9. ſecunda autem materia ſubſtantia eſt, & quanta, & ſubiecta quantitatibus ſecundo de generatione, & corruptione cap. primo, quod autem dicatur ſubiectum, ex quo fit aliquid: non neceſſario debet dici quantum nam ex hoc ſubiecto primum fit ſubſtantia, quæ ex accidenti eſt quanta, & præſcindendo materiam primam ab omni forma, primò exuit omnia accidentia, quæ non ſunt verè entia: vnde exuit etiam naturam ſubſtantiæ, & concipitur per negationem, & ſpecificatur per formas negatas, dicendo non eſſe quid, nec quale, nec quantum, qua de re luculentiùs, aut ſaltem magis prolixè agendum in metaphiſicis.

De forma.

Actum eſt hùc vſque de materia, quæ ex Ariſt. 2. de anima T. 2. ſecundùm ſe non eſt hoc aliquid, ſequitur igitur dicendum de forma, & ſpecie, ſecundùm quam iam dicitur hoc aliquid, & eſt alterum ex principijs rerum naturalium. & quoniam forma alia eſt phiſica, alia metaphiſica, modò loquimur de phiſica, quæ etiam duplex eſt nempè ſubſtantialis, & accidentalis, & licèt Ariſt. ſtatuat formam principium commune, tàm ſubſtantiæ, quam accidentium, tamen primò, & principaliter loquitur de forma ſubſtantiali, de qua nos quoque præcipuè loquemur, & primò

Dari igitur formam ſubſtantialem probat Ariſt. hoc primo libro phiſ. præſertìm ex manifeſta diſtinctione rerum ſpecifica, aquæ, & terræ, ligni, & metalli, auri, & argenti, cichoreæ, & lactucæ, caſtaneæ, & ficus, hominis, & leonis, quæ diſtinctio non poteſt eſſe à materia, quæ eadem in omnibus eſt; eſt ergò à forma, quæ nec accidentalis dici poteſt, quià per formam accidentalem non tribuuntur ſubiecto proprietates, & operationes intrinſecè generandi ſibi ſimile, homo hominem, leo leonem, planta plantam. qùm igitùr in horum generatione dentur termini huiuſmodi hi dicuntur formæ, quæ terminantes ſubſtantiam dicuntur ſubſtantiales, quæ ſunt actus, vnà cùm materia vnum per ſe conſtituens. dicitur actus grecè *entelechia* hoc

eſt vltimus habitus, ad differentiam eorum, quæ ſimùl ſunt ſinè habitu, hoc eſt ſinè ea forma, per quam ens habetur; quam recentiores vocant, vt arbitror, vnionem, vt eſt gemma in auro, quæ ſimùl quidèm ſunt, ſed ſinè hac media forma, quæ dicitur habitus, ſinè qua eorum eſt iuxtà poſitio; actus autem ſiuè ſubſtantialis, ſiuè accidentalis ſupponit hunc habitum. Nonnulli addunt actum ſubſtantialem: ſed, dùm dicitur, vnà cùm materia, ſatìs oſtenditur, eum actum eſſe ſubſtantialem, quià materiale ſubiectum ex non ſubſtantia efficit ſubſtantiam, quæ ſpecifica denotatur per verba *conſtituens vnum per ſe*. Vndè Ariſt. idem eſſe dixit formam, & ſpeciem, & hoc vnum intelligitur vnum ſpecie: ſic ſuperfluum eſt addere, & *determinans ad certam ſpeciem*, quæ eſt illud tertium poſitum ab Ariſt. loco ſuperiùs citato, ex his conſurgens, & ex his, inquit Ariſt. *ſubſtantia maximè videntur corpora, & horum corporum, naturalia, ex quibus corporibus naturalibus, alia vitam habent, alia verò vitam non habent*. Ex opinione eorum, qui diuerſam eſſe materiam cæleſtium corporum ab ea, quæ eſt ſublunarium; diuerſa etiam deberet credi forma; quià, dùm de anima ſe loquuturum promittit Ariſt. ſe dicturum, ait, alio ſumpto principio; quaſì diuerſa ſit ratio principij in animantibus ab ea, quæ eſt non viuentium; & viuentium forma eſt anima; quæ proportione reſpondet elemento ſtellarum, ex quibus dictis materia cæli ſignificata nomine elementi ſtellarum videtur forma viuentium ex ſententia Ariſt. qua de re aliàs diſſerendum. Quod ſpectat ad præſens negotium, modò eliciendum eſt propoſitam formæ definitionem amplecti quancumque formam ſubſtantialem, quæ habeat rationem principij, ſiuè educatur de potentia materiæ, vt educitur quæcumque forma materialis tàm viuentis, quàm non viuentis, ſiuè non educatur, ſed de foris accedat, vt eſt anima rationalis, quæ de foris accedit, & tamen eſt forma ſubſtantialis per *entelechiam* hoc eſt per vltimum habitum, & eſt ſeparabilis à corpore, vt ſuo loco manifeſtabitur; ac de vtraque forma, tàm materiali, quàm immateriali poteſt dici, non præcedere actu in materia, quià forma materialis per generationem educitur actiuè ab agente à potentia paſſiua materiæ vnà cùm habitu, qui ab aliquibus dicitur vnio. forma immaterialis eſt anima rationalis, quæ creatur à Deo. Formæ allata definitio comprehendit formas etiàm accidentales, quæ informant quoquè ſubiectum, ſed accidentalitèr, hoc eſt informant ſubſtantiam completam, a qua poſſunt recedere præter ſubiecti corruptionem, a qua tamèn pendent in eſſe, & conſeruari: ideò poſſunt etiàm formæ accidentales dici eductæ de potentia naturali ſubiecti, quod verificatur tàm de formis accidentalibus productis per actionem agentis diſtinctam à ſubiecto, quàm de productis per emanationem; imò etiàm de formis artificialibus: niſì, quod formæ artificiales educuntur de potentia obedientali ſubiecti. ex quo patet omnes formas accidentales ſubiecti, & inhærere ſubſtantiæ compoſitæ, & nullam immediatè in materia, nec vllum accidens in accidente.

Patet ex his formas alias eſſe naturales, alias artificiales; alias ſubſtantiales, alias accidentales: ſubſtantialis aut eſt naturalis, vt quælibet forma educta de potentia materiæ, ſiuè viuentis ſit, ſiuè non viuentis; aut eſt diuina, vt eſt anima rationalis: accidentalis poteſt eſſe naturalis, & artificialis, at ſubſtantialis nunquam poteſt eſſe artificialis; vndè aurum poteſt quidem artificioſè educi ex alio metallo, cui immixtum fuerit: produci autèm per artem non poteſt, niſi applicando actiua paſſiuis, ità vt actio producens

cens ſubſtantiam ſit ſempèr naturæ, nunquàm artis. Ex his, quæ dicenda ſunt in libris de anima, patebit, non admitti ex Mente Ariſt. eam diuiſionem formæ in informantem, & aſſiſtentem: nàm omnis forma eſt informans, nec eſt vlla forma ſinè effectu formali, at primus effectus formalis formæ eſt informare.

Ex his etiàm patere poteſt, Ariſtotelem non eſſe admodùm alienum à mente Auanagoræ, qui arbitrabatur, formas præexiſtere in materia; nàm, dùm ait, præexiſtere potentia, aliquo modo eam probat, ſi illud manifeſtari in generatione, intelligatur reduci ad actum: ſiquidèm etiàm aliqui ex peripateticis inchoatas præexiſtere credidere.

De Priuatione.

SVpereſt dicendum de tertio aſſignato principio, nempè de priuatione, quæ eſt carentia formæ in ſubiecto apto eam recipere, quià non fit quodlibet ex quolibet, ſed determinatum ex determinato; &, quià hæc determinatio, aptitudo, ſeù diſpoſitio habet gradus, ità etiàm priuatio in ratione principij habet varios gradus pro ratione aptitudinis magis, & minùs efficacis; vt, exempli gratia, in lapide eſt priuatio animæ rationalis, tamèn aptitudo ad ipſam eſt remotiſſima; in planta eſt minùs remota; & ſic de cæteris. Quod priuationi tribuit rationem, & efficaciam principij non eſt ſimplex carentia, nequè terminus à quo, nequè aptitudo ſubiecti, vt plurimi ſenſere; ſed cauſalitas finis ex ratione boni, & appetibili; hoc enim eſt, quod tribuit carentiæ rationem principij concurrentis ad generationem compoſiti, & influentis appetitum formæ ſubiecto.

Priuatio autem ad ſimilitudinem negationis ſpecificatur per formas, quibus materia priuata eſt. Itàut priuatio in materia prima, & exiſtente in ſimpliciſſimo ſuo ſtatu habeat quidèm vnitatem ratione formæ, vt ſic, quam reſpicit, non autem ratione formæ determinatæ, & non eſt multiplex ratione multiplicis formæ, quas non habet; quià ſub ratione principij tunc reſpicit quamlibet, ſed non omnes formas. qùm enim rationem principij recipiat ex bono exiſtente, & appetibili & qùm non ſit poſſibile vnam materiam habere plures formas ſimùl, nequè etiam priuatio poteſt eſſe terminus, à quo omnium formarum, quarum eſt carentia; ſed vnius, quælibet ipſa ſit.

Quæritur à nonnullis. an vnica ſit priuatio in materia pro omnibus formis; an diuerſæ ſint ponendæ priuationes pro diuerſitate formarum. Pro ſatisfaciendo huic quæſtioni, conſiderare oportet, priuationem ſequi materiam, vt omnibus conceſſum eſt; Materia autèm alia eſt prima, de qua agimus, & quam verè habere rationem principij dicimus; alia dicitur materia ſecunda varia pro varijs formalitatibus, ac diſpoſitionibus, per quas non fit quodlibet ex quolibet. His poſitis dicendum priuationem, de qua agimus, & quæ ponitur pro vno ex principijs rerum naturalium, ſequi materiam primam, cum qua eſt vna numero ex Ariſt. 1. phiſ. T. 67. ideò qùm materia prima ſit vna, vna tantùm erit priuatio, & non vna pro omnibus formis; quià, ſi referretur ad omnes formas, quas non habet, quià per illas ſpecificaretur; multiplex etiam eſſet priuatio, vt multæ ſunt formæ, quibus materia priuata eſt; ſed eſt vna pro vnica forma, quæ eſt vniuerſi, quæ in proprio, & congruenti ſtatu, in quem ſapientia per-

fecta, & diuina prouidentia illud creauit, ad quam perfectionem, & formam acquirendam perpetuò mouetur hoc vniuerſum diuerſis motibus locali, alterationis, generationis. Si verò conſideretur priuatio, prout ſequitur materiam ſecundam, ea non eſt, de qua quærimus, & eſt multiplicata ad munerum formarum, quibus caret, & ad quas aliquo modo, & per certas formalitates diſpoſita eſt. Vnde priuatio formæ præteritæ minime omnium dicenda eſt habere rationem priuationis, de qua agimus pro principio, quià, dùm conſequæretur formalitates requiſitas pro diſpoſitione formæ receptæ, & amiſſæ, tanquàm per conſequutionem finis actus, amiſit omnem potentiam ad illas diſpoſitiones: quarè amiſſa forma perficiente, vt denuò reciperet aptitudinem proximam ad eandem, neceſſaria eſſet omnium diſpoſitionum ſeries, quæ præceſſerant antè receptionem formæ perficientis, vnde homo, dùm anima receſſit, quæ eſt forma ipſius, quamuis videatur habere omnes partes diſpoſitas, & organizatas ad recipiendam denuo animam, tamèn nullam habet; propterea dicitur à priuatione ad habitum non dari regreſſum, quià neceſſarium eſt pro inducenda iterum forma hominis, renouari ſeriem formalitatum præcedentium, & vlterius ſolui eas, quæ aptitudinem ad ſubſequentes amiſerant; vndè neceſſe eſt ſoluatur in elementa, elementa iterùm miſceantur in alimentum; ex hoc ſemen fiat, & tota prima ſeries renouetur. Priuatio igitur, quæ ſtatuitur principium, & qua de agimus, eſt vna, & multiplex vt dictum eſt, & ordine eius detrito partialitèr per formalitates, quibus caret; & quæ à diuino bono, & appetibili rationem principij recipiunt.

Quomodo Priuatio ſit principium naturalis generasionis.

Communis ſententia eſt, priuationem eſſe principium generationis per ſe, & pauci huic ſententiæ aduerſantur, quià clara videtur ex Ariſt. in hoc libro primo phiſ., & 12. Metaph. difficultas tamèn eſt in modo, quo ſit principium per ſe; nàm, qui exemplum afferunt de puncto, quod eſt principium lineæ nullum habens influxum in eam, ſtatuere videtur priuationem non principium rerum naturalium, ſed terminum, à quo generationis illi prorsùs extrinſecum, quod quidem neceſſarium ſit conſequenter, vt probant, ſed ſub ratione ſimplicis termini, non autèm ſub ratione principij; quam rationem principij exercet priuatio, non proprijs viribus, ſed in virtute diuini, boni, & appetibilis: quod mediante priuatione, & ea præuia influit in materiam appetitum ad formam, & tribuit impulſum ad motum generationis; nàm ſi priuatio concurreret tanquàm ſimplex terminus à quo, quodlibet fieret ex quolibet, quod reprobat Ariſt., & concludit fieri determinatum ex determinato. Et non fit quodlibet ex quolibet; quià ad conſtituendum priuationem ſub ratione principij neceſse eſt ab ordine vniuerſi, tanquàm à bono illo diuino, & appetibili poſito ab Ariſt. influi in materiam impulſum, & appetitum formæ determinatæ iuxtà exigentiam formalitatum, & diſpoſitionum præcedentium in materia; vndè ratio principij in priuatione non eſt ex ſimplici termino a quò, ſed ex termino a quò vnà cùm reſpectu ad terminum ad quem, Addunt interpretes Ariſt. res natura-

rales conſiderari in fieri, & in facto eſſe; & concludunt, priuationem in fieri habere rationem principij, vnà cùm forma, & materia; at in facto eſſe duo tantùm eſſe principia, nempe materiam, & formam, & excludi priuationem; quæ diſtinctio reprobari non poteſt; concluſio tàmen ex ea deducta cum aliqua declaratione recipienda, quod videlicèt ad rationem principij concurrant priuatio, materia, & forma in fieri tantùm, & in facto eſſe materiam, & formam non habere ampliùs rationem principij, ſed rationem cauſæ, vndè ratio principij tàm late extenditur à priuatione, quàm in materia, & forma, licèt non conueniat vniuocè in ratione principij cùm materia, & forma in virtute propria priuationis, ſed in virtute boni, diuini, & appetibilis, quod eſt terminus ad quem, & influit in inordinatum per priuationem, tanquàm ordinatum in terminum ſibi reſpondentem, & oppoſitum: per quem influxum priuatio excitat appetitum materiæ ad formam, & facit conprincipium ipſam materiam. Vndè in virtute iſtius diuini, boni, & appetibilis conueniunt priuatio, materia, & forma vniuocè in ratione principij; at propria virtute non conueniunt, niſi analogicè, quià diuerſa ratio principij eſt à forma, diuerſa materiæ, diuerſa priuationis; nàm materia eſt principium motus, priuatio terminus, à quò; forma eſt terminus ad quem; quarè diuerſo modo dicuntur principia, & modo concurrunt ad generationem, velutì diuerſo modo dicuntur ſana medicamentum, corpus humanum, & pulſus. Prima autem ratio principij in generatione competit formæ, ſecunda priuationi, tertia materiæ. Vndè priuatio in ratione principij non eſt poſterior materiæ: quià tribuit materiæ appetitum, & ex hoc rationem principij; nàm aliàs materia ſinè priuatione poſſet quidem dici ſubiectum, non autèm principium, quià eatenùs eſt principium, quatenùs appetit formam, & eatenùs appetit formam, quatenùs illa priuata eſt.

De Compoſito.

Dictum eſt de Principijs rerum naturalium, nempè de materia, quæ per ſe non eſt hoc aliquid, ſupereſt dicendum de principiato, & tertio, quod ex his compoſitum eſt, & eſt corpus naturale cuius quærendæ ſunt affectiones. Et primò, quo ad quæſtionem an ſit compoſitum, ſunt qui crediderint nullam compoſitionem dari materiæ, & formæ, ſed totam eſſentiam rei conſiſtere in forma, quam Ariſt. vocat lib. 2. phiſ. quodquid erat eſſe rei, & totam quidditatem; aliàs ſi eſſet quid accedens materiæ, & cum illa componens quiddam tertium, eſſet accidens, quod abiret, & adeſſet ſinè ſubiecti corruptione. prætereà res omnes diſtinguntur per formam, ergò forma eſt tota quidditas rerum, & idem eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum ex Ariſt. 7. Metaph. T. 41. tertio actiones ſunt ſuppoſitorum, ſed actiones ſunt a forma, ergò forma eſt ipſum ſuppoſitum, aut materia ſaltem non erit pars componens tertium quoddam, ſed deferens, & vehiculum ipſius, vt refert Ariſt. loco citato. quarto mortalia, & immortalia differunt plùs, quàm gerere, vnde diuerſa eſt materia corruptibilium, & incorruptibilium, ergo non poſſunt conuenire ad conſtituendum compoſitum materia incorruptibilis, & forma corruptibilis. quinto qui dicit cælum, dicit formam, qni dicit hoc cælum dicit formam in materia, ſed cælum, vt ſic,

&

& non hoc cælum definitur a naturali philoſopho per omne genus cauſæ includendo etiam materialem, ergò forma cæli includit omnem eſſentiam cæli, & etiam cauſam materialem. His tamen non obſtantibus tenendum eſt cùm Ariſt. dari materiam, dari formam, & tertium, quod ex his componitur, vt hoc primo libro phiſ. 2. de anima, ſecundo de generatione, & corruptione, & alibi teſtatur Ariſt. & probatur, quià materia ſaltèm in aliquo inſtanti naturæ, nisì in inſtanti temporis eſſe poteſt ſiue forma, dùm fit tranſmutatio in generatione; ac forma pariter, dùm educitur; ergò diſtinguntur realiter, & materia eſt entitas quædam diſtincta ab eſſentia formæ, & q'm finis generationis ſit operatio, & forma abſtracta nunquam operetur, neceſſe eſt, vt fiat compoſitum ex materia, & forma, a quo procedant actiones, ne tàm materia, quàm forma ſeorſim acceptæ ſint fruſtrà in rerum natura, quod maximum creditur abſurdum. Ad Argumenta in contrarium adducta reſpondetur ad primum formam eſſe totam rei quidditatem, quæ de nouo inducitur per generationem, non autem totam abſolutè, nam materia ſemper permanet, nec fit, ergò tota quidditas genita eſt forma, non autèm tota quidditas compoſiti, ſed præcipua. Ad ſecundum ex Ariſt. auctoritate deductum, quod idem ſit conſtitutiuum, & diſtinctiuum, conceditur, nagatur tamen, quod infertur, formam eſſe totam quidditatem rei, nam, quod conſtituit, & diſtinguit, ſupponit id, quod conſtituitur, & diſtinguitur, quod eſt materia; & compars compoſiti dictum vehiculum ab Ariſt; & deferens, quià eſt tanquàm ſubiectum formæ; quæ ratio ſubiecti, licet ſit pars eſſentiæ, non poteſt explicari nisì per ſimilitudinem compoſitionis per accidens, namque materiæ eſſentia non eſt cognoſcibilis, nisì per ſimilitudinem. Ad tertium reſpondetur, concedendo, actionem eſſe ſuppoſiti, ſed negatur eſse à formæ: aliud enim eſt eſſe à forma, aliud per formam. Agens principale, vt quod, eſt compoſitum, opus principale, vt quo, eſt forma: formæ enim eſt potentia, & actio ſuppoſiti, quià forma non poteſt agere extrà materiam, & quià forma, & ſpecies eſt idem, ideò nulla potentia poteſt dici fruſtrà ex eo, quod in aliquo ſuppoſito non reducatur ad actum, vt pro exemplo ſit Socrates, qui habet potentiam à forma generandi ſibi ſimile, ſi non generet, non dicitur illa potentia fruſtra, quià potentia eſt formæ, & actio eſt ſuppoſiti: fruſtrà tantùm poſſet dici illa potentia formæ, ſi in nullo ſuppoſito reduceretur ad actum, & nullus homo generaretur. Ad quartum reſpondetur, concedendo æterna à mortalibus differre plùs quàm genere, ſed negatur, inde concludi, non poſſe concurrere ad conſtituendum vnum tertium, & non habere ſubordinationem; namque mortalia à cæleſtibus circumlationibus reguntur, & calidum innatum dicitur reſpondere proportione elemento ſtellarum, præſertìm qùm forma quoque reddatur incorruptibilis per ſucceſsionem, aut eiuſdem ſpeciei, aut generis. Ad quintum reſpondetur in definitione naturali, licèt non definiatur hoc cælum, tamen definitur cælum materiale: nam definitio eſt vniuerſalium, ſed exiſtentium in ſingularibus, ex Ariſt. 1. phyſ. Tex. 4. & in definitione dialectica genus proprium in definitione eſt pro materia, & differentia pro forma; imò ex definitione naturalis philoſophi, qui definit per omne genus cauſæ, compræhenditur, eſſe diuerſam eſſentiam materiæ, ac formæ; & totam eſſentiam non conſiſtere in forma, quià ſunt aliqui ex dialeticis, qui definiunt per materiam, vt 1. de anima cap. 1. refert Ariſt. Tex. *16*. Tota igitur quiddi-

tas

tas eſt compoſiti, præcipuā formæ, minima materiæ; accidentia quæcumque recipiuntur in compoſito, nulla in materia: niſi quatenùs materia habet aliquam formalitatem, & aliquam rationem compoſiti; vt eſt materia antè introductionem formæ, quæ dicitur habere quantitatem, quià eſt materia ſecunda, & per formalitates ipſam conſequentes dicitur habere rationem compoſiti; potentia autem, &, ſi quæ alia accidentia ſequuntur formam ſeparabilem, vt animam, eatenùs in ea ſubiectaretur, quatenùs anima quoquè non eſt actus ſimpliciſſimus, & idcircò videtur habere aliquam rationem compoſiti, licet ſit forma ſimplex, & videtur eius maxime proprium intelligere.

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER SECVNDVS Phyſicorum.

QVm in primo libro Phyſicorum lucutentèr patefeciſſet Ariſt. principia eſſe, & quæ nàm ſint, nempè materiam, formam, & priuationem, & de materia, ac priuatione ea, quæ ad eorum notitiam conducentia iudicauerat, patefeciſſet. reliquum eſſe exiſtimauit dicere de forma, & de materia, quam dixit non eſſe cognoſcibilem, niſi per ſimilitudinem; etiam quatenùs ſit per ſe cognoſcibilis, hoc eſt, quæ habeat aliquam formalitatem, aut actum ſaltèm entitatiuum; quo dicitur materia ſecunda. quod aggreditur in hoc ſecundo libro, vbi intendit loqui de forma naturali, & ſub nomine naturæ. nàm de eodem principio diſſerere, vtrùm ſit in vniuerſo, aut an ſint plures formæ partiales dictæ, & quæ nàm ſint, & quot ſint, quærendum eſſe iudicauit in metaphyſica, quam vocat primam philoſophiam. Arbitrabatur enim Plato, mundum vniuerſum eſſe animatum, & vnica forma compleri, quæ eſſet quidèm natura, vt aliæ formæ, ſed ea, quæ ab Auerrhoe dicitur natura naturans; nempè Deus; quod diligentèr ſpeculari, & decernere, ait, ſpectare ad Metaphiſicum, quià, vel eſſet forma vna ſeparata, vel plures, vnicuique cœlo vna, vna in ſublunari; & vtrùm vnicuique ſpeciei animantium vna forma, quæ dicitur intelligentia non errans. hoc non eſſe naturalis conſiderationis exiſtimauit, ſed tantùm pertinere ad naturalem philoſophum dicere de forma naturali, hoc eſt corruptibili, quæ conprincipium habet priuationem.

Quid ſit Natura.

PRimò animaduertit Ariſt. ex his, quæ ſunt, alia eſſe natura, alia proptèr alias cauſas, & declarat, quænam ſint ea, quæ natura ſunt, quæque proptèr alias cauſas. Natura ſunt, inquit, animalia, & plantæ, & partes ipſarum, & ſimplicia corpora, vt aer, aqua, Terra, & ignis, & hoc ſigno cognoſci, ait, ea, quæ ſunt natura, quod videlicèt habent in ſe ipſis principium motus, & ſtatus, & non mouentur ab alio, neque in alio; ſed, quocumque motu moueantur, ſiuè locali, vt grauia, & leuia, & quæ motu progreſſiuo mouentur, ſiuè alterationem aliquam patiantur, ſiuè augumentum, & decre-

menrum, horum motuum videntur habere principium in ſe ipſis; & grauia mouentur deorsùm à ſe ipſis, & leuïa ſursùm; aqua habet principium refrigerationis in ſe ipſa, animalia quoquè habent in ſe ipſis principium motus tùm progreſſiui ex impulſu à conceptu, quàm augumenti, & decrementi per nutritionem. Ea verò, quæ non habent principium ſui motus in ſe ipſis, non dicuntur natura, ſed eſſe per alias cauſas, vt ab arte, aut caſu, aut fortuna; quæ enim ab arte ſunt, quatenùs ab arte pendent, & ab ea denominationem habent artificioſi, ex parte, qua denominantur artificioſa, non habent principium motus in ſe ipſis; ſed aliundè. vt, ſi moueatur nauis in mari per aquæ periferiam circularitèr, non mouetur à propria forma, & à natura, ſed ab impulſu aeris artificiosè excepti. Nàm, quod ex natura eſt in naui, nempè lignum, quod eſt mixtum ex aere, & terra, ſub aquis mouetur natura ſursùm, & in aere deorsùm; & vtriuſque motus reſpectiuè habet principium in ſe ipſa nauis; & haberet principium etiam ſtatus in periferia aquæ in ſe ipſa nauis, vt lignum eſt, at principium motus per aquæ ſuperficiem habet aliundè, nempè a vento ex cepto arficiosè.

Ex quibus infert *Naturam eſſe, quod eſt principium, & cauſa motus, & ſtatus in eo ipſo primùm, in quo eſt, & non ſecundùm accidens*. Dicitur principium, & cauſa, quià principij rationem habet tantummodò in fieri, at in facto eſſe habet forma, & materia rationem cauſæ, ideò vt in definitione ponat genus vnum commune vnitate ab vno, dicit principium, & cauſa. primò enim dicitur natura de forma, poſteà de materia: at vtraque in fieri habet rationem principij, in facto eſſe habet rationem cauſæ; qùm igitùr deberet definiri natura, prout amplectitur vtriuſque rationem, non ſatis erat dicere eſt principium; quià poterat intelligi tantùm ſub ratione principij, ſub qua ratione non mouet, niſi iungatur etiam ratio cauſæ, per quam res eſt in fluxu præſtato; & ſic eſt principium, & cauſa motus; additur mouendi, & quieſcendi, ſeù motus, & quietis: quià nullius rei perpetua, & ſimplex quies eſt, & nullius perpetuus, & ſimplex motus; & quilibet motus ſempèr habet admixtam quietem ſiuè ſenſu perceptibilem, ſiuè imperceptibilem. habet admixtam quietem ſenſu perceptibilem ille motus, qui ab Ariſt. dicitur diſcretus, habet admixtam quietem imperceptibilem ille motus, qui ab Ariſt. dicitur motus continuus; aliàs enim iſte motus continuus non diceretur velocior, & tardior, nisì admixtam haberet quietem imperceptibilem tamèn ſenſu, vt 8. phiſ. T. 23. ait Ariſt. Quoniam verò ad quamlibet operationem exigitur motus modo quodam, & proportione, prout res poſtulat, ad opus ædendum, ideò datum eſt huiuſmodi principium, quo & perceptibilitèr, & imperceptibilitèr res moueantur, & quieſcant; quod principium dicitur natura. Nequè obſtat mota difficultas apud quoſdam ex 8. phiſ. T. 8. idem non poſſe eſſe principium contrariorum; ſed motus, & quies ſunt contraria, ergò natura non poteſt eſſe principium motus, & quietis; nàm quò ad maiorem propoſitionem, ea conceditur in principijs ſubordinatis, & determinatis ad vnum, vt eſt ignis, qui certè directè, & per ſe ſe non poteſt calefacere, & refrigerare. At principia non ſubordinata, & æquiuocè cauſæ, aut ſaltèm non determinata ad vnum poſſunt eſſe principia contrariorum, vt eſt natura communis, etiam ſi Deo ſit ſubordinata, tamèn ità exigente vniuerſi ordine, poteſt eſſe princi-

pium contrariorum, & cùm determinatis modò calefacere, modò refrigerare: non tamèn primò, nec ſimùl ſeorsìm. At natura poteſt in igne calefacere, in aqua refrigerare, & in mixto ſimul refrigerare, & calefacere: veluti idem non poteſt eſſe calidum, & frigidum, nec album, & nigrum, ſed poteſt eſſe tepidum, & rubrum, aut viride. Ità natura ſecundùm exigentiam ordinis vniuerſi, & ſuppoſiti, vt ità dicam, naturati, poteſt eſſe principium contrariorum, ad conſtituendam temperiem ſecundùm qualitates in mixtis, & velocitatem, & tarditatem in motu, incrementum & decrementum in alitione, ac etiam alterationem earundem, prout rerum ſeries, & natura poſtulauerit. Ad minorem dùm dicitur motus, & quies ſunt contraria; non eſt ea abſolutè concedenda; nàm motus, & quies potiùs ſubordinatè dicendum eſſe, quàm contrariari; aut ſaltèm tùnc non ſunt contraria, quandò ab eodem pendent principio. Contraria enim ſunt, quæ in eodem genere maximè diſtant; quæ igitùr non diſtant, ſed intermixta ſunt, non ſunt contraria, nec habent contrarij rationem; quià contraria, & ſub ratione contrarii exiſtentia mutuò ſe expellunt, quandò igitùr à potentia ſuperiore modificantur, in obſequium illius potentiæ exuunt rationem contrarietatis, & recipiunt potentiam agendi ſecundùm exigentiam naturæ ſuperuenientis; ſic ignis in mixto non calefacit iuxtà exigentiam propriæ naturæ, nequè comburit, ſed operatur ſecundùm exigentiam formæ mixti ſuperuenientis, qua forma ſoluta per nouam generationem, iuxtà modum inditum à noua forma operatur. Benè igitur ſequitur definitio naturæ, quæ ſit principium motus, & quietis; & quoniam natura definitur vniuerſalitèr, & communi definitione tàm cæleſtium, quàm ſublunarium, dicendum eſt hanc definitionem integrè conuenire tàm cæleſtibus, quàm ſublunatibus: namquè hæc inferiora neceſsè eſt ſuperioribus lationibus regi: ſi igitùr motus ſublunarium pendent à motibus cælorum; hæc definitio primò conuenit cælo, cuius motu hæc reguntur: præſentìm qùm dicat Ariſt. eſſe naturam principium, & cauſam primùm. Qùm verò definitio ſit communis cæleſtibus, & ſublunatibus, ſed communitate ab vno, primò competit cæleſti, & de primo loquendum. Et falſum eſt, quod ſupponitur; vſquàm Ariſt. diſtinguere materiam cæleſtium corporum à materia ſublunarium, vt ſuo loco patefiet. etiàm cæleſtium corporum eſt principium motus, & quietis, vt quæ ſimùl mouentur, & quieſcunt: non ſolum per motum velociorem, & tardiorem, ex quo compræhenditur in motu tardiore plùs quietis eſſe admixtam, & in velociore minùs; ſed etiam, quia vniuerſum, licèt aſſiduò moueatur circularitèr, quieſcit in proprio centro, & quodlibet cœlum intrà propriam ſpheram. Luna mouetur in orbem, & quieſcit in ſe ipſa, quià licèt modò ſit in orientali plaga, modò in occidentali, tamèn ad nos ſemper eandem ſpeciem ſeruat; quo patet in ſe ipſam non moueri, ſed quieſcere; Natura igitùr ipſius eſt principium motus, & quietis. Quando quis obiiciat terram quieſcere, & non moueri, ne hoc quidem eſt abſolutè concedendum, nam; eſto non moueatur motu locali quod certum eſt, mouetur tamen motu alterationes & ad qualitatem, quod ſatis eſt ad conſtituendam definitionem vniuerſalem, & indiuiſam, & ſinè diſiunctione vlla, nequè quò ad motum, & quietem, neque quo ad ſpecies motus; nam cœlo moueri, & quieſcere, augeri, & imminui,

alterari, & tranſmutari ex ſententia Ariſtotelis oſtendemus. Et ſi Ariſt. primo cœli transferens hanc naturæ definitionem ad Cœlum Tex. 5. præterit quietem, id facit, quià in cœlis quies eſt minùs manifeſta, & conſiſtit potiùs in motuum contrarietate ab oriente ad occidens, & occidente ab oriens, quo proprii motus cœlorum retardantur; ea quies tamèn ſubintelligitur; quià nullus motus eſt ſinè intermixta quiete, ſi datur velocior, & tardior.

Si dicatur natura principium, & cauſa mouendi, & quieſcendi, additur in quo eſt, quo ſignificat Ariſt. principium huiuſmodi eſſe intrinſecum rei, in quo eſt, & non extrinſecum, veluti eſt cauſa efficiens, & finis, & quidquid extrinſecè agit in tertium; vt dùm ignis calefacit aquam, alia enim eſt natura naturans, alia natura naturata ex Auerr.; vndè natura naturans eſt principium & finis extrinſecè ex Ariſt. primo de part. anim.; natura verò naturata eſt principium intrinſecum participatum à natura naturante, quæ interna quoque eſt, ſed non incluſa, vt natura naturata.

Dicitur deinde principium primum, quià Plato in Timæo dixit naturam principium poſtremum, intelligendo principium externum, nempè finem, qui eſt ad naturam naturantem, ideò Ariſt. vt hoc principium declararet amplius internum dixit principium motus primum, Dixit etiam principium primum, quià in fine libri primi propoſuit tractationem de forma, non verò agit de forma, & de materia, & vtramque dicit eſſe naturam. At quià materia per ſe non eſt principium immediatum motus, ideò oſtendit hac particula, a ſe propriè definiri formam, de qua ſe promiſerat acturum in calce primi libri; & materia eſt prima, & ſecunda; & ſecunda habet aliquas formalitates, per quas ſuppoſitum monetur ſecundùm prædominans: idcircò materiæ etiam competit hæc definitio per illas formalitates primò, deindè competit etiam materiæ primæ, quià has formalitates recipit, & ſic non primò; vel dixit primum ad differentiam motus violenti, cuius principum licèt recipiatur in eo, in quo eſt; tamèn non primùm ab eo pendet; ità, ſi, quæ mouent, fuerint inſtrumentalia, vt bracchium, aut manus, ſi conſiderentur vt inſtrumenta, & non vt partes, non ſunt natura; & ideò dùm bracchium mouet, non eſt ipſum principium primum motus, ſed homo mediante bracchio, aut alio Inſtrumento. Dixi dum conſiderantur, vt inſtrumenta, non vt partes, quià dùm mouentur ad augmentum, habent principium intrinſecum ſui motus, quod eſt natura rerum, & hac ratione partes animalium dicuntur natura.

Dicitur demum, *& non ſecundùm accidens*, quià multa artificialia habent principium intrinſecum ſui motus, vt horologia; pondus enim, aut blacta compulſa æquè eſt de forma artificiali horologii, atque ſit de naturali hominis anima: tamèn pondus eſt principium ſecundùm accidens. quippe plumbum vt graue tendit deorſum, non autem tendit in gyrum, & natura eius tendit ad centrum, non ad oſtendendam temporis menſuram. hoc autèm eſt mouere per accidens, veluti medicus non ſanat ſe vt medicum, ſed vt ægrotantem; licèt principium ſuæ ſanitatis, hoc eſt artem ſanandi habeat in ſe ipſo.

Nonnulli legunt per ſe, & non ſecundùm accidens; verùm, quià idem videtur ſignificare per ſe, & non ſecundùm accidens in translatione Boetii, quæ eſt vulgata, non legitur per ſe, ſed tantùm non ſecundùm accidens, & quandocumque

que aliàs Ariſt. replicat hanc definitionem, ponit per ſe, & deſerit ſemper non ſecundùm accidens; ex quo patet coincidentem eſſe harum dictionum ſignificationem.

Obijciunt nonnulli, Ariſtotelem per allatam definitionem non oſtendere, quid ſit natura, ſed in quem finem ſit, & quid præſtet, & cauſet. definitio autèm debet explicare eſſentiam rei, & abſolutum non debet definiri in ordine ad aliud, vt eſt principium, quod dicitur alicuius principium.

Reſpondetur per ea, quæ protulit Ariſt. primo de anima T. 4. eſſe communem rationem cuiuſcumque quidditatis, non poſſe explicari. Vndè in calce primi libri non promittit declarare, quid ſit forma, nequè, etiàm in prima philoſophia; ſed promittit tantùm, vtrùm vnum ſint vel plura, & quot, & quæ; ſed non promittit declarare, quid ſint, & de principijs oſtendiſſe, ait, quòd ſint, quæ ſint, & quot: quid autèm ſint, non dicit explicare. Ità impoſſibile ducens Ariſt. definiendo determinare, quid ſit natura, oſtendit, & determinat, cuius ſit principium, & quid cauſet; & per hoc explicatum affirmat Tex. 6. quid ſit natura. datur enim hæc definitio per intima, & eſſentialia rei definitæ, ponendo illam principium radicale motus, nam operatio eſt, quæ indicat formam, nec potentiori oſtenſione poteſt demonſtrari, quid ſit, & 3. metaph. ad ſummum; vbi cùm diligentia explicaturum ſe promittit, quid ſit forma; ait, naturam eſſe ſubſtantiam, & hoc prædicato diligenter explicatum præſumit.

Dubitatur inſupèr, quià, dùm in definitione ponitur cauſa, excluditur priuatio, quæ eſt principium vt materia, & forma, ſed non eſt cauſa. At ſi natura eſt principium motus, priuatio non videtur excludenda, quæ eſt principium primum motus, & præcipui motus generationis ad formam, & ex Ariſt. 1. Cæli T: 4. & ex defectu eſt, vt fiat tranſitus; quarè priuatio eſt principium motus præcipui, & eſt principium primum, qùm ſit antè formam, ideò non videbatur excludenda.

Reſpondetur rectè poni cauſam ad excludendam priuationem, quæ, licèt ſit principium motus, vt relatum eſt, tamèn non habet rationem principij mouentis ex virtute propria, ſed ex virtute naturæ naturantis, quæ propriè mouet ad formam, licèt ratione priuationis, quarè priuatio eſt principium, non cauſa; nec proindè natura, ſed contrà naturam.

Tertio Dubitatur, nam ab Ariſt. in metaphiſicis lib. 5. dicitur, naturam eſſe ſubſtantiam; ſed ſubſtantia non eſt principium motus, ergò natura non poteſt eſſe principium motus. Probatur minor, quià ſubſtantia non eſt per ſe operatiua, ſed operatur mediantibus accidentibus.

Reſpondetur. Principium actionis, ſeù agens principale eſſe, & inſtrumentale. agens principale vt quod, eſt ſuppoſitum, agens principale vt quo, eſt forma, ſeù materia ſub aliqua formalitate. agentia inſtrumentalia ſunt accidentia, quæ propterea non poſſunt dici principium motus, ſed inſtrumenta; nec obſtat, quòd ſubſtantia non ſit per ſe operatiua; quià, vti inſtrumentis, non eſt exuere rationem principij, & agentis principalis; vt lignator, quià vtitur ſecuri, non eſt dicendus non ipſum ſecare.

Quarto quies eſt priuatio motus, & qùm ſit ſinè aptitudine, eſt purè nihil, eſt ergò inintelligibile: quomodo natura poſſit eſſe principium quietis, nam tenderet in nihilum.

Reſpondetur quietem pluribus modis poſſe accipi; primo pro fine cuiuſcumque motus, & eſt quies in-

intenta a quocumque mouente; omne enim agens quieſcit per conſequutionem finis: ſecundà accipitur quies pro permanentia poſitiua rei in loco naturali: tertio accipitur pro modo quodam motus, vt in motu locali, qum ſit motus velociſſimus, & tardiſſimus, eſt etiam motus intermedius inter velociſſimum, & tardiſſimum iùxta exigentiam actionis ædendæ; qui modus motus eſt ex immixta quiete; & quietis ità acceptæ eſt principium natura: quarto accipitur pro priuatione motus. Natura eſt principium, & cauſa quietis primo modo acceptæ, quià natura ſemper operatur propter finem; eſt etiam principium quietis ſecundo modo acceptæ, quià ea quies eſt duratio, & entitas ex natura rebus inſita; eſt etiam principium tertio modo, & hoc eſt intentum præſertìm in definitione, quià natura, vt aptè omnia diſponat, & rerum varietatem moliatur, neceſsè eſt modum imponat motui iuxtà exigentiam actionis ædendæ. At non eſt natura principium quietis quarto modo acceptæ, quià hæc eſt mera negatio motus, cuius non poteſt eſſe principium vllum.

Ex quibus ſequitur naturam ſemper eſſe principium quietis naturalis; hæc enim quies à natura proptereà ſumit denominationem; vt quies violenta non eſt a natura, ſed præter naturam. Ideò natura non poteſt eſſe principium talis quietis; non quià hæc ſit nihil, vt nonnulli proponunt; eſt enim actio prohibentis motum, & paſſio quieſcentis; quarè eſt accidens reale, & aliquid; ſed natura non eſt principium illius, quià ea quies eſt præter naturam: aut, ſi natura prohibentis fuerit cauſa quietis, prohibens non erit principium per ſe, nequè primum, nequè in eo, in quo eſt quies; nam prohibens motum eſt extrinſecum corpori quieſcenti. Sequitur etiam naturam eſſe principium internum motus: non tamèn conſequenter eſſe principium motus interni; quià motus poteſt eſſe alicui internus, & poteſt ille motus eſſe à natura, & tamèn poteſt natura non eſſe principium illius motus; vt eſt calor aquæ thermalis, cuius calefactio eſt motus intrinſecus aquæ, & ille motus eſt a natura, & tamen principium illius motus non eſt natura, quià illa aquæ calefactio non eſt per principium aquæ intrinſecum, ſed per extrinſecum.

Sequitur etiam materiam eſſe naturam; non tamen abſolutè materiam primam: quià hæc non poteſt eſſe principium motus, qùm ſit indifferens ad quancumque formam; ſed materiam ſecundam, non quæ ſub eſt accidentibus, & arti, ſed quæ ſubeſt formæ ſubſtantiali, quæ dicitur materia ſecunda, proptèr formalitates remanentes ſub vltima forma, quæ non fiunt per introductionem nouæ formæ. remanent tamèn gerentes vicem materiæ: vt exemplificat Ariſt., ſi ex equo fiat canis, ſub cane remanet forma animalis, quæ erat in equo; ſed pro materia, & tanquàm principium paſſiuum recipiens complementum, & perfectionem, atque ſpecificationem à forma ſuperueniente; quæ vt principium motus ſibi radicalitèr conueniente, non tamen cuiuſcumque; nàm mixtum, exempligratia, quod a forma ſpecificante habet principium generandi ſibi ſimile, augendi ſe, calefaciendi, aut ſimilium, tamen deorſum mouendi ſe habet principium ab elemento prædominante, quod eſt illius materia: non tamèn ſinè aliqua formalitate elementi præexiſtente; vt canis non eſt ſine formalitate præexiſtente animalis, quæ erat in equo; & hanc voco materiam ſecundam diſtinctam à prima, quæ prorsùs ab omni forma immunis eſt,

eſt, & ad quamcumque æquè propenſa; ea autem materia, quæ ſubiicitur arti, & accidentibus, non videtur dicenda materia ſecunda, ſed ſubiectum, quod nullo modo habeat rationem principii. Eſt igitùr materia natura proptèr formalitates, quibus diſtinguitur a prima; & ſi vera eſt ſententia *propter, quod vnumquodque tale & illud magis*; forma erit magis natura, & etiam anima humana, licèt non educatur de potentia materiæ, quià tamèn informat corpus naturale potentia vitam habens, eſt illius natura, & eſt principium actionum cuiuſcumque motus animaſtici; qui, licèt videantur varij & non vnum, quemadmodùm dicitur ad vnum motum determinari naturam; tamèn etiàm anima rationalis videtur principium determinati motus: videlicèt ad proſequendum conceptum bonum, ſeù poſitiuum, & reale; ſeù præſuppoſitum; nàm voluntas etiam malum proſequitur ſub aliqua ratione boni ſaltem imaginati, & apparentis: nec propterea dicendum ſit, tolli libertatem operandi; quià voluntas, quæ ſemper fertur in bonum habet libertatem eligendi bonum apparens, & deſerendi verum, & reale; & ſaltèm ad hoc vnum determinata eſt voluntas, ne moueat ſinè prælectione; nec ex eo, quod anima humana eſt ſeparabilis, concludendum eſt non eſſe naturam; quià veluti ex Ariſt. anima ſi habet paſſionem, aut operationem propriam poteſt eſſe ſeparabilis, & poteſt non eſſe ſeparabilis: ità, ſi eſt ſeparabilis, poteſt habere operationem propriam, & eſſe principium quieſcendi, & mouendi in eo, in quo eſt, & continere omnes conditiones allatas naturæ. Maiorem videretur habere difficultatem ex eo, quod de foris accedit, & non educitur de potentia materiæ; ex quo ſequitur non eſſe naturam, nec pertinere ad naturalem philoſophum; ſed ad primam philoſophiam; quià operationes animæ rationalis non ſunt naturales, ex quo infert Ariſt. 1. de partibus animi cap. 1. Animam rationalem non eſſe naturam. Sed iſta quoque difficultas tollitur: namquè ſententia Ariſt. verificari poteſt in anima actu ſeparata, aut dùm exerceat actiones ſibi ſeparatæ dumtaxat competentes, nos autem dicimus eam eſſe naturam, dùm corpori iuncta eſt, & exercet operationes naturales, inter quas numeret Ariſt. intelligere, quod, ſi eſt cum phantaſia, ait eſſe facultatem corpoream; ideòque, non repugnat animam rationalem, prout eſt actus primus corporis, eſſe naturam; præſertìm, dùm experimur, ipſam moderari, ac perficere interdùm motus omnes naturales; & etiam refrenare impetus naturales, vndè, qùm modum tribuat motibus naturalibus corporis, videtur eſſe principium motus, & quietis. hoc enim eſſe declarauimus principium modi motus, nempè eſſe principium quietis, quæ eſt modus motus; & anima non ſolùm eſt principium modi motus, qui dicitur quies; ſed eſt etiam principium motus; & hoc modo eſt principium motus, & quietis, & ſic natura.

Quo ars diſtinguatur a Natura.

OCcaſione, qua quæritur differentia, quæ ſit intèr naturam, & artem, multæ intercurrunt curioſæ petitiones philoſophantium; nempè, an ars poſſit ea facere, quæ natura facit, aut etiam perficere, quæ natura deſerat imperfecta; an elementum vllum poſſit inexiſtens ædere, an glaciem, an plantam, aut animal, an hominem, quæ omnia ars iactat effeciſſe, vt aerem ex aqua, igne ſuppoſito; glaciem ſuper impoſita niue nitro, & ſale mixtis, aurum ex argento viuo, plantas inſiſione, crabrones ſtercore, ſcorpiones attrito ocymo, ſerpentes capillis, aues furni calore: imò etiam perficere poſſe ars creditur ea, quæ natura minus perfecta produxerit; vt cultu agricultura mitiores, ac ſalubriores fructus efficit: alimenta attrictione, & coctione, & condimento faciliora, mitiora, ac ſuauiora reddit coquinaria: ex his exorta eſt lis; ſed natura meliora obtinuit vota, ars plura: qùm enim ars hominis ſit; ſuſpectos habuit iudices, qui pro ea fuere. ſapientiores tamèn concludunt, naturam præcellere, & ne præiudicium huius rei habeatur, quærendum prius: vt propoſitum eſt, quo ars diſtinguatur à natura, & quo ambo conueniant. Conueniunt, quià tàm ars, quàm natura ſuum opus cùm prudentia, & conſilio fabricant, & ex præconcepto fine, tendentes a minùs perfecto ad perfectius ex Ariſt. primo de gener. an. cap. 4., niſi quid intercidat impediens. vtraque per conſequutionem finis quieſcit; & vtraque, quando finem ſibi prępoſitum erat; conſequuta eſt, aut conſequi poſſe deſperet, aut deſerit fabricata inſtrumenta, aut deſerit, & abſoluit, parando ad nouam mixtionem, ac texturam. veluti enim typographus ex arte poſt exactam impræſſionem elementa operis æditi, & caracteres commiſſos diſſoluit, & in loculos ſuos diſtribuit:Ità natura, poſtquàm mixtum, aut animal, aut tranſacto ſuæ vitæ ſpatio; ea, quæ natura exiguntur perſoluerit; aut perſoluere aliquo intercedente impedimento, non poteſt, animal a vitæ functionibus liberat, & illud moritur, & niſi in aliam mixti ſpeciem traducatur, in alimentum tranſiens; tandèm ſummo cùm naturæ tumultu, & reluctantia; vt ex odore putreſcentis agnoſcitur, reſoluit in elementa, & vnumquodque in ſuum locum reponit; vt ad nouam mixtionem materia non deficiat; quam ars paritèr, ac natura præſupponit pro ſubiecto. ars lignum, æs, ferrum; natura terram, aquam, aerem; ſed terram præſertim, in qua ex ſententia Hyppocratis omni genum eſt. Hoc tamen differunt inuicèm, quod omne ens à Philoſophis in decem rerum naturas, & prædicamenta diſtributum à natura omninò eſt: nihil ab arte, niſi per imitationem, & denominationem extrinſecam. nequè enim ſubſtantiam vllam efficere ars poteſt, nequè quantitatem, vt manifeſtum eſt; cætera verò nominata prædicamenta videtur efficere, quià naturæ imitatur effectionem, aut naturam operantem dirigendo, eius operationes ſibi aſciſcit. quà ratione, naturam imitando, multa ad aliud producit, quæ videntur ponenda in prædicamento relationis, licèt non ingrediantur prædicamentum, niſi per ſimilitudinem, vt eſt temo, qui dicitur rei temonatæ temo; licèt ſit ab arte ad aliquid, & non ex natura: vndè non ingreditur prædicamentum; quià om-

omnia, quæ ingrediuntur prædicamentum, ſunt a natura, & nihil ab arte; &, licèt Ariſt. in capite de his, quæ ad aliquid, recenſeat etiam temonem, hoc facit exempli gratia, & vt ex magìs notis in arte intelligamus, quæ nàm ſint ea, quæ ſunt ad aliquid ex natura, vt ſunt partes animalium, vt caput eſt capitati caput. differentia autèm artis, & naturæ in his, quæ ad aliquid, depræhenditur, quià intèr alias conditiones, quæ in his requiruntur, quæ ad aliquid, ſunt: vt ſint ſimul natura, & vno deficiente, pereat relatio. quod intèr temonem, & rem temonatam non accidit, quæ ſunt ab arte: nàm res temonata, etiam ſi comburatur temo, qua erat temonata, poteſt alio temone eſſe temonata, quià relatio ab arte eſt, & habet ſui eſſe principium, & cauſam extrinſecam; at, quod eſt capitatum, dempto capite, non poteſt alio capite capitari, quià illa relatio eſt à natura; & ars non poteſt opera naturæ exequi, licèt valeat imitari vt in crure ligneo. Non igitùr ſola ſubſtantia pertinet ad naturam, ſed omnia etiam vocata accidentia. Differunt etiam, quià natura nihil præſupponit ab arte factum, ſed a vi ſuperiore, nempe à Deo; ars verò præſupponit facta à Deo, & à natura, ſine quibus nihil prorsùs valet. Aiunt nonnulli differre quoquè, quià natura præſupponit ad ſuum opus ſubſtantiam incompletam, & completam; quod aſſertum ſinè animaduerſione non eſt prætereundum: licèt commune ſit, quià diximus multa accidere ſubſtantiæ completæ, quæ extrà Ius artis ſunt, & hæc eſſe omnia accidentia arbitramur, ita vt natura ad producendam ſubſtantiam præſupponat ſubſtantiam incompletam, & completam ad producenda accidentia; ars autèm nequè ſubſtantiam, nequè accidens vllum poteſt producere, niſi additum naturalibus accidentibus, & illa applicando, non generando. e non poſſunt artificialia ſibi ſimile prorsùs gignere, quod faciunt naturalia.

An ars poſſit efficere ea, quæ natura facit.

EXemplo eorum, quæ ſunt ad aliquid, patefecimus, artem nullum ens poſſe efficere, nec ſubſtantiam, nec accidens, quod vt clarius appareat, ſingularitèr de vnoquoque prædicamento dicendum eſt; & prima ſit concluſio. Ars non poteſt efficere ſubſtantiam. probatur, quià ars eſt accidens, ſed accidens non poteſt producere ſubſtantiam; ergò ars non poteſt producere ſubſtantiam. Ariſt. 2. phiſ. T.24. ait, faciunt artes materiam, aliæ quidem ſimplicitèr, aliæ verò operi accomodant. Quæ obiiciuntur in præcedenti capite, aerem, & ventum educi artificiosè ex aqua igne ſuppoſito, glaciem nitro, aurum aliorum metallorum mixtione, plantas inſitione, ſerpentes capillis demerſis in aquam ſub ſole æſtiuo. aues furni calore; non redarguunt allatam concluſionem; quià hæc non agit ars per propriam virtutem, ſed aptando actiua paſſiuis, & naturæ viribus; quarè hæc natura facit, non ars; veluti naturæ viribus homo hominem gignit, & non propriis viribus. ſiquidèm igne ſoluitur aqua in aerem, non arte. ſale, & nitro ſuper impoſita nix acuitur, & actiuitatem maiorem recipit: & nihil ad glaciem ars conducit. Aurum ex arte poteſt à cæteris metallis ſegregari, non autèm, ex illis fieri: quid auro ſimile, ſed auri vera ſpecies ex arte elici non poteſt; ità inſitio eſt aliud ſationis genus, quo ars vtitur, natura au-

tem eſt, quæ fructus edit, non ratio ;& capilli ſub ſole principium vitæ ſaltèm potentia ex natura continentes ſolis calore excitantur ad vitam, & non vna ſpecies ſerpentis fiunt, ſed animal oblongum breuiſſimæ vitæ ; ità calor furni, & non ars eſt, qui naturalem calorem, & ſpiritum artificem excitat in ouo ad auem delineandam, & ædendam. Ac Dedali ſtatuæ, columbæ Architæ, ſpheræ Archimedis ſi mouentur ex arte, volant, & loquuntur: hoc in vim naturæ fit, & in his ars imitatur naturam, non perficit propria virtute, & per ſe.

Sit ſecunda concluſio. Ars non poteſt efficere vllum accidens, quod probatur, quià non eſt accidens accidenti accidens ex Ariſt. 4. Meth. Tex.15. nisi, quià vtrunque eidem accidit. qùm igitùr ars ſit accidens, non poterit aliud accidens producere, præſertim diuerſæ rationis; probatur etiam ex Ariſt. 1. de An. cap. 1. vbì ait, accidentia conducere ad cognoſcendam ſubſtantiam; at, ſi penderent ab arte paritèr, vt à ſubſtantia, non poſſent conducere ad cognitionem ſubſtantiæ.

Obijci poteſt; ex arte poſſe parari quantitatem tàm diſcretam diuidendo, quàm continuam alendo ſata, & ex lenta materia longitudinem, aut latitudinem augendo. Poteſt ars facere relationem,dùm ſcamnum ſimile ſcamno efficit, vndè ſimilitudinis relatio emanet. Poteſt facere qualitatem, vt tradere potentiam naturalem ſecuri ad ſecandum, acuendo illam: habitum parare ad ſaltandum, canendum, legendum, & diſpoſitiones inducere. Itèm paſſibiles qualitates euocare, vt calorem motu, frigus flabello excitare, & tranſmutare in alimentis, parietem dealbare, & colorem quemcumqne ex arte fullonica præſtare. Demùm formam ſcamno, & figuram ligno ex concepto exemplari tradere. Potuit ſaltèm actionem tradere mouendi ſe, ſpheræ Archimedis, volandi columbæ Architæ, loquendi Dedali ſtatuæ, quibus ſi negatur ratio æditæ ſubſtantiæ ab arte, ſaltèm actio non videtur poſſe negari, & eadem prorsùs ratio eſt de paſſione, quæ ab arte infertur, dùm aqua calefit, lignum ſecatur, & figura inducitur. Ars tribuit etiam pluribus durationem rerum natura conſtantibus: vt homini ars medica, & locum, & ſitum, & habitus rebus poſſe ex arte conſtitui, non videtur dubitandum, & omninò ars alia quidem perficit, quæ natura non poteſt efficere, alia verò imitatur Ariſt. 2. phiſ. T. 79.

Tamen his non obſtantibus propoſita concluſio viget, quià ars ea omnia facere poteſt non propria virtute, ſed virtute rerum natura conſtantium: applicando actiua paſſiuis; quippè nulla ratione auget quantitatem, diuidendo; nàm ex continua non fit tranſitus in diſcretam, quæ diuiſa eadem ſemper manet, & in lenta materia, ſi quæ longior, aut latior facta eſt ex arte quadrata eadem ſemper eſt, nàm quid quid demitur latitudini, longitudini traditur, aut craſſitiei. Capite de relatione iam dictum eſt: ſimilia non eſſe vera relatiua: nec dari relationem ſimilitudinis; niſi fortaſsè in his, quæ ex natura ſimilia ſunt, qua de re in metaphiſicis quçrendum eſt. Quo verò ad qualitatem videtur rationabiliter artis potentia,quæ tamèn nulla eſt, niſi modo explicato, nàm potentia ad ſecandum eſt ex naturali duritie, r attenuatio quidèm eſt ex arte, qua mediante, & ex vi paritèr ex arte ſecat; ſed vis à natura eſt, & potentia attollendi, & deprimendi ſecurim; ac tenuitas, quæ ex arte eſt, inanis ſinè duritia eſt; at durities ex natura eſt. Vnde dolabra ex plumbo: quantumuis tenuis ſit, non ſecaret lignum; non igitùr ex te-

tenuitate ſola ; ſed ex duritie potentia naturalis eſt ad ſecandum ; imò ſi obijciatur, etiam duritiem ferro tribui ex arte calenti, & ſub certo caloris contracti gradu aquæ ſubmerſo ; vis tamen omnis naturæ tradenda : nec ars aliud præſtare videtur quàm applicare actiua paſſiuis. Diſpoſitio, & habitus ad ſaltandum, canendum &c. ex natura quoquè eſt, quæ membra ad id apta concinnauit ; ars tantùm poteſt remouere impedimenta, & modùm parare, ac facilitatem. Calor motu ex natura excitatur, quod patet, quià interdùm ars opus habet aptare refrigerantia, ne inſtrumenta, ſtupea præſertìm, magna vi motus incendantur. Ars parieti album corpus ſuper inducit, & nihil album facit, quod priùs non fuerit ; aut, etiam ſi albedinem euocat agitatione, & motu in cera, in ſaccaron, in melle: hoc etiam ex natura eſt, quià ars ; nec poteſt, niſi naturalia corpora dealbare, nec his alium colorem tribuere, quàm, qui ex natura per motum illum tribuatur. formæ, ea figuræ, ea ſpecies qualitatis prædicamentalis eſt, quæ ex natura eſt ; vt hominis, & leonis, & equi, ſerpentis, natantis, volantis certa figura data eſt ex his, quæ ex natura exiguntur ad motum quemcumque idonea : figuræ aliæ ſuper additæ ab arte in naturæ detrimentum ſunt, nàm naturæ opera deteruntur, dùm iſtæ inducuntur figuræ, & ſcalpello aliquid demendo torquendo fiunt; vndè præfuiſſe videntur, & ab arte nihil aliud præſtitum, niſi remotio earum partium, quæ impedirent, ne in conſpectum eſſent: ſic ſtatua erat in marmore, & ſculptor eas portiones marmoris ſcalpello remouet, quæ ſtatuæ proſpectum impediebant; eadem quoque dicenda ſunt de cæteris, quæ non dicuntur eſſe, niſi prædicamentum ingrediuntur ; nec prædicamentum ingrediuntur, niſi, quæ à natura ſunt.

Ariſtoteles tamèn hoc ſecundo libro ait eorum, quæ ſunt, alia quidèm natura eſſe, alia verò proptèr alias cauſas ; quià, licèt omnia, quæ verè ſunt, & ſunt in prædicamento, ſint a natura, ars tamèn naturam imitatur, & ea, quæ ars efficit, videntur eſſe propter alias cauſas, quià per ſimilitudinem aggregantur prædicamento. Item quæ fortuna, & caſu ſunt, dicuntur etiam eſſe proptèr alias cauſas ob oſcuritatem ignorationemque veræ cauſæ: non, quod verè quicquam ſit in rerum natura, quod à natura non ſit ; quoniàm verò multa intercidunt improuiſa, nec opinata nobis, dicuntur fieri caſu, & fortuna: qua de re aliàs differendum ; quod enim ſpectat ad præſens negotium, firmandum omnia, quæ ſunt verè in prædicamento, eſſe à natura, quæ verò ſunt ab arte, a caſu, aut fortuna, eſſe in prædicamento per ſimilitudinem, vt explicat Ariſt. Tex. 2. dicens, *lectus autèm, & indumentum, & ſi quid huiuſmodi genus eſt, ſecundùm quod quidèm ſortitum eſt prædicationem vnamquamque, & quatenùs ab arte eſt &c.* hæc enim ſortita eſſe prædicationem ait, & non habere ex ſe ; vndè addita, declarat, prædicamentis, & inſita, non autèm innata, & perpetuam habentia eſſentiam, cuius poſſit haberi ſcientia. Artificioſa enim figuras habent, & alia accidentia *habent in ſe ipſis ; ſed non ſecundùm ſe ipſa*, vt T. 3. profert Ariſt. *Vt enim ars dicitur, quod ſecundùm artem, & artificiale, ſic, & natura, quod ſecundùm naturam dicitur, & quod naturale* 2. phiſ.

T. 11., *eorum, quæ fiunt, alia quidem proptèr aliquid fiunt, alia verò non*, 2. phiſ. 49.

Quo differat naturalis conſideratio ab Artificiali, & Matematica, & Metaphiſica.

Q*Voniàm autèm determinatum eſt, quot modis dicatur natura* T. 16. Declarauit Ariſt. quot modis dicatur natura; &, licèt eius definitionem quoquè attulerit, non tamèn poſſumus dicere notum eſſe vſque adhuc, quid ſit natura, niſi eius principia, & affectiones nouerimus ſingularitèr, quod vt præſtet Ariſt. primò determinare conatur quæ nàm ſint ea, quarum conſideratio ſpectat tantùm modò ad naturalem philoſophum. Etenim tanquàm certum ſupponit; intellectum, qùm ſit abſtractus à materia, non poſſe nisì abſtracta comprehendere; hoc differt ſcientia ſpeculatiua ab arte, quo artifex non abſtrahit à materia, ſed illius habere debet notitiam, vt qui temonem fabricat, debet ſcire, ex quo ligno, & quibus motibus figuram debeat aptam habere: at nauis gubernator; qui ſpeculanti ſimilis eſt, debet tantùm cognoſcere, qualis debeat eſſe temonis forma, vt profert Ariſt. T. 15. Debet igitur ſpeculator abſtrahere à materia res comprehendendas, vt eorum apprahenſio intellectum valeant perficere, & ſit aliqua proportio inter intellectum, & rem intelligendam. Prima igitùr ſeparatio, per intellectũ, per quã philoſophus diſtinguitur ab artifice architecto, ea eſt, in qua res ſeparantur à materia ſingulari, quam communitèr ſignatam appellant; vt lignum, æs, ferrum; non tamèn ſeparantur a materia communitèr accepta; & hæc prima leuiſſima ſeparatio ſpectat ad naturalem philoſophum, qui conſiderat hominem vniuersè acceptum, tanquàm entitatem, & formam ſeparatam à Socrate, & à Platone, & à cæteris ſingularibus hominibus; hanc tamen formam, & ſpeciem non ità conſiderat ſeparatam, tanquàm nullam habere debeat materiæ conſiderationem communitèr ſumptæ. quià, ſi naturalis philoſophus debet definire rem conſideratam per omne genus cauſæ, & partes definitionis conſiderare; debet ſpeculari quidèm compoſitum ex materia, & forma; ſed vnà cum his, ex quibus componitur, vt eſt materia, & forma ex T. 21. huius libri ſecundi phiſ. à quibus componitur, & in quem finem ex T. 26.

Alia ſpeculatricis ſcientiæ ſeparatio eſt à materia quacumque abſolutè; quæ ſeparatio etiam duplex eſſe poteſt, alia realis, alia ſecundùm rationem; ſeparatio realis; quandò conſideratur forma, & ſpecies rerum prorsùs abſtracta à materia: non, quæ abſtrahatur, ſed quæ abſtracta eſt; & quomodò ſe habeat ea forma ſeparabilis, & quid ſit; quod ſpeculationis genus pertinere ad metaphiſicum aſſerit pariter T. 26. ea verò ſpeculatio, quæ formas conſiderat abſtractas non re, ſed ratione, dicitur ſpeculatio matematica; quæ conſiderat formam, & figuram, vt ſic, ſinè vlla conſideratione materiæ: non tamèn tanquàm abſtractam ab ea, & ſeorsìm exiſtentem. nàm, qui formas, & rerum ſpecies ſeparatas exiſtere dicit, quas idæas vocant, mendax eſt. Matèmatici autèm non eſt mendacium, quià, abſtrahit quidèm à materia figuras à ſe conſideratas, non tamèn affirmat abſtractas exiſtere, niſi per intellectum; qua ratione, abſtrahentium non eſſe mendacium profert T. 18. & numerus, & linea, & figura ſinè motu &c. 2. phiſ. T. 19. vndè chorda æqualis æqualitate matematica non eſt ſubiecta motui, & diſruptioni.

Differt igitur conſideratio natura-

ralis philoſophiæ à metaphiſica, quia metaphiſicus conſiderat rerum entitates, quæ ſunt, & exiſtunt abſtractæ à materia; differt à matematica, quià matematicus, licèt non conſideret res abſtractas exiſtentes, nullam tamèn habet conſiderationem materiæ, cui exiſtant; at naturalis philoſophus conſiderat formam, & materiam; materiam tamèn aliqua formalitate conſpicuam; nàm aliàs non poſſet dici, *ad aliam formam aliam eſſe materiam* eodem T. 26. niſi materia aliqua formalitate diſtingueretur alia ab alia. Naturalis igitùr philoſophi, ait, eſſe cognoſcere vtramque naturam: nempè materiam, & formam; &, quoniam definit per omne genus cauſæ, conſiderat etiam id, cuius gratia res naturalis eſt, & finem ex T. 23; quem eſſe ait vltimum id, in quod motus rei naturalis dirigitur. & propterea animaduertit impropriè à nonnullis, quodcumque vltimum eſt, & tanquàm terminus, appellatur finis: qùm terminus potiùs, & non finis dici debeat, niſi ſit illud optimum, in cuius finem fieri, & moueri res prædixerat. Vnde ait mortem non eſſe hominis finem, ſed terminum; nàm finis habet rationem boni, mors autèm habere rationem mali, vt credit, ac T. 22. refert ſcitum Euripidis dictum, quempiam, dùm moreretur, habuiſſe finem, in quem, & cuius cauſa factus eſſet; quo non impropriè locutum eſſe Euripidem animaduertit; ſed eluſoriè, qùm autèm optimè noſſet Euripides, non omne vltimum eſſe finem; ſed optimum, dixit, eum; qui moreretur, conſecutum eſſe finem, cuius gratia natus eſſet; deriſorie carpens illum quaſi moribus prauis præditum; oſtendendo, prauiorum hominum, optimam eſſe mortem, quo Ariſt. Euripidem non damnat, quaſi impropriè, & riſu digna pronunciantem, vt plurimi interpretantur; ſed commendat plurimum eius auctoritatem adducendo, ad oſtendendum finem eſſe quid optimum. quæ profert Ariſt. vt patefaciat ad naturalem philoſophum pertinere tractationem non ſolum de forma, ſed etiam de materia; quià, ſi debet conſiderare finem, & natura eſt finis, tenetur etiam conſiderare materiam, quæ in finem parata eſt, ad recipiendam nempè determinatam formam, dùm *ad aliam formam alia materia eſt* ex eodem T. 26. materiæ itàque datur motus ad formam; ideò tenetur naturalis philoſophus conſiderare omnia quoquè, quæ conducunt, & concurrunt ad motum, ad quem nulla eſt conſideratio matematica, a quo par, & impar; rectum, & curuum; numerus, linea, figura conſideratur ſinè motu, & conſequenter ſinè vlla phiſica affectione ex T. 19. ex quibus facilè reſponderi poteſt pætitioni aliàs propoſitæ ab Ariſt., vbi nàm diſrumpi contingere poſſit chordam vndequaquè æqualem, non inferendo, nullibi poſſe diſrumpi abſolutè, ſed vel nullibi, vel vbiquè. namquè propoſita æqualitas chordæ vel concipitur à matematico abſtrahente à materia, vel a naturali philoſopho, qui has formas conſiderat in materia, ſi conſideretur à matematico abſtrahente: nullibì chorda contingit diſrumpi, quià formæ matematicæ ſinè motu ſunt, nec ſubiacent huic affectioni, qua poſſint diſrumpi; ſi chorda æqualis conſideretur à naturali philoſopho, tanquàm ſubiecta huic affectioni, conſideratur in materia, proptèr quam æqualis a qualitate abſtracta, & matematica eſse non poteſt, ideo continget diſrumpi in parte debiliore; aut, ſi datur hæc æqualitas naturalis per æquationem partium; quod, licèt de facto dari non contingat, de poſſibili tamèn non repugnat dari; tunc, ſi daretur iſta æqualitas, chorda diſrumperetur in

pul-

puluerem, & partes minimas; quoniàm æqualitas non faceret impaſſibilem, & incapacem vis iniectæ; ſed faceret vim æqualitèr vbiquè participatam; ſic vbique æqualitèr vi impreſſa, vbiquè diſrumperetur, & in puluerem redigeretur, & in atomos. longè itàque diuerſa eſt conſideratio formarum à matematico, a naturali philoſopho, & à metaphiſico; quippe naturalis philoſophus conſiderat cùm motu, & materia, a quo, & cuius gratia, quæ ſunt cauſalitates ad rerum productionem concurrentes, de quibus tractationem deinceps aggreditur Ariſt. Tex. 27.

De Cauſis.

EGit Ariſt. de intrinſecis rerum principijs; nempè de materia, & forma, quæ ſub ratione principij non veniunt in conſiderationem, niſi in fieri. ſupererat agendum de eadem materia, & forma, prout exercent cauſalitatem, & in fieri, & in facto eſſe, & dependentiam, ac ordinem habent ad cauſas extrinſecas, videlicèt ad cauſam efficientem, & finem.

Cauſa dicitur interdùm lato modo id omne, quod concurrit ad effectum ſiuè per ſe, ſiuè ex accidenti, qua acceptione ex Ariſt. 2. metaph. T. 11. & 5. metaphiſ. T. 1. dùm dicit motus principium malum, priuatio etiam inſignitur cauſæ nomine, vt Ruuius refert, & nix manu tractata dicitur cauſa caloris. alio modo dicitur cauſa ea, quæ naturalem connexionem habet cum effectu, tamèn à qua pendet effectus, in fieri, & ſic nomen cauſæ reſtringitur tantùm ad cauſam efficientem. Alia ratione dicitur cauſa, quicquid concurrit ad aliquid producendum, influendo propriam cauſalitatem in ipſum, de qua ratione cauſæ modò agendum eſt iuxta definitionem ad naturalem philoſophum pertinentem, iuxtà quam propoſitam ab Ariſt. 1. de an. recenſentur quatuor genera cauſarum materialis, formalis, efficiens, ex finalis.

Ariſtoteles non videtur determinare nequè in hoc ſecundo libro, nequè alibì, quid ſit cauſa. namquè, circà quid eſt, cuiuſcumque rei quæſtionem difficillimam, & multis erroribus diffamauit 1. de an. T. 4. ideò quærendum duxit, quænam ſint cauſæ, & quot ſint, genericè autèm hoc lib. 2. Tex. 27. nihil aliud eſſe cauſam colligitur, quàm id, proptèr quod vnumquodque eſt; quod probat; quià res eodem modo ſe habent ad eſſe, vt ſe habent ad notitiam, quam quærimus ex 2. Metaph. T. 4. ſed ſcire vnumquodque arbitramur, qùm acceperimus, proptèr quid circà vnumquodque, & hoc eſt cauſa, ergò cauſa eſt id, propter quod res eſt. Dicere enim eſſe id, ad quod aliud ſequitur, videtur intèr cauſas adnumerare priuationem, & quemcumque terminum, a quo; at finis, licèt ratione boni moueat cauſam efficientem, & aliquid influat in materiam priuatam deſiderii, & appetitus: non tamèn videtur influere in effectum, ſed ad effectum, & habere rationem cauſæ, non autèm rationem principii; tamèn quicumque velit has definitiones cauſæ recipere, poſſunt recipi, ſi ſenſus ad eum, qui Ariſt. eſt reducatur, cauſam eſſe propter quod vnumquodque eſt, quod explicat Pererij definitio melius: Cauſa eſt, quæ in ſuo genere per ſe, & principialitèr concurrit ad conſtituendum effectum. licèt hæc definitio magis aptè explicet cauſas in facto eſſe, quàm in fieri: tamèn ad vtramque rationem cauſandi redigi poteſt. & etiam cauſa finalis tàm redigi poteſt ad rei generationem, quàm ad conſerua-

uationem rei genitæ, & vniuſcuiuſcumque cauſæ concurrentis cauſalitas diſtinguitur, dùm dicitur concurrere in ſuo genere: nempè in genere cauſæ materialis, formalis, efficientis, & finalis.

Probatur has cauſas neceſſarias eſſe, & vnamquamque earum ad rerum generationem, eſſe, exiſtentiam, & motum; & primò cauſa materialis, quoniàm ex nihilo nihil fit, & ex omnium philoſophorum conſenſu, omne, quod fit, ex præſuppoſito ſubiecto, fit, & hoc eſt materia, quæ non poteſt eſſe ſinè forma; velutì inintelligibile eſt, eſſe ceram abſque figura; & fruſtrà eſſet; etiàm ſi formata eſſet inefficacitèr, & nullam æderet operationem; actiones autèm ſunt ſuppoſitorum, ideò neceſſaria eſt etiam forma, quæ, & per quam materia fit hoc aliquid, & exeat in ſuppoſitum, quem motum tranſeundi in ſuppoſitum, & generationis non poteſt materia moliri a ſe ipſa; quià nihil agit in ſe ipſum, ideò etiàm neceſſarium fuit agens, a quo hic effectus cauſaretur. At nihil quoquè mouetur ad agendum fruſtrà, & inanitèr, ſed aliquo ſibi bono præſuppoſito, tanquàm fine, quarè hæc omnia genera cauſarum neceſſaria ſunt, quorum vnumquodque in ſuo genere per ſe, & principialitèr concurrat ad conſtituendum effectum, vt in definitione doctiſſimi Pererii ad mentem Ariſtotelis proponitur. Addunt Platonici quintum genus cauſarum nempè exemplar, quod tamèn reducitur ad cauſam finalem, nàm ratio finis, & boni mouet artificem ſub aliqua ſpecie determinata, & hæc eſt exemplar, quod ſpecificat genus cauſæ finalis, non autèm addit quintum genus. & potiùs videtur reducendum hoc genus cauſæ ad cauſam finalem, quàm ad efficientem; quià conceptus mentis pro exemplari propoſitus agentis eſt ſcopus, & finis in quem agens collimat, & ad hoc reſpiciens Ariſt. 7. metaph. ait, domum materialem fieri à domo concepta in mente Artificis, & ſanitatem fieri à conceptu eius præaccepti in mente medici, & 2. phiſ. Text. 28. cauſam formalem appellat exemplar, quià cauſa formalis recepta in materia eſt, eadem in mente Artificis eſt cauſa finalis, & non eſt exemplar; nisi, quandò eſt in mente Artificis, ergò exemplar eſt cauſa finalis, aut reducitur ad cauſam finalem: quemadmodùm omnes aliæ cauſæ inſtrumentariæ reducuntur ad ea genera cauſarum, cuius ſunt Inſtrumenta.

De cauſa materiali.

ARiſt. 1. phiſ. T. 64. protulit omne, quod fit, ſempèr eſſe compoſitum, quarè, dùm quæritur de cauſalitate cuiuſcumque cauſæ, quæritur de cauſalitate reſpectu compoſiti; vndè, qùm materia hoc loco definiatur, id, ex quo fit aliquid, qùm inſit, eius cauſalitas conſiſtit in conſtituendo compoſito, & danda illi ſubſtantia, eſt enim id, ex quo fit ipſum compoſitum, & ratione cuius habet ſubſiſtentiam: id enim, quo ineſt, eſt ratio, per quam materia actualitèr cauſat; eductio verò formæ ex eius potentia eſt quid præcedens illius cauſalitatem. ſi cauſalitas dirigitur ad id, quod fit, quod eſt compoſitum, cauſalitas verò directa ad formam non eſt eductio de eius potentia, quià hæc eſt actio potiùs, quàm paſſio, ſed eſt ratio, quà ſubſtentat, & recipit, & hæc, eſt paſſio, ex accidenti directa ad compoſitum, cuius propriè quæritur cauſalitas; namquè effectus huius cauſæ eſt compoſitum, non autèm forma; forma enìm educitur

de

de potentia materiæ, & cauſatur à cauſa efficiente, non à materiali. Qui ponunt cauſalitatem materiæ vnionem ipſius ad formam, videntur ſupponere formam poſſe eſſe ſeparatam à meteria, & figuram à cera, quod in intelligibile exiſtimo; qnòd ſi opponant diſtingui, & ſeparari animam rationalem, conſiderare oportet animam rationalem non eſſe ex his formis, quæ æducuntur de potentia materiæ, & ideò compoſitum humanum non habere eaſdem cauſalitates, nec eiuſdem rationis cùm cæteris formis, quæ materiales ſunt; ex quibus per eandem actionem, per quam forma educitur, conſtituitur compoſitum. actio autèm exit ab agente, non à materia, ſic vnio in homine non erit cauſalitas materiæ, ſed efficientis; per cuius actionem cauſatur compoſitum. cauſalitas enim eſt immediata dependentia effectus. Immediata igitùr dependentia compoſiti à materia eſt conſtitutio ex ea, & ſubſiſtentia, ità enim compoſitum pendet immediatè à materia, tanquàm à cauſa, & tàm in fieri, quàm in facto eſſe, ergo conſtitutio compoſiti, & ſubſiſtentia eſt cauſalitas materiæ, de qua quæritur.

De cauſa formali.

Cauſalitas quoquè formæ attenditur ergà compoſitum, non ergà materiam. quod cauſatur eſt compoſitum, & forma eſt id, propter quod iam dicitur hoc aliquid, & rei tribuitur actualis exiſtentia, & conſtituitur in gradu entium determinato, & ab alijs rebus eſſentialiter diſtinguitur; cauſalitas itàque formæ conſtituere eſt hoc aliquid in actuali exiſtentia. Cauſalitas autèm formæ ergà materiam, quæ actuatur, & perficitur per eam, dici poteſt etiam vera cauſalitas, ſi conſideretur, quatenùs terminat compoſitum; ſic enim cauſalitas conſideratur reſpectu compoſiti, & non reſpectu materiæ, quæ debet dici cauſa, & non cauſatum. Et quanquàm cauſæ ſint ſibi inuicèm cauſæ; itàut, veluti materia dicitur cauſa formæ, quià illam continet in potentia, & quià de illius potentia educitur, ità forma dicitur cauſa materiæ, perquam ipſa terminatur, actuatur, & perficitur: non tamèn hæ ſunt cauſalitates, de quibus quærimus, & quæ ſunt directæ ad compoſitum, quod verè fit.

De Cauſa efficiente.

Cauſa efficiens eſt, à quà principium motus, ſic appellatur ab Ariſt. ex ſecundo lib. phiſ. T. 30., & primo de gen., & corr. T. 55., ſed quià videtur trunca hæc definitio, moderni cauſam efficientem eſſe principium extrinſecum, à quo per ſe primò eſt, aut fit mutatio, dixere, vel cauſam extrinſecam, a quà effectus per actionem realitèr dependet. Verùm definitio tradita ab Ariſt. videtur in ſuo genere perfecta: quoniàm, quandò definitio non poteſt tradi per omne genus cauſæ, vt euenit in incauſatis, & in accidentibus, optima eſt definitio metaphiſica, quæ conſtet ex genere, & differentia. In noſtro caſu: qùm definienda ſit cauſa, quæ multiplex eſt; Principium motus eſt genus, differentia eſt, a qua: ſic inuicèm diſtinguuntur genera cauſarum. nàm cauſa materialis eſt, in qua, & ex qua eſt principium motus, cauſa formalis eſt principium motus, ad quod: cauſa finalis eſt principium proptèr quod motus, cauſa

ef-

efficiens eſt principium vndè, ſeu à quo motus, ſic dicere principium extrinſecum abundantèr eſt, quià ſi eſt, à quo, ex hoc ipſo erit extrinſecum, ità ſuperfluum eſt dicere, à quo per ſe primò, quià hoc ipſum denotatur per principium. eaſdemque patitur exceptiones alia definitio, & quæcumque ſuperfluit ab his, quæ protulit Ariſt. Et, quanquàm multiplex videatur efficientis cauſalitas, tamèn ratione termini intenti vniuoca eſt reſpectu compoſiti, quod producit; altera autèm cauſalitas, quæ dicitur eſſe reſpectu materiæ, quam cauſa efficiens diſponit ad recipiendam formam, ſeù ſubſtantialem, ſiuè accidentalem, identificatur proptèr terminum, ad quem cùm ea, quæ eſt ad compoſitum. nàm hoc eſt finis actionis vniuerſæ, & formarum interciden-tium. ſic vera cauſa efficiens eſt ea, quæ dicitur naturalis; nàm ea, quam vocant moralem, reducitur ad naturalem, quæ qùm dicatur eſſe principium; intelligenda eſt principalis, quæque propria virtute attingit effectum. namque inſtrumentaria cauſa non dicitur cauſa efficiens effectus intenti primùm ab agente, ſed dicitur cauſa efficiens effectus, quem propria virtute attingit: non enìm repugnat, eandem cauſam vnius effectus eſſe cauſam principalem, & alterius inſtrumentariam, nàm calor incubantis calefacit ouum tamquàm cauſa principalis calefactionis illius: at reſpectu auis generandæ eſt cauſa inſtrumentalis, & præparans; ac quæcumque cauſa efficiens ſiuè principalis, ſiuè inſtrumentalis conſtituitur cauſans per actionem, qua mediante fit, & denominatur cauſa in actu; & hæc actio non poteſt procedere realiter, & immediatè à cauſa, quæ non exiſtat realiter. Vnde quando præcipitur tollendum eſſe bonum habitum athletarum, non præcipitur tollendus tanquàm cauſa efficiens morbi vlla ratione, ſed ad ponendam cauſam finalem. qùm enìm finis medicæ operationis ſit bonus habitus, & perfecta ſanitas: quandò athletæ ad ſummum bonitatis deueniunt per conſequutionem finis actio efficientis feriatur; &, quià actus ſecundus nutrientis, & parantis hunc bonum habitum pendet à primo, & primus eſt ordinatus ad ſecundum, ideò, actu ſecundo deficiente, ceſſat primus, & homo moritur, niſi hic bonus habitus ſoluatur, qui eſt nutrientis finis, vt corpus rurſùs nutriri incipiat, & reſtituatur actus ſecundus, ne primus ſit fruſtrà. propterea etiàm, vt explicabitur in medicina, ait Galenus, indicans debere eſſe præſens; quià, niſi cauſa efficiens morbi realitèr exiſtat, nulla requiritur actio tollenda per indicatum; imò, etiam ſi exiſtat cauſa, nisi actu agat, non poteſt habere rationem cauſæ efficientis, quià efficiens cauſa dicitur actu cauſa ab actione; idemque videtur eſſe agere, atque efficere; nec aliud videtur poſſe aſſignari, à quo denominari poſſit efficiens actu prætèr actionem, quæ non ſit, ſed eſt medium, quo effectus procedit ab agente, & ideò quo agens, & mouens denominatur cauſa efficiens; ſiuè effectum producat propria virtute participata; ſiuè per perpetuum concursũ primæ cauſæ, à qua omnis actio ſecundarum cauſarum eleuatur, & perficitur.

De cauſa finali.

PRæcipua eſt intèr cæteras cauſa finalis, ex cuius ignoratione innumeros errores contingere in philoſophia protulit Ariſt. ignorari autèm quàm maximè contingit ob diuinam, & ſublimem cauſandi rationem, quæ humanum captum videtur effugere, & confundi media conducentia ad finem, cum fine ipſo; imò confundi etiam alias cauſalitates cùm cauſa finali: quippè cauſa finalis eſt quid habens rationem boni, & bonum eſt ex tranſcendentibus, à quo non poteſt abſolutè preſcindi ens; ſic omnis cauſa habet rationem entis, boni, & finis. Cauſa finalis poteſt dici cauſa efficiens, quia ſi cauſa efficiens eſt vndè, & à quo motus, omnis motus eſt ex præſuppoſito fine, & finis eſt, qui mouet; vndè prima cauſa, qu- eſt cauſa cauſarum dicitur principium, & finis; poteſt dici cauſa formalis, quià forma eſt id, quod intenditur ab agente, & terminus actionis compoſitum. Imò fuere etiam, qui protulerint, quos refert Pererius lib. 5. de communibus rerum naturalium principijs cap. 12. Deum eſſe materiam primam, & ſic materialem cauſam confundunt cum præcipua finali, quæ eſt ſummum bonum; & finem terminumque, ad quem, omnium rerum confunderint cùm termino à quo eorundem. mirabile non erit, ſi tot in eius cauſalitate determinanda emergant difficultates; quas, quantum fieri poteſt, luculentèr partim diſſoluere, partim euitare conabimur.

Finis vulgata diuiſio eſt in finem, cuius, & finem, cui. finis cuius dicitur id, in quod agens tendit, dùm operatur, & ad quod primò dirigit operationem, vt medici finis cuius eſt ſanitas; quià quæcumque agit, agit vt ſanitatem conſequatur. finis cui eſt id, cui competit finis cuius. Ità quando Hippocrates miſſus eſt ab Abderitis, vt curaret Democritum, finis cuius Hippocratis erat ſanitas, finis cui erat Democritus. namque Abderitæ cupiebant Democriti ſanitatem.

Alia diuiſio finis habetur ex Ariſt. 1. ethicorum cap. 1. & 1. Magn. moral. cap. 3. vbi ex Ruuio finem alium ſtatuit in operatione ipſa, alium in id, quod ex operatione reſultat. vtporè alius ſibi proponit tanquam finem, & vltimum expetibile contemplationem: in ea enim philoſophus adeò delectatur, vt nullum alium finem ſibi præfigat præter ipſam actionem contemplandi. At moralis philoſophus vlterius procedens ſibi finem præfigit non nudam contemplationem, ſed delectationem, & fælicitatem ex contemplatione procedentem. Ità medicus ocularius finem ſuæ operationis ſibi præfigit in reſtituenda potentia videndi illi, qui eam amiſerat, at idem ægrotans non tantùm ſibi præfigit reſtitutionem potentiæ, ſed exercitium illius, nihil enim pendet videndi facultatem, niſi exercitè illa vtatur.

Tertia definitio finis videtur, & has propoſitas, & quamcumque amplecti, per quam diuiditur finis in proximum, & vltimum. finis proximus eſt quicumque medius actionem procedentis dirigit, & immediatè agentem mouet. finis vltimus eſt, in quem omnis actio terminatur; qui vltrò diuiditur in abſolutè vltimum, & vltimum ſecundùm quid; finis proximus eſt, exempli gratia, in eo, qui ſibi præfigat medicam artem apprehendere, primùm elementa diſtinguere, indè ſcribendi artem addiſcere, poſtmodùm grammaticam percurrere, poſtmodùm philoſophiæ incumbere, & poſt hæc artem medicam addiſcere;

quæ-

quæcumque enim diſciplina antecedens dicitur finis proximus medici, ipſa autèm perfectio ſcientiæ medicæ dicitur finis vltimus; quià ad eum terminatur omne ſtudium addiſcentis, & expletur ſibi propoſitus finis. non tamèn abſolutè vltimus hic finis, ſed ſecundùm ſibi propoſitum finem. finis autèm abſolutè vltimus eſt fælicitas, ac Deus in diuinis; abſolutè vltimus in humanis eſt finis cui; hoc eſt, quàdò eatenùs proceditur ad conſequendum finem cuius, vt tandem in vnum coincidant finis cuius, & finis cui; Vt qui expergiſcitur manè, vt addiſcat, addiſcit; vt ſciat, ſcire cupit, vt doceat, vel vt medeatur, medetur, vt ſubſtantiam ſuam augeat, ſubſtantiam auget, vt commodius viuat, & commodius alitur, vt diù fœlix permaneat; ſic à primo ad vltimum finis cuius, vt finis cui coincidunt; &, quid quid agit homo in ſui ipſius commodum, & ad ſui conſeruationem agit; ſic idem, qui agit eſt finis, cui agit. Et quod dicimus de agente manifeſtè rationali, & libero, dicendum eſt de agente naturali, qui vt ductus ab intelligentia non errante, habet libertatem bonum interdùm adeò lucidè intellectum, & adeò ad ſummi boni directionem firmitèr conuerſum exercetur, vt vera libertas non videatur, qùm tamèn vera libertas ſit, & omne agens proptèr finem eſt agens intellectuale; licèt non omnis intellectio ſit per phantaſmata, nec etiam in homine; quià facultas nutriens, & vitalis agunt proptèr finem, & per electionem; quarè, ſi in nutritione eligitur bonum, & reiicitur prauum, & mouentur alimenta per contrarios motus, neceſsè eſt dicere moueri ab agente intellectuali, qui eſt anima, quæ id, quod intelligit, multoties non intelligit per phantaſmata. quandò autem Ariſt. ait, oportere addiſcentem ſpeculari, intelligit de ſcientia acquiſita, & elicita: non autèm de indigena, & naturali, quæ in omnibus eſt; ſic finis in omnibus operatur per naturalem influxum egredientem naturalitèr ab ipſo fine cui, & reflectentem per voluntatem naturalitèr operantis mediante quocumque fine cuius, non autèm metaphoricè, vt communitèr fertur in ſcholis, niſì metaphoram vocent reflexum finis cui ad ſe ipſum intelligentem, & intellectum. Et, licèt principium, & finis opponantur, & cauſa dicatur principium, à quo motus: nihilominùs per dictum reflexum coincidunt principium, & finis. dum per finem intelligimus cauſam finalem, & non vltimum terminum rei; veluti enim in circulo progredienti in eodem puncto principium habet, & finem; ità agenti per reflexum accidit, dùm ipſe agens ſtatuit ſemetipſum finem cui; nec proptereà dicitur quicquam cauſare ſeipſum; quià cauſare ſui conſeruationem eſt cauſare aliquid extrà ſe ſaltèm ratione durationis, & ſubſiſtentiæ; ſic cauſalitas finis eſt idem reflexus voluntatis directæ ad finem, & eſt hic reflexus realis, & non metaphoricus, niſì metaphoricum intelligamus reſpectu motus voluntatis, quæ videatur moueri circularitèr, hoc eſt ad ſimilitudinem earum rerum, quæ mouentur circularitèr; & quanquàm finis cuius non exiſtat realitèr, dùm quæritur; tamèn ſatis eſt exiſtere finem cui realitèr, & obiectiuè finem cuius: vtrumque enìm ponit cauſam in actu ſecundo, & mouentem exercitè per bonitatem volitam, vt ità loquar, & apprehenſam intentionalitèr in intellectu. qua ratione poteſt dici realis ratio cauſandi etiam, quandò bonum mouens eſt apparens; hoc eſt, quandò mouens non eſt vndequaque bonum; tunc enim facultas non decipitur, ſed præſcindit bonum apprehenſum a malo coniuncto; & hac ratione bonum

ſempèr eſt, quod mouet; ſed bonum præciſum a ratione mali. Bonum autem, quod mouet ſempèr eſt aliqua ratione delectabile; ratio enim boni non eſt vniuoca ad delectabile, honeſtum, & vtile; ſed eſt analoga; & primo dicitur de delectabili, & de cæteris prout referuntur ad delectabile: vtpotè bonum, quod dicitur honeſtum eatenùs eſt bonum, quatenùs bonum vndequaquè delectabile declarat, & ſtabile, & ſuperioris conditionis. namque nulla delectatio eſt verè bona, niſi fuerit honeſta, nec pro honeſta habetur, niſi eius bonitas fuerit ſincera, & ſtabilis: ideòque bona animi honeſtiora creduntur, quàm bona corporis, quià minùs coinquinari contingit, & miſceri cùm ratione mali. Bonum autèm vtile eatenùs eſt bonum, quatenùs conducit ad delectabile, quarè omnis ratio boni primum eſt in delectabile, & per analogiam ad illud dicitur bonum honeſtum, & vtile. communiter autèm creditur bonum delectabile minimè omnium habere rationem boni, quandò delectatio præſcinditur ab honeſtate, & hoc modo certè delectatio non habet rationem veri boni, ſed fucati, & apparentis; nam vera delectatio communis, ac ſtabilis eſt etiàm honeſta, & rata, & vtilis ad alias delectationes conſequendas; nemo enìm eſt, qui inutiles, & inhoneſtas vocet animi oblectationes, quæ habeantur in contemplatione, & inquiſitione veritatis, in cuius compræhenſione homo eleuatur in diuinam ſocietatem, & maxima fruitur delectatione: præſertim, quandò animus in Dei mergitur immenſitatem. Nemo etiàm inutiles, & inhoneſtas corporis oblectationes, quæ in cibo, potione, & Veneris deliciis dicet, ſi in his modus a lege impoſitus non adhibeatur; quo modo non imminuitur vlla ratione, ſed augetur delectatio, & fit ſtabilior, ac perennior. At quoniam cognitio neceſſaria eſt ad cauſalitatem finis, & non vnicuique intellectui prompta eſſe poteſt cognitio malorum conſequentium Veneris voluptates, vt ſunt egeſtas, rixæ, mala valetudo, animi perturbatio, & aliarum: ideò prudentia patrum hominum imprudentiæ, & ignorantiæ proſpexit eas delectationes honeſtas decernendo, quæ magis alienæ ab his malis inuentæ ſunt; non vt demeret quicquam voluptatis, ſed, vt eam ab omni labe, & intermixtione doloris, ac perturbationis ſecerneret. In plantis eadem natura partes mouet ad truncum firmandum, ramos extendendos, folia exerenda, & ad ædenda ſemina pro ſpecie conſeruatione. eadem natura non ſinè ratione, & conſilio ordinem ſanxit vniuerſi, in cuius bonum, & finem aqua, & terra deorſum, aer, & ignis ſursùm mouentur: quæ natura, quò magis eleuata eſt à mixtione, & confuſione formarum ſublunarium ad diuerſa trahentium, eò ſublimiori ordine, & inuariabili procedit, & quò magis variis formalitatibus addicta, & intermixta, eò magis contingit errare, vndè fluctuationes in mari, in terris ruinæ, in aere procellæ; in animantibus monſtra, & in hominibus vitia recurrunt; & ſolus Deus perpetua continuatione ſempiternæ intellectionis ſinè vlla cauſalitate finis, ſed ipſe cauſa omnium cauſarum inuariabilis permanet, & immobilis in æternum; & quum nihil deſideret, ac influere cauſæ finalis ſit deſiderari, omne quod agit regularitèr, & recto conſilio propter finem, ab eo regitur, & in eum tendit, tamquam in ſummum, & vltimum, & abſolutum bonum.

De

De Cauſa exemplari.

DE cauſa exemplari aliqua diximus in ſuperioribus, aliquid tamèn eſt ſuperaddendum peculiari ſermone proptèr quandam opinionem, quæ multorum animos nuperrimè torſit, per quam fertur, ſemen vterum non ingredi, nec partem vllam habere in generatione, nequè ex parte cauſæ efficientis, nequè ex parte cauſæ materialis; ſed tantùm ex parte cauſæ exemplaris. concedunt enim, qui hanc opinionem tuentur, ad generationem ſemen eſſe neceſſarium, & ſinè eo non poſſe animal procreari; ſed contendunt ſemen maris vterum fœminæ non ingredi, & vterum perpetuo valuulis quibuſdam concluſum ſeruari; quibus natura vtatur ad expellendum, non autèm ad attrahendum, vt ex earum valuularum conſtitutione, & vſu concludunt. Hanc tamèn cauſalitatem ſemini tradunt, quæ exemplaris dicitur; dicentes: quemadmodùm pictor ad pingendam in tabula alicuius immaginem necesſè habet illius exemplari, a quo eliciat imaginis faciendæ delineationem, ſic naturam opus habere exemplari exiſtente in ſemine ad fabricandum hominem; ità vt aliàs ſemen nullam aliam exerceat cauſalitatem, neque materialis, nequè formalis, nequè efficientis, nequè etiàm finalis, quandoquidèm præſuppoſitum exemplar in ſemine non poteſt exercere cauſalitatem finis cuius, neque finis cui; ideò remanet cauſa ſola exemplaris; &, quod enorme magis eſt, ad nullam aliam cauſam reducibilis.

Ex his, quæ narrantur, non videtur cauſa exemplaris reducibilis ad aliud genus cauſarum, ſed eſſe illam idæalem, quam Platonici dari contendebant. namquè, dùm affertur exemplum pictoris, & ſtatuarij, videtur hoc exemplar propoſitum exteriùs agenti naturæ, vt ad imitationem ipſius operetur; quarè non intelligunt illud exemplar obiectiuum, quod in intellectu receptum dirigat agentis operationem; namquè ex prima opinione excluditur exemplar præſuppoſitum communitèr in ſemine patris, ad cuius imaginem plerumque filius ſimilis ædatur auo, quem mater numquàm viderit, & aliquandò nequè pater: & tamèn illud exemplar mirifico quodam proceſſu transfunditur per patrem in vterum, vbì puer auo ſimilis componitur; nec dici poteſt ex aliqua picta imagine exemplar in mentem patris, aut matris expreſſum; quià puer plerumquè mores, & totius corporis auiti delineamenta repræſentat, quæ extrà ſimulacri, & pictæ imaginis iura ſunt. dicendum itaquè in ſemine exemplar illud contineri, & qùm hominis fabrica ſit intrà vterum, & ſemen dicatur vterum non ingredi, eſt inintelligibile, quomodò ſpiritus artifex appellatus ab Ariſt. poſſit in ſemine exemplar illud proſpicere, à quo fætus eliciat delineamenta. At ſecunda opinio per deciſionem diffamata omne excludit exemplar in ſemine patris exiſtens, à quo regatur agentis conſilium, vndè videtur concedendum Platonicis dari huiuſmodi exemplaria, & idæas notiores, & formas intelligibiles ſeparatas, vndè Deus ſuorum operum rationes eliciat. ſi ſemen non ingreditur vterum, hæ idæe videntur neceſſariæ, vndè ſpiritus arifex eliciat exemplar; qum nulla ſit inchoatio formæ intrà vterum, quæ poſſit effundi, & perfici. ſi ex opinione ſecunda ex ſolo mentis conceptu puer æditur in vtero, multò magis admittenda idæa eſt, nàm, quùm eſemplar compoſitum nullam aliam habeat formalitatem præ-

præter ipſum intelligere in actu exercito, nullam videtur poſſe habere vim ad generandam ſubſtantiam. Ariſt. 7. metaph. ait, domum materialem fieri à domo, quæ eſt in mente artificis, quià id, quod fit in domo materiali, eſt tantùm forma, & figura domus, quam vocant idæam: lapides autèm ligna, calx, & lateres præexiſtebant, & ab artifice tantùm committuntur aptè ad componendam domum; ad euitandas igitur has formas ſeparatas, quæ in intelligentia, & ſcientia diuina perpetuò exiſtere traduntur a Platonicis, vtraque ex allatis opinionibus reijcienda eſt. In prima opinione, licèt non negetur experimentum, poteſt negari conſequentia ab eo, namquè ex eo, quod in vtero capræ prægnantis nihil ſeminis appareat, non infertur neceſſariò ſemen non eſſe ingreſſum vterum, quià poteſt ſemen in vterum dimiſſum ſtatim ſolui in tenuiorem materiam, quæ oculos effugiat, & intrudatur in vteri ſubſtantiam ad commutandam illius naturam, & inducendam nouam conſtitutionem alendo fætui conuenientem; quod verò valuulæ concluſæ inuentæ ſint, & extrorsùm aptè ad proiciendum, non ſequitur ſemen ingredi non poſſe, quià etiam in ano, & in veſica viæ ſempèr concluſæ ſunt, & aperiuntur, quandò opus fuerit. ità rationabile eſt: veluti in excludendo fætu tàm amplè expanduntur: ità expandi ad admittendum ſemen in congreſſu. quòd verò exporrectæ ſint valuulæ, id tantùm indicat, magìs ad expellendum, quàm ad attrahendum datas eſſe, non tamèn abſolutè ad extrudendum: & nulla ratione ad admittendum ſemen. quòd verò valuulæ peruiæ non ſint ſpecillo, nequè perpetuum eſt, nec ex eo concluditur, neque etiàm peruias eſſe ſemini: quià valuulæ duriuſculæ ſunt in capreis ſilueſtribus, & cartilagineæ; & ità inſeruntur, vt dura quidèm, vt ſpecillum eſt, non admittant; nihil tamen repugnat admittere liquida, vt ſemen eſt; quod obliquè permeando poteſt vterum ingredi. Semen igitùr eſt neceſſarium, & neceſſarium eſt, vt vterum ingrediatur; non tamèn neceſſarium eſt totum ſemen eiectum, ſed ſatis eſt eius portio, in qua ſpiritus artifex contineatur; & pars materiæ ducibilis ad delineationem animalis generandi. & in eodem ſemine, non tamquàm intellectuali, ſed tanquàm naturali eſt exemplar iuxtà quod ſpiritus artifex operatur; quod exemplar non conſtituit diuerſum genus cauſæ, ſed, quatenùs mouet ſpiritum artificem, habet rationem finis, & boni, & redigitur ad cauſam finalem, vel ad efficientem: ideò Ariſt. 7. metaph. dixit, domum materialem fieri à domo exiſtente in mente artificis, quatenùs eſt formæ inducendæ exemplar, ad quam formam terminatur, & perficitur compoſitum, pertinet ad cauſam formalem ideò Ariſt. 2. phiſ. Tex. 28. cauſam formalem appellat rationem, & exemplum, & quatenùs ipſum exemplar eſt in ſemine non adhuc ad actum redactum, & ex ſeminis potentia inchoatiuè, per illud exemplar educitur forma, per quam fit hoc aliquid, reduci poteſt ad cauſam materialem, quià rationabile eſt exemplar illud præexiſtens in ſemine, non perſiſtere in eodem poſt formam eductam, & poſt conſtitutum compoſitum.

Neque obſtant oblata argumenta à nonnullis philoſophantibus, quibus contendunt, finem non poſſe habere rationem cauſæ, quià non ens non poteſt agere, nec poteſt habere rationem cauſæ, quod nihil operatur. ergò exemplar potiùs eſſet dicendum cauſa, qùm ſaltèm in mente agentis rationalis, aùt in natura intelligentia agentis naturalis præexiſtit. primùm, quià con-

conceditur facilè ; quod non eſt abſolutè, & ſimplicitèr, non poſſe mouere ; at, quod eſt ſaltem in potentia, non repugnat poſſe mouere: non ea ratione, qua non eſt, ſed ea ratione, qua eſt. Deindè quià falſum eſt, rationem boni non eſſe, & non habere potentiam mouendi, quià bonum ſempèr eſt, imò cùm ente conuertitur, & in omnibus inſita eſt naturalis inclinatio ad illud vniuerſalitèr acceptum, in quibus generica eſt diſpoſitio à natura data, ſeù ab agente naturali, ad determinatum ; in quibus diſpoſitio eſt determinata: quam determinationem tradit potentia naturalis, quæ potentia eſt formæ: veluti actio eſt ſuppoſiti ; ſi igitùr potentia eſt formæ, & idem eſt ſpecies, & forma ex ſententia Ariſt. potentia erit ſpecies, ſpecies aut m etiàm rerum corruptibilium ſunt permanentes vſque ad diem Iudicij excepta ſpecie humana, quæ in indiuiduis, ac quorum forma, ſcilicet anima rationalis eſt æterna a parte poſt; ergò ratio boni, quæ habetur ex forma inducenda, ad quam agens mouetur, eſt quandocumquè eſt in potentia, nec opus erit alia cauſalitate exemplaris; ſed ſatìs eſt cauſalitas finis: vt gr. ex. ſanitas concepta in mente medici habet propriam exiſtentiam in bona diſpoſitione corporum exiſtentium, & ea eſt, quæ ſub ratione boni, & finis mouet medicum ad procurandam ſanitatem. ſic ſanitas, quæ eſt: & non ſanitas, quæ non eſt, mouet artificem medicum: & eſt, quæ habet cauſalitatem finis, quoniam verò ſanitas exiſtens in bona corporum diſpoſitione non poteſt ingredi mentem artificis, eadem concipitur, & eo modo, quo poteſt, obiectiuè, mouet, & ſecundùm illud eſſe intentionale, quod habetur in anima, cauſat; dico ſecundùm illud eſſe intentionale, intelligendo ipſam ſanitatem realitèr exiſtentem in bona corporum diſpoſitione cauſare mediante conceptu mentis : ità vt cauſalitas ſit in ipſa ſanitate, & non in conceptu, & non in ſanitate futura, quià hæc iàm non eſt; ſed in ſanitate vt ſic, ſpecificè concepta, quæ ſecundùm huiuſmodi conceptum ſpecificum non eſt futura, ſed ſecundùm conceptum ſingularem, ſecundùm quem concedimus non mouere, niſi quatenùs futuri conceptus includitur in conceptu vt ſic, & ſpecifico, & perpetuo. ſecundùm, quem eſſe non differt à poſſe, & ſemper eſt, quatenùs rationem boni habet, & eſt finis cuiuſcumque actionis ſub eadem ratione boni, & appetibilis; non autèm quatenùs appetitur, & amatur: nam cauſalitas finis non conſiſtit in amari exercitè, & apprahendi, ſed in eſſe amabile; amari autèm, & appræhendi eſt conditio neceſſaria, ſinè quà amabile non cauſaret, niſi appræhenderetur, & amaretur; quod ſi amari, & appræhendi non eſt cauſalitas finis: multò minùs erit exemplar; quod per ſe non eſt amabile; ſed proptèr id cuius eſt exemplar. tamèn ſinè hoc exemplari, quò ſit præſens animæ, non amaretur amabile: veluti non incenderetur puluis tormentarius, niſi igni approximaretur, itaque id, quod verè eſt appetibile, & habet rationem finis, & boni, proximus ſit menti, & præſens per huiuſmodi exemplar, qùm immateriale non poſſit pati à materiali, vt ſic; & hac ratione peripatetica eſt ſententia Auicennæ, qua profert finem cauſare ſecundùm eſſe intentionale. noſſe enim, credere dignum eſt, magni ingenij virum, hoc eſſe intentionale: non habere rationem formalem cauſæ; ſed eſſe conditionem, ſine qua vera cauſa non poſſet ſuam cauſalitatem exercere, & haberet rationem cauſæ ſingularis, & determinatæ, quæ ratio eſſet per con-

ſe-

ſequutionem finis determinati; cuius eſt exemplar.

De fortuna, & caſu.

DVm loqueretur Ariſt. de caſis, concluſit Tex. 36. ſecundi phiſ. modos cauſandi duodecim. nàm ex tribus differentijs ſex modis cauſandi emergunt, ex quibus prima dicitur cauſa ſingularis, ſecunda vniuerſalis 3. per ſe 4. per accidens 5. complexa 6. incomplexa, & qùm modi cauſandi poſſint eſſe in actu, & in potentia, ſequitur duplicati: & ſex duodecim fieri, quos tamèn modos refert Ariſt. eſſe penès loquendi conſuetudinem: non, quod in illis ſit realis differentia. imò verà cauſa eſt ſingularis: nàm actio eſt ſuppoſiti, eſt per ſe, & ſimplex, & in actu. quoniàm ſi cauſa in actu præſupponit effectum in actu, actionis, & paſſionis eſt vna entitas: ergò non poteſt eſſe actio ſinè paſſione, nequè cauſa ſine effectu; quarè cauſa in potentia non eſt vera cauſa, neque cauſa vniuerſalis eſt vera cauſa, ſi actiones ſunt ſuppoſitorum, neque cauſa per accidens eſt vere cauſa; aut reſpondere debent effectus cauſis: ità vt cauſis vniuerſalibus per accidens, complexis, & in potentia reſpondeant effectus vniuerſales, per accidens, complexi, & in potentia.

Proptèr obſcuritatem ignorationemque veræ cauſæ, & confuſionem horum modorum cauſis vndequaque reſpondentibus fortunam, & caſum intermiſcuerunt philoſophantes; quarum cauſarum vtramque refert Ariſt. ad eas, quæ per accidens ſunt; nec facilè reduci poſſunt ad cauſas, quæ per ſe ſunt: quemadmodùm ſimplicitèr vnaqueque cauſa reducitur; quæ reductio præſertim difficillima eſt in his, quæ rarò accidunt, & quæ non reſpondent directioni rationalis agentis, aut operantis naturæ; propterea, dùm in his aguntur ab agente naturali, quærimus naturalem connexionem cauſæ cùm effectu, nec poteſt intellectus illi inniti proptèr coexiſtentiam iſtius connexionis, ideò ob ignorationem cauſæ reſpondentis effectui, vnam maximè æquiuocam fingimus: pro aſſignanda aliqua cauſa vniuſcumque effectus, & hanc in procedentibus ex ratione dicimus fortunam, in procedentibus naturalitèr dicimus caſum.

Conueniunt autèm caſus, & fortuna in hoc, quod reducuntur ad cauſam efficientem; ſecundò, quòd ambæ ſunt cauſæ per accidens. Tertiò quòd effectus ab his, nec ſempèr, nec frequentèr eueniant. Differunt autèm, quià caſus cenſetur cauſa communior, & indifferens: fortuna minùs communis, & magis determinata ad bonum euentum, & intentum intentione indeterminata; Vt, quandò Medicus exibet ægroto medicamentum ex ſui natura inefficax, & tamèn eo aſſumpto ſequitur ſanitas: ſanitas non dicitur pendere à medicamento, & ex conſequenti nequè à medico; ſed ab alia cauſa per accidens, quæ ignoratur; ſed quoniàm medicus intendebat medicamento exibito ſanitatem ægrotanti reſtituere, & exercitè ſanitas reſtituta eſt, ideò dicitur reſtituta ſanitas non à medico, ſed à fortuna medici; qua ratione protulit Hipp. medicum debere eſſe fortunatum; quià medicamentorum vis plerumque ignoratur, & ea temerè propinantur; propterea, nisì fortuna operetur, parùm ex concilio ſperandum eſt. fortuna igitùr eſt cauſa efficiens occulta operans ex accidenti ſecundùm intentionem agentis rationalis cogniti. Dicitur cauſa efficiens

ciens occulta ; quià, ſi cauſa efficiẽs eſſet manifeſta ad productionem effectus, diceretur vera cauſa, & per ſe. Dicitur operari ex accidenti, quià refertur ad eum, qui a fortuna dicitur fortunatus; a quo, cùm cauſa per ſe procedat, non ſequitur effectus iuxtà eàm cauſam. Dicitur ſecundùm intentionem agentis, quià non eſſet fortuna: ſi id, quod accidit, & effectus non eſſet intentus ab agente; vt, ſi dùm medicus exhibet medicamentum, res cedat, hoc non dicitur à fortuna, quoniàm verò, dùm ſuccedit effectus ſecundùm intentionem agentis, videtur pendere à cauſa per ſe, animaduertere oportet, debere quidem effectum eſſe ſecundùm intentionem agentis, ſed non debet pendere ab agente; nàm, ſi medicus intendens parere ſanitatem: medicamentum propinaret idoneum ad cauſandam ſanitatem, non diceretur ſanitas tunc cauſari à fortuna; ſed à medico; & medicus non eſſet dicendus fortunatus, ſed ſapiens; & eatenùs dicitur fortunatus, quatenùs ſanitatem parere intendens: etiam ſi medicamenta idonea ad id præſtandum non inuenerit, tamèn ex accidenti ſanitas ſequitur; &, cauſa ignorata, tribuitur agenti cognito. Ideò dicitur ſecundùm intentionem agentis cogniti, vt cauſa occulta poſſit applicari agenti cognito, & cauſa opinata, à qua agens dicitur fortunatus. Non propterea, quòd aliquis foſſor. effodiens terram in alium finem, ſi inueniat teſaurum, non propterea ille euentus debeat dici à fortuna; quià non eſt ſecundùm intentionem agentis, ſi non in hunc finem terram effodiat; quià, licèt in eo actu non intendat inuenire teſaurum intentione determinata ad opus illud; tamèn, quoniam teſauri inuentio ſempèr eſt optabilis cuicumque viuentium, dicitur effectus intentus ab agente intentione generica, & indifferente ad quodcumque bonum; propterea hac ratione inuentio teſauri dicitur ſecundùm intentionem agentis, etiam ſi ſit à fortuna. Ità, ſi quis deſcendat in forum ad dimicandum cum aliquo inimico, & ibi illi occurrat amicus, à quo ducatur ad nuptias, dicitur hic effectus à fortuna, & ſecundùm intentionem propterea agentis. quià, licet agens intentione ſingulari, & determinata deſcenderet in forum, vt rixaretur; tamen, quià mali fuga, & boni proſequutio eſt quid genericę, & indifferentèr intentum ab homine: ille euentus dicitur à fortuna, & homo ille, cui acciderit, fortunatus. Caſus autèm latiùs ſe habet, & omne dicitur caſu euenire, quod euenit per accidens, & prætèr intentionem agentis. vt ſi, ambulante Socrate, fulgurat, hoc euenit caſu, quià non eſt effectus procedens à Socrate deambulante, nec directè, aut indirecte intentus à Socrate.

Dicitur autèm, vbi plurimum conſilij, ibi minimum eſſe fortunæ, quià ea, quæ recto conſilio procedunt, ſupponuntur ſemper ſuccedere ex conſilio, & ſic non à fortuna. vnde præcipitur ab Hipp. *omnia ſecundùm rationem facienti non eſſe tranſeundum ad alia, ſtantibus his, quæ à principio apparuere*; quoniàm ea, quæ plurimo, & recto conſilio diriguntur, etiam ſi effectus ſtatìm non ſuccedat, tandèm ſucceſſurus creditur: ideò non eſt tranſeundum ad alia; quod ſi ſucceſſerit, non eſt a fortuna euentus, quare recte dicitur, *vbì plurimum conſilij, parùm eſſe fortunæ*.

Animaduertere autèm oportet in definitione fortunæ, dùm dicitur cauſa occulta, & operans ex accidenti, illud operari ex accidenti directum eſſe ad agens cognitum, & ad illius intentionem; cauſa enim occulta operatur per ſe, &

 om-

omnis effectus exiſtēs,& per ſe habet cauſā, & per ſe:& cauſa,quæ dicitur fortuna, ità appellatur,quià ignorata cauſa ignoratur etiàm nomen illius; ideò ſignificatur nomine fortunæ; & accidit in illa cauſa agente per ſe producere effectum ſecundùm intentionem agentis cogniti: proptereà dicitur cauſa per accidens. namquè aliàs omnis cauſa per accidens reducenda eſt ad cauſam per ſe. vt, quandò medicus intendens ſanitatem alteri recuperare, tribuit medicamentum ægrotanti, & eo propinato ſequitur ſanitas, effectus ſanitatis ſupponitur, non ſequi vim medicamenti: ſequitur tamèn aliquam euacuationem materiæ morbificæ, & hæc ſequitur operationem aliquam naturalem facultàtis expultricis, à qua dependeat immediatè, & per ſe reditus ad naturalem ſtatum, in quo conſiſtit ſanitas; ſic, re detecta effectus ſanitatis reducitur ad cauſam per ſe, quæ eſt facultas. At quando Hipp. ait *medicum debere eſſe fortunatum*, non eſt prorsùs nuda denominatio illius, nàm idem lib. de arte Tex.5. non omninò fortunam nihil operantem damnat, imò etiam in his, qui rectè curantur, bonam fortunam concurrere pronunciat; tanquàm medici ipſi recta ratione curantes à reddendis gratiis fortunæ liberati ſint; nàm vt idem libro de locis in homine Tex.57. profert, *qui medicinam nouit minimè fortunam reſpicere, aut expectare, ſed & citrà fortunam, & cùm fortuna rectè facturum; conſtantem enìm, ac firmam eſſe totam medicinam, & optimas doctrinas in ipſa compoſitas minimè fortunæ egere apparet, nàm fortuna ſui Iuris eſt, & nullius imperio ſubiecta* quibus verbis non negat fortunam eſſe, ſaltèm conſpirationem quandam naturæ ſuperioris cùm operationibus medicis, qua conſpiratione ſequitur ſanitas medici operam, etiam ſi illa opera non ſint rectè ad ſanitatem adminiſtrata; & hoc modo ab Ariſt. ponitur intèr cauſas ſaltèm per accidens operantes, & aliquid eſſe fertur in rerum natura; licèt obſcurum, & incompræhenſibile, pendens ab ordine ſuperiorum cauſarum conſpirantium ad effectus edendos ab homine fortunato delibetatos, & intentos, & hoc modo cauſandi dicitur caſus, & fortuna, idem quod mens, & natura, & eadem mens vniuerſi, & natura ſi conſideretur in ſuperiori quodam ordine conſtituta, & inuariabili rerum ſeriè cuncta mouente conſilio ſtabili, & ſempiterno,dicitur fatum; de quo non egit hoc loco Ariſt. quià primæ cauſæ continuationem ad primam philoſophiam ſpectare arbitrabatur.

De Motu.

EGit Ariſt: in ſecundo libro de cauſis rerum naturalium, & de his, quæ ad rationem cauſæ rediguntur, per quas poſſunt habere rationem principii, quod ponitur pro genere in definitione naturæ. Natura enim dicebatur *principium motus, & quietis*. Poſtquàm igitùr explicauit primam partem definitionis, qua natura dicitur principium, ſequitur explicare ſubſequentem definitionis partem, & præcipuam paſſionem, vt eſt motus: qùm de paſſionibus dicere peripateticum eſſe à nonnullis credatur.

In definitione ſuperiùs tradita naturæ, dixit eſſe *principium motus, & quietis*. modò replicat id, quod præſuppoſuerat, ſed nihil habet de quiete; ſed pro motu, & quiete, inquit *motus, & mutationis*; &, quamquàm lib. 5. phiſ. a. T. 49. oſtenderit, differre motum à mutatione; tamèn hoc libro po-

po-

ponens, naturam eſſe principium motus, & mutationis, infert, ſe loqui velle de motu, nihil promittens de mutatione; & replicat *ignorato motu, ignorari naturam*, & ideò de motu dicendum eſſe concludit, & de motum conſequentibus; quæ loquendi, & inferendi ratio non videtur ſinè animaduerſione prætereunda.

Diximus 5. phiſ. T.40. Ariſt. proponere differentiam inter motum, & mutationem; & eſt hæc, vt explicat Simplicius, & alii interpretes vnanimitèr; quià motus eſt ex contrario in contrarium, & ex ſubiecto in ſubiectum; mutatio verò eſt quidèm in ſubiectum, ſed non ex ſubiecto; motus eſt itàquè, quandò homo ex egritudine tranſit in ſanitatem, aut ex ſanitate in ægritudinem; ſi verò dari poſſet, hominem tranſiſſe in ſanitatem, ſed non ex ægritudine, & fieri album, ſed non ex nigro: hæc, inquit, eſt mutatio in aliud, ſed non ex alio: & in contrarium, ſed non ex contrario; quibus poſitis hoc loco inquit, naturam eſſe principium motus, & mutationis, & quià *ignorato motu ignoratur natura*, concludit, vt diximus, de motu, & nihil loquitur de mutatione; quasì ignorata mutatione, non propterea ignoretur natura, licèt natura ſit principium motus, & mutationis; quod aſſertum, & qui ratiocinandi modus non videtur poſſe alia ratione ſaluari, nisì dicendo ex ſententia Ariſt. mutationem eſſe motum communem generationi, & creationi; quià non eſt ex contrario in contrarium, neque ex ſubiecto in ſubiectum, & omninò ſine termino, à quo: veluti eſt creatio; & natura eſt principium motus, ac cuiuſdam mutationis, vt eſt generatio. tamèn ignorato motu abſolutè, qui eſt à termino ad terminum, & ex ſubiecto in ſubiectum, ignoratur natura, at in ignorata mutatione, vt ſic, & ſecundùm omnes eius ſpecies, ignoratur natura; quià creatio non eſt quid naturale, nec pertinet ad naturam.

Promittit inſupèr Ariſt. agere de motu, & non de quiete; licèt loquatur de natura, & natura ſit principium motus & quietis: quià, dùm loquitur de motu, neceſſariò etiam loquitur de quiete; quandoquidèm nullus motus eſt, cui non ſit admixta quies, niſi fortaſſe in primo mobili, vndè procedit motus velocior, & tardior; proponit itàque agere primùm de motu, & quià motus eſt ex continuis, & in continuo videtur incidere infinitum, ideò conſequentèr, agendum eſſe ait, de infinito, quià continuum dicitur diuiſibile in infinitum. Ac poſtmodùm, quià motus non poteſt eſſe ſinè loco, vacuo, & tempore, de his quoquè ſe loquuturum ait; & ſummatim de motu, de infinito, de loco, de vacuo, de tempore ſe dicturum fatetur, quià hæ ſunt communes corporis naturalis affectiones, & omnis ſermo ſempèr magìs conducit à communibus auſpicari, ac proſequi poſteriùs ad propria.

Definitur itàque primùm *motus, actus entis in potentia, prout in potentia*, & explicatur definitio. Ad eliciendam definitionem præaccipit Ariſt. rerum quaſdam eſſe actu, & quaſdam potentia, alias verò medio modo ſe habere. Actu tantùm ſunt quæcumque ſunt in ſuo genere perfecta, & ſolida, & hæc non mouentur: quià *ex defectu oritur, vt fiat tranſitus* ex eodem Ariſt. primo Cæli cap. primo; quæ igitur in eſſe perfectionis ſunt, non poſſunt moueri; quià hæc nullam habent priuationem, à qua moueantur, aut perfectiorem formam, ad quam moueantur. vt ignis g. ex. ſi ponitur in ſummo caliditatis, non poteſt calefieri; & quidquid temperiem, aut aliam qualitatem ſortitum eſt,

quam ex natura poſtulat, non poteſt moueri motu locali ex natura; & quicquid ſibi debitam magnitudinem acquiſiuit, non poteſt natura augeri; omnia demùm quæcumque ſortita ſunt actum aliquem non mouetur ad illum.Ità etiam neque mouentur ea, quæ nullum habent actum eius formæ, ad quam moueri debent, vt aqua, in qua nulla eſſet forma caloris, non poſſet incaleſcere, nec moueri ad hanc qualitatem; quare motus eſt actus entis; &, ſi quod perfectum habet actum, & ſinè mixtione potentiæ, diximus, non poſſe moueri; dicitur *motus actus entis in potentia*; cumque ſit motus actus, & forma, & nihil poteſt moueri ad formam, quam habet; ſed neceſſe eſt, vt moueatur ad eam, quam non habet; ideò motus non eſt actus entis, prout eſt actus; ſed prout eſt in potentia Et, quoniàm in rerum natura nihil eſt, quod non habeat aliquem actum; & nihil eſt, quod ſit in actu perfecto; ideò rerum naturalium omnia mouentur; & ſic optimè natura definita eſt *principium motus, & mutationis*, ſeù *motus, & quietis*, copulatiuè intelligendo, & non diſiunctiuè; nàm omne, quod eſt, quatenùs eſt in actu, quieſcit; & quatenùs eſt in potentia, mouetur; &, quià omne, quod eſt, partim eſt actu, & partim potentia, ideò ex parte mouetur, & ex parte quieſcit; & natura eſt principium vtriuſque copulatiuè, quià tribuit natura quidèm rebus aliquam perfectionem, ſed ex propria ratione ordinat ſemper ad vlteriorem perfectionem eiuſdem actus; Ex quibus deducitur motum eſſe actum mobilis, & non mouentis; quià mouens eſt actu, & quod eſt in actu, vt tale non mouetur, ſed mouet. mouetur igitur, quatenùs eſt in potentia, vt in potentia eſt mobile; motus ità que eſt in mobili; &, quià omne agens, agendo, repatitur, & propterea contingit aliquid ſimùl mouere aliud, & moueri; velutì dùm ignis calefacit aquam, ſimùl ab aqua refrigeratur, poſſet oriri dubitatio, an ille motus refrigerationis in igne ſit tamquàm in mouente, vel tamquàm in mobili; & non tanquàm in mouente; ità etiam motus calefactionis in aqua eſt tamquàm in mobili, & non tanquàm in mouente; ſic motus eſt actus mobilis, prout mobile eſt; ità tamèn vt, prout recipitur in mobili, &, prout ægreditur à mouente, idem actus habeat diuerſas formalitates, per quas poteſt vtrumque, tàm mobile, quam mouens denominare. Vt enim conſideratur motus egrediens ab agente eſt actus eius, & dicitur actio denominans illud calefaciens, vt calefactio egrediens ab igne eſt motus illius: vt verò conſideratur, vt recipitur in paſſo, dicitur paſſio, & denominat aquam, in qua recipitur, calefactam. Et hac ratione nullum ſequitur abſurdum, quià non eſt motus in vtroque mouente, & mobili, vt in ſubiecto eodem, nàm certè eadem forma non poteſt eſſe in diuerſo ſubiecto, ſed motus eſt monentis, vt principii, & eſt mobilis vt ſubiecti, eſt calefactio ignis, vt calefacientis; eſt aquæ, calefactio ignis, vt calefactionis; eſt aquæ, vt calefactæ; & nihil inconuenit hoc ſuccedere per diuerſas rationes formales, & per eas denominari hoc calefaciens, & hoc calefactum; nec propterea eſt idem agere, & pati, dummodò accipiuntur diuerſæ rationes formales actionis egredientis, & paſſionis recipientis.

Atque in confirmationem eorum, quæ diximus: omnem motum habere admixtam quietem, & naturam eſſe principium vtriuſque copulatiuè; quod ſæpiùs repetam, quoniàm ad multas difficultates tollendas, ſi hoc ſuadeatur, conducit. animaduertere oportet, quod

apud moderniores conceſſum ac-cipio, potentiam entis, cuius eſt motus, præſupponi in iſtanti præce-dente cùm carentia illius actus, quià motus præſupponit terminum à quo, aliàs non eſſet motus ex Ariſt. 5. phiſ. T. 49. quæ carentia formæ, quæ prærequiritur in ſu-biecto ad motum, non debet eſſe in eodem inſtanti cum ipſa forma, ſed in inſtanti immediato antece-denti; at carentia motus eſt quies. ergò motus præſupponit præceden-tem quietem: & motus ſucceſſiuus, vt dicatur motus, neceſſario præ-requirit hanc quietem. aliàs, ſi per-ſeueret eadem forma in termino, ad quem, & ſinè termino à quo, non eſt motus: vt calefactio catenùs eſt motus, quatenùs ex gradu imper-fecto procedit ad perfectum: & pro-cedens ſupponit ſempèr præceden-tem carentiam gradus perfectionis acquiſibilis; quod ſi in eodem gradu perſeuerent ſeù perfecto, ſiuè imper-fecto eſt calor, non autèm calefa-ctio: eſt forma, & non motus.

Dubitationes circà ea, quæ dicta ſunt De motu.

Contendebant primùm ſtoi-ci duce Zenone, motum non dari, quià ſpatium, per quod fit motus, eſt diuiſibile in infinitum, & habet infinitas par-tes, ſed infinitum non poteſt per-tranſiri, ergò nihil poteſt moueri ad formam, quæ habeat latitudinem; & in ea, quæ non habet latitudi-nem, vt eſt generatio, non eſt motus, ergò motus non eſt vlla ratione in generatione, quià non habet ſpa-tium, & motus non eſt in iſtanti in alteratione &c. quià ſpatium habet partes infinitas, quas eſt impoſſibile pertranſire. Reſpondent philoſo-phi ex Ariſt. 6. phiſ. ſpatium con-ſtare ex infinitis partibus propor-tionalibus, quæ rem maiorem non faciunt, quià vna pars non eſt ex-trà aliam: imò infinitæ includun-tur in qualibet; vndè ſpatium, li-cèt ſit ex partibus infinitis, aiunt, eſſe finitum, & illi reſpondere mo-tum, hoc eſt tempus ſpatio, quod tempus eſt finitum, licèt eius dura-tio ſit diuiſibilis in infinitum; ſic in tempore finito, ſed habente infini-tas partes ſuperatur ſpatium fini-tum habens tamèn partes infinitas; ſic vnum inconueniens tradunt per aliud: qùm nequeant ſuſtinere v-num inconueniens, ratiocinando contrà id, quod ſenſu manifeſtum eſt, dari motum, & ſpatium quod-libet finito tempore ſuperari; quæ veritas meliùs ſaluari poſſe videtur, & placidiùs, dicendo in ſpatio non eſſe infinitas partes, & omne conti-nuum tàm temporis, quàm ſpatii conſtare ex partibus indiuiſibilibus, ſed finitis. vt ſuo loco oſtendendum à nobis eſt, in explicanda ſententia Ariſt. circà aſſertum, *continuum eſſe diuiſibile in ſempèr diuiſibilia*.

Dubitatur ſecundò nam motus ex Ariſt. 5. phiſ. T. 50. ſupponit v-trumque terminum à quo, & ad quem; ſed in definitione tradita ab Ariſt. non explicatur motus per vllum terminum nequè à quo, ne-què ad quem: ſed tantùm per ſu-biectum, dicendo, eſſe actum en-tis, ergò per definitionem traditam ab Ariſt. non videtur explicata for-ma propria, & ratio motus, per quam loco citato dicit, diſtingui à mutatione.

Reſpondetur negando, non in-cludi in definitione vtrumque ter-minum à quo, & ad quem: nàm dùm dicitur eſſe actum entis in po-tentia, imponitur terminus à quo, qui eſt potentia, & terminus ad quem tendit; eſſe enim in potentia includit actum, & dicit etiàm termi-num, ad quem eſt potentia.

Tertio dubitatur circà numerum ſpecierum motus, & circà determinationem formarum, ad quas eſt motus; nam ſecundùm communem opinionem recentium philoſophorum, quatuor ſunt ſpecies motus generatio, augmentum &c., alteratio, & latio: ad ſubſtantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, & vbi; at ex vna parte videntur plures vulgatæ ſpecies motus, quàm ex Ariſt. decernuntur, ex altera parte videntur aſſignatæ pauciores.

Plures videntur, quià ex Ariſt. 5. phiſ. T. 49., & 50. ad ſubſtantiam non datur motus, quià motus eſt a contrario in contrarium, ſubſtantia non habet contrarium, ergò ad ſubſtantiam non eſt motus. Propterea motus definitur ab Ariſt. 5. phiſ. T. 5. neceſſe eſt tres eſſe motus, quantitatis, qualitatis, & ſecundùm locum. Secundùm ſubſtantiam non eſt motus, quià nullum eſt entium ſubſtantiæ contrarium &c. actus entis in potentia cùm hac reduplicatione, prout in potentia, qua reduplicatione ſignificat, vt ipſe Ariſt. explicat ſe 3. phiſ. T. 14., hanc formam motus ità actuare ſubiectum, vt ex parte quidèm conſtituat in actu, & ex altera parte relinquat in potentia ad recipiendam aliam formam, vel gradum, vel quamcumque perfectionem; ſic ex parte dicit terminum acquiſitum, dicendo actum, & ex parte acquirendum, dicendo in potentia, ſed in generatione, & in quacumque alia mutatione, quæ creditur inſtantanea, ſimùl acquiritur terminus totius, quo adæquatè terminatur generatio, aut alia mutatio. ergò tales mutationes non habent latitudinem pro continendo ſimul actu, & potentia, prout requiritur in motu.

Ex altera parte ex communi opinione videntur aſſignatæ ſpecies pauciores, quià Ariſt. tot eſſe ſpecies motus, & mutationis, ait, lib. 3. phiſ. T. 5. quot entis; ſed entis ſpecies ſunt decem, ergò ſunt decem ſpecies motus; nec tollit difficultatem explicatio eorum, qui aſſerunt nomen entis non eſſe vniuerſale, ſed coartatum ad quatuor genera ſuprà narrata, nempè ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi; primò, quià Ariſt. non coarctat, ſed abſolutè, & indefinitè ponit, *quot entis*. dixiſſet enim quot entium narratorum, non aut quantitatis vno nomine entis omnia includens; prætereà ſi nomen entis hoc loco propoſiti referatur ad proximè prolata antecedenter Tex. 4. refert Ariſt. omnia genera entium partim explicitè, & partim implicitè; ait enìm *non eſſe motum præter res ipſas*: & in calce Textus concludit *quarè nequè motus, nequè mutatio* vllius erit prætèr ea, quæ dicta ſunt: videlicèt, qùm nihil ſit præter ea, quæ dicta ſunt &c. ſi igitùr motus ſpecies coarctaret ad quatuor relata genera ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, & vbì, falſa eſſet propoſitio nihil eſſe prætèr ea, quæ dicta ſunt, quià ſunt etiàm alia genera entium, aut illatio eſſet inefficax.

Pro reſolutione iſtius difficultatis, videtur recedendum à communi ſententia coarctantium motum ad quatuor genera entium, & planè recipienda eſt ſententia Ariſt., vt ſonat Textu 5. tot eſse ſpecies motus, & mutationis, quot entis: vt Simplicius etiàm defendit: ſic decèm eſse ſpecies motus; & proptereà actus entis: quià non debet ad vllum coarctari, ſed genericè intelligi vniuſcumque generis entis, & ad quamcumque formam ſubſtantialem, & accidentalem dari motum. Hoc tantùm animaduertit, & declarat Ariſt. in præſenti; nè quis credat motum eſse actum entis communitèr ſumpti, quià motus non eſt præter res, &, quicquid mutatur, non mutatur, vt ens, ſed vel vt ſubſtantia, vel vt qualitas, vel vt quantitas,

tas, vel vt locus, vel vt aliud aliquod ex prædicamentis. Ariſt. autèm tantùm numerat quatuor genera entium, non quià ad eorum formas tantùm detur motus, ſed quià motus in illis eſt manifeſtior, & quià ex his, quæ protulit 5. phiſ. T. 49., & 50. videbatur poſſe dubitari de ſubſtantia. proptèr ea, quæ dixerat 5. phiſ. T. 49., & 50. primo declarat, tot ſpecies motus, & mutationis eſſe, quot entis, vt quiſque velit motum ad ſubſtantiam rigoroſè appellare mutationem, appellet quomodolibèt: dumodò hæc mutatio intelligatur ſpecies motus, aut affinis motui. deindè declarat T 5. quomodò etiam ſubſtantia moueatur à contrario, & quomodò generatio poſſit dici motus: nàm quemadmodùm in qualitate eſt album, inquit, & nigrum, ità in ſubſtantia eſt forma, & priuatio; &, quoniàm priuatio dicitur contraria formæ, propterea etiam generatio eſt à contrario in contrarium, & poteſt dici motus.

Ad argumentum, quo excludebatur generatio, & omnis motus inſtantaneus à ſpecie motus Ariſt. ſent. 7. phiſ. T. 10; *quoniam autem tres ſunt motus &c.* qui ſecundùm locum, qui ſecundùm quale, & qui ſecundùm quantum &c. *motus ab altero quatuor pulſio, tractio, vertigo vectio &c.* 1. de an. T. 38. *quatuor autem motus qùm ſint latio, alteratio, augmentum, diminutio*; Reſpondetur non eſſe neceſſariam, vt ſibi perſuadent aduerſarij, ſucceſſionem mutationis, & latidinem gradualem formæ per eam acquirendæ, vt includat potentiam, & actum; quià ſimplex receſſus momentaneus à potentia includit actum aliquem; & actus imperfectio includit potentiam: &, ſi hæc perfectio, & forma momentò inducitur, includuntur ſaltèm duo inſtantia naturæ, niſi velimus pro nunc dicere temporis ex potentia ad actum; nàm veluti binarius numerus, & ternarius ſunt duæ ſpecies numeri diſtincti; & intèr duo, & tria non vllus numerus medius: ità, ſi ponantur duo inſtantia temporis ſe ſe conſequentia, poteſt dari in vno potentia, & in ſubſequente actus, abſquè eo, quòd aliquod inſtans temporis medium ſit: veluti nulla vnitas media eſt intèr duo, & tria: quarè neque etiàm repugnat in generatione, & quocumque motu inſtantaneo dari duo inſtantia continuata ex 6 phiſ. T. 46., in quorum primo ſit potentia formæ, & in ſubſequente ſit actus formæ.

Quod ad alia quoquè prædicamenta detur motus, & ad formam vniuſcumque prædicamenti prætèr apertam, & claram ſententiam Ariſt. 3. phiſ T. 5. tot eſſe ſpecies motus, quot entis, probatur etiàm ratione, quià tot ſunt ſpecies motus, quot ſunt termini, ſed termini ſunt decem, ergò decem debent aſſignari motus; maior proponitur a Philoſophis tanquàm indubitata; minor probatur quià tot ſunt termini motus, quot ſunt formæ, ad quas eſt motus, ſed formæ, ad quas datur motus, ſunt decem, ergò termini ſunt decem. Probatur minor, quià non videtur maior ratio aſſignabilis, cùr detur motus ad formam quantitatis, & qualitatis, & non detur ad actionem, paſſionem, durationem, ſitum, habere, & relationem; ſiquidèm datur actio in potentia, ergò datur motus ad actionem; itèm paſſibile dari poteſt, quod exercitè non patiatur, ergò datur motus ad paſſionem; &, ſi actio exiens ab agente eſt ſaltèm in priori inſtanti naturæ antè, quàm recipiatur in paſso, & eſt à contrario, eſt à termino à quo, ergò datur motus ad paſſionem; & licèt ſit idem actus, qui egreditur ab agente, & qui recipitur in paſso, tamèn diſtinguitur realiter forma actionis à forma recepta paſſionis, quià eadem forma realis non poteſt exiſte-

ſtere in diuerſo ſubiecto, vt eſt agens, & patiens; ac, dùm egreditur actio ab agente, eadem forma fluens actionis: qua ratione partìm eſt actu, & partìm in potentia, dicitur motus, ac paritèr, dùm recipitur in paſſo eadem forma fluens paſſionis, qua ratione partìm eſt actu, & partìm potentia paſſio, dicitur motus, ſic eſt diuerſus conceptus, & alia forma actionis, paſſionis, & motus: ità tamèn vt diuerſa ſit ratio actionis, & paſſionis, at formalitas motus idem eſt in actione, atquè in paſſione, & qùm actio, & paſſio diſtinguantur realitèr; imò ſint formæ oppoſitæ, neceſsè eſt motum, ſi habet eandem formalitatem in vtraque, eſſe diuerſum ab vtriſque; quòd ſi in ſua ratione formali, & eſſentiali induceret motus actionem, & paſſionem, aut non eſſet vna forma motus, vel actio, & paſſio eſſent idem inter ſe, ſi eſſent idem cùm vno tertio, nempè cum motu. quod maximum eſt abſurdum in via peripatetica ponente diuerſa prædicamenta actionis, & paſſionis. Ità motus non dicit vllum intrinſecum ordinem nequè ad agens, neque ad patiens; ſed tantùm dicit fluxum à potentia ad actum, & vtriuſque confuſam formam, ex qua confuſione, ſeù mixtione, ſeù coniunctione actus, & potentiæ actionis, paſſionis, & cuiuſcumque actus, & potentiæ prædicamentalis, tanquam ex materia, & forma conſtituitur vnum entis compoſitum, quod dicitur motus, qui non eſt aliquid prætèr res; ſed eſt compoſitum ex vtriuſque entis actu, & potentia; quarè non conſtituit nouam ſpeciem prædicamenti, ſed eſt in omni prædicamento, eſt enim motus quid indeterminatum ex T. 13. tertij phiſ. & cur ſit indeterminatum reddit cauſam Ariſt. T. 14. quià non licet ponere ipſum in potentiam eorum, quæ ſunt, nequè in actum ſimplicitèr.

Cur autèm dicatur, ad relationem non dari motum, nequè ad ſubſtantiam, nequè exemplificet Ariſt. de cæteris prædicamentis præter quantitatem, qualitatem, & vbi eſt, quià *difficile eſt apprehendere, quid ipſum ſit, aut enim in priuationem neceſsè eſt ponere, aut in potentiam, aut in actum ſimplicitèr; horum autèm nullum videtur eſſe poſſe, relinquitur igitùr dictus modus, actum quidem quandam eſſe, talem autem actum, qualem diximus difficilem quidem cognitu, ſed qui eſſe poſſit* T. 15. ſi igitur forma relationis, & efficiens adeò imperceptibilis, vt, vſquè adhùc dubitent philoſophi, an relatio ſit ens reale, vel rationis: quomodò poterat facilè concipi mixtio ex eius potentia, & actu?

Difficile etiàm cognitu eſt, ſed qui eſſe poſſit, vt ait Ariſt. T. 15. tertij phiſ. quomodò ad durationem detur motus, quæ eſt permanentia in rebus, & ſola ratione diſtinguitur ab exiſtentia rei; ſi igitùr datur motus ad exiſtentiam, cur non poteſt dari ad durationem, præſertim, qùm res non dicatur durare in primo inſtanti ſui eſſe, ergò duratio in primo inſtanti eſt in ſuo eſſe imperfecto, & in potentia ad proprium actum; nec tamèn repugnat rem durare vnico tantùm inſtante, quarè duratio in primo inſtanti habet aliquem actum, qui qùm ſit in potentia ad vlteriorem perfectionem: ad eam perfectionem, & actum perfectum, & ſimplicem durationis, dabitur motus.

Non tamèn adeò difficilis eſt cognitio motus ad ſitum, ſed difficultas conſiſtit tantùm in diſtinguendo motu, qui eſt ad ſitum ab eo, qui eſt ad vbi, in quo contingit decipi; vndè motus plurimi, qui creduntur ad vbi, ſunt ad ſitum; vt eſt in ſublunaribus volutatio ab Ariſt. motus appellata, & motus circularis quicumque cæleſtium corporum eſt ad ſitum, & poſitionem, non autem

tem

tem ad locum; nam cæleſtia corpora, & vniuerſum, vt ſic non mutat locum, ſed ſitum, ergò præcipuus motus ad ſitum eſt, & ab eo reguntur, & pendent omnes alii motus, ſi *neceſsè eſt* vt ſenſit Ariſt. *hæc inferiora à ſuperioribus lationibus regi*: repugnat enim quemcumque motum terminari ad locum: quin ſimùl terminetur ad ſitum, & poteſt terminari ad ſitum, & non ad locum.

Ad habitum demùm dari motum neceſsè eſt; non dico ad eum, qui intèr ſpecies qualitatis tantùm numeratur; ſed ad vltimam formam prædicamentalem, quià hic habitus eſt perfectio vniuſcumque formæ tàm ſubſtantialis, quàm accidentalis; ſed præſertim, & manifeſtius ſubſtantialis; quià formæ partiales nihil ſunt in naturalibus ſecundùm ſuum eſſe, niſi per formam habitus: vt caput, pes, oculus, venter, & quæcumque alia pars viuentis, quæ ad aliud referatur, & quorum totum eſſe eſt, ad aliquid referri: ſinè hac forma habitus nihil ſunt. vt exemplificat Ariſt. de oculo ſecundo de anima T. 9. ea hypoteſi: *ſi oculus eſſet animal, anima, hoc eſt forma ipſius, eſſet viſus, hic enim eſt ſubſtantia oculi, quæ ſecundùm rationem, oculus autem materia cuius eſt, quo deficiente non eſt ampliùs oculus, niſi vt lapideus, & depictus*. Ità conſiderando oculum vt partem hominis, & inſtrumentum, ac ſine hypoteſi tradita ab Ariſt., niſi oculus per eam formam, quæ dicitur habitus, haberetur ab homine, homo non videret, & ſic oculus non eſſet oculus, quià non videt oculus, ſed homo per oculum: eatenùs igitùr oculus eſt oculati oculus, quatenùs habetur in animali; & habetur per hanc formam, quæ dicitur habitus, qua de re luculentiùs agendum in metaphiſicis, in præſenti tantùm cognoſcere oportet: fieri poſſe, licèt ſit cognitu difficile, vt fatetur Ariſt. ad hunc habitum dari motum, qui, ſi eſt forma, habuit pro termino priuationem, quæ ſatis creditur Ariſtoteli pro conſtituenda ratione motus: ex quibus videtur probabilis ſententia Ariſt. pluribus coniecturis confirmata, tot eſſe ſpecies motus, quot entis ex 3. phiſ. T. 5., quòd ſi nihil aliud potiùs expoſcere videtur Ariſt. ad formam perfectam motus, quàm proceſſum à contrario, tanquàm a termino, a quo, & ſufficit contrarietas quædam in quantitate impropria ad exercendum motum in eo: poterit etiàm ſuſtineri motu ad quancumque formam procedentem à priuatione, tanquàm à termino contrario.

De Infinito.

Poſt tractationem de motu loquitur Ariſt. de Infinito: quià magnitudo, motus, & tempus, quod eſt menſura motus, ab alijs infinita creduntur, & traduntur; &, quicquid in natura eſt, neceſsè eſt eſſe finitum, aut infinitum, exceptis fortaſsè paſſionibus omnibus, & puncto; quià paſſiones neque finitæ ſunt, neque infinitæ; ſed ſequuntur naturam eius, cuius ſunt paſſiones, vt albedo neque finita eſt, neque infinita, niſi ratione ſubiecti, quod ab eo albū denominetur; quod ſi eſſe poſſit infinitum, erit etiam infinita albedo; ſi eſt finitum erit finita: ità caliditas, & etiam quantitas, quatenùs eſt paſſio entis, poteſt dici finita, aut infinita; ſed iuxta corpus, ſuperficiem, aut lineam quantam, dicitùr quantitas lineæ, ſuperficiei, aut corporis infinita. Punctum quoque non videtur neque finitum, neque infinitum: non infinitum, quià nulla ratione eſt extenſum, non finitum, quià ipſum denominat ens finitum, & non ipſum

ſum denominatur. Quoniam autèm de pluribus quæritur, an finita ſint, vel infinita; &, quicumque de natura loquuntur, de finito, & infinito differunt, & ratiocinando progrediuntur in ſcientijs deſiderio finis alicuius dicendum de infinito.

Quæſtio, an ſit infinitum, videtur rationabilitèr præcedere eam, quæ eſt, quid ſit. Verùm, quià non poſſumus determinare, an ſit, niſì priùs nouerimus, quid ſit, ideò ab hac quæſtione tractationem de infinito auſpicabimur.

Platonici, & Pitagorici ex his, quæ refert Ariſt. hoc lib. 3. phiſ. proderant infinitum non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam, & ſubiectum, nec eorum ſententia valde diſſona eſt ſententiæ Ariſt. ſi aptemus, dicentes, per accidens intelligere Platonicos, & Pytagoricos entis paſſionem, quam nequè finitam, nequè infinitam eſſe etiàm Ariſt. protulit, ſubiectum enim, & ab eo accidens in concreto poteſt dici finitum, aut infinitum, & hos naturales appellat Ariſt., qui infinitum inſeparatum à ſenſibilibus poſuere.

Duæ itàque acceptiones habentur infiniti: vna antiquorum antè Ariſt. altera Ariſtotelis. Antiqui infinitum dicebant, id, cui nihil poteſt addi; hoc autem Ariſt. non vocat infinitum, ſed perfectum; & ex propria ſententia id infinitum dicit, quo accepto ſemper eſt aliquid, vltrò accipere; & hanc congruam eſſe acceptionem infiniti, ait, quià hoc ſonat vox infiniti, negationem finis, & termini: ideò id debet dici infinitum, quod finem non habet, aut terminum.

Quod infinitum diuiditur in infinitum actu, quod cathegorematicum dicunt, & infinitum poteſtate, quod vocant ſincathegorematicum. Et alia diuiſione diuiditur infinitum in illud, quod ſit in re, & illud, quod ſit in conceptu mentis, & hoc abſolutum, vel reſpectiuum.

Quibus poſitis, concludit Ariſt. infinitum cathegorematicum, & actu non dari; quià hoc vel eſſet corpus ſimplex, vel mixtum; non poteſt eſſe mixtum, ſi ſimplicia corpora, & elementa finita ſunt, quià, quidquid conſtat ex finitis, eſt finitum. ſi verò corpora ſimplicia, ex quibus miſceatur hoc mixtum, erunt omnia infinita: qùm vnumquodque contineat, & extendatur in infinitum ſpatium, dabitur penetratio corporum, aut infinitum erit tale, cui addi poteſt, quod eſt extrà ſuppoſitum in definitione. Si verò non omnia miſcibilia ſunt infinita, ſed alterum tantum ipſorum: ex eius infiniti vi vis aliorum finitorum obrueretur, ſic infinitum nulla ratione actu dari poteſt ex ſententia Ariſt. in potentia autem conceditur. hoc infinitum potentia ab antiquis philoſophis appellabatur materia ex Ariſt. 3. phyſ. T. 44. & 45. ex qua ignis, aer, aqua, terra & ſi quod aliud eſſet elementum, conſtaret, de quo hoc tantùm oppugnat Ariſt; non dari actu, & ſenſibile: dari autèm potentia non repugnat, qua de re, quid ſentiendum ſit, perpendamus.

Qui contendunt contrà ſententiam Ariſt. dari infinitum actu, his vtuntur Argumentis cùm Anaximandro, Anaxagora &c. Ex Ariſt. datur infinitum potentia, ergò poteſt dari infinitum actu. Probatur conſequentia, quià fruſtrà eſt illa potentia, quæ non reducitur ad Actum.

Secundò Deus eſt infinitæ virtutis, quam virtutem fruſtrà haberet, niſì poſſet conſtituere infinitum, ſed Deus noluit quicquam fruſtrà eſſe in natura, ergò non eſt veriſimile ipſum vllam imperfectionem admittere, quam ipſe negauerit creaturæ.

Tertio infinitum traditur, quod caret omni termino, ſed tempus

tàm

tàm à parte ante, quàm à parte poſt caret omini termino, ergò tempus eſt infinitum, ſic & generatio.

Quarto continuum eſt diuiſibile in infinitum, ergò continuum continet actu partes infinitas, in quas eſt diuiſibile.

Quinto, quod finitum eſt, ad aliud terminatur, & illud ad aliud; vel igitùr terminatur ad finitum, vel ad infinitum: ſi ad infinitum iam datur infinitum actu; ſi ad finitum, & illud ad aliud, & ſic deinceps, vt neceſsè ſit, dari infinitum actu.

Pro quibus argumentis diluendis, aut declarandis, ſunt nonnullæ concluſiones præponendæ. prima eſt. infinitum actu dari, & hoc infinitum eſt Deus, qui in tempore eſt æternitas, in ſpatio immenſitas, in virtute omnipotentia &c. & hæc concluſio vera eſt, tùm de infinito excepto ab antiquis philoſophis, quàm accepto ab Ariſt. Antiqui dicebant infinitum, quod perfectum eſt, & nihil habet extrà. Talis eſt Deus, qui actus perfectus eſt, & vbique eſt, per præſentiam, potentiam, & operationem. Ex Ariſt. dicebatur infinitum id, quo accepto, ſemper eſt aliquid ex eo extrà accipere. & talis eſt Deus, in quo nulla perfectio cuiuſcumque generis poteſt concipi, qua accepta, & recepta non ſit aliquid extrà ex ea accipere. Igitur infinitum actu in quacumque acceptione datur.

Secunda concluſio. extrà Deum non dari infinitum abſolutum in re actu nequè ſecundùm acceptionem antiquorum, nequè ſecundùm definitionem Ariſt. Non ſecundùm acceptionem antiquorum, ex quibus infinitum dicebatur, cui nihil poteſt addi, quod comparatiuè, & in conceptu mentis concedi poteſt: non tamèn abſolutum, & in re, quià, ſi quid eſt perfectum, eſt in ſuo genere, & non abſolutè, & propter ſpecierum varietatem omne; quod eſt, habet aliquid extrà ſe. Non ſecundùm acceptionem Ariſt. quià nihil eſt in rerum natura, quo accepto ſit vltro in re aliquid accipiendum. qùm omnia ſint in numero, pondere, & menſura determinata, ac per proprios actus diſtincta.

Tertia concuſio infinitum ſincathegorematicum, ſiuè in potentia, in neutra acceptione datur in re: non in prima antiquorum quià ſolus Deus eſt, qui vere eſt, & perfectus eſt abſolute, vt diximus. Deus autem eſt actus ſimplex, & nullam admittit potentiam. Non in ſecnnda acceptione Ariſtotelis, quià omnia, quæ ſunt, ſunt actu, & potentia reſpondet actui vnde, veluti in actu nihil eſt, quo accepto ſit aliquid ex eo extrà accipiendum in re, ità non poteſt aſſignari aliquid potentia infinitum: quià hæc potentia eſſet fruſtrà, nec poſſet vmquàm reduci ad actum; aut ſaltem actus non reſponderet potentiæ.

Quarta Concluſio infinitum cathegorematicum in conceptu mentis datur vt in re, reſpectiuè: & in certo genere iuxtà primam acceptionem; poſſumus enìm concipere hominem in ſuo genere perfectum, & cui nihil ſui poſſit addi: abſolutum autèm non datur in conceptu mentis, licet detur in re; nàm Deus quidem eſt infinitus, vt probatum eſt, & conceditur etiàm lumine naturæ. At propterea omni potentiam, immenſitatem, æternitatem non poteſt mens humana, & finita comprehenſiuè concipere.

Quinta concluſio. infinitum ſyncathegorematicum, ſiue in potentia, licet non detur in re, datur in conceptu mentis; quià, licet Deus ſit infinitus actu ex prima acceptione antiquorum, non autem in ſecunda Ariſt., vt in tertia concluſione proponitur; tamen in conceptu mentis ſemper eſt aliquid vltrò accipere illius perfectionis; ſic con-

ceptus illius eſt infinitus in prima acceptione; quià ſemper poteſt formari conceptus perfectior iuxtà mentis maiorem, aut minorem capacitatem: nunquàm tamèn poteſt concipi, vt eſt; ſic mens ſempèr ſpeculando poteſt per nouos habitus progredi ad maiorem perfectionem,& ex conſequenti ad capacitatem maioris perfectionis, ità, quod etiàm quod eſt actu infinitũ,in cõceptu mẽtis euadit infinitum potentia.

Sexta concluſio. etiam, quod eſt finitum cathegorematice, & syncathegorematice in re, & actu poteſt exercitè fieri infinitum in conceptu mentis, & in potentia: vt euenit in diuiſione continui; nàm, licèt continuum ſit actu, & poteſtate finitum, vt à nobis patefiet, tamèn, diuidendo illud exercitè, non poſſumus deuenire ad talem diuiſionem, per quam diuiſæ partes fiant indiuiſibiles; quià, licèt partes ſenſum effugiant: tamèn in ſe diuiſibiles ſunt. Imò nequè etiàm has partes poſſumus per conceptum mentis diuidere in indiuiſibilia. quia nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu; itàque quicumque conceptus vniuſcumque partis minimæ diuiſæ concipiatur tàmquàm diuiſibilis; quià non poſſumus quicquam concipere, quod non habeat partes in conceptu; & ex hoc ortum eſt axioma ab Ariſt. receptum, continuum eſſe diuiſibile in ſempèr diuiſibilia, quià, eſto diueniamus, diuidendo, ad id, quod ſenſu ſit indiuiſibile, tamèn hoc habebit partes, & erit diuiſibile per intellectum, quæ tamèn partes diuiſæ per intellectum, quantumuis in infinitum diuidantur, ſempèr redeunt ad formandum conceptum rei diuiſibilis; qùm nihil poſſit concipere intellectus, niſi per ſpeciem deductam per ſenſus; ſic continuum hoc modo, ſiue realiter, ſiue per intellectum diuidatur, erit diuiſibile in ſemper diuiſibilia, & exadverſo, quod eſt infinitum actu in re, vt eſt Deus, poteſt in conceptu eſſe finitus actu, & infinitus potentia.

Argumenta allata contrà ſententiam Ariſt. quæque poſſent afferri contrà allatas concluſiones hoc modo declarantur, & diluuntur. Ad primum, quandò dicitur ex Ariſt. dari infinitum potentia. reſpondetur Ariſtotelem intelligere infinitum potentia in conceptu mentis: non autem in re iuxtà ſextam concluſionem, quæ potentia non reducitur ad actum proptèr circulum conceptuum, & deceptionem mentis à phantaſmate, per quod partes minimi diuiſi non concipiuntur minores toto diuiſo. non tamen proptereà dicitur ea potentia fruſtrà, quià potentia conceptus non eſt vltrà id, quod receptum eſt à ſenſu, & laborat mens diuidendo ſemper replicando eundem actum, ſic potentia, quæ eſt diuidenda in intellectu, reducitur ad actum, cuius eſt potentia, & non habet potentiam ad vlteriorem actum.

Ad ſecundũ Argumentum conceditur, Deũ eſſe infinitæ virtutis actu, vt refert prima concluſio, quod non eſt contrà Ariſt. quià Ariſt. loquitur de rebus naturalibus, & in his, ait, non dari infinitum actu. At negatur eam virtutem infinitam eſſe fruſtrà, ſi non efficiat aliquid infinitum, quià ad actum reducitur ea potentia, dum efficit omne, quod eſt factibile, & permanet in propria omnipotentia ſempiterna. imò retorquendum argumentum, quià, ſi produceret infinitum actu, vel produceret ens æquale ſibi omnipotens, æternum, immenſum, vel minoris virtutis. ſi æquale ſibi, alterum ex his eſſet fruſtrà, ſi minoris virtutis, non eſſet infinitum: nàm poſſet illi aliquid addi. Reſtat igitùr, infinitam virtutem non poſſe producere infinitum: non fruſtranea facultate, ſed ob incapacitatem

ſubie-

ſubiecti, & quià hoc duplicatum infinitum eſſet fruſtrà.

Ad tertium reſpondetur. carere omni termino duplici ratione intelligi, vel in re, vel in conceptu mentis: in re negatur, tempus carere omni termino, quià eſt menſura motus, & motus eſt actus entis, ens aliquid erat antè motum: ſic motus in aliquo inſtanti incæpit tanquàm in termino à parte antè, & ſempèr habet terminum à parte poſt. At in conceptu mentis non poteſt aſſignari iſte terminus, nequè à parte antè, nequè a parte poſt, proptèr incapacitatem phantaſiæ non valentis repræſentare menti terminum vllum, quin remaneat aliud, atque aliud proſequendum, atque accipiendum tàm à parte antè, quàm à parte poſt, & ob huiuſmodi conceptum mentis interminabile dixit Ariſt. dari infinitum in potentia.

Ad quartum reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt in reſponſione ad primum, & per ea, quæ dicenda ſunt in capite de indiuiſibilibus, nempè, partes continui realitèr eſſe finitas, & plura indiuiſibilia eſſe in vno continuo maiore, quàm in minore, non poſse autèm deueniri exercitè ad vltimam diuiſionem, quià ea diuiſio, quæ effugit ſenſum, remanet facienda per intellectum: intellectus non valet concipere partes diuiſas vltimò, niſi ſub minima magnitudine repræſentata per ſenſum, quæ rurſùs per intellectum eſt diuiſibilis. vndè perpetua circulatione à minimo phantaſtico ad minimum rationale fit diuiſio infinita. ex intelligibilibus elementis, nulla fit magnitudo Ariſt. 4. phyſ. 10. ergò magnitudo in intellectu eſt ex phantaſmate, & à ſenſu.

Ad quintum reſpondetur: vltimum terminari ad ſe ipſum, & hoc ſine vlla proportione fundi, & amittere ſpeciem proprij termini in immenſitate, quæ Deus eſt, & quem conceſſimus eſſe infinitum actu, licèt non compræhenſibile per humanum intellectum.

LIBER QVARTVS
De Loco.

DIxit Ariſt. loquens de natura; naturam eſſe principium motus, & quietis. De motu luculentèr diſſeruit Ariſt. in Tertio libro, & de ſpeciebus ipſius, intèr quas motum maxime proprium, & maxime communem fatetur lib. 4. T. primo eum, qui eſt ſecundùm locum; & ideò in hoc libro quarto aggreditur tractationem de loco; de quo non ſolùm agit Ariſt. loquens de natura, quià ea ſit principium motus, ſed etiàm, quià eſt principium quietis, & quatenùs eſt principium quietis; namque res in proprio loco quieſcunt, & in proprium locum mouentur, vt T. 4: oſtendit Ariſt. dicens, lationes naturalium corporum præſertim ſimplicium, vt ignis, & terra non ſolùm oſtendunt quod ſit aliquid locus; ſed etiàm, quòd habet quandam potentiam, qua vnumquodque feratur in ſuum locum, niſi ſit aliquid, quod prohibeat; ex qua ratiocinatione infert T. 5. quodcumque habere determinatum locum, in quod feratur, & in quo quieſcat. ex quo textu elicitur, & ex ſuperiori non quamcumque ſuperficiem cuiuſcumque corporis ambientis eſſe cuiuſcumque corporis locum, ſed grauia habere proprium locum, & proprium leuia, ad quem ferantur, & in quo quieſcant, quod ſit tamquàm proprium receptaculum, quod non ſit corpus, vt fuit Heſiodi ſententia, quam approbat Ariſt. T. 6., & eius potentiam admiratur T. 7. omniumque primam appellat, quæ ſemper maneat pro determinato corpore, etiàm ſi corpora inuicèm corrumpantur, & tranſmutentur; quibus videtur explicata quæſtio, an ſit locus: determinando locum eſſe, & permanere etiàm corruptis in eo contentis corporibus, qua de re: an ſit videlicèt locus, nec ne iure dubitari, aſſerit T. 13.

Explicata quæſtione an ſit locus, aggreditur Ariſt. inquirere, quid ſit, & hoc magnum quid, & difficile ſe experiri fatetur T. 40. qua præuiſa difficultate examinat primùm, an locus ſit materia, quemadmodùm exiſtimauit Plato, vel potiùs forma quædam; &, ſi neutrum eſt, ad cuius ſpeciem, & rationem magìs accedat. Et primò contrà ſententiam Platonis inſurgit, oſtendendo loci rationem magis accedere ad rationem formæ, quàm ad rationem materiæ, quod facit T. 14. hac ratiocinatione; locus eſt, quod primum continet vnumquodque corpus, itaque erit terminus, quo terminatur magnitudo, & materia magnitudinis; ſed, quod terminat

aliud, habet potiùs rationem ſpeciei, & formæ, quàm materiæ, ergò malè ſenſit Plato aſſerens, locum eſſe materiam. Compræhenditur autèm hanc ratiocinationem eſſe potiùs pro euertenda ſententia Platonis, quàm pro conſtituenda propria; quià, licèt hìc probet, locum habere rationem formæ; inferiùs oſtendit nihilominùs, non eſſe formam, neque materiam; ſed receptaculum, vt omnium conſenſu proditur: materia autèm continetur, non continet. Eſſe enim aliquid omnes philoſophi antè Ariſt. ſenſere; at, quid ſit, ſolus Plato auſus eſt determinare, ex qua veterum philoſophantium ambiguitate in determinando, quid ſit locus, elicit Ariſt. difficillimum eſſe, hoc idem determinare Tex. 16., & altiſſimam requirere ſpeculationem. Tamen T. 17. facilè eſſe cognoſcere, ait, non eſſe formam, neque materiam; quià neque forma rei, neque materia poteſt ſeparari à re; at locus poteſt: quippè in eodem loco. vt puta in vaſe, vbi erat aqua, poſteà eſt aer; quarè locus non eſt pars rei, neque habitus; ſed quid ſeparabile à re locata. vas enim eſt tanquàm locus portatilis, qui non ingreditur vllo modo rationem rei contentæ in ipſo; & concludit T. 18. ex eo, quòd locus eſt ſeparabilis à re locata, dignoſci non eſſe formam, ex eo, quòd continet, non eſſe materiam: namquè materia continetur ſub forma, & non continetur ab illa.

Quòd autèm locus non ſit quid indifferens cuicumque corpori; ſed diuerſæ naturæ corporis diuerſus conſtitutus ſit à natura locus, patere videtur ex T. 21. vbi, ait, quandò ex aere fit aqua, locum perire, neque in eodem loco manere rem genitam, in quo fuerat, antequàm gigneretur: &, licèt homo videatur in eodem loco manere, dùm corrumpitur, in quo fuerat viuens; decipimur, quià ſenſu non deprehenditur, quod expirat, & in proprium locum fertur, &, ſi quid continetur extrà proprium locum, vi continetur, quià non adhùc nexus ſolutus eſt mixti corporis.

Quot Modis aliquid dicatur eſſe in alio.

VT eliciat Ariſt., quid ſit eſſe in loco, tamquàm in re diuerſa à re locata, ennmerat cap. 3. modos, quibus aliquid dicatur eſſe in alio; & primò, ait, ex natura aliquid eſſe in alio, quando id, quod eſt ad aliquid, eſt in eo, ad quod refertur, & proptèr quod eſt; vt pars in toto. partes enìm animalis ſunt ad aliquid, vt caput eſt capitati caput, pes eſt pedati pes, oculus oculati oculus: quando igitùr aliqua pars eſt in toto, dicitur eſſe in alio, quia totum ſupponitur quid diuerſum à partibus, etiam ſimùl ſumptis. vndè etiàm quandò totum conſideratur, vt relatum ad partes, vt capitatum ad caput &c. dicitur hoc totum eſse in alio, quià paritèr partes ſupponuntur quid diuerſum à toto; & eadem ratio, quæ eſt in partibus, & toto ſuppoſiti, eſt in toto, & partibus ſecundùm rationem ſumptis, & vniuerſalitèr; ità ſpecies tamquàm partes dicuntur eſse in genere, tanquàm in alio; & genus dicitur eſse in partibus, tamquàm in alio. Tertio modo dicitur aliquid eſse in alio, vt forma dicitur in materia, & effectus in ſua cauſa; ſic ſanitas dicitur eſſe in præſidio indicato à natura morbi, velutì in calido, aut frigido à quibus immediatè poteſt ſanitas pendere. Dicitur quarto modo aliquid eſſe in alio tamquàm in cauſa prima, ad quam illud refertur, quo pacto res omnes in regno dicun-

euntur eſſe in Rege; quià ab eo omnia pendent, & ad eius nutum omnia reguntur, & mouentur. Et eadem ratio, quæ habetur de Rege in politicis, habetur in vniuerſo de Rege vniuerſi, quarè omnia dicuntur in Deo, tamquàm in bono, & fine, ad quem omnia referuntur, & à quo pendent. Ac demùm, maximè propriè, hoc eſt ſecundùm ſubiectum ſermonem res dicuntur eſſe in alio, quæ ſunt in loco: veluti eſt aqua in vaſe: qui modus eſſendi in alio dicitur ab Ariſt. maximè proprius, quià includit modos omnes ſuperiùs narratos, quandocumquè res ſit in proprio loco, & ſibi a natura debito, vt eſt ignis in ſua ſphæra, terra in centro, & vniuerſum in Deo, tamquàm cauſa. ſic enìm terra eſt tanquàm pars in toto, tamquàm ſpecies in genere entium, tanquàm naturatum in natura, & tanquàm ordinatum in ordine vniuerſi, ac conuerti, & in eo dicitur eſſe, & permanere. ex quibus modis eſſendi in alio elicit Ariſt. T. 21. ſolutionem cuiuſdam difficultatis à Zenone, qui, ſupponendo locum eſſe aliquid, ſi locus eſt aliquid, aiebat Zeno erit alicubi, atque ità erit in loco, & locus ille in alio: ſic dabitur proceſſus in infinitum: aut res dabitur, quæ exiſtat, & nullibì ſit, quod maximum videtur abſurdum. qùm igitùr res tot modis dicuntur eſſe in alio, inquit Ariſt., non repugnat locum eſſe aliquid, & eſſe alicubì, & non eſſe in loco; quià eſſe in alio, dictum eſt, etiam eſſe in cauſa, & in bono, & fine, & eſſe tanquàm totum in partibus; partes itàque vniuerſi ſunt omnes in toto, & in loco impropriè, & vi, in quo non ſunt ex natura propriè, in quod tendunt, & mouentur. & vniuerſum in alio, nempè in partibus, & in ordine, & eſt locus omnium rerum, & tanquàm locus eſt alicubì, non tamèn tanquàm in loco, ſed tanquàm in ordine, & forma tanquàm in Deo bono, & fine: & vt ſanitas in calido, & frigido; nàm calidum, & frigidum non inducit ſanitatem, quæ conſiſtit in recta operatione, & eſt eſt facultas integra; ſed remouet impedimenta, vt eſt intemperies quæcumque, qua remota reſtituitur facultas, & ſanitas; quæ à Deo eſt originalitèr: ſic locus, in quo omnia continentur eſt aliquid, & eſt in alio, ſed non vt in loco, ſed tanquàm in ordine, & ordinis cauſa.

Proponitur definitio loci.

SVnt, qui arbitrantur locum idem eſſe, quod entitas prædicamenti vbi, quià loco videntur conuenire omnes proprietates vbicationis, & idem videtur eſſe in loco, atque eſse alicubi. Ità Zeno locum eſse in loco ſuadebat, quià eſset aliquid, & per conſequens alicubì. Quam ſententiam reprobat Ariſt. euertendo Zenonis argumentum, nam poteſt aliquid eſse alicubi, & non eſse in loco. Dein ratione etiam refellitur hæc opinio, quià vbicatio continetur, & locus continet; res eſt in loco, & vbi eſt in re, cui accidit. prætereà locus eſt extrà rem locatam, & vbicatio non eſt extrà rem locatam.

Alij arbitrantur. locum eſse ſpatium illud, in quo continetur locatum, ità vt ſequatur locati dimenſiones, latitudinem, longitudinem, & profunditaem, quod ſpalium alii imaginarium cenſent, alii reale, quod ſententiæ Ariſt. videtur conſonum dicentis T. 41. veluti vas eſt locus, qui transferri poteſt, ità locus eſt vas immobile; vas autèm habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergò locus eaſdem continebit dimenſiones. ac

T. 42.

T. 42. ait Ariſt. ſimùl cùm ipſa re locum exiſtere : ſimùl enim cum finito fines ſunt . Tamen facilè euertitur horum ſententia, conſiderando prædictas dimenſiones eſſe accidentia ſubſtantiæ locatæ, & locum ex Ariſt. eſse quid diſtinctum, & extrà locatum ; ſed idem accidens non poteſt ſubiectari in duobus, ergò locus non eſt ſpatium illud occupatum à locato, quià poneretur locus res, quæ non eſt ; non enìm eſt ampliùs ſpatium illud, ſi iam occupatum, & extentum eſt ; & multò minùs eſt admittenda ſententia eorum, qui ſtatuunt hoc ſpatium imaginarium, quia ex ſententia Ariſt. & omnium philoſophorum conſenſu locus eſt aliquid reale, & non eſse ſpatium vt concludit Ariſt. T. 39. Dùm autèm vaſi aſſimilat Ariſt. non includit vaſis omnes dimenſiones, ſed eam tantùm, per quam vas ſit ſimile loco : nempè ſuperficiem continentem. ac T. 42. ait, ſimùl cùm finito fines eſſe : intellìgendo paritèr ſuperficiem. in fine T. 41. concludit dicendo: locum eſſe primum terminum continentis immobilem, ait enìm. *ergò continentis terminus immobilis primus locus* ex cuius definitionis explicatione traditæ ab Ariſt. dicto Textu 41. patebit, quid ſit locus, et quo differat à ratione loci ab aliis propoſita.

Oſtendit in hac definitione primùm Ariſt., locum non eſſe quidquam rei locatæ, atque ità non eſſe accidens ipſius ; qua ratione excludit locum, & diſtinguit ab vbicatione, quæ eſt accidens rei vbicatæ. Vnde Ariſt. locum eſſe aliquid continentis, & non contenti. ſic nec forma, nèc materia, nec ſpatium vt T. 39. poſuit, & eſse extrà ex T. 43. & oſtendit, quæ non continentur, non eſse in loco ab Ariſt. definito, vt eſt cælum, & vniuerſum ex T. 45. ac totum abſolutè : nàm licet totum dicatur eſſe in partibus, & ſic alicubì, non tamèn dicitur eſse in partibus vt in loco, quià partes non continent, ſed continentur vt T. 4. primi phiſ. ait Ariſt. Vniuerſale eſſe quoddam totum, quià multa continet, vt partes.

Dicitur deinde *extremitas*, declarando corpus non eſſe quicqnam continentis corporis, ſed tantùm extremam ſuperficiem illius : ità vt nulla ratio corporis contineatur in ratione loci, ſed ſit nuda ſuperficies formalitèr conſiderata. verùm quià locus duplex eſt, alter naturalis, alter, vt ità dicam, violentus ; duplex quoquè erit conſideratio ſuperficiei. locus naturalis eſt ille, in quo ſecundùm naturam res quieſcit, & in quem mouetur, vt eſt terra deorsùm, & ignis ſursùm, & aer, & aqua in locis intermedijs ; & partes vniuſcumque elementi in maiorì, aut minori circulo à centro diſtante iuxtà maiorem, aut minorem raritatem, aut denſitatem ; ità vt corpora rariora ſortiantur maiorem circulum, & magìs diſtantem à centro: denſiora verò requirant circulos minores, & magìs centro proximos. ità vniuerſum ſecundùm totum naturalitèr conſtitutum dicitur, quatenùs hoc requirat ſymmetria, & ordo vniuerſi. locus violentus eſt ille, qui res continet non vndequaque, & omninò, vt ordo vniuerſi expoſcit, ſed aliqua ex parte ab eo recedit ; vt ſunt omnia ea, quæ mouentur. Natura enim *dicitur principium motus, & quietis, motus* videlicèt in his, quæ extrà propriam ſedem ſunt, vt in eam reuertantur : *quietis* in his, quæ iam ſortita ſunt, & obtinent propium locum ; &, quià mixta omnia ex parte ſunt in proprio loco, & ex parte ſunt extrà ; ideò ſecundùm maiorem, & minorem participationem proprij loci mouentur tardiùs, aut velociùs, prout prædominans magìs, aut minùs de alterutro participat. His

Ee po-

poſitis, ſuperficies continentis in propria ſede, & loco naturali eſt locus materialitèr, quià de ratione loci naturalis eſt non ſolùm ſuperficies continens, ſed, & vis, & potentia attrahendi, & conſeruandi locatum ex Tex. 40, & 48. huius quarti libri. in hac igitùr ratione loci ſuperficies ſe habet ex parte materiæ, & ſubiecti: vis autèm, & potentia attrahendi, & conſeruandi, ſe habet ex parte formæ: vndè emergit quasì compoſitum quoddam, ex materia, & forma; vt ex oculo, & potentia videndi fit oculus. At eadem ſuperficies continentis extrà propriam ſedem, & in loco violento, eſt locus tantùm formalitèr, quià tantùm formale includit, nempè nudam continentiam, & circumſcriptionem locati, non autèm vim attrahendi, & conſeruandi, vt habet in proprio loco. Dico autèm formale illud idem, quod ſuprà dictum eſt materiale: quià, dempta potentia, & vi, quæ eſt vera forma, vt viſus in oculo, remanet continentia, & circumſcriptio pro formali, velutì in formis ſubordinatis: vt in homine, præciſo rationali, quod habebat pro materia ſenſitiuum, ipſum ſenſitiuum remanet pro formali; ità præciſa potentia, & vi attrahendi, & conſeruandi tanquam forma, remanet pro formali nuda ſuperficies continens, & circumſcribens, quæ etiam dicitur poſita pro formali, quià non habet, hoc modo conſiderata, rationem vllam compoſiti: ne quidèm accidentalis, quandoquidèm non conſideratur ea ſuperficies, per quam definitur locus ab Ariſt. tanquàm huius, aut illius corporis continentis; ſed ſuperficies, vt ſic: præſcindendo à quolibet ſubiecto: aliàs non benè diceretur immobilis, nequè diceretur benè, non excedere locatum; quià continens materiale ſemper excedit contentum.

Dicitur deinde iſta ſuperficies ſiuè extremitas immobilis, quæ differentia præ cæteris multorum torſit ingenia; & difficultas propoſita ab Ariſt. T. 16. & 40; & alibi, tota tribuitur huic proprietati loci traditæ ab Ariſt. pro differentia, & parte eſſentiali definitionis; & pauci ſunt, qui ſibi perſuadere valeant hanc immobilitatem: qùm locata hinc indè moueri animaduertant; & ea, quæ ſtabilia ſunt, vt turris, & ſcopulus, tamèn fluctuatione aeris, & aquæ ſempèr ſuperficiem ambientis aliam, atque aliam habere agnoſcunt, & quolibet momento variabilem; nec admittunt eam rationem formalem ſuperficiei præſcindendo à corpore ſingulari circumfluente. quià diceretur accidens tranſire de ſubiecto in ſubiectum; vndè pro ſuſtinenda immobilitate huius ſuperficiei manifeſtè propoſita ab Ariſt., & conſenſu omnium philoſophorum confirmata, recurrunt ad ordinem diſtantiæ huius ſuperficiei ad primum continens: nempè ad cælum, & hac ratione ſumunt vnitatem, & tradunt immobilitatem eius ſuperficiei determinatæ diſtantiæ primi continentis, quæ conſideratio inanis eſt in ſiſtemate Copernicano, & in Ptolemaico proptèr eccentricitatem plurium cælorum: & in ſententia Ariſt. propterèa, quòd cælum a nullo corpore continetur, & illud iſta corpora non continet, ſed alia, atque alia. qua ratione non eſt credibile Ariſt. tradidiſſe definitionem loci, dicendo extremitatem continentis cæli. ità enim denominaret continens cælum, & omnia ſublunaria eſſent in cælo tanquàm in loco; & eadem ſpeculatio eſt eorum, qui conſiderant hunc reſpectum ad centrum: idque admodùm arduum eſt in nantibus, & in piſcibus fluuiorum, qui nulla ratione poſſunt eſſe in loco ſecundùm illam conſiderationem. At di-

cen-

cendo Ariſt. definire locum propriè dictum, quique naturalis ſit, & non violentus, ſuſtinetur facilè immobilitas extremitatis continentis, quià quælibet corpora in proprio loco quieſcunt, & permanent immobilia: vndè ea ſuperficies tàm ex parte contenti, quàm continentis eſt immobilis, & res contentas cooſeruat in ſuo eſſe. Vndè terra quatenùs in proprio loco eſt, eſt immobilis. ſuperficies autèm continentis eatenùs mobilis eſt, quatenùs aſſiduo viciſſim rareſit, & condenſatur: proptèr quam rarefactionem, & condenſationem variam loci naturalis rationem ſortitur per ea, quæ ſuprà dicta ſunt; proptèr quam mobilitatem amittit rationem proprii loci, & naturalis; quià, licèt ſit in proprio loco ſecundùm totum, & hoc modo habeat ſuperficiem ambientem immobilem, tamèn reſpectu partium varium expoſcit locum modò proximiorem centro, quandò denſior eſt, modò remotiorem quandò eſt rarior. Et ſi quis obiiciat, ſecundùm hanc interpretationem nihil eſſe in loco. contrà id, quod ſtatuit Ariſt. initio huius quarti libri, & omnium conſenſu: omne, quod eſt, alicubì eſſe, & tantùm, quod non eſt, nuſquam eſſe, vt ſphinx, & hircoceruus. Cui obiectioni reſpondetur primùm ex ſententia eiuſdem Ariſt antè ipſum habuiſſe multas dubitationes, quid ſit locus, & T. 16. & 40. rem difficilem admodùm refert, quicquam de ipſo determinare; & neminem antè Platonem quicquam de ipſò tradidiſſe, aut dubitaſſe, & ſi omnes conſentiunt, quicquid eſt, eſſe alicubi. T. 23. Ariſt. patefacit quot modis dicatur eſſe alicubi, & idem Ariſt. ait in natura aut omnia, aut aliqua moueri, & omnia, quæ mouentur, ferri ad proprium locum; vndè non fuit alienus Ariſt. exiſtimare aut nihil, aut pauca eſſe in proprio loco, & naturali, quo res conſeruantur in proprio eſsè; & proptereà non generantur, aut corrumpuntur; quæ igitur tranſmutantur, & generantur, & corrumpuntur, alterantur, augentur, & imminuuntur, ac loco mouentur, non ſunt in loco proprio, & naturali; non ſequitur tamèn, quod inferebatur aut nullibi eſſe res, aut non eſſe in loco, quià eſſe alicubì pluribus modis contingit, vt tradidit Ariſt. item ſi res non ſunt in loco naturali, in quo quieſcunt ex toto, ſunt in loco naturali ex parte, in quo quieſcunt ex parte aut ſegniùs mouentur. & plurimæ res vt aer, terra, ignis, aqua; ſi ſecundùm partes homogeneas non ſunt in loco proprio, & naturali, ſunt in loco proprio, & naturali ſecundùm totum; & ideò ſecundùm totum in eo conſeruantur, & immobiles permanent: vt terra in centro ſempèr eſt, & tota perſiſtit librata, aqua ſecundùm totum terræ ſuperficiem ambit ex T. 43; & eius locus illam conſeruans eſt, nec terræ quidquam magìs corrumpitur, quàm, quod exertum eſt, & extrà aquæ ambitum permanet. aqua ab aere circundatur, aer ab igne, & omnia hæc elementa ſecundùm totum conſeruantur immobilia. quarè hac ratione dicuntur eſſe locum, & eſſe in loco. Inſupèr cælorum orbes pro eo, quo ſunt in loco proprio, ſunt immobiles; quapropter quicumque locus naturalis eſt, idem eſt immobilis; &, quoniàm ordo eſt forma vniuerſi, à Platone in Timæo locus dictus eſt materia, quià ordo in locatione inuariabili, ac perpetua conſtitutum eſt.

Quòd verò loci ratio ab Ariſt. definita non ſit ea, quæ communitèr in ſcholis recipitur; quòd videlicèt locus non ſit ſuperficies vniuſcumque continentis, vt plurimi referunt, credentes turrim, & quæcumque habent corpus aliquod ex-

extrà, quo contineatur eſſe in loco impropriè vt T. 43., & non eſſe in loco ab Ariſt. definito, patere poteſt ex T. 23. quarti phiſ. vbì quærens. quomodò res alicubì eſſe dicantur, ait. *omnium autèm maximè proprium eſt, quod vt in vaſe. dicitur aliud in alio*: & tamèn aqua, quæ eſt in vaſe, eſt quidèm in alio, ſed non eſt in loco ab Ariſt. definito, quia ſubdit Ariſt. *& omninò quod eſt in loco.* omnes enim ſuprà narrati ſunt modi, quibus aliud in alio eſt; ſed omninò eſſe in alio dicitur de his, quæ ſunt in loco; quod verò eſſe in vaſe excludatur ab eſſe in loco, licèt ſit maximè proprium eſſe in alio, patet ex additione, *& omninò eſſe in loco*, ex quo declarat differre in aliquo eſſe in vaſe, ab eſſe in loco, atque major etiam aſſignatur diſparitas Tex. 41. dùm dicitur. *Vt vas locus eſt, qui transferri poteſt, ſit locus vas immobile.* Si igitùr vas eſt locus, quî transferri poteſt, non eſt locus definitus ab Ariſt. qui dicitur immobilis. neque in hoc locum habet ordo diſtantiæ ſuperficiei vaſis continentis ad primum continens; quià, dùm vas transfertur, ſoluitur ille ordo, & perit reſpectus ad poſtremum cælum, & centrum; quòd ſi eſſe in vaſe, non eſt eſſe in loco ab Ariſt. definito, multò minùs erit in loco turris, & nauis, & animal, quod mouetur.

Præterea, ſi locus eſt illa ſuperficies, qua quæque res circumſcribitur, quænam difficultas eſſe poteſt in eius appræhenſione? Quilibet enìm etiàm rudi ingenio præditus cognoſcere poteſt, vas eſſe locum aquæ, quam continet, & eſſe ſecundùm intimam ſuperficiem, & alia omnia ſimili modo eſſe in aere continente, & in aqua tanquàm in loco, quæ igitùr difficultas tantoperè a maximo ingeniorum diffamata in cognoſcendo, quid ſit locus? & quomodò altiſſimam habet ſpeculationem? & quomodo T. 40. aliquid magnum eſſe, & difficile capta locum aſſeruit? Neceſſe igitùr eſt dicere, ſi tanta agnoſcitur difficultas in percipienda ratione loci, itàut nullus philoſophus antè Platonem auſerit eius naturam quærere, aut prodere: loci rationem, quæ paſsim recipitur in ſcholis, non eſſe eam, quam Ariſt. definit; ſed communem quandam, & impropriam; & nos, eaque omnia, quæ apud nos ſunt, vt ait de continuo T. 44., eſse in loco improprio; & , ſaltèm plurima ex parte, violento: non autem in proprio ab Ariſt. definito, & appellato immobili.

Ponitur deinde in definitione *preton*, quod verbum additum interpretatur aptiſſimè a D. Thoma, vt deſignet locum proprium, & excludat communem; id ipſum enìm declarat Ariſt. 4. phiſ. T. 14. vbì diuidit locum in proprium, & communem, & proprium vocat, *in quo primum*: ſed quid intelligat per primum, quo coarctat locum proprium, non vltrò explicat D. Thomas, neque qui eum ſequuntur, interprætes iuxtà Ariſt. mentem: nàm, qui dicunt per primum intelligere ſuperficiem immediatam, per communem mediatam, itaut aqua primùm ſit in vaſe, tanquàm in loco proprio, & ſit in aere tanquàm in loco communi; quià videlicèt vas eſt in aere, non videntur conſentanea referre menti Ariſt. qui vaſis ſuperficiem, etiamsi aquam contineat immediatè, non dicit locum propriè dictum, & a ſe definitum, vt ſuprà explicatum eſt; ſed clariùs in eodem T. 14. per parenteſim declarat, quis ſit locus communis & primo explicat eo modo, quo eius interpretes. vt nos dicimur eſse in cælo tanquàm in loco, ſed in loco communi; quià eatenùs ſumus in cælo quatenùs ſumus in aere, & aer in igne, & ignis in cælo

lo ex T.46. & dùm ait, te eſse in terra, quià in hoc loco, qui nihil plùs, quàm te continet, non addit talem eſse locum proprium, & in quo primo: imo hoc dictum eadem parenteſi includit, qua declarat, quid ſit locus communis. Verùm licèt aqua in aere exiſtens, & ab eius ſuperficie immediatè contenta non ſit proprio in loco, non proptereà reiicienda eſt interpretatio dicentium per primum intelligere Ariſt. immediatam ſuperficiem: quià ad determinandam propriam rationem loci, debet etiàm includi immobilitas, ſic aqua in vaſe poteſt eſse primùm in ſuperficie; ſed, quià ea ſuperficies non eſt immobilis, excluditur vas à propria ratione loci definiti ab Ariſt., & naturalis; erit itàque vaſis ſuperficies locus proprius aquæ, ſic proprius, prout diſtinguitur a communi, non autèm proprius, prout diſtinguitur a naturali, qui definitur Ab Ariſt. in ordine ad motum: quià hic locus naturalis, vt non continens locatum, eſt cauſa motus ex T. 48; & vt continens eſt cauſa quietis; nàm manet naturà in proprio loco vnumquodque.

De Vacuo.

Plurimi ex antiquis philoſophis exiſtimarunt idem eſſe locum, & vacuum, ideò Ariſt., poſtquàm egit de loco, loquitur de vacuo, & recentiores definiunt vacuum locum non repletum corpore

Nec tamèn vndiquè corporea ſtipata tenentur
Omnia natura, namquè eſt in rebus inane:
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moveri
Res poſſent &c.

ità enim videtur ex mente veterum philoſophorum argumentari Lucretius, ad motum corporis proſequendum neceſsè eſt corpus excipiens aliquo modo cedere, vt dato incedenti loco, poſſit deindè ſubire ſpatium relictum à corpore incedente; aliàs enim in eodem inſtanti temporis non poteſt corpus excipiens, vt aer, aut aqua excipere motum corpus, & ſubire ſpatium ab eo ſubiectum: quippè à parte excepta ad ſubeundam eſt aliquod ſpatium, quod non poteſt momento temporis pertranſiri; ſi igitùr cedere prius eſt, quàm ſubire, debet, cedendo, dari penetratio corporum, aut concedi inane, & vacuum, quod argumentum in omni rarefactione, & condenſatione locum habet, præſertim aquæ, aut aeris; dicere autèm corpora non penetrari, nec ſubire inane ſuppoſitum in condenſatione; ſed exprimi corpus magis tenue, & locum cedere partibus compulſis inuicèm in condenſatione, petitur, vbì nàm corpus illud expreſſum excipiatur: an in aliud corpus penetrabile, an verò in ſuppoſitum inane; &, ſi non in vacuum excipitur, neceſsè aliud corpus extrudat. ſic proceditur, petendo, donèc neceſſarium ſit concedere hoc vacuum, & inane; idque magis ſenſui manifeſtum eſt in aere concluſo, vt in termoſcopio, aut alio vitro, vbi aer modò maiorem multo, modò minorem molem occupat; non videtur quonàm transferri poſſet corpus expreſſum, ſi quid expellit, ergò dùm maius occupabat ſpatium, aliquid inane erat, vt maior corporis moles haberetur. Nequè adeò facilè eſt, vt nonnulli arbitrantur ab his difficultatibus mentem liberare; nàm, qui dicunt vitrum extendi vim patiens ab aere rarefacto, rem proponunt ſenſatam, at ſenſui immanifeſtam; qui aiunt ſpiritum expreſsum intrudi in poro-

roſitates vitri, nequè etiam, quomodo id poſſit fieri, oſtendunt; neque difficultatem ſuperant, quomodò ſpiritus, qui ſuperficiem vitri internam ſuperauerit, non penetret vniuerſam vitri craſſitiem, ità, vt expiret, ne rursùs recipi poſſit, dùm rursùs aer condenſatur: niſi ſpiritus idem ab aere circumſtante educetur: in quo eadem ſempèr, & maiora ſequuntur incommoda, quo repleatur ſpatium, vndè ſpiritus ille detrahitur. Difficultatem melius ſoluere videtur, qui cùm Ariſt. primo Phiſic. T. 15. dixerit: quantitatem eſſe entitatem diuerſam à ſubſtantia, inſeparabilem quidem ab ea, vt T. 14. aſſerit; ſed quæ ſequatur aliorum accidentium conditionem, ac generetur, & corrumpatur, vt cætera; ità vt, veluti ſubſtantia modò calida eſt, modò frigida, ità modo bicubita. ſit, modò tricubita; modò quanta; modò non quanta; aut ex toto, aut ex parte iuxtà exigentiam conditionis formæ à natura datæ, aut ex accidenti ſuperadditæ; atque ità aer, aut aqua, dùm rarefiunt, & condenſantur, non id faciunt, vt ſpongia excipiendo, & remittendo corpora excepta, ſed quantitatem excipiendo, & remittendo; a qua corpora deſumunt impenetrabilitatem. aer igitùr, & aqua, vt facile recipiunt caliditatem, & frigiditatem, & eandem deponunt: ità quantitatem, iuxtà exigentiam formæ ſibi tributæ; hac tamèn differentia; quià quantitas eſt accidens ſubſtantiam conſequens, eſt etiàm antè relationem deſcriptam in prædicamento; vt quæ omnium accidentium virtutem intendit, & remittit. qùm in maiori quanto maior ſit virtus; ſic nullum accidens eſſe poteſt in ſubiecto ſinè quantitate, aliàs eſſet ſinè vlla virtute, & ſic prorsùs fruſtrà, propterea quantitas nunquàm poteſt, aut vix vnquàm ex toto deperdi; & poteſt cùm calido, & cum frigido eadem permanere; quià quantitas eſt ad virtutem ſuſtinendam vt ſic: non autèm hanc, aut illam facultatem; &, qùm nullum ſubiectum ſit prorsùs ſine virtute, quià eſſet fruſtrà, ità non poteſt dari ſubiectum ſinè quantitate; quod autèm fruſtrà ſit quidquid non habet operationem, aut paſſionem propriam, patet ex omnium philoſophorum conſenſu præſertìm in explicatione T.13. primi libri de anima; & vere à natura aeri, & quæ data proprietas eſt excipiendi facilè, & remittendi quantitatem, vt in his detur motus localis, quod non eſt adeò facile conceſſum terræ, vt valeat corpora ſuſtinere, & tribuere mixtis magìs ſtabilem impenetrabilitatem. ſic neceſsè non eſt dari vacuum; vt detur motus localis; ſed ſatis eſt etiàm minima condenſatio, & rarefactio, per quam facilè variatur, & quæcumque corpora admittit incedentia non in vacuum, ſed in locum alterius corporis recedentis.

Alii obiiciunt vas cinere plenum, quod tantundem aquæ capiat, quantum vacuum caperet; ergò in cinere vacuum contineri.

Alii vas argenteum, aut aureum aere plenum, ac benè concluſum in loco, quantum fieri poteſt, calido, conſtruunt: quod vas indè ſi feratur in loco intensè frigido: certum eſt aerem condenſari vltrà medietatem; ergò quod relinquitur ſpatium neceſsè eſt vacuum remanere ſiuè denſationem ſequatur minor corporis quantitas, ſiuè non: quoniàm, ſi aer incluſus contrahatur in minorem molem abſque expreſſione contenti ſpiritus, neceſsè eſt vacuum aliquod remaneat; quandoquidèm nullum aliud corpus poteſt ſubire ſpatium derelictum in ea aeris condenſatione.

Alij tubum oblongum argento viuo plenum, vitreum ex vna parte

ada-

adapertum, & ex altera benè clauſum: ea parte, qua apertum eſt, condunt in aliud vas ex parte plenum argento viuo, & ex parte aquæ. atque, vbi orificium adapertum intruſum fuerit in argentum viuum, obſtaculum in orificio poſitum remouent; vndè argentum viuum, quo tubus replebatur, procidit, & partem plurimam tubi, quæ repleta erat argento viuo, vacua remanet, & ibi inane eſſe affirmant; quià nullus aer erat in tubo, qui poſſet in illud ſpatium dilatari, nec aerem vllum inconſpicuè ſubiiſſe, indè oſtendunt. nàm orificium adapertum vitri, & in argentum viuum immerſum eleuant ab argento viuo, donèc in aquam ſuprà argentum viuum poſitam in eodem vaſe deuenerit. atque, vbi ad aquam deuenerit vniuerſum argentum viuum in tubo contentum euacuatur, & aqua maximo cùm impetu aſcendit, in tubum, & replet non ſolùm partem tubi argento viuo occupatam, ſed etiàm eam, quæ in eodem tubo erat ſuprà argentum viuum. vbi ex hoc conuincitur fuiſſe vacuum: quià aqua aſcendit eò prætèr propriam naturam; at non poſſet moueri contrà propriam naturam ſursùm, nisi à vi vacui traheretur; & conuincitur etiam, eam partem, quam dicimus remanſiſſe vacuam, non fuiſſe aere repletam, quæ clàm, & vi educta eſſet, vel à poris vitri, vel ex argenti viui corpore: nam, quæ eſſet ità educta ad vacuum replendum omnem vim demeret attrahendi aquam prætèr propriam naturam.

His tamèn non obſtantibus ſtabilis permanet ſententia Ariſt. omnium pænè philoſophorum conſenſu confirmata, non dari vacuum in natura; quòd, etiam ratione confirmari poteſt; quià, ſi nihil in eo eſſet, nulla daretur ibi actio, ac omninò eſſet fruſtrà, quod in natura non conceditur.

Præterea ex Platone in Timeo, & ex Ariſt. in meth. omnia nituntur maiorem ſempèr perfectionem aquirere, & mouentur, quæcumque mouentur, aut, vt perficiantur, aut conſeruentur, aut effugiant detrimentum quodcumque; & Cicero in libro de Vniuerſitate refert eadem verba Platonis, mundum vniuerſum hanc ſibi perfectionem parare, vt primo enti aſſimiletur, & ex hoc vt ſit vnum, vt ſit ſimplex vt ſit perpetuum, vt ſit perfectum. Perfectionem habet ex omnium formarum incluſione. Perpetuitatem ex fæcunditate, ſimplicitatem ex conſpiratione, & ordine. Vnitatem & contiguitate. Non igitùr vniuerſum eſſet vnum, ſi aliquo vacuo eius vnitas tolleretur.

Tertio oportet hunc mundum inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe continuum, vt illius excipiat influxus, ergò non poteſt diſiungi per vacuum.

Quarto, licèt verum ſit in propria ſphæra nullum elementum grauitare, aut leuitare, tamèn extrà corpora omnia ſub ratione vnius, & omni vi in proprium locum feruntur, leuia ſursùm, grauia deorsùm. Ergò; dato alicubi vacuo, contiguum elementum vniuerſum per modum vnius inextimabili velocitate moueretur ad replendum aut ſursùm, aut deorsùm. ſed nulla; poteſt vis vim facere vniuerſo elemento, ergò vacuum non poteſt dari.

Ad argumenta, & experimenta in contrarium adducta. Reſpondetur negando experimentum de vaſe cinere pleno tantum aquæ capere, quantum vacuum caperet. in quo procedit deceptio propter cineris raritatem, per quam multum aquæ capit, quod ſi tantundem aquæ caperet, hoc procederet vt ſuprà relatum eſt, propter quantitatem deperditam vi nitri, & ſalis exiſtentis in cinere, quo poteſt aqua contrahi

in

in minorem molem, vt eueńit in metallis auro, & plumbo, quæ aqua ſunt, & tamèn aquæ portionem contractam in minorem habent, vt patet ex pondere.

Idem dicendum de vaſe argenteo aere, aut aqua pleno, dùm ex loco calido in frigidum transfertur: aqua enim ipſa rarefacta a calido, a quo recipit actiuitatem: dùm torpet in frigido, etiàm quantitatem amittit; niſi q id illius contractionem impediat, quod fieri ab argento credi poteſt; quamquàm argenti vis poſſit naturæ contrahenti reſiſtere; quod, ſi argentum retinere aerem nequeat, ne contrahatur, potiùs vas diſrumpetur quantumuis validum, quàm vacuum admittatur, aut per poroſitatem argenti maxima vi aer intùs trahetur ad replendum vacuum; quæ argenti poroſitas inde patere poteſt nàm, ſi vas argenteum repletum aqua, & validè firmatum, ac perfectè ſphæricum graui malleo, & magna vi percutiatur, vt amittat ſphæricam figuram, & fiat minùs capax, ad ictum exudare videbitur, & aqua per argenti poroſitatem effundi. qùm autèm exudet argentum, nec obrumpatur, neceſſe eſt per eius poroſitates aquam penetrare.

Et eodem modo reſpondendum eſt ad vltimum experimentum, ſi ità reſpondeat, vt ferunt. Dico ſi ità reſpondet, vt ferunt. quià aliàs expertus ſum a tubo argento viuo repleto non deſcendere argentum viuum etiam euerſo tubo, ſed contineri tanquàm vi coactum, ne detur vacuum. & dato, quantitatem vi argenti viui deperdi, non eſt irrationabile, etiàm vi redire quantitatem debitam corpori contento intrà tubum, quæ præter naturam erat expulſa; veluti redit frigiditas aquæ vt ab ea depulſa, ſi finitur in propriam naturam reſtitui: quod autèm aqua ſensim redeat in propriam frigiditatem, aer verò ad quantitatem priſtinam illicò reſtituatur, ex vi formæ potioris poteſt procedere; quantitas enim magis conducit ad ordinem vniuerſi, quàm qualitas; ideò poſt ſubſtantiam ponitur in prædicamento, ideò maior vis in ea eſt, vt patet etiàm in puluere tormentario, dùm formam ignis recipit, cui vt debita quantitas non impediatur, magna vi obices dirimit, & impetu ineſtimabili dilatat ſe, & diſrumpere potiùs duriſſima quæque permittitur, quàm corpora penetrari, qùm idem, ſiuè par inconueniens contrà ordinem primum vniuerſi corpora penetrari, atque deduci: ità vt vacuum intermixtum natura patiatur, par quoquè inconueniens in natura eſt, duo corpora in eodem loco eſſe, aut vnum in duobus locis.

Quod ſi planè probatum eſt, vacuum non dari in natura, fruſtrà ſubindè videtur quæri, an, eo conceſſo, motus in eo contingeret in inſtanti. tamèn, quià hoc ipſum penè ab omnibus, qui de vacuo loquuntur proponitur, dicam, quid ſit concludendum: ſupponendo primùm motum velocem, & tardum non ex toto procedere à medii reſiſtentia, ſed à forma ſeù natura mouente, quæ tribuit motum cùm modo ei debito, hoc eſt cùm quiete admixta, ex qua, diximus, maiorem procedere, aut minorem velocitatem; vndè eſt vt, data eadem medii reſiſtentia, tamèn plumbum tam ſursùm per vim, quàm deorsùm ex natura velociùs mouetur, quam lignum; qùm autèm res aut per propriam naturam, aut iuxtà impræſſionem vis illatæ (præſcindendo a medij reſiſtentia) ſegniùs, & velociùs moueantur; ſequitur etiam, nulla data medij reſiſtentia, res moueri velociùs, & tardiùs; &, quià inſtans non ſuſcipit magis, & minùs, dicendum eſt etiàm in vacuo, ſi daretur, res moueri in tempore. Rationabile autèm potiùs eſt,

non

non moueri, quià nulla vi quicquam poteſt extrà ordinem vniuerſi diſcontinuari. itàque etiamſi daretur vacuum; nihil poteſt a tota maſſa rerum diſiungi, & per vacuum ferri. ſpecies autem viſibiles, an in inſtanti ferantur ab obiecto ad viſum, non poteſt conuinci per vllum ſenſum acrioris vis, quemadmodùm conuincitur per viſum tarditas ſpecierum auditus; ſic poſſumus quidèm probare multò velociùs deferri ad viſum ſpecies viſibiles; ſed non propterea in iſtanti ferri. Sol enim, & ſidera quæcumque perpetuò radios, & ſpecies, quæ radij quidam imperceptibiles ſunt, fuſas habent, & ab oriente ſensim ſphæricum terræ illuminatur, licèt videatur ſtatìm ad oculos peruenire, & eadem proportio corporis lucidi, viſi, & apparentis viſi, poteſt eſſe etiam in Sole erumpente à Luna in eclypſi. nàm lux, quæ ſpecies ipſa eſt, expanſa, & fuſa vbiquè eſt, & ſensìm fertur ad oculos: vt patet in ſuppoſito exemplo. ſi autèm ſydus aliquod de nouo accenditur, nulla oſtenſione poteſt demonſtrari, eius lucem ad nos illicò deuenire, an velocitèr quidèm, ſed in tempore: quarè etiàm ſi irradiatio, ſiuè illuminatio eſſet per motum, nullum ſequitur inconueniens in doctrina peripatetica.

De Tempore.

QVm motus nèc in vacuo, nèc in inſtanti fieri poſſit, neceſsè eſt fiat in tempore: propterea, qui de natura loquuntur, vt eſt principium motus, debent loqui etiàm de motu: qui de motu, etiam de tempore. Tempus itàque conſideratur hoc loco non, prout eſt accidens reale, quod dicitur duratio; ſed prout refertur ad motum. nequè conſideratur ſub ratione durationis; nequè eſt duratio quædam, vt nonnulli fatentur; aut, quatenùs eſt duratio, non reſpicit exiſtentiam rei, ſed affectionem præcipuam, quæ eſt motus. Aeternitas poteſt pertinere ad durationem . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

An tempus ſit.

HVic quæſtioni de tempore an ſit, occaſionem præbuit Ariſt. 4. phiſ. T. 88., & 89. vbì videtur dubitare an tempus ſit, qùm nulla poſſit aſſignari illius pars, nam, quod prætetijt, iàm non eſt, & ad eius habitum non datur regreſſus; quod futurum eſt, eſt tantùm in potentia: præſens eſt indiuiſibile, & nullam conſtituentem partem habet, ergò tempus omnino non eſt. quæ ratio ità omnium philoſophorum mentem perſuaſit; vt licèt a veritate coacti, omnes cognoſcant, eſſe tempus, tamen huic ratiocinationi mentem inuoluunt, & obſcuram temporis rationem reddunt. Tamèn nequè autoritas Ariſt. nequè ratiocinatio vrget rectè rem conſideranti. Non quidèm Ariſt. auctoritas vrget, quià ipſe nullo modo negat eſſe, ſed ait per eam ratiocinationem ſuſpicionem oriri, an ſit: aut illius eſſentiam reddere obſcuram, & vix compræhenſibilem. Ratiocinatio autèm non concludit, nàm ſupponit falſum in argumento; nempè præſens nihil eſſe, namquè etiam momentum aliquid eſt, & inſtans, ex quo tempus componitur, & conſtituitur duratio; veluti ex punctis linea, vt aliàs defendendum eſt.

Quid ſit Tempus.

TEmpus ex ſententia Ariſt., & omnium philoſophorum conſenſu eſt numerus, ſeù menſura motus ſecundùm priùs, & poſteriùs; hanc temporis definitionem omnes recipiſſe credibile eſt, vel quià abſoluta, & vera ſit, vel quià meliorem nemo credidit poſſe componere. Ea igitùr eſt explicanda, tanquàm potiſſima apud philoſophos. Dicitur autèm primo numerus, ſeu menſura ab omnibus; ſed non eodem modo hunc numerum recipiunt; alij enìm actiuam, alij paſſiuam menſuram intelligunt; quæ diſtinctio vt meliùs intelligatur, animaduertere oportet; menſuram actiuam eam dici, per quam aliquid menſuratur, vt eſt ea menſura, quæ dicitur vlna, qua res quæque numerantur, & eſt menſurantis ſecundùm ſpatium; menſura verò paſſiua eſt ea, quæ in menſurato. Qua diſtinctione poſita, alij aſſerunt, vt dixi, tempus eſſe menſuram actiuam motus; quià ſit tempori eſſentiale numerare, ſeù menſurare motum, vt qui ab Auerroe ſunt, hi ex eo arguunt hanc fuiſſe Ariſtotelis mentem; quià, ſi aliàs, accepiſſet menſuram motus paſſiuè, deberet dicere. Tempus eſſe motum menſuratum; & prætereà ex Ariſtotelis approbatione, tempus eſſe numerum, hoc vtitur argumento. Id, quo metimur plùs, & minùs eſt numerus; ſed tempore metimur motum &c. Ergò tempus eſt numerus; quo oſtendit tempus eſſe menſuram, qua, & ſic actiuam.

Sunt tamen, qui hanc opinionem refellunt dicentes, tempus eſse menſuram paſſiuam, hoc eſt eſse id, quod menſuratur, non autèm quod menſurat; ac propriam opinionem defendunt ex Ariſt. lib. 4. phyſ. 102. & 110., vbi ait tempus eſse numerum, qui numeratur, & qui numerat, & diſtinguere per id, quo numeratur motus, & eſt eius paſſio ex Ariſt. 12. methaph. T. 29.

Pro dirimenda hac difficultate, conſiderandum, quid ſit menſura ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem. ſecundùm quam profectò menſura eſt id, quo menſuramus res quantas, & ſic eſt quid actiuum; tamèn oportet animaduertere, hanc actionem, & potentiam menſurandi non habere, niſi ex eo, quod menſurata eſt, & conſtituta in certo, & determinato numero, vt vlna ideò menſurat, quià eſt menſurata. Ideò in menſura datur vtrumque: videlicèt actiuum, & paſſiuum, actiuum, quià menſurat, paſſiuum quià menſurata eſt. Si autèm quærimus, in quo ſenſu Ariſt. appellet tempus menſuram, an actiuè, an paſſiuè, aut vtroque modo. Dicendum eſt vtroque modo dici menſuram, quià ponitur menſura indefinitè: vndè, ſi intelligeret menſuram paſſiuè diceret, vt Auerroes animaduertit, menſuram menſuratam; ac eadem animaduerſione nos inferre poſſumus; ſi intelligeret menſuram actiuè, dixiſſet menſuram menſurantem: ſi igitùr ad neutrum contraxit menſuram, dicendum eſt intelligere tàm menſuratam, quàm menſurantem.

Sed quoniàm hoc ponere tempus menſuram motus paſſiuam, & actiuam efficit definitionem ambiguam, & non coherentem doctrinæ Ariſt., qui ſemper videtur intelligere menſuram paſſiuam; ideò hoc luculentiori declaratione videtur opus habere. Pro qua declaratione conſiderare oportet menſuram aliam eſſe intrinſecam motui, aliam verò extrinſecam. Intrinſecam menſuram

voto

voco, per quam quæque res motu ſibi a natura indito ſui motus periodum complet, vt eſt vna circulatio in cæleſtibus corporibus primi mobilis 24 horarum, quibus nos diſtinguimus certam illi menſuram à natura ſtatutam in vnica circulatione, Saturni 30. annorum. Iouis 12. Martis duorum, Solis 365. dierum; hæc dicitur menſura intrinſeca; quià, etiàm nullo intellectu cogitante primum mobile determinato temporis ſpatio vnam circulationem complet redeundo ad idem punctum, a quo diſceſſit, & differt iſta menſura ab æternitate, quià eſt a puncto determinato ad punctum; differt à duratione, quia non eſt perſiſtentia rei, ſed motus. Extrinſeca menſura eſt, quæ non eſt quid reale, ſed ab intellectu, vt eſt diuiſio circulationis vnius primi mobilis in partes 24. quæ partes dicuntur horæ; hæc diſtinctio non eſt ex natura, ſed ab intellectu diſtinguente eam circulationem, & conſtituentem partes ipſius, quibus alij motus menſurentur: quam menſuram potiùs nomine numeri explicauit Ariſt., quià ſupponit & numerantem ex Ariſt. T.20. Vbi ait tempus, vt ſic, conſiſtere in pluribus circulationibus primi mobilis, quorum motus, licèt vnus ſit, & continuus: tamen diuiſus in plures circulationes reſoluitur in numerum, vt exemplificat Ariſt. de linea T. 108. ait enìm lineas, prout plures ſunt, numerari, & dari minimum earundem numerum, ſi duæ, vel vna ſit, non tamèn dari minimam magnitudinem; ſic circulationes plures numerantur, & per eas numeratur motus; quià aliàs ratione continuitatis non numerabilis, ſed diuiſibilis eſt, & hìnc patet, rationem temporis conſiſtere in motu periodico cæleſtium corporum; & non in motu vt ſic.

Quibus poſitis, dicendum eſt menſuram intrinſecam rerum quarumqunque per certos periodos ſibi à natura deſtinatos eſſe menſuram actiuam, quià per eam cætera omnia menſurantur, & in huius eſſentia nullam partem habet intellectus; videtur tamèn complere illam, quià intellectus vnam eligit magis communem, & euidentem, per quam extrinſecè menſurantur cætera omnia, vt eſt menſura intrinſeca primi mobilis; quæ, licèt intrinſeca ſit, & actiua menſura; tamèn per intellectum diuiſa, & compoſita reducitur ad extrinſecam, & videtur pendere ab operatione intellectus; quià, eſſe intrinſecum, menſura motus primi mobilis habet à natura: eſſe actiuum, habet ab intellectu. Ità omnis menſura paſſiuè accepta eſt quid ab intellectu, & non reale, etenim nulla eſt menſura menſurata nullo intellectu cogitante; & proptereà Ariſt. in definitione temporis non dicit menſuram menſuratam, quià intendit definire tempus, prout ex natura eſt, non prout eſt ab intellectu. Quandò autèm Ariſt. declarat, quomodò ſit tempus numerus motus, exponit paſſiuè, quià ex communi loquendi conſuetudine, & quæſtione vulgata quæritur de menſura menſurata, & de ea, quæ eſt ab intellectu; non autèm de ea, quæ eſt a natura, quæ captu difficillima eſt.

Quam diſtinctionem videntur innuere, qui menſuram actiuam tribuunt cæleſtibus circulationibus, quibus menſurari, aiunt, hæc omnia ſublunaria; tamèn in hoc videntur parùm à veritate recedere, quià ſublunarium motum, non credunt, habere menſuram intrinſecam; nàm, licèt hæc menſura intrinſeca non ſit adeò conſpicua, & euidens, ac diſtincta, vt eſt in cæleſtibus, tamèn quoquè hanc ſublunaria habēt, vt in geſtationibus, & incremento vniuſcunque ſpeciei a natura dato poſſumus animaduertere; aut, vt meliùs dicam, poſſumus, niſi adeò

Incerta eſset hora conceptus, & dierum naturalium menſura fortaſsè non omnino rata, quandoquidem æſtiui dies longiores videantur, quàm hyemales. Itaue idem ſpatium temporis ſit ab autumnali æquinoctio ad vernale per Capricornum, qui ab æquinoctio Vernali ad autumnale per cancrum. licèt plures dies numerentur ab æquinoctio Vernali ad Autumnale per cancrum, quàm ab æquinoctio Autumnali ad Vernale per Capricornum; ex qua impercepta varietate, & obſcura incertæ etiàm ſunt geſtationis, incrementi, & vitæ totius periodi. Ex his patere poteſt, quomodò tempus ſit quid reale, & quomodò pendeat ab intellectu, & qua ratione menſura in eius definitione ſumenda ſit actiuè, & qua paſſiuè.

Dicitur menſura motus, ex quo patet tempus diſtingui à motu; quià aliàs, ſi tempus, & motus idem eſsent, tempus eſset menſura temporis. Duo igitùr ſunt animaduertenda in moto pro intelligentia definitionis temporis; vnum eſt forma illa imperfecta fluens, & mixta ex potentia, & actu, vt expoſitum eſt, dùm de motu ageretur. alterum eſt duratio in illa forma mixta, quæ duratio eſt quid diſtinctum ab illa forma, & ſecundùm eam durationem, ea forma fluens diuiſibilis eſt, quæ aliàs, quià ſemper eſt in eſse acquiſibili, videtur conſiſtere in puncto; tempus igitùr in hac definitione accipitur ſecundùm vtramque acceptionem, & ſecundùm formam temporis, & ſecundùm illius affectionem, quæ eſt duratio.

Additur ſecundùm priùs, & poſteriùs, oſtendendo non eſse conſiderandam formam fluentem, quæ eſt in indiuiſibili, ſed cùm latitudine, quæ amplectatur præteritum, & futurum; priùs enim, & poſteriùs dicimus ſecundùm eam, quæ ad ipſum nunc eſt diſtantiam 4. phyſ. T. 129. qùm enim Ariſt. T. 88. propoſuiſset dubitationem, an tempus ſit. quæ dubitatio oriebatur ex obſcuritate præſentis exiſtentiæ, quæ ſi non eſset, neque etiam poſſet dari præteritum, & futurum; nàm præteritum eſt, quod olim fuit præſens, futurum eſt, quod olim erit præſens. ſi igitùr numquàm eſt tempus præſens, neque etiam erit futurum, neque fuit præteritum: quapropter ad euitandam huiuſmodi difficultatem, definit tempus numerum motus ſecundùm priùs, & poſteriùs. Eſto enim motus ſit præſens conſtitutus, & exiſtens in inſtanti, hic poteſt quidèm numerari, ſed non poteſt conſtituere rationem temporis, quæ in ſuo formali expoſcit latitudinem prioris, & poſterioris motus, & continuitatem ex T. 108. Quod ſi definiretur tempus numerus motus ſecundùm quod præſens eſt; aut tempus nihil omninò eſſet, vt dubitabant antiqui, vel identificaretur cùm motu, & eſſet quid obſcurum & inconſpicuum, quod maximum abſurdum eſt in re, quæ debet eſſe regula, & numerus aliorum; numerus enim, & menſura debet eſſe notior menſurati, & numerati. Manifeſtior autèm motus eſt, ſi concipitur cùm quadam continua ſucceſſione; itàvt prior copuletur cum poſteriori. ſecundùm quam ſucceſſionem motus ſit manifeſtior, & conſequentèr numerus eius, qui dicitur tempus, & non eſt motus, ſed paſſio illius ex 12. meth. quæ, vt fiat manifeſta ad ſenſum, debet concipi cùm motu, & latitudine continente priùs, & poſteriùs, ſecundùm quam conſtituitur ratio temporis, eſt forma definita ab Ariſt. qui 4. phyſ. T. 99., & 100. id videtur manifeſtè declarare: videlicèt rationem formalem temporis conſiſtere in compræhenſione motus non vt ſic, ſed ſecundùm priùs, & poſteriùs, quo diſtinguitur ab æuo, æternitate, &

du-

duratione, quæ nùnc ſimùl videntur habere, & non priùs, & poſteriùs ex T. 92. ipſum autèm nùnc tempus metitur, quatenùs priùs eſt, atquè poſteriùs T. 104., & hoc fieri per rationem menſurantem, & conſtituentem tale ſpatium ſub ratione numeri, & menſuræ; & hæc ſatis eſſe videntur circà explicationem Ariſtotelicæ definitionis temporis. ſuperſunt nonnullæ dubitationes remouendæ, vt indè dictæ definitionis notitia, & declaratio confirmetur.

Dubitatur primò contra dictam definitionem, cur dicatur *numerus* ab Ariſt. videtur enìm definire more pithagorico; quem damnat primo meth. cap. 10. & lib. 14. cap. 5. & 9 & alibi multoties, qùm enìm ponit numerum pro genere, conſtituit numerum formam quandam, contrà id, quod locis citatis dixerat.

Secundo dubitatur, qùm dicitur *numerus motus*, motus enìm eſt quid continuum, & ſucceſſiuum, quc videtur potiùs poſſe menſurari, quam numerari: qùm numerus ſit quantitas diſcreta, & menſura debeat eſſe eiuſdem generis cùm re menſurata, quarè per quantitatem diſcretam non poſſumus commodè menſurare continuam.

Tertio Tempus non videtur tantùm menſura motus, ſeù numerus, ſed etiàm quietis; vt ait Ariſt. Tex. 118. imò ratio numeri conuenit potiùs motui prout diſcontinuatur per intermixtas morulas, & quietem, quàm tanquàm continuo, & ſucceſſiuo.

Quarto motus eſt etiàm ad ſubſtantiam in generatione, ſed hic motus eſt in inſtanti, & non habet priùs, & poſteriùs; ergò tempus non debebat menſura motus abſolutè, ſed cuiuſdam motus dici.

Nihil tamèn obſtant hæ difficultates, nec valent euertere definitionem traditam ab Ariſt., & explicatam, vt ſuprà propoſitum eſt, præſertìm aduertendo ea, quæ Ariſt. præmittit allatæ definitioni. Primò enìm aſſerit rectè dubitari, an tempus ſit, nec nè T. 87., quià forma admodùm eſt obſcura, & vix perceptibilis, & non niſi perfectibilis per rationem, & per operationem intellectus T. 100. ſecundò ſupponit T. 89. ipſum nùnc eſſe inſtans, ex quo tempus non componatur aut, vt meliùs loquar propriis verbis Ariſt. non videatur componi ex ipſis nunc. Tertio ſupponit ex Tex. 96. dari motum, aut mutationem velociorem, & tardiorem: non autèm tempus velocius, & tardius. Quarto ſupponit T. 97. multa credi fieri in inſtanti, quæ fiunt in tempore, & ſecundum priùs, & poſteriùs, quià latet mutatio, & non apparet ad ſenſum. Quintò notandum ex T. 112. nos non ſolùm tempore metiri motum, ſed etiam motu tempus; propterea, quòd à ſe inuicèm definiuntur, multam enim dicimus eſſe viam, ſi ambulatio multa eſt, & paritèr multam dicimus ambulationem, ſi via multa eſt. Itèm dicitur multum tempus, ſi motus multus eſt, & dicitur motus multus, ſi tempus multum in eo eſt.

Quibus poſitis, reſpondetur ad primam difficultatem ex Tex. 108. aſſignari potiùs numerum, quàm menſuram pro genere: non, quòd aliquam formam exiſtimaret Ariſt. numerum, ſed quià motus continuus per aſſignationem plurium circulationum, dum periodicè redit motus ad punctum; vndè diſceſſerat mobile, reſoluitur in numerum, & ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem tempus non menſura aſſignatur, ſed numero; dicimus enìm Hyppocratem vixiſſe centum annos; ſic per numerum aſſignatur longitudo temporis.

Ad ſecundum pari ratione reſpondetur, quòd, licèt motus ſit, quid

quid continuum, tamèn eius longitudo, qùm contineat plures circuitus; &, quæ mouentur, non moueantur continuo motu, ſed circulari, & per periodos diuiſibili, & reſolubili in numeros; ideò, licèt numerus, & menſura eandem habeant ſignificationem hoc loco, magìs tamèn euidens eſt numerus, & magìs aſſignabilis magnitudo per illum, quàm per numerum continui, & ſucceſſiui motus. Numerus enìm vnus reſpondet pluribus motibus, quorum eſt tempus vnum. Vt in muſica numerus eſt vnus, cui numero poſſunt aptari alia, & alia verba ſemper eodem numero canenda, licèt ipſa diuerſa ſint; vndè Illud Virgilii *teneo numeros, ſi verba tenerem* &c. Ità, ſi ſimul ſit alteratio, augmentatio, & latio, ſunt quidem diuerſi motus, ſed numerus illorum eſt vnus, & ſic tempus vnum ex phyſ. T.32.

Ad Tertium reſpondetur tempus non eſſe numerum quietis, niſi vt Tex.118. explicaretur: nàm in motu quidem eſt quies intermixta, vt ſuprà diximus, ea tamèn non conſideratur in motu; vndè, licèt dicatur motus velox, & tardus, numquàm tamèn dicitur tempus velox, & tardum; & ratio fortaſsè eſt, quià tempus regitur à motu primi mobilis, quo nihil velocius eſt, & nullam habet intermixtam quietem, quemadmodùm habent alii omnes orbes, quorum proprius motus retardatur à raptu primi mobilis, & quadam quaſi quiete commiſcetur, & per accidens eſt numerus etiam quietis ex T.118. & 119.

Ad quartum reſpondetur proptereà fortaſsè poni in definitione temporis, tempus eſſe menſuram motus, & numerum ſecundum priùs, & poſteriùs, vt coartaret tempus ad determinatum motum; nempè ad motum, qui habeat latitudinem, & priùs, & poſteriùs; & ſit numerabilis.

De motu, & eius differentiis.

QVoniàm, ignorato motu ignoratur natura, & difficilis admodum eſt motus diſtinctio à cæteris entibus, quoniam eſt actus, & forma. Ideò qum Tertio libro phyſ. propoſuiſſet tres motus definitiones, & eas explicaſſet, quarum vna eſt T.6. *Motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia*. ſecunda eſt T.16. *motus eſt actus mobilis prout mobile*. Tertia T. 23. *Motus eſt actus mouentis in mobili*; omnia etiam explicauit, proptèr quæ eſt motus, vt locum; &, cum quibus videtur identificari, vt tempus, & modò redit ad explicandam naturam eiuſdem motus; ad aſſignandas diuiſiones, & proprios terminos, à quibus res mouetur, & ad quos mouetur; & oppoſitiones eorum. Qùm igitùr communitèr in Tertio libro egiſſet de motu: modò proſequitur agere ſingularitèr.

Primò igitùr ab initio libri quinti adducit tres diuiſiones motus. Deindè in dictis colligit generationem non terminare motum, & tres eſſe tantùm formas, ad quas motus terminetur. Prima diuiſio eſt ex parte eius, quod mouetur, ſiuè ex parte mobilis, ex qua, quod mouetur, vel dicitur moueri per accidens, vel denominatiuè à parte, vel per ſe. Per accidens dicitur moueri medicus & exerceri, quià non exercetur, ac mouetur, vt medicus, ſed vt ægrotans; aut, vt timens ægrotationem. Per denominationem à parte dicitur ſanari Socrates, ſi eius oculus morbo aliquo correptus ſanatur. Per ſe autèm dicitur moueri, quod per ſe ipſum mobile eſt, aut mouetur primo. Vt

dùm Socrates deambulans mouetur localiter: non enìm accidit aliquid in Socrate moueri, ſed ipſe per ſe mouetur primò; hoc eſt non mouetur ex eo, quod pars illius moueatur, ſed quià totus mouetur. Secunda diuiſio eſt ratione eius, quod mouet; quæ diuiſio eodem modo procedit; nàm, quod mouet, vel mouet per accidens, vt dùm iſtriones ſanant aliquem ægrotantem; non enim ſanant, quià medici ſint, ſed quià, aliud agentes, in medicinam incidunt. Vel mouet per partem, & denominatur vt totum mouens; vt homo dicitur ſanguinem mittere, dùm manu ſcalpellum mouet ad mittendum ſanguinem. Ac tandèm dicitur per ſe primò moueri, dùm, qui agit, id quod agit, vt talis agit: vt d m medicus ſanat, ſanat enìm vt medicus, & non ſola manus concurrit ad inducendam ſanitatem, ſed mens, & ratiocina-io, quæ eſt tota eſſentia, & ratio formalis hominis, & ſubiectum totius artis medicæ. Tertia diuiſio eſt ratione termini, ad quem dirigitur motus; & formæ, in qua quieſcit, & ſiſtitur motus, & eadem quoquè ratione procedit diuiſio, nempè ex accidenti terminante, aut ratione partis, aut primò per ſe. Ex accidenti denominatur motus ratione termini, ad quem, dùm terminus per accidens aliquam tribuit denominationem: vt pro exemplo, dùm eſt aliquis laborans febre tertiana, & eodem tempore febris accendatur in alio ſimilis, per illum motum incenſionis febrilis, hic dicitur factus ſimilis primo febricitanti. Similitudo enìm eſt terminus per accidens caloris extranei accenſi in corde alterius ex his, nam vnius formæ eſt vnus tantùm effectus formalis; vndè calor extraneus non poteſt terminari, nisì ad febrem, ex accidenti autèm eſt hunc febricitantem eſſe alteri ſimilem (& ideò fortaſsè dicitur ad relationem non dari motum, quià hæc forma, per quam res eſt ad aliud, ex accidenti ſequitur, ſeù conſequitur motum, qùm igitùr non ſit proprius terminus motus, benè dicitur ad relationem non dari motum) Ratione partis terminus ad quem motum denominat, dùm motus terminatur ad partem, & dicitur totum terminatum, vt homo ſanitati reſtitutus dicitur, dùm oculus ægrotans illi ſanitati reſtitutus eſt; licèt alio morbo etiam laborare perſeuerет, aut oculus dicitur ſanitati reſtitutus, qui laborat ophtalmia, & ſtrabismo, ſi deſinit ophtalmia. plures enìm formæ erant, ad quas tendebat ſanatio, videlicèt ad intemperiem, & malam compoſitionem, ad intemperiem, quæ erat ophtalmia, ad malam compoſitionem, quæ erat ſtrabiſmus. Itàquè, licèt ad ſolam temperiem reſtituendam terminetur ſanatio, & remaneat mala compoſitio, denominatur ſanatio à parte non ſubiecti, ſed termini, ad quem, & formæ inductæ. Per ſe demùm diſtinguitur motus ratione termini, ad quem, dùm forma fluens, quæ dicitur motus, in finem agentis data motum terminat abſolutè, & quieſcit in ea acquiſita.

Motus per accidens, ſiuè ratione mobilis, ſiuè ratione mouentis, ſiuè ratione termini ad quem, non poteſt dici propriè motus: velutì nequè etiàm, qui eſt a terminis negatiuis, quià formæ poſitiuæ ſupponuntur etiàm termini poſitiui. Itaque motus à non ente ad ens; aut ab ente, ad non ens non ſunt verè motus, quià habent alterum ſaltem terminum negatiuum: id circò, nequè generatio, quæ eſt mutatio à non ente ad ens, nequè corruptio, quæ eſt ab ente ad non ens, ſunt verè motus. Supereſt igitur ſolos motus eſſe ad manifeſtos terminos, qui ſunt ad quantitatem, qualitatem, & vbi; nequè hi erunt veri mo-

motus ex ſententia Ariſt. niſi moueantur à contrario poſitiuo, non autèm negatiuo; namquè à contrarijs tantùm poſitiuis, vt eſt calidum, & frigidum, magnum, & paruum, ſursùm, & deorsùm datur forma mixta ex actu, & potentia, qualis eſt motus, & in his tantùm datur mixtio quetis per quam motus latitudinem habet, & eſt in tempore, quod eſt eius numerus: aliàs enim, ſi conſideretur calidum inductum ex non calido, aut quantum ex non quanto, aut ſursùm non ex deorsùm (vt eſſe poteſt in creatione ignis). hæc mutatio, licèt ſit accidentis, eſt generatio, ad quam non datur motus propriè, & rigorosè acceptus ex ſententia Ariſt. hoc loco. Ad quantitatem enim non datur motus à non quanto, ſed à magno, & paruo; vndè motus commune genus ad quantitatem non eſt nominatum, ſed à paruo ad magnum, qui motus eſt augmentum, a magno ad paruum, qui eſt decrementum. Ità ad calidum non datur motus à non calido, ſed à frigido, qui motus dicitur alteratio, & non generatio. Ad vbi datur motus à ſursùm ad deorsùm, aut a deorsùm ad ſursùm, aut ex his mixtis; nàm tria requiruntur ad formam motus inferendam, primùm, vt habeat contrarium, ſecundum, vt ſit aliquid ſucceſſiuum; Tertium vt termini a quo, & ad quem ſint oppoſiti, & in hoc terminetur forma motum denominans; ab hoc enim termino motus ſumit propriam ſpecificaionem: ſicùt actio, & paſſio: quòd ſi neque actio ſumit denominaionem ab agente vndè egrediur, neque a paſſo, in quo recipitur, multò minùs motus ſumet denominationem à mouente, aut à mobili. Neque etiàm dicendum eſt, motum ſumere ſuam ſpecificationem à termino, a quo; quià ab eadem ſuperficie aquæ, aut aeris parte; ſi quod mixtum diſſoluatur, terreum deſcendit, & igneum aſcendit: ſic ab eodem termino, à quo, ſunt duo motus ſpecificè diuerſi proptèr terminum, ad quem alterius ſursùm, alterius deorsùm. quandò verò ex eodem termino, à quo, vt ab aere mouetur pila plumbea aere plena ad eundem terminum diuerſis motibus: nempe motu ſecundùm naturam reſpectu plumbi, & motu præter naturam reſpectu aeris, horum diuerſitas non eſt in ſpecie motus, ſed in coaſſumpto genere ſecundùm naturam, aut prætèr naturam, quæ non facit diuerſitatem ſpecificam; quemadmodùm homo non differt ſpecie à muliere, licet ex coaſſumpto genere maris, & fœminæ opponantur; quarè terminus, ad quem ſpecificat motum ſursùm, aut deorsùm, & eſt motus eiuſdem ſpeciei: licèt alteri mobili ſit prætèr naturam, & alteri ſecundùm naturam. Non tamèn recipienda videtur ſententia eorum, qui aſſerunt augmentum, & decrementum non differre ſpecie, quià tendunt ad magnum, & paruum, tanquàm in contrarios terminos, & ſpecificè diuerſos: vt oſtendit Ariſt. dicendo, motum ad quantitatem non habere commune nomen, ſed alterum dici augmentum, alterum decrementum, ſed ſpecies ſunt, quæ ſub communi aliquo genere ſunt, ergò augmentum, & decrementum ſpecificè differunt vt differunt sursùm, & deorſùm.

An

An detur tantùm motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

DAri motum ad aliquid nihil aliud eſt, quàm illud eſſe per ſe terminum motus, & ratione ſui terminare illum. Dubitare igitùr contingit de prædictis terminis: primò an detur motus ad illos, ſecundò an detur tantùm ad illos. Videtur primùm non dari motum ad quantitatem, quià intèr alias conditiones motus eſt ea, vt ſit intèr terminos contrarios; ſed quantitas non habet contrarium, ergò ad quantitatem non poteſt dari motus. Minor patet ex Ariſt. cap. de quantitate, vbi etiàm ſoluit difficultatem de magno, & paruo dicendo, non eſſe contraria, ſed oppoſita relatiua. Maior quoquè eſt Ariſt. hoc libro: vbì intèr alias conditiones motus decernit debere eſſe intèr terminos contrarios, & propterea ad ſubſtantiam per ſe non dari motum. Sed ratione etiam probatur, quantitatem non poſſe habere contrarium: nàm contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, ſed quantitas non poteſt maximè diſtare ab alia quantitate, ergò in quantitate non erit contrarietas. Minor probatur, quià nulla poteſt dari quantitas, qua non poſſit maior aſſignari; ſed maximè diſtare eſt, diſtare extrema diſtantia, ergò hæc diſtantia in quantitate maxima, qua maior dari non poſſit, non poteſt aſſignari. Prætereà ex Gal. primo meth. cap. 6. & ex Plat. in Theheto. ſuppoſita mutatione alimenti abſquè alia mutatione illius, & nullo motu ſuperueniente ſuccedit augmentum, ergò non datur motus ad quantitatem.

Dubitatur etiam de qualitate, an ad eam detur motus: nam calefactio, vel eſt noua forma caloris inducta, vel eadem præexiſtens intenditur, aut extenditur; nulla enim alia ratio calefactionis videtur poſſe dari. Si eſt noua forma caloris inducta, eius erit mutatio per generationem, quæ fit in inſtanti, & conſequentèr ſinè motu. Si extenditur, qùm ſit motus ratione gradus, & perfectionis, non erit à contrario, quod erat poſitum intèr conditiones concurrentes ad motum, ſic nullo modo videtur dari motus ad qualitatem.

Dubitatur demùm de motu locali, an terminetur ad vbi ità, vt ad vbi detur motus; namquè intèr motus præcipuus eſt circularis cælorum, vndè neceſsè eſt hunc mundum inferiorem ſuperioribus lationibus regi. Sed motus circularis primo non habet contrarium, & intèr alias conditiones propriè dicti motus ea eſt, vt moueatur mobile à contrario in contrarium. præterea vbi cæleſtium corporum non habet latitudinem percurrendã, quippè eius motu non ſuccedit vlla mutatio ſecũdùm vbi, ſed potiùs ſecundùm poſitionem, & ſitum; ergò in cœlo non datur motus ab vbi; nequè etiam dabitur in ſublunaribus, quia motus ſublunarium regitur à motu cælorum, & non datur vllum vbi determinatum, ad quod tanquàm ad terminum proprium feratur elementum, ſi ex hypoteſi ſupponatur purum, quià totum elementum non mouetur, niſi circularitèr, & pars elementi in vniuerſa ſphæra elementi homogenei poteſt terminari, & quieſcere; quarè pars non habet vbi determinatum, in quo perficiatur, ideò ad vbi non datur per ſe motus, ſed, ſi dabitur, dabitur ex accidenti.

His tamèn non obſtantibus communis ſententia cùm Ariſt. ratum habet, ad hæc tria prædicamenta

manifeſtè dari motum; quià vnaquæque ex tribus allatis formis quantitas, qualitas, & locus valent ratione ſui terminare motum, & quælibet habet latitudinem contrarietatis ſucceſſiuè percurrendam, vt patet ex his, quæ ſuprà relata ſunt; nàm pars poſt partem aqquiritur quantitatis.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur; & primò ad ea, quæ motum non terminari ad quantitatem ſuadent, dicitur concedi quantitatem, vt ſic, non habere contrarietatem rigoroſè acceptam, & propriiſſimam, quæ datur tantùm in qualitate: tamèn habere talem contrarietatem, quæ poſsit conſtituere latitudinem in motu ſucceſſiuè percurrendam, qualis eſt intèr exceſſum, & defectum, ad quas quidèm non datur motus vt ſic, quià non ſunt formæ, quæ poſſint terminare motum, & perficere mobile: imò ex T. 55. primi phyſ. hi termini habebantur tanquàm priuationes contrariæ vni, & enti. vndè exceſſus, & defectus ſunt potiùs ponendi termini, à quo motus, & ſic non terminantes, nequè ſpecificantes illum, quàm termini ad quem: tamèn ab exceſſu, & defectu tanquàm à termino, a quo per motum, qui dicitur augmentum, & decrementum datur mutatio rei ad medium intèr exceſſum, & defectum; quod medium dicebatur ab antiquis vnum, ſeù ens, & intèr exceſſum, & medium innominatum; ac intèr defectum, & idem medium datur eadem contrarietas, quæ datur in moralibus intèr virtutem, & vitium, & iſta contrarietas, ſatis eſt ad conſtituendam latitudinem ſucceſſiuè percurrendam, quæ ponitur intèr condictiones requiſitas ad motum; nèc neceſſaria eſt ea maxima, quæ haberi poteſt in quantitate.

Quo verò ad ſecundam difficultatem de augmento ſuccedente per emanationem; & nullo motu intermedio ex ſola tranſmutatione, & aſſimilatione alimenti: conceditur, poſita conuerſione alimenti in ſubſtantiam aliti, ſuccedere acquiſitionem nouæ quantitatis, ſed negatur hoc eſſe ſinè motu, & mutatione; nàm reſpectu corporis aucti eſt motus ad maiorem molem; & hoc non per mutationem, ſed per motum, & formæ acquiſitionem, quæ dicitur quantitas; non enìm eadem quantitas numero remanet in genito, quæ fuerat in corrupto alimento: ſed vel alia ſuccedit non numero, ſed ſpecie eadem; vel, quæ erat alimenti, per nouum actum, ſeù internum habitum fit aliti, quod hoc ipſo augetur, & mouetur ad quantitatem ſtatui naturæ præſentis debitam, quod magìs probabile eſt, ne videatur quantitas aucti procedere à termino negatiuo non quanti, ſed potiùs à termino poſitiuo, qui conſiſtit in defectu, ad alium poſitiuum, qui conſiſtit in quantitate animali alendo debita; qui termini contrarii ſunt non ſumma contrarietate, ſed, quæ ſufficiat ad motum; veluti enìm motui ex ſententia Ariſt. non ſolum eſt contrarius alius motus, vt ſursùm, & deorsùm; ſed etiàm quies: vt prodigalitati non ſolùm eſt contraria auaritia, ſed vtrique eſt contraria liberalitas; ſic exceſſus non ſolùm contrariatur defectui, ſed ambobus, nempè defectui, & exceſſui contrariatur debita conſtitutio ſecundùm naturam, ad quam datur motus, ab exceſſu per decrementum, & à defectu per augmentum; per augmentum in iuuentute, per decrementum in ſenectute ſecundum naturæ ordinem ſuccedentibus; vndè decrementum habet terminum poſitiuum naturæ ordini conſentaneum, vt ſuo loco patefiet.

Ad aliud argumentum probans non dari motum ad qualitatem.

Re-

Reſpondetur non dari motum ād qualitatem genitam, nequè etiàm ad extenſam; ſi, dùm extenditur, non intendatur: dari tamèn motum ad qualitatem per intentionem; hæc enim non mouetur per accidens, vt ea, quæ extenditur; ſed mouetur per ſe à propria forma imperfecta ad perfectam, quam habet pro termino ad quem proprii motus; & eſt à termino à quo poſitiuo; licèt à calore remiſſo proptèr remiſſionem contrariæ formæ, a quà tanquàm à termino contrario motus recipit latitudinem, & extenſionem ſibi debitam; ſic negatur motum, qui eſt per gradus, & ad perfectionem, non eſſe à contrario; quia forma fluens imperfecta ratione imperfectionis includit contrarium, a quo tanquàm à termino mouetur mobile, ad acquirendam perfectionem; dùm enìm calor intenditur, intenditur per expulſionem frigoris, & inductionem habitus propriæ formæ in ſubiectum.

Ad vltimum argumentum de motu locali, etiàm ſi concedatur cælum non moueri ad vbi, qùm non mutet locum, tamèn non indè ſequitur, non dari motum ad locum, ſeù ad præſentiam localem, quæ dicitur vbi, ſaltem in ſublunaribus: namquè, licèt ſublunaria cæleſtibus lationibus regantur, ex hoc ipſo nunquàm habent locum ſibi à natura debitum; ideòquè habent formam vbi ſempèr imperfectam, & in eſſe acquiſibili ſucceſſiuè per motum, ſaltèm in ſtatu præſenti naturæ fluentis, (quid quid ponatur in eſſe, ex hypoteſi ſi elementa eſſent pura) hoc enim in præſenti naturæ ſtatu mundi litis dari non poteſt proptèr participationem cæleſtium influxuum his clariùs, illis verò obſcuriùs, & proptèr acceſſum, & receſſum Solis, & Planetarum, & aliorum, quibus inducuntur, & educuntur ſucceſſiuæ qualitates, & noua in dies mixtionum genera præparantur; ſi verò imaginatus olìm mundus amicitiæ detur, per hanc hypoteſim dici poterit non quidèm motum ad locum dari, qua de re dubitationem proponit Ariſt. T. primo octaui phyſ. quærens *vtrùm factus eſt aliquando motus, qùm non eſſet priùs, & corrumpitur rurſùs, ità, vt moueantur nihil*; quam omnimodam quietem non capit humanæ coniectura mentis, perpetuis motionibus imbutæ, & addictæ: nec de his poſſumus ſinè furore diſcurrere.

An ad alia ſeptem prædicamenta detur motus.

EXplicando Textum 5. lib. 3. phyſ. propoſui, quomodò ad cætera prædicamenta detur motus ad relationem, ad actionem, paſſionem, durationem, ſitum, & habere; tamèn, quià motus eſt forma admodùm difficilis cognitu proptèr propriam imperfectionem, difficilior etiàm fit in prædicamentis cùm difficultate perceptis, etiàm in forma perfecta. Non igitùr mirum ab Ariſt. defendi ad hæc prædicamenta non dari motum, veluti etiàm negat dari ad ſubſtantiam: licèt hoc manifeſtè conceſſit ibidèm, dari motum ad ſubſtantiam, accipiendo motum latè prout amplectitur quamcumque mutationem; ità, accipiendo motum non rigorosè, poſſumus dicere dari motum ad quancumque formam ſentientes cùm Simplicio, & cum Ariſt. dicente, tot eſſe ſpecies motus, quot entis. Quarè autèm in motu rigorosè accepto negauerit Ariſt., & contrà ſimplicium ne-

negat communis ſententia interpretum, eſt; quià ad illud dari dicitur motus, cuius ratione perficitur actus, & in quod terminatur omninò, & ſpecificatur ab eo; vt forma relationis, ceſſante motu, quo producitur, non terminatur independentèr ab alio, quià *relatio eſt, cuius totum eſſe eſt, ad alind referri*. Actus quoquè ſubſtantialis duplex eſt ex ſecundo de an. Tex. 5. alius quidèm ſicùt ſcientia, qui eſt actus Princeps, alius verò ſicùt ſpeculatio, qui dicitur actus ſecundus; motus igitùr ad actum primum ſubſtantiæ non omninò terminatur, quià eſſet fruſtrà, nisì exiret in actum ſecundum; ideò dicitur dari motus ad ſubſtantiam lib. 3., quià hæc per actum primum perficitur; dicitur in præſenti non dari motum ad ſubſtantiam, quià motus non terminatur finalitèr ad actum primum, ſed ad ſecundum, ad quem primus dirigitur; non tamèn ratione ſui, quià ſubſtantia per ſe non eſt operatiua; ſed operatur mediante qualitate, propterea, licèt motus terminetur ad ſubſtantiam, dicitur tamèn terminari ad corpus, vt quantum, aut ad qualiiatem, qua vtitur tanquàm inſtrumento ad operandum; & hæc, quià habet contrarietatem, & indicat formam tanquàm ſucceſſiuè acquiſitam, quæ ſunt conditiones requiſitæ ad motum rigorosè acceptum, dicitur terminare motum, & manifeſtè ad eam dari illum; & non ad ſubſtantiam, ad quam proptèr carentiam contrarii datur mutatio inſtantanea.

Eſto etiam dari motum ad relationem, qua de re non videtur dubitandum, eo modo, quo datur ad ſubſtantiam: tamèn motus, per quam producitur relatio, non videtur terminari ad illam ſimplicitèr, & independentèr; quoniam eius *totum eſſe eſt ad alind referri*; hæc forma igitùr pendet ex alio, ad quod refertur; quod aliquandò mutatur, dùm fit relatio: vt, exempli gratia. caput, vt pars animantis eſt, & corpus eſt natura, & eſt ſubſtantia, ad quam non datur motus, nisì modo prænarrato, aut vt quantæ, & ad eam formam, per quam dicitur caput, præſcindendo a quacumque eius formalitate, datur motus eodem m odo, quo datur ad ſubſtantiam; quæ forma dicitur relatio, cuius *totum eſſe eſt ad alind referri*; nàm, nisì caput referatur ad capitatum, non eſt caput; ſed eſt oſſa, caro, & cerebrum congeſta vt lapidei, aut depicti vt, ait Ariſt. de oculo ſecundo de an. T. 9. sìc motus terminatur ad corpus, & partem corporis, quod eſt ſpecies quantitatis, & dicitur dari ad quantitatem, licèt detur ad relationem; quià relatio non eſt forma abſoluta, ad quam independentèr terminetur motus, ideò motus dicitur ſpecificari ab ea forma, ad quam independentèr terminatur, & quæ ſucceſſiuè aquiritur, & cum aliqua contrarietate, ſaltem parui, & magni: excedentis, & deficientis.

Ad actionem quoque primo modo vt ad ſubſtantiam datur motus; at rigorose non datur, quià motus non terminatur ſimplicitèr ad eam; quippè actio vt talis dicit egreſſum ab agente in paſſum; & eſſet motus motus, ſi eſſet motus ad actionem; quarè non eſt forma terminans, ſed forma fluens: vt vrere, inquit Ariſt., & ſecare. quæ actiones non exeunt in actum niſi mediante calore vrente, & duritie acuta ſecante, & non videtur acquiri ſucceſſiuè, niſi vſtio, & ſectio per calorem &c. vndè dicitur ad actionem non dari motum, & dicitur dari ad qualitatem, quià actio in abſtracto non habet contrarium, vſtio habet, & omnis alteratio, quæ tendit ad qualitatem. Ad paſſionem ſimili modo datur motus, quià eſt eadem forma egrediens ab agente

te recepta in paſſo, at, quià vri eſt per qualitatem, in qua datur contrarietas rigoroſa, & ſucceſſiuè procedens, attenditur qualitas tanquàm terminans motum, non autem paſſio, & attento motu, denominatur alteratio, & non paſſio.

Ad durationem quoquè datur motus, quià res non dicitur durare in primo inſtanti ſui eſſe: & qùm dicat permanentiam rei in eſſe, eſt forma realis ſucceſſiuè acquirenda, qua ratione ſaltem terminat motum, & eſt capax ſucceſſionis priuatiuè, quæ eſt in tranſitu de non eſſe ad eſſe; tamèn, quià videtur etiàm poſſe carere ſucceſſione, & de formali dicit tantùm permanentiam poſitiuam in exiſtentia, quæ refertur ad menſuram, motus ad eam concipitur tanquàm ad quantitatem.

Ad ſitum quoquè datur motus. imò ſitus eſt talis diſpoſitio in loco, vt videatur imperceptibile, quomodò res poſſit moueri ad vbi, quin etiam mouetur ad ſitum. imò, vt ſuprà relatum eſt, in cælo non videtur dari motus niſi ad ſitum; tamèn, quià acquiſitio nouæ formæ, quæ dicitur ſitus, videtur terminari ad vbi partium, & ex contrarietate vbicationum earum, ideò motus, quo acquiritur, dicitur terminari ad locum, & non ad ſitum.

Tandem terminatur ad habitum, quæ forma acquiritur ſucceſſiuè, cùm priùs ſit eſſe rei, quàm haberi, & repugnat aliquam entitatem realem recipi in ſubiecto, quin illud mutetur aliquo pacto; at mutatio ſucceſſiua eſt motus, qui terminatur ad hanc formam, quæ dicitur habitus. Verùm quoniàm per hoc prædicamentum res vltimam perfectionem recipiunt, vndè etiam formæ ſubſtantiali vt animæ conuenit hoc accidens, & ab eo denominatur habitus vltimus (ità enim ſonat noua vox ab Ariſt. vſitata *entelechia*) & aliàs per habitum res denominantur quales: idcircò iuxtà rationem rei, cuius eſt habitus, & quod dicitur haberi, motus ad habitum dicitur terminari, vel ad ſubſtantiam, vel ad qualitatem, ac eorum ſequitur naturam; &, ſi, quod habetur, eſt ſubſtantia, ſequitur ſubſtantiæ conditionem, & impropriè dicitur dari motum ad eum, ſi id, quod habetur, eſt qualitas, dicitur dari motum ad habitum propriè tanquàm ad qualitatem; ſic deinceps de cæteris prædicamentis ſequitur eorum conditiones ſuprà narratas. nullum enim accidens dicitur inhærere ſubſtantiæ, nisì per hanc formam, quæ dicitur habitus; nec ſubſtantia perficitur, niſi per hanc formam accidentalem, per quam habetur ſubſtantialis; velutì per quantitatem eſt quanta, per relationem eſt ad aliud, per qualitatem qualificatur, per actionem agit, per paſſionem patitur, per durationem perſeuerat in exiſtentia, per locum locatur, per ſitum poſitionem habet. quod præſertìm manifeſtum eſt per formam ſubſtantialem ſeparabilem, vt eſt anima rationalis, quæ non informat, nisì per huiuſmodi accidens, quod dicitur habere, ideoque definitur ab Ariſt. per nomen *entelechia*, quod latinè ſonat vltimum habitum. non, quòd ipſa anima ſit accidens, nequè quòd hoc accidens ſit forma; ſed quod hæc forma ſeparabilis per huiuſmodi formam accidentalem vniatur corpori naturali, & habeat illud tanquam inſtrumentum vt T. 37. ſecundi de anima *omnia corpora naturalia ſunt animæ inſtrumenta*, ſed non omnia habentur; & poteſt anima rationalis de potentia Dei eſſe præſens in corpore naturali organico potentia vitam habente, & non informare illud proptèr defectum iſtius accidentis, quod dicitur habitus; ità poteſt anima eſſe per ſuum vbi definitiuum in organi-

nico, & tamèn illud non informare, nec eleuare illud à forma cadaueris; qui habitus per præuias diſpoſitiones educitur, & ità ſucceſſiuè per motum acquiritur, & motus terminatur ad illum; at; quià hic non eſt vltimus terminus agentis naturalis proptèr finem,per quem vnione, ſeù habitu tendit in compoſitum, quod verè eſt hoc aliquid; ideò motus ad habere dicitur terminari ad ſubſtantiam; & ſucceſſiuè, ac motu rigoroſo ad quantitatem; & propter actum ſecundum, ad quem ordinatur primus,dicitur termini ad qualitatem; & tanquàm ad finem vltimum intentum ab ordine vniuerſi, dicitur terminari ad vbi, & locum naturalem. Ad quantitatem proptèr modum virtutis, & formæ: vt viſus dicitur forma, & quod quid erat eſſe oculi, & ſubſtantia ſecundùm rationem ex ſecundo de anima T. 9. & in maiori quanto maior eſt virtus, in minori minor; ſic modus virtutis in actu primo conſiſtit in quantitate, in actu ſecundo conſiſtit in qualitate; & vltima perfectio immobilis in loco, ſeù vbi. ſic motus ſumit ſuam ſpecificationem à termino, ad quem independentem, & non confuſum, & ab huius termini vnitate numerica mobilis, & formæ ſuam habet vnitatem numericam.

De indiuiſibilibus.

Loquens Ariſt. de motu dixerat de principiis, & cauſis eius tàm intrinſecis, quàm extrinſecis: & de diſtinctione ſpecifica, & numerica. procedens igitùr ad partes integrantes eiuſdem motus, vt qui continuus eſt; priùs vniuerſalitèr loquitur de continuo, quod proportionalitèr ſe habet ad motum, tempus, & magnitudinem: in magnitudine, tamèn magis manifeſta eſt continuitas, & diuiſio: ideò de cæteris, prout proportionem habent ad eam, ratiocinandum: de continuitate verò magnitudinis diſſerendum. Hanc, ait Ariſt., eſſe diuiſibilem in ſempèr diuiſibilia, quod hac ratione probat: ſi continuum conſtaret ex indiuiſibilibus, ſeù atomis, vel hæc indiuiſibilia conſtituentia continuum eſſent continua, vel contigua, vel conſequentèr ſe haberent. ſed indiuiſibilia nullo ex his modis poſſunt conſtituerè continuum. ergò nulla ratione conſtituunt. Patet conſequentia; quià nullus modus alius eſt, quo hæc indiuiſibilia poſſint inuicèm ſe habere. Minor probatur, quod non ſint continua; quià continua ea ſunt, quorum vnus eſt terminus, hæc autèm indiuiſibilia, non haberent omnia eundem terminum: probatur non eſſe contigua; quià ea ſunt contigua, quorum termini ſunt ſimùl, ſed indiuiſibilia carent terminis, & extremis, ergò neque continua, neque contigua eſſe poſsunt. quod verò non poſſint ſe habere conſequentèr, probatur, quià ea dicuntur ſe habere conſequentèr, quæ intèr ſe nullum admittunt medium eiuſdem generis; ſed intèr quælibet duo puncta eſt media linea, ergò

gò nulla ratione duo puncta poſſunt conſequentèr ſe habere. Huius argumenti minorem propoſitionem probat Ariſt. ſi inter duo puncta indiuiſibilia nulla linea intermedia eſſet, hæc indiuiſibilia ſe inuicèm tangerent. Sed indiuiſibilia non poſſunt ſe inuicèm tangere, ergò aliquid admittunt intermedium. Minor huius argumenti probatur; quià, ſi hæc indiuiſibilia ſe inuicem tangunt, ſe tangunt ſecundùm totum, vel ſecundùm partem; ſi ſe tangunt ſecundùm partem, iam patet non eſſe indiuiſibilia, ſi habent partem tangentem, & partem non tangentem; ſi tangunt ſe ſecundùm totum, ergò datur penetratio corporum, & conſequens ſecundum punctum paritèr tanget ſecundùm totum, & tertium, & deinceps omnia indiuiſibilia conſequentia erunt in primo puncto, & eſſet linea non habens in longitudine partem extrà partem loci occupatiuam; vndè ſequitur continuum non poſſe conſtare ex indiuiſibilibus; &, quod ſequitur in magnitudine, ſequitur etiàm in motu, & tempore, quæ proportionalitèr ſe habent inuicèm; nàm motus fit per magnitudinem, & partes motus per partes magnitudinis; & motus fit in tempore, & partes motus in partibus temporis: ſic conſequentèr ſe habent magnitudo motus, & tempus, &, quod probatum eſt de magnitudine, non conſtare ex partibus indiuiſibilibus, ſeù atomis, probatur etiàm de motu: nàm motus habet terminum à quo, & terminum ad quem, & priùs eſt moueri corpus, quàm motum eſſe in motu ſucceſſiuo; ſed priùs, & poſteriùs non poſſunt eſſe in indiuiſibili, ergò motus non poteſt conſtare ex partibus indiuiſibilibus; ex quo probatur etiàm de tẽpore non conſtare ex partibus indiuiſibilibus, quoniàm eſt numerus motus ſecundùm priùs, & poſteriùs, quod priùs, & poſterius non datur in duratione indiuiſibili, ergò tempus non componitur ex partibus in diuiſibilibus, ſed ſequitur conditionem magnitudinis, & motus.

Hæc eadem axiomata, videlicèt continuum non conſtare ex indiuiſibilibus (intelligendo continuum commune quid ad magnitudinem, motum, & tempus) probat aliis mediis Ariſt. apparentibus in his continuis. Intèr, quæ primum eſt dari motum velociorem, & tardiorem, quod eſt ſenſu manifeſtum, & patet, motum velociorem eſſe, in quo mobile eodem tempore tranſit maius ſpatium, vel æquale ſpatium in minore tempore; & nulla eſt determinata velocitas motus, nàm quodcumque mobile graue, quò magìs accedit ad centrum, velociùs mouetur, ſic dato per hypoteſim non inueniri centrum, quod ſit terminus ad quem, aut dato termino à quo in maiori, ac minori imaginabili diſtantia, non poſſumus immaginari motum tantæ velocitatis, quo non poſſit dari velocior; & ſic quod non poſſit in minore & minore tempore aliquam quancumque magnitudinem pertranſire; ſic, data quacumque velocitate, poteſt dari maior in mobili, quocumque deſignato tempore poteſt deſignari minor; &, quacumque magnitudine data minima, ſempèr minor adhuc dari poterit, quam mobile tardius æquali tempore pertranſeat; & tempus, motus, & magnitudo eodem modo ſe habent ad rationem finiti, aut infiniti, ità vt, ſi vnum eſt finitum vt magnitudo, erit etiàm tempus, & motus; &, ſi eſt infinita magnitudo, erit etiàm infinita velocitas, & duratio. eadem enim eſt ratio continui in magnitudine, in motu, & in tempore; &, ſi datur magnitudo minima indiuiſibilis, dabitur etiàm duratio indiuiſibilis, & velocitas ad maximum determinata; quæ dari poſſint, nec nè, eſt in

via

via peripatetica ad hùc indeterminatum, & valdè controuerſum. non tamèn ſinè acutiori diſcuſſione prætereundum, etiàm ſi inutilis quæſtio, & medicæ conſiderationis limites prætergrediens videatur; quod in magnitudine diſcutiendum: qùm eius conditiones ſequantur tempus, & motus. Idque in via peripatetica, quam profitemur; in qua concludendum eſſe remur continuum quodlibet, ſed primariò magnitudinis conſtare ex partibus indiuiſibilibus finitis ità, vt maior magnitudo plures habeat partes indiuiſibiles, ſeù atomas, & minor pauciores vt Democritus, & pænè omnes celebriores Philoſophi poſuere, & Ariſt. ad eorum ſenſum concederet.

Probatur primò ex Ariſt. qui T. 86. octaui phyſ. ait, oſtenſum eſſe in phiſicis, non dari magnitudinem infinitam; & ibì concludit in magnitudine finita non eſſe infinitam potentiam; non ergò finita magnitudo poterit continere partes potentia infinitas, quià contineret potentiam infinitam; quod ſi reſtringatur hæc potentia ad eam, quæ eſt mouendi proptèr rationem communem continui cuiuslibet, quod habet determinatam potentiam mouendi ad determinatam magnitudinem reſpondentem, habebit etiam ad diuiſionem: ſic ex ſententia Ariſt. non videtur poſſe dari magnitudo diuiſibilis in infinitum neque cathegorematicè, nec ſyncathegorematicè. Secundò eſſe, ait, pauciora, & finita recipere magis plauſibile.

Item Ariſt. 3. phyſ. T. 60. ait, infinitum ſecundùm appoſitionem ità eſſe, vt ſecundùm diuiſionem; ſed ſecundùm appoſitionem magnitudo vniuerſi eſt finita, & limitata; ità vt extrà nihil eſſe affirmet Ariſt., ergò erit vltima, & limitata etiam in diuiſione. Infinita enìm duo poſuiſſe Platonem dixit T. 26. tertii phyſ. nempe magnum, & paruum; ſi igitùr in natura non conceditur magnitudo infinita in exceſſu, & magno, nec etiàm erit in defectu; & paruo.

Item ex Ariſt. primo de anima T. 13. proprium recti eſt, vt rectum eſt, tangere æream ſphæram ſecundùm punctum. ſed iſtud rectum ſphæram tangere vbique poteſt, ergo vbique ſunt puncta in ea. Idem probat Euclides lib. 3. prop. 16.

Quarto 8. phyſ. ex eo probat Ariſt., debere dari mouens primum, quod moueat, & non moueatur; & dandam primam cauſam, ne detur proceſſus in infinitum. Ergò eadem ratione nos poſſumus vti dicentes, deueniendum eſſe ad vltimam diuiſionem, & ad corpora indiuiſibilia, ne detur proceſſus in infinitum.

Quinto, ſi non darentur hæ partes atomæ, ex quibus componitur continuum, pars eſſet æuqalis toto; &, ſi ab æqualibus demerentur inæqualia, tamèn, quæ remanent, eſſent æqualia; quælibet enìm pars, vt totum eſſet diuiſibilis in infinitum, & granum milij tot partes haberet, quot vniuerſus orbis terrarum.

Sexto, ſi continuum diuideretur in partes proportionales, ſequeretur partem maiorem eſſe, quàm ſit totum: nàm dematur exempli gratia ex aliquo toto pars octaua; & id, quod remanet, diuidatur in partes decem; pars octaua priùs dempta erit maior, quàm cæteræ decem partes; &, ſi deinceps hæ vndecim partes diuidantur, erunt diuiſibiles in partes proportionales æquè infinitas numero, & totum derelictum, & diuiſum in decem, & tamen partes eius proportionales erunt maiores, quàm cæterarum partium.

Septimo ex ſententia Zenonis, ſi continuum eſſet diuiſibile in ſemper diuiſibilia, nullum ſpatium poſſet pertranſiri; nàm ſemper eſſet tran-

tranſeunda medietas ſpatij, & medietas medietatis; & ſic nunquàm daretur vltima medietas, quæ poſſit ſuperari, quod eſt contrà experimentum. & huic ſimilia incommoda innumera feruntur, & ferri poſſunt ab impugnantibus continuum conſtare ex partibus indiuiſibilibus.

Tamèn ex aduerſo multæ ſunt, ac validæ auctoritates, ac ratiocinationes laborioſæ, & primò, vel hæc indiuiſibilia eſſent ſubſtantiæ, vel accidentia. Si dicantur ſubſtantiæ, vel erunt ſimplices, vel compoſitæ; ſi ſint ſubſtantiæ compoſitæ, repugnat, & eſt inintelligibile, quomodò ſint compoſitæ, & indiuiſibiles. nàm ſaltèm ſunt diuiſibiles in ea, ex quibus componuntur; ſi ſint ſubſtantiæ ſimplices: etiam ex Ariſt. 2. de an. T. 3. ſubſtantiæ maximè videntur corpora, quæ ſunt diuiſibilia ſecundùm trinam dimentionem. ſi dicantur hæc indiuiſibilia accidentia; qùm nullum accidens ſit extrà ſubiectum, erunt in ſubiecto, & hoc erit ſubſtantia, quæ, vt ſit proportionata accidenti, expoſcitur indiuiſibilis, quam, probatum eſt, non dari.

Secundo Ariſt. 5. phyſ. cap. 2. & primo phyſ. T. 17., & primo cæli ait, continuum eſſe diuiſibile in ſempèr diuiſibilia; ergò, quibuſcumque partibus datis, per ſeparationem aliæ, atque aliæ neceſsariò dandæ ſunt per ſeparationem in infinitum diuiſibiles. &, quià perfectè plano corpore, a perfectè ſphærico corpore vbiquè tangi poſſunt hæ partes, nec eſt aſſignabilis pars aliqua in plano, quæ non ſit tangibilis in puncto, ſequitur omnes has partes eſſe actu infinitas, quod repugnat Ariſtotelis doctrinæ, & rationi. Nequè enim ex nunc eſt tempus, nequè linea ex punctis, nequè motus ex momentis 6. phyſic. Text. 88.

Tertio Indiuiſibile additum indiuiſibili non facit illud maius, ergò nullum continuum poteſt conſtare ex indiuiſibilibus, vt refert Ariſt. 6. phyſ. T. primo.

Quarto Euclides ait lib. primo elem. ſuprà quamlibet lineam rectam poſse deſcribi triangulum, quod eſse non poſset, niſi continuum conſtet ex partibus infinitis, probant hoc modo. Baſis eſt pyramidis maxima, & lineæ facientes angulum, quò magis eleuantur a baſi, eò ſunt proximiores: data igitùr baſi decem punctorum a lineis conſtitneutibus angulum viginti punctorum: ſi hæ lineæ, quò magìs eleuantur à baſi, ſunt proximiores, ad minùs poſsunt vno puncto approximari; qùm igitur à puncto ſupremo pyramidis A deducantur lineæ conſtituentes pyramidem talem per vnum indiuiſibile, quandò lineæ conſtituentes pyramidem deuenerint ad B erunt deductæ decem indiuiſibilium latitudine, ſic linea. B. & linea. C. erunt æquales, quod eſt contrà Euclidis aſſertum, dicentis lineas conſtituentes pyramidem eò minùs diſtare intèr ſe, quò magis elongantur a baſi.

Quinto ex Euclide 6. elem. quælibet linea poteſt diuidi in partes æquales, in quot poteſt diuidi alia, & lib. 8. prop. 10. quælibet linea poteſt diuidi in duas partes æquales: quod eſſe non poteſt, niſi quælibet linea materiam abunde præberet pro diuiſione in infinitum: nàm, quæ conſtaret ex numero impari, non poſſet diuidi in partes æquales.

Sexto, datis duobus circulis concentricis, tot ſunt puncta in circulo minori incluſo, quot in maiori includente, ſi puncta dicantur finita numero in vnoquoque. quare hi circuli erunt æquales, quod eſt contra euidentiam quamcumque, probatur conſequentia, nàm lineæ a

centro ductæ ad maioris circuli circumferentiam tangunt minorem in puncto; ſed a quolibet puncto minoris circuli poteſt duci linea ad centrum: ergo tot erunt puncta in maiore circulo, quot in minore.

Septimo ex Ariſt. 6. phyſ. T. 8. ſi linea conſtaret ex ſolis punctis, non daretur motus velocior, & tardior, ſed hoc dicere eſt abſurdum, & contrà ſenſum; ergò falſum eſſe dicendum eſt potiùs, lineam conſtare ex ſolis punctis. Maio: patet quià motus velocior eſt, quo mobile eodem temporis ſpatio maiorem ſuperat ſpatium, aut minori æquale, & reſpondent ſibi inuicem magnitudo, tempus, & motus ex primo phyſ. T. 17. ergò in motu ſucceſſiuo reſpondet indiuiſibile temporis indiuiſibili magnitudinis, ergò tàm mobile velocius, quàm tardius, motu ſuppoſito ſucceſſiuo, centum puncta magnitudinis centum punctis ſpatij pertranſibit: ſic non dabitur mobile velocius, ac tardius.

Octauo: ſi diamater conſtaret ex indiuiſibilibus, diamater quadrati eſſet commenſurabilis, & æqualis vni lateri ipſius quadrati, ſed hoc ex Euclide eſt falſum, ergò continuum non conſtat ex indiuiſibilibus. Probatur ſequela maioris, ponendo lineam lateris latam ſeptem punctis, & ducantur ſeptem lineæ a latere ad latus: hæ ſecabunt diamatrum ſeptem punctis, tot igitur punctis conſtabit latus, ac diamater.

Pro dirimenda hac celebri quæſtione, quam conſequntur quæſtiones difficillimæ, & inextricabiles in philoſophia, nonnulla præaccipienda ſunt ad conciliationem diſputantium conducentia.

Primò autèm ſupponendum eſt, quandò Ariſt. ponit principia rerum naturalium formam, & priuationem, poni ab eo ſub ratione communi ad ſubſtantiam, & ad accidentia, & ità de media materia eſt intelligendus, quùm, ait, non eſſe intelligibilem, niſi per ſimilitudinem, ità ad formas accidentales datur materia proportionabilis, vt eſt genus ad ſpecies. ſic quantitas eſt materia figuræ: figura eſt materia ad triangulum, & quadrangulum, & priùs eſt eſſe quantitatis, quàm figuræ, & priùs figuræ, quàm trianguli: potentia enim præcedit actum.

Secundò ſupponendum, indiuiſibilia duobus modis poſſe concipi; vno modo, vt creduntur Zeno, Democritus &c. accepiſſe, tanquàm materiam vniuerſi, quæ non eſt quid, nec quale, nec quantum; alio modo ſub ratione quanti, non vt quod, aut quo, quæ non habeant effectum ſecundarium quantitatis, qui eſt extenſio, ſed primarium habeant nempè impenetrabilitatem, cui non competit extenſio, ſed eam fundat pendentem ab eſſentia quantitatis, quæque ſint minima quidèm, vt vnitates, ſed quæ diuidi non poſſint; ſed infrà quæ ſit nihil quantitatis, quæ deſinat in non quantum, vt color in perſpicuum.

Tertio ſupponendum corpora indiuiſibilia in prima ratione quantitatis præſcindere à quacumque figura; ità vt, licèt à Democrito ponerentur rotunda, ità ponebantur ob conceptum inangularem, non autèm per poſitionem periferiæ; nàm corpora atoma in primo conceptu quanti nullam habent figuram: veluti materia in primo conceptu nullam habet formam; figura enim eſt qualitatis ſpecies, non quantitatis, & ſupponit quantitatem præcedentem.

Quarto ſupponendum, corpora, & magnitudines alio modo conſiderari à naturali philoſopho in ſcientia de natura vt ait Ariſt. primo Cæli Tex. primo, alio modo à matematico, qui conſiderat magnitu-

tudines ex abſtractione, in qua non datur motus.

Quintò ſupponendum etiàm magnitudines à naturali philoſopho conſiderandas alias eſſe ſenſibiles, alias inſenſibiles; vt arenæ granum eſt corpus ſenſibile, & granum pulueris tormentarii eſt ſenſibilis quantitatis; at, dùm incenditur, abit in particulas; quæ non nisi reſolutæ in lucem ſenſibiles ſunt, vltrò verò fiant inſenſibiles.

Sexto ſupponendum, quod ſuperiùs in definitione naturæ relatum eſt, naturam eſſe principium motus, & quietis copulatiuè, vt quæ tradit modum motus per admixtionem quietis; quæque enim mouentur, etiàm quieſcunt, & quieſcunt, vt moueantur ex Ariſt. 6 phyſ. T. *67. 68. 69*.

Septimo ſupponendum per motum ſucceſſiuum non debere nos intelligere motum ſinè admixtione itermediæ quietis, quià hoc non poteſt eſſe; niſi, vt ſuprà explicatum eſt, in primo mobili, & in hoc non ſimplicitèr, ſi omne agens agendo repatitur, credi enim poteſt, dùm orbes inferiores agit raptu, ipſum quoquè aliquid pati, & retrouerti, aut retardari; ſed debere intelligere motum, in quo morulæ ſunt inconſpicuæ.

Octauo ſupponendum: veluti ex materia, & forma, quamuis ſint entia incompleta, poteſt fieri ens completum; ità ex indiuiſibilibus corporibus, licèt ſint entia non extenſa, poſſe conponi ens extenſum.

Nono ſupponendum, aliud eſſe indiuiſibile ſecundùm formam, aliud ſecundùm quantitatem, & materiam. ſecundùm formam eſt diuiſio numerica, vt homo vnus, & vnus equus, & quæcunque vnitas eſt, vt talis, indiuiſibilis, ſiuè ſit numerica, ſiuè ſpecifica, ſiuè generica: nàm, licet vnum genus ſit diuiſibile, non eſt diuiſibile in plura genera; ſed in ſpecies, & tùnc non conſideratur, vt vnum, ſed vt totum quoddam. Indiuiſibile autem ſecundùm quantitatem, & materiam in mixtis habet minimum phyſicum, ità & in ſimplicibus. tamèn minimum mixti maius eſt, quàm minimum ſimplicis.

Quibus poſitis, concludendo continuum conſtare ex partibus indiuiſibilibus, vt probant argumenta primo loco allata, reſpondetur argumentis in contrarium adductis.

Ad primum Reſpondetur hæc indiuiſibilia eſſe ſubſtantiam, ſed quantam; & eam tàm poſſe eſſe compoſitam, quàm ſimplicem: ità tamèn vt compoſita ex octauo ſuppoſito intelligatur minimum quid phyſicum indiuiſibile ſecundùm formam, non ſecundùm materiam, ità vt detur minimum ligni, quod tamèn, ſi non eſt diuiſibile in partes ligneas, ſit diuiſibile in elementa lignum componentia; ſubſtantia verò ſimplex diuiſibilis ſit in ignem, & ignis in lucem, & lux in quid innominatum, vt æther, cuius ſint minimæ partes, æquè indiuiſibiles.

Ad ſecundum, reſpondetur continuum ex Ariſt. locis citatis poſſe ſumi pro ſubiecto, & prædicato. atquè, ſi ſumatur pro prædicato, non impugnare noſtram concluſionem, quià concedimus, quod eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia, eſſe continuum: non tamèn concedimus in ratione ſubiecti continuum eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia vt Ariſt. cauet lib. 1. Cæli T. 4.

Et ſi quis obijciat, in ænunciatione recta ſempèr ſubiectum præcedere prædicatum, & ſempèr eſſe ſupponendam enunciationem rectam. Reſpondetur non eſſe gratis coercendam enunciationis figuram; ſed, quandò habetur iuxta cauſa eam coercendi, nullum eſſe inconueniens, ſi accipiatur ſubbiectum

Hh 2 pro

pro prædicato, aut prædicatum proſubiecto; prout videtur doctrinæ præ manibus habitæ magis conſonum. Et Ariſt. primo Cæli T. 4. apertis verbis inuertit hanc enunciationem, aut ſaltèm cauſam præbet eam euertendi, dùm ait, quaſcumque magnitudines diuiſibiles eſſe continuas, at non dùm eſſe manifeſtum: an omnes magnitudines continuæ ſint diuiſibiles.

Si verò addatur ex ſexto phyſ. T. 22. & 23., & alibì, vbì apertis verbis ait, nullum continuum eſſe impartibile: dicimus nos hæc indiuiſibilia à nobis poſita non eſſe continua; ſed ex his componi continuum: itàvt continuum diuidatur in ſemper diuiſibilia, dùm permanet ſub ratione continui; at, dùm diuiſio deueniat ad hæc indiuiſibilia, non eſſe ea amplius continua; ſed materiam continui; velutì dùm Ariſt. aſſerit, quamlibet partem mixti eſſe mixtam, hoc verum eſt, dùm mixtum permanet in ratione mixti, & partes ſub ratione partis; quià eadem eſt ratio totius, & partis; at quandò, diuidendo mixtum deuenerimus ad vltimum phyſicum, ſub ratione mixti, ſi vltrò diuidatur mixtum, diuidetur in miſcibilia elementa, quæ non ſunt mixta, quià non ſunt partes mixti, ſed ſunt materia mixti. vndè, dùm mixtum reſoluitur in elementa, non reſoluitur per diuiſionem, ſed per corruptionem; ità, dùm diuiditur continuum, ſempèr diuiditur in partes diuiſibiles; ſed, quandò diuiditur in indiuiſibilia amittit rationem continui, & quodam modo dicitur corrumpi, & non diuidi. Ad auctoritates Ariſt. dicentis, lineam non conſtare ex punctis, nec tempus ex nunc, nec motum ex momentis, conceditur, intelligendo indiuiſibilia pro meris negationibus vlterioris proceſſus; tunc enim ſunt nihil, & ex nihilo nihil fit, at nos accipimus punctum, nunc, & momenta in magnitudine, vt vnitates in numeris. Vel tandèm eſt diuiſibile continuum in ſempèr diuiſibilia, quià quod apparet indiuiſibile ad ſenſum, eſt diuiſibile ſecundùm rationem; & partes diuiſæ ſecundùm rationem non poſſunt concipi niſi ſub ſpecie vltimæ quantitatis ſecundùm ſenſum, quià nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu; ſic per circulum à ſenſibili ad rationale euadit perpetua diuiſio. at, ſi per rationem deueniatur ad vltimam diuiſionem, non per conceptum ſenſibile; ſed, quià ratione aliàs tradita ab Ariſt. meliùs eſt finita recipere; & nè detur proceſſus in infinitum, & ad euitanda abſurda ſuperiùs narrata, non ſequitur hæc diuiſio in ſemper diuiſibilia, niſi modo ſuperiùs narrato.

Ad Tertium argumentum ex auctoritate Ariſt. indiuiſibile additum indiuiſibili non facere illud maius, nec diuiſibile, conceditur de indiuiſibili, cui additur, & de indiuiſibili, quod additur, non fieri maius, & neutrum fieri diuiſibile; negatur tamèn aſſertum de magnitudine, quæ conſurgat ex ambobus indiuiſibilibus. Vel dicendum eſt indiuiſibile additum indiuiſibili non facere illud maius, & diuiſibile ſenſibilitèr, namquè nequè etiam mille ex his indiuiſibilibus ſimùl compoſitis, & aggregatis augere poſſunt continuum quidquam ſenſibilitèr; & ità credere dignum eſt, intellexiſſe Ariſt. namquè eſt inintelligibile aliàs, quomodò aliquid addatur alteri, non faciat illud maius ſecundùm rationem, ità vt de eo habeatur etiàm veritas metaphiſica. aliàs, quod appellant indiuiſibile, eſſet merum nihil, & non indiuiſibile, de quo ſi intelligeret Ariſt. eſſet aſſertum eluſorium, & philoſophia indignum.

Ad quartum argumentum de triangulo non recto, cuius baſis ſit de-

decem punctorum, & latera viginti. Reſpondetur lineas à baſi tendentes ad cuſpidem pyramidis non eſſe prorsùs rectas, quandò latera trianguli longiora ſunt, quàm baſis; quià progredientes ad cuſpidem illæ dicuntur minores, quæ ſaltèm puncto vno baſi reſpondent, aliæ verò alternatìm erunt æquales: quià non poteſt dici minor linea nisì, quæ ſaltèm vnum contineat indiuiſibile minus, quàm altera contineat ex prop. 23. primi Euclidis latera iſocælis partìm ſunt parallelæ, partìm non parallelæ lineæ. Nequè hoc eſt contrà Euclidis aſſertum dicentis, lineas conſtituentes pyramidem, eò minùs diſtare intèr ſe, quò magis elongantur à baſi: quià lineæ, quæ æqualitèr diſtant, non conſtituunt pyramidem, nisì quatenùs minùs diſtant intèr ſe, & eatenùs minùs diſtant, intèr ſe; quatenùs ſaltèm per vnum indiuiſibile approximantur: quam diſtantiam intèr has lineas metimur à baſi, tanquàm menſura indiuiſibilium. videtur autèm quælibet linea a baſi ad cuſpidem recta, quià inæqualitas eſt inconſpicua; at etiàm ad ſenſum quæcumque recta linea, ſi microſcopio conſpiciatur, apparebit inæqualis; tantò igitùr magis rationi conſentaneum eſt inæquales eſſe illas, quæ a baſis menſura metaphiſica inæquales iudicantur; & matematica demonſtratione oſtenduntur tales.

Ad quintum Argumentum ex Euclide Reſpondetur, lineam poſſe diuidi in partes æquales quo ad ſenſum, non autèm ſecundùm rationem; nam linea quæ conſtet ex ſeptem punctis inintelligibile eſt, quomodò poſſit diuidi in partes æquales: ad ſenſum tamèn conceditur, quia in quacumque minima diuiſione mille puncta indiuiſibilia addita alteri parti diuiſæ non augent illius magnitudinem ſenſibilitèr adeò, vt ea pars, cui mille puncta indiuiſibilia ſint addita, quicquàm maior altera appareat, vt patebit per ophticam demonſtrationem ſuo loco: vbi oſtendam ea corpuſcula, quæ Ariſt. primò de Anima T. 20. atomos appellat, quæ conſpiciuntur per feneſtras, vt ipſe ait, quodlibet continere plures athomorum miriadas.

Ad ſextum de circulis includente, & incluſo dico, eſſe inintelligibile, quomodò incluſus ſit æqualis includenti; & hanc ſolam eſſe oſtenſionem ſatis ſenſatam ad oſtendendum lineas conſtare ex partibus indiuiſibilibus finitis. Ad demonſtrationem. Reſpondetur, concedendo à centro poſſe duci ad quamcumque partem circumferentiæ maioris circuli lineam, & eam lineam, vbicumque trahatur, ſecare minorem circulum in puncto. at negatur omnes lineas à maioris circuli periferia ducibiles poſſe peruenire exercitè ad centrùm; imò nequè ad periferiam minoris circuli omnes; ſed tot, quòt puncta contineat periferia minoris circuli. Itaque ſententia Euclidis intelligenda eſt de linea ſingulari, quæ ſeorsìm poteſt trahi à centro ad periferiam maioris circuli, tangendo periferiam minoris circuli in puncto: & ſingularitèr vera eſt propoſitio ad quodcumque punctum vniuerſæ periferiæ maioris circuli: non tamèn hoc intelligit Euclides de lineis à quocumque puncto cumulatiuè. nàm ad periferiam minoris circuli non poſſunt peruenire nisì tot lineæ, quot puncta continet periferia eiuſdem; aliàs lineæ inuicèm penetrarentur, quod non eſt dicendum; quià, licèt linea non habeat ad latera extenſionem vllam, hebet tamèn impenetrabilitatem; quod ſatis eſt, nè admittantur omnes lineæ, quotquot ducibiles ſunt à periferia maioris circuli.

Ad ſeptimum Argumentum de

mo-

motu velociore, & tardiore neganda eſt conſequentia maioris, ad probationem, reſpondetur, in motu dari morulas intermedias, quæ ex ſuppoſitis non tollunt motum ſucceſſiuum, qui eſt, quandò morulæ ſunt inconſpicuæ, & imperceptibiles ad ſenſum. quarè natura dicitur principium motus, & quietis, quià per has intermixtas morulas tribuit modum motui. Ideò que aquila citiùs, & minore tempore magnitudinem ſuperat, quià pauciores morulas intermiſcet; teſtudo verò plurimas, & vtriuſque motus eſt ſucceſſiuus, quià in motu etiàm teſtudinis morulæ iſtæ ſunt imperceptibiles ad ſenſum.

Sed contra huiuſmodi reſponſionem grauis opponitnr inſtantia, namquè, ſi motus velocior, & tardior procederet ex morulis intermixtis: rota, dùm mouetur in girum, diſcompaginaretur: quià, dùm pars propè centrum quieſceret, ea, quæ eſt in maiori periferia moueretur: ſic ex neceſſitate diſtingueretur.

Reſpondetur, non diſcompaginari proptèr morulas vniformitèr difformitèr multiplicatas ad centrum rotæ, quæ mouetur. ſequeretur autèm diſcompaginatio manifeſta, ſi partes rotæ centro proximiores aliquod offenderent impedimentum, ex quo non poſſent proportionalitèr per motum occurrere diſcompaginationi, nec poſſent continere naturalem partium connexionem, ex qua naturali partium connexione impeditur diſcompaginatio, & iuxtà nexum materiæ validiorem, aut infirmiorem infertur vis corpori impedienti; & indè oritur vis multiplicata in mechanicis; & in hoc conſiſtit ſtateræ ratio.

Sit aſta. A. tanquàm pars rotæ C quæ moueatur in centro. B. præſupponere oportet in tota aſta ab A. ad B. dùm mouetur D. dari morulas: aliàs fieret motus in inſtanti: attamèn morulæ plures ſunt ad centrum B. vniformiter difformitèr ab A. ad B. Itaque, ſi aſta liberè moueatur, non ſequitur diſcompaginatio, quià morulæ conſequuntur iuxtà exigentiam motus, & compaginationis. At, ſi daretur aliquod impedimentum, vt eſſet pondus. F. naturalis connexio materiæ, ex qua iſta conſiſtit, vim facit, ad impediendam diſcompaginationem, qua vi impedimentum mouet, quæ vis illata maxima eſt in B. magna in. F. minor in E. adhuc minor in D. & minima in C. quoniam quò magìs impedimentum diſtat a centro, eò pauciores morulas habet: & motus aſtæ exuperans minor eſt ad inferendam vim ei parti, quæ eſt in C. & ad inferendam vim parti, quæ eſt in F. concurrunt omnes partes aſtæ E. D. C., & proportionalem exigunt motum; aliàs, vel aſta diſcompaginatur, & rumpitur; vel impedimentum in. F. ſuperatur; nec vlla alia ratio videtur poſſe aſſignari maioris vis illatæ in aſta ex parte .A. quàm ex parte .F. niſì plurium indiuiſibilium partium concurſum ad vim faciendam parti. F. Dùm enim aſta A. mouetur, plura indiuiſibilia prætergreſſa ſunt lineam rectam ab A. ad B. vndè maiorem vim inferunt, & obſiſtunt diſcompaginationi illatæ in .A. quàm in C. D. E. F. quarè, quod mouet, quo magìs longè à centro vim infert, eò maiorem vim centro infert, & proportionalitèr partibus ad centrum tendentibus. cætera omnia, quæ paſsìm referunt de vi mechanica, experimenta ſunt inania, non autèm rationes quicquam concludentes.

Ad octauum Argumentum de diametro reſpondetur, corpuſcula atoma indiuiſibilia actum tantùm quantitatis accepiſſe, non tamèn figuræ; vndè ipſa per ſe nullam poſſunt conſtituere figuram:

ſed ad conſtituendum quadratum neceſſaria eſt alia forma, & concurſus, nàm à Zenone ponebantur ea corpuſcula materia vniuerſi, quæ per ſe nullum habet actum; nos tamèn rationi materiæ primæ, quæ non eſt quid, nec quale, nèc quantum, tribuimus actum quantitatis, ſed quantitatis indeterminatæ, & ſinè figura. vndè ad conſtituendum quadratum neceſſaria eſt alia forma ſuperueniens, quaproptèr quadratum non poteſt conſtare, niſi ex minimis quadratis, vt eadem ſit ratio totius, & partis; ſic diamater habet communem menſuram, non partem indiuiſibilem, ſed minimum quadratum; ſic reſpondet menſura diametri minimi quadrati conſtituentis menſuræ diametri quadrati menſurati; per quam menſuram omnis diameter quadrati eſt commenſurabilis cùm latere; data menſura diametri ad diametrum, & lateris ad latus. Euclides autèm conſiderat lineam diametralem ſub ratione lineæ vt ſic. qua ratione vera eſt eius propoſitio, diametrum eſſe in commenſurabilem cùm latere. In argumento autèm hoc falſum ſupponitur, nempè ex his punctis indiuiſibilibus poſſe immediatè conſtitui quadratum abſquè addictione ſuperuenientis formæ; quod à veritate alienum; quià, veluti corpora indiuiſibilia nullam habent figuram, ſic nullam poſſunt conſtituere, vt eadem ſit ratio totius, & partis, & quià nemo dat, quod non habet.

Ad Nonum argumentum, dùm dicitur impoſſibile eſſe fieri extenſionem per formas inextenſas, ſed hæc indiuiſibilia ſunt formæ inextenſæ, ergò non poſſunt conſtituere continuum extenſum. Reſpondetur, diſtinguendo maiorem propoſitionem; nàm aliæ formæ ſunt inextenſæ ſinè fundamento extenſionis, & ſinè inchoatione eius formæ, aliæ ſunt formæ inextenſæ, ſed cùm incoatione extenſionis, & quæ poſſunt illam fundare. formæ omninò inextenſæ, & ſine vlla incoactione formæ extenſionis (vt eſt anima rationalis, & quæcumque ſubſtantia indiuiſibilis) non poſſunt facere extenſionem: & in hoc ſenſu conceditur argumentum. at hæc indiuiſibilia, quià habent quantitatem, & ex ea impenetrabilitatem, habent etiàm incoationem extenſionis, & illam fundant ità, vt per has formas, licèt inextenſas poſſit fieri extenſio; veluti ex materia, & forma, quamuìs ſint entia incompleta, poteſt fieri ens completum ex ſeptimo ſuppoſito.

Demùm ad Ariſt. auctoritatem ab initio tractationis propoſitam dicimus. puncta continua eſſe, eſſe contigua, & ſe habere ſubſequentèr; ad probationem Reſpondetur, eſſe contigua vt quo, non, vt quod; hoc eſt, non eſſe ipſa quid continuum, ſed ex ipſis conſtitui continuum. definitio igitùr continui tradita ab Ariſt. conuenit continuo, vt quod, non autèm continuo, vt quo. Dùm poſteà Ariſt. ait, contigua ſunt, quorum extrema ſunt ſimùl, verum eſt de his, quæ habent extrema: non autèm de his, quæ ipſa ſunt extrema. Indiuiſibilia igitùr ſunt ea, quæ ſunt ſimùl, & non ſunt quorum vltima ſunt ſimùl: ipſa enìm ſunt vltima; ſic non ſolùm ipſa ſunt ſimùl; ſed ſunt, per quæ omnia ſunt ſimùl. Dùm demùm ait Ariſt. ſi ſubſequentèr ſe habent, vel tangunt ſe ſecundùm totum, vel ſecundùm partem. In hoc dilemmate in ſententia Zenonis eſt petitio principii; nàm ſupponitur habere rationem totius, & conſequenter habere partes id, quod iam probauimus non habere partes, & ſupponimus non poſſe habere rationem totius. puncta indiuiſibilia ſe tangunt non ſecundùm totum, nequè ſecundùm partem; quià non habent partes, nèc habent ra-

rationem totius, nequè ſe penetrant, ſed ſunt immediata, nec poſſunt penetrari, quià non habent extenſionem, quam tamèn fundant; ità vt tertium indiuiſibile non poſſit eſſe immediatum primo, nec illud tangere, quià ſecundùm obſiſtit: non propter extenſionem in ſe, ſed proptèr extenſionem acquiſitam cùm alio: veluti vnum in numero eſt indiuiſibile, at alteri adiunctum fit diuiſibile, non in ſe, ſed ab alio; ſic vnum additum alteri non eſt diuiſibile, ſed tertium, quod conſurgit ex ambobus, eſt diuiſibile; ità vnum indiuiduum eſt inextenſum, ſed fundat adeò extenſionem, vt ex duobus indiuiſibilibus poſſit conſurgere tertium proportionalitèr extenſum, & habens partes, & conſequentèr habens rationem totius; nec propterea poſſumus dicere, dare indiuiſibile, quod non habet; quià dat partem toti, quam habet: videlicèt inextenſam, & ea pars impartibilis dat eſſe partibile; quià adiuncta alteri habet rationem partis; ex ſe nequè pars eſt, nequè totum. non pars, ſi non refertur ad id, cuius ſit pars; non totum, quià non habet partes. dat tamèn extenſionem, non alteri, non ſibi, ſed conſurgenti ex ambobus, quod ex fundamento vtriuſque impartibilis, & inextenſi fit partibile, & extenſum; quemadmodùm ex ſimplicibus corporibus fit mixtum: nèc propterea ſimplicia corpora dant, quod non habent, dando eſſe mixtum; quià eſſe mixtum conſurgit ex vnione miſcibilium, & ſimplicia licèt ſimplicia, ſunt miſcibilia, & fundant mixtum; ità indiuiſibile inextenſum, fundat diuiſibile, & additum indiuiſibili efficit diuiſibile, non ſe, nequè additum ſimplicitèr; ſed quod conſurgit ex ambobus.

De indiuiſibilibus dictis copulatiuis.

ARiſt. ſatis aperto ſermone lib. *6.* T. 3. & 11. ait omne continuum eſſe diuiſibile in ſempèr diuiſibilia; & omnem magnitudinem eſſe diuiſibilem in magnitudines nempè ex ſuppoſito T. 15. continuum eſſe, quod eſt diuiſibile in ſempèr diuiſibilia, ac T. 18. fatetur; quod pluries pronunciauerat, eandem eſſe rationem temporis, & magnitudinis; quà de re, quantùm fieri potuit, lucidè, actum eſt in ſuperiori quæſtione, & reſponſione ad ſecundam difficultatem. ſed ex confirmatione noſtræ ſententiæ poſita ab Ariſt. lib. *6.* phyſ. cap. 3. a T. 24., vbi ponit ipſum nùnc reſpondens magnitudini impartibili, eliciunt aliam difficultatem interpretes. an dentur indiuiſibilia copulatiua in magnitudine, veluti datur ipſum nunc in tempore; hoc eſt, an prætèr puncta terminantia in fine vniuſcumque magnitudinis, dentur etiàm alia in medio; quæ res proponitur, & quæſtionibus agitatur inextricabilibus; quam rem ſatis explicatam cenſeo in ſuperiori quæſtione, vbi dicitur, continuum non tantùm terminari indiuiſibilibus, ſed conſtare ex illis finitis in magnitudine finita. Qui de hac re diſputant, arbitrantur puncta terminatiua eſſe nihil, & negationes vlterioris progreſſus; nàm, ſi aliquid eſſe exiſtimarent, aut vt tale compræhenderent, non dubitarent hæc impartibilia eſſe in tota magnitudine, & ex his conſtare omnem magnitudinem, vt omne tempus ex nunc diſtincto à præterito, & futuro; quod tamèn non ſit aliquid præteriti, nec futuri, quià tempus compoſitum ex præterito, &

& futuro eſt per ſe continuum, & per ordinem vniuerſi, non per copulam ex nunc; ſic magnitudo quælibet eſt ex partibus indiuiſibilibus copulatis non per intermedia puncta; ſed immediatè exiſtentia, & vnum conſtituentia ex vniuerſi ordine omnia ad vnum compellente, aut numero, aut ſpecie, aut genere, & renuente vniuſcumque rei quantæ diſcontinuationem ad fugam vacui, & naturalem cum vniuſcuiuſque rei conſeruandi ſe in propria exiſtentia, aut tranſeundi in meliorem. ſic indiuiſibilia ſunt actu in continuo, & per ſe ipſa vnita, & inſeparabilia ab eo ſub ea ratione continui, qùm hæc omnem materiam rerum expleant, nec eſſe poſſit quicquam intermedium, quo diſcontinuari poſſint; ſunt enim ſubſtantiæ quantæ, ſeù potiùs ſubſtantia eſt quanta ex his, nec ſunt in ſubiecto vllo, ſed ipſa ſunt omnium ſubiectum; & maſſa, & congeries prima ex his non differt à materia prima, in qua quantitas ſubiectatur; niſi ex eo quòd materia prima dicitur ab Ariſt. non quid, nec quale, nec quantum, hæc autèm in ſuo formali conceptu ſunt quid, & quantum: non tamèn quale, nec aliud ex numeratis prædicamentis; & quià non ſunt quale, nullam conſtituunt figuram, ſed tantùm tribuunt extenſionem ſubſtantiæ, & ex accidenti cæteris accidentibus inhærentibus ſubſtantiæ; quæ etiam communi aliquo termino terminantur, neque propterea habent hæc indiuiſibilia copulatiua; ſed quodcumque accidens aut vnum, aut per modum vnius continuatum per ſe complet ſubſtantiam; nec propterea, quòd careat his indiuiſibilibus, dicitur eſſe ex partibus tanquàm aceruus lapidum; nàm homogenea per ſe ipſa continuantur, & eadem indiuiſibilia, quæ continuantur: quandocumque per aliquam formam ſuperuenientem, ſeù ſubſtantialem, ſeù accidentalem diſcontinuentur, fiunt terminatiua; aliàs, ſi eſsent alia copulatiua primò, eſsent fruſtrà, quià hæc indiuiſibilia ſatis continuata ſunt ab ordine vniuerſi in materia prima: & à natura cuiuſcumque formæ in compoſitis ſubſtantialibus abſque his copulatiuis: quæ etiàm in diſcontinuatione corrumperentur, & denuò reproducerentur abſquè vlla præuia cauſa efficiente, quod videtur abſurdum maximum in philoſophiā. Hæc igitùr indiuiſibilia non ſunt, niſi materiæ primæ: nec in ea inuicèm ſeparabilia ſunt, nec mobilia. vndè fruſtrà quæritur, an poſſint moueri; quià moueri eſt pati, ipſa autèm vt talia, nec actionem habent, nec paſſionem, nec locum, nec ſitum: niſi quatenùs conſtituunt vniuerſum, & partes eius; quarè ex accidenti quodamodò mouentur ad motum ſuppoſiti, quod partialitèr componunt tanquàm materia.

An detur primum indiuiſibile, in quo incipiat motus.

SEntentia creditur Ariſt., & communitèr omnium peripateticorum, non dari primum indiuiſibile, in quo incipiat motus. ratio ità concipitur. ſicuti continuum permanens habet omnes partes etiàm indiuiſibiles permanentes; ità continuum ſucceſſiuum, & tempus, & motus habet omnes partes, & indiuiſibiles exiſtentes in eſſe ſucceſſiuo; ſi itàquè eſſet indiuiſibile aliquod, in quo inciperet motus, motus non eſſet ſucceſſiuus, nàm illud indiuiſibile primum motus ſuccederet quieti; & ſucceſſio motus intelligenda eſt in ratione

motus, non in quiete; ſi verò concipiatur tempus in inſtanti ſubſequente primum inſtans; vt habeat rationem ſucceſſiui, non dicitur incipere in eo, ſed in antecedente; ſic motus non incipit in indiuiſibili; quià de ratione indiuiſibilis rei ſucceſſiuæ eſt fluere poſt partem; oportet autèm diſtinguere indiuiſibile termini ab indiuiſibili motus. Indiuiſibile termini poteſt dari, vt motus incipiat per vltimum non eſſe, & deſinat per primum non eſſe quippè motus non poteſt eſſe in inſtanti vllo; quandoquidèm in proprio conceptu formali includit actum, & potentiam eſſe quoddam imperfectum ex ambobus; quæ eſſentiæ non poſſunt concipi in vno, & eodem inſtanti; tempus autèm eſt menſura motus; ideò ſi motus non poteſt exiſtere in inſtanti, nequè etiàm poterit tempus conſiſtere. Ens enim mobile, vt in actu, conſiſtit, vt in potentia, mouetur, at certè non poteſt in eodem inſtanti moueri, & quieſcere: aut moueri motibus contrarijs. vndè ad rationem formalem motus neceſſaria ſunt ſaltèm duo inſtantia; vnum, quo quieſcit ſub actus formalitate: alterum ſubſequens ſub formalitate priuationis actus acquirendi, quæ priuatio vnà cum negatione includit potentiam. In primo inſtanti, in quo quieſcit ſub actus formalitate, incipit motus per vltimum non eſſe, vt aiunt philoſophi; quià, qùm ſit illo inſtanti tantummodò actus, non recipit in eo primo inſtanti omnem motus formalitatem, quæ non conſiſtit in ſolo actu, ſed in potentia tantùm. Ideò ſecundum inſtans, in quo recipit rationem potentiæ, eſt quod complet formam motus; quod inſtans eſt primum eſſe motus. duo igitur inſtantia conſiderantur in forma motus, in primo eſt vltimum ſui non eſſe, in ſecundo eſt ſui primum eſſe, quià in primo inſtanti non eſt motus, ſed eſt in ſecundo; qùm verò mobile per motum adeptum fuerit formam, ad quam mouebatur, & quam habebat in potentia, terminatur per primum non eſſe, nam poſt adeptam formam, & actum poſtremum non eſt amplius actus in potentia; ſic deeſt forma motus deficiente potentia; cuius motus inſtantia conſiderata præciſiuè à forma motus, veluti incipiunt per primum ſui eſſe, vt ſuprà explicatum eſt, ſic deſinunt per vltimum ſui eſſe; qùm enim motus ſit actus entis in potentia, prout in potentia, licèt ceſſet eſſe motus per complementum vltimi actus intenti à mobili; vltimum tamèn inſtans, quo deſinit motus, eſt inſtans illius, quià motus ſpecificantur per terminos, ſic illud inſtans, quo terminatur motus, non eſt motus, ſed inſtans illius, per quod deſinit. cætera entia permanentia incipiunt per primum ſui eſſe, ſiuè viuentia ſint, ſiuè non viuentia, dummodò non ſit ſucceſſiua formæ eorum introductio: tùnc enim ſequuntur rationem motus, & temporis, quæ habent priùs, & poſteriùs, vt notum eſt: & quià omnis introductio formæ ſubſtantialis concipitur in inſtanti: propttereà dicuntur incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per primum non eſſe; quoniàm in inſtanti vltimo, quo res ſubſtantialis eſt, non deſinit, ſed deſinit in ſubſequente, in quo non eſt; & qùm intèr inſtans, & inſtàns non detur medium, nunquàm datur materia ſinè forma, & prorsùs denudata ab ea; quoniàm in inſtanti noua forma introducitur, altera abeunte. differt igitùr ratio motus à ratione cæterarum formarum, quæ non ſunt actus imperfecti; nàm ad formam incipiendam motus ſunt neceſſaria duo inſtantia, vt ſuprà explicatum eſt, & ad concipiendas cæteras formas, ſeù viuentium, ſeù non viuentium ſatis eſt vnum inſtans,

ſtans, quo incipiat res per primum ſui eſſe, & alterum, quo deſinat per vltimum ſui eſſe; non autèm per primum non eſſe, quià, quandò non eſt, non poteſt nec incipere, nec deſinere; ſic incipiat, & deſinat intrinſecè; extrinſecè verò non dicuntur res incipere, aut deſinere, niſi impropriè, & ex ſuppoſito non dari hæc indiuiſibilia magnitudinis, motus, & temporis, ex quibus hæc componantur, actu exiſtentibus, & ſub certo numero. In motu tamèn magìs propriè locum habet modus incipiendi per vltimum non eſſe, & deſinere per vltimum non eſſe; quià motus eſt forma imperfecta, &, licèt in primo inſtanti dicatur non eſſe, quià, nec etiam eſt ſecundum eſſe ſuum imperfectum; tamen incipit intrinſecè. quippè aliquid ſui habet, nempè actum non in facto eſſe; quià ad hoc requiritur forma ſucceſſiua, quæ in vno inſtanti non poteſt haberi; poteſt nihilominùs haberi pars formæ intrinſecè. ſic regula, qua ſtatuunt philoſophi; ea, quæ incipiunt per vltimum ſui non eſse, incipere extrinſecè, patitur exceptionem in motu, & tempore; quià non poſsumus dicere in hoc inſtanti, & in antecedenti inſtanti immediatè non erat; quià ſucceſſio requirit ſaltèm duo inſtantia; itàut in primo quoquè inſtanti eſset motus partialitèr, in ſecundo autèm verè fuit ſecundùm propriam rationem; & eadem ratione, dùm deſinit motus, poſsumus quidèm dicere in vltimo inſtanti, nunc motus non eſt, ſed immediatè antè fuit, quià illud vltimum inſtans habet quidèm actum entis, ſed non potentiam, quæ requiritur ad formalitatem motus; at penultimum inſtans habet actum, & potentiam; & ſic in penultimo inſtanti motus erat, in vltimo autèm non. At non poſsumus dicere in vltimo inſtanti, nunc eſt motus, & immediatè poſtea non erit, quià in vltimo inſtanti deeſt aliquid requiſitum ad formam motus. Eadem quoquè ratio traditur deſinendi, & incipiendi in quiete, cuius ratio vel conſiſtit in negatione motus, vel in motu contrario; ſi conſiſtit in negatione, negatio ſpecificatur per formam negatam, quæ eſt motus: ſi conſiſtit in motu contrario, contrariorum eadem eſt ratio, magìs tamèn philoſophia dignum eſt dicere, quietem eſse intermixtionem motus contrarii concurrentis ex natura ad modificationem motus: veluti contrariæ qualitatis ad conſtitutionem temperamenti, aliàs enìm impropriè diceretur natura principium quietis; quippè negationis, & non entis nullum poteſt dari principium. quæ autèm de motu, & tempore, dicendum eſt de omnibus formis, quæ ſucceſſiuè introducuntur. quippè horum acutior diſputatio, parum vtilitatis videtur habere poſſe in medicina, nec proptèr rationem adductam vltrà Zenonis opinio declarata, quicquam de quiete dicendum, cui omnia videntur competere, quæ de motu dicta ſunt; & ex dictis exploſa ſatis videtur Zenonis opinio motum negantis; ſi vnquàm ipſe motum negauit, quod non videtur veriſimile proptèr euidentiam motus; ſed credi potiùs poteſt Zenonem argumenta attuliſse tanquàm deducentia ad abſurdum, continuum non eſse diuiſibile in ſempèr diuiſibilia; quià ſequeretur non dari motum, quod, quià eſt contrà omnem euidentiam, & maximum abſurdum, ideò indè colligere debeamus continuum non eſse diuiſibile in ſempèr diuiſibilia.

Democriti ſententia declaratur, & Heracliti.

ARbitrabatur Democritus corpora omnia fieri ex partibus indiuiſibilibus, quas atomos appellabat, quæ per motum coniungerentur; vndè ſequitur ex eius opinione indiuiſibilia ſciuncta à continuo poſse moueri, ſi continuum ex eo conſurgit, quià huiuſmodi partes indiuiſibiles mouentur, vt coniungantur; quod pluribus argumentis reprobat Ariſt. oſtendendo, indiuiſibile non poſse per ſe moueri, ſed moueri tantùm ad motum continui, hoc autèm acutiſſimis ſuadet argumentis, ex ſuppoſito tamèn, hæc indiuiſibilia eſse infinita, & nullum occupare ſpatium. qua de re ſuprà luculentèr dictum eſt; modò pro explicatione ſententiæ Ariſtotelicæ, & Democriti, dicendum eſt eas partes indiuiſibiles, quas Democritus materiam vniuerſi appellat, motu cieri, & compelli, vt ille aſserit, ſed per modum vnius, & tanquàm materia actuata ab ordine vniuerſi; & hoc dixit motu coniungi, hoc eſt, compelli ne diſiungi poſſint, non cieri. tamèn, nec moueri ſub ratione, & forma indiuiſibile, ſed in continuo, vt probat Ariſt. itàut illud Democriti, vt coniungantur, æquipolleat, & ſit, ac ſi diceret, ne diſiungantur.

Heracliti etiam ſententiam dirimit Ariſt., qui omnia fluere arbitrabatur, & ſtare nihil. refellit hanc ſententiam Ariſt. conſiderando, quemcumque motum verſari intèr duos terminos: nempè inter terminum à quo, & terminum ad quem; ſed, quod habet terminum, non poteſt eſse infinitum, ergò nullus motus poteſt eſſe infinitus. Prætereà, vel huiuſmodi motus eſt naturalis, vel violentus; ſi naturalis, natura ſemper agit proptèr finem, ideò nullus motus poteſt initium habere, niſi ad præacceptum finem, ad quem cùm deuenerit mobile, neceſsè eſt quieſcat, vt omnia alia faciunt per conſequtionem finis. ſi verò motus fuerit violentus, non poterit ſe extendere, nisi quantum vis proiicientis perdurauerit, quæ vis in æternum poteſt permanere in motu præſertim, qui non habeat contrarios terminos, nec quicquam offendat, quod poſſit vim impreſſam conuertere, & abſumere: vt euenire poteſt in motu circulari. quibus obiectionibus reſpondet Ariſt., impoſſibile eſſe aliquid fieri, quod olim factum eſſe, non poſſit dici; &, ſi motus eſſet infinitus, nullum haberet terminum, & nunquàm poteſt dici, mobile motum eſſe, ſed ſempèr diceretur moueri; & ſic fruſtrà, & ſinè præpoſito fine. Quoniam verò eò tendit ordo vniuerſi, vt hoc maximè vnum faciat, &, quantum fieri poteſt, durabile, & æternum; ideò non prorsùs alienus fuit Ariſt. credere, aliqua eſſe poſſe, quæ in æuum durare poſſint, & hunc finem in his mouens ſibi proponat perſiſtentiam vniuerſi in ſuo eſſe integro, & perfecto. Vndè, licèt excogitari non poſſit motus rectus vnus, & continuus, qui in perpetuum, & ſinè vllo termino perduret, tamèn poteſt dari motus, qui diuerſis motibus ſibi inuicèm ſuccedentibus compoſitus æternam ſortiatur durationem, vt rerum generatione experimur. hic motus, ait Ariſt, non poteſt dici perpetuus, quià nequè vnus, neque continuus eſt, & ſaltem intermedias habet quietes, quibus tollitur Heracliti opinio, qui dicebat omnia fluere, nihil excludendo; ac poteſt etiam dari motus vnus numero, dùm mobile circularitèr mouetur, redeundo ab eodem in idem, quod non re-

repugnat eſſe perpetuum; ſed, etiam dato hoc motu perpetuo circulari, quo cæleſtia corpora mouentur, ſententia Heracliti corruit, quià motu recto cæleſtia corpora non mouentur, & ſecundùm totum in proprio centro quieſcunt, ideò verum eſt dicere, quædam moueri, & quædam quieſcere: non autèm omnia moueri, vt aſſerebat Heraclitus.

Ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſili cap. primo non poteſt fieri in eodem inſtanti duorum ſenſatio, ideò equus non poteſt in eodem inſtanti alimentum videre in duobus locis æquè diſtantibus poſitum: præter quàmquod, licèt ſint duo oculi, tamèn ambo per eandem lineam obiectum recipiunt, ſic etiàm, poſito alimento æquè diſtanti, non poteſt geminatum ſimùl videre, & equus ad primò viſum, feretur.

Quoniàm ad motum benè compræhendendum neceſſarium eſt cognoſcere mouens, & mobile, vt cognoſcatur forma, & ratio, quæ eſt motus cauſa efficiens, quæ eſt mouens, & cauſa materialis, quæ eſt mobile; oportebat etiàm cognoſcere ordinem, quem motus, mouens, & mobile habent interſe, in quo ordine præſertim conſiſtit naturæ cognitio, quià natura eſt ordo, & cauſa ordinis, & nihil inordinatum eſt eorum, quæ natura, & ſecundùm naturam fiunt ex T. 15. octaui phyſ. Idcircò progreditur Ariſt. lib. 7. patefacere ordinem, & dependentiam vniuſcumque motus ad quemcumque motum, mobilis ad mobile, & mouentis ad mouens: vt omnem motum ad vnum motum referri: ab vno mobili omnia mobilia regulari, & ab vno mouente omnia mouentia regi, & gubernari inducatur.

Determinat primùm Ariſt., omne, quod mouetur, ab alio moueri; & licèt aliqua ſint, quæ videntur moueri à ſe ipſis; tamèn hoc ità videri, ait, quià non compræhenduntur moueri ab aliquo extrinſeco; ſi autèm mouentur ab intrinſeco, & pars poſt partem, non mouetur ſimùl totum, ſed pars antè partem; ſic pars mota mouetur à parte priùs mota, & nihil à ſe ipſo; qùm igitùr omne, quod mouetur ab alio moueatur; ſiuè hoc aliud ſit pars ſingularis animalis, ſiuè pars vniuerſi, hoc aliud alio quocumque mouebit, vndè, procedendo, deueniendum eſt ad vnum mouens primum, quod immobile manens omnia ſubſequentèr moueat, quæ mouentur; immobile autèm hoc primum mouens eſſe opportet, quià, ſi moueri ipſum quoquè diceremus ex data hypoteſi neceſſarium eſſet dicere eſſe aliud, a quo hoc ipſum moueretur, & ne daretur proceſſus in infinitum, tandèm eſſet deueniendum ad vnum mouens, quod immobile omnia moueat, ità vt in ordine vno ad vnum, & ab vno omnia pendeant.

Hanc mobilium, motuum, & mouentium conuenientiam, & ſubordinationem oſtendit ex eo quòd, omne mouens debet eſſe ſimùl cùm moto; veluti igitùr omnia ſubſequentèr mota ſunt: ità omnia ſimùl ſunt, quæ mouet, & quæ mouentur; quod autèm mouens, & motum debeat eſſe ſimùl, patere, ait, ex inductione, omnia enim, quæ mouentur, vel mouentur à ſe ipſis, vt viuentia, vel ab alio; ſi mouentur a ſe ipſis nulli dubium eſt, ſimùl eſſe id, quod mouet, & quod mouetur; quæ mouentur ab alio, paritèr mouenti ſunt coniuncta, quod, vel antè ſe habent, vel poſt ſe, vel medio modo ſe habent. Mobilia, quæ mouens præcedunt, dicuntur pulſa, & eorum motus dicitur pulſio; in quo motu, vel mouens non diſiungitur à mobili, ſed illud proſequitur, & illius motus dicitur impulſio, vel mouens diſiungitur à mobili, & illud non ſubſequitur, & illius motus dicitur expulſio, vel

pro-

proiectio; eſt autèm proiectio, quandò motus ſit velocior eo, qui ſecundùm naturam eius, quod fertur; in quo motu,licèt mouens diſiungatur a mobili,remanet tamèn in mobili virtus impreſſa, per quam vim eouſquè mouetur mobile, quouſquè vehementior ſit motus eius, quod fertur; ſic nunquàm deſeritur, quod mouetur à mobili, quin ſaltèm contactus virtutis in eo ſit, donèc mouetur. Mobilia verò, quæ mouens ſubſequuntur, dicuntur tracta, & eorum motus dicitur tractio; qui motus ſequitur, quandò aliquod vel ad ſe ipſum, vel ad aliud alligatum, & coniunctum velociori motu mouetur, quam id, quod coniunctum, trahitur. ſic trahi etiàm aliquid dicitur à ſpiritu vehementiùs agitato, & moto, licèt ſpiritus in eo ipſo ſit, qui trahitur. Vndè interdùm hic motus degenerat in aliam ſpeciem motus, quæ dicitur vertigo, qui motus mixtus eſt ex expulſione,& tractatione; dùm enìm mobile ab alio pellitur, & ab alio trahitur, qùm rarò pellens, & trahens concurrant ad eundem motum, ſequitur tertia ſpecies motus ab extrinſeco motore, quæ dicitur vertigo. Quarta ſpecies motus huiuſmodi ponitur ab Ariſt. vectio, qui motus, quià in alio eſt, a quo vehitur, & illud idem, quod vehit, vel trahitur, vel pellitur, ideò moueri ex accidenti dicitur mobile, quod vehitur, & ad alias ſpecies motus reduci debet pulſionis, tractionis, aut vertiginis; & cum nulla alia ſpecies motus poſſit proponi; & in his omnibus mobile sempèr ſimùl ſit cùm mouente, nec ab illo diſiungatur; aut ſaltèm per contactum virtutis copuletur; concluditur naturæ ordine procedens quodcumque mouens mobili coniunctum eſſe, & ſimùl.

Quam ſententiam Ariſt., mouens expoſcere mobilis contactum, vt moueat, negant nonnulli eſſe vniuerſalem, & in omnibus neceſſariam; nàm primò Deus vt virtutis infinitæ poteſt mouere in diſtans; &, licèt per propriam immenſitatem vbiquè ſit, & præſens vnicuique mobili: tamèn hæc præſentia dicitur concomitantèr neceſſaria ad mouendum, & per accidens; quià alijs,etiam sì præſens non eſſet, poſſet tamèn mouere, vt præſens.

Secundo ex Ariſt. primo cæli T: 20. *omnes homines de Dijs quidèm habent exiſtimationem, & Barbari, & Greci quicumque putant eſſe Deum, & locum, qui ſursùm eſt, Deo tribuunt quaſi æterno locato æternus debeat aptari locus*; Ergò qùm concurrat ad motus ſublunarium; non concurrit per præſentiam, ſed per miniſtros, & agentes ſecundarios, vt Ariſt. in libro de Mundo ad Alexandrum explicat.

Tertio Animæ ſedes, vt phantaſia eſt in capite, appetitus eſt in corde, ſed apprehenſa per phantaſiam mouent illicò appetitum; vt dùm quis, viſo inimico, ſtatim iraſcitur, ergò non eſt neceſſaria indiſtantia intèr agens, & paſſum.

Quarto Sol calefacit hæc inferiora abſque eo, quod calefaciat orbes cæleſtes intermedios, ergò indiſtantia neceſſaria non eſt.

Quinto aqua ab igne ſuppoſito lebeti caleſcit, fundo lebetis non calefacto; remora nauem ſiſtit eam non tangens; torpedo ſtupidam reddit manum piſcatoris diſtans ab ea; magnes trahit ferrum etiàm lamina interpoſita;ergò indiſtantia non eſt neceſſaria.

His non obſtantibus concludendum eſt cùm Ariſt. ad mouendum, ad agendum sempèr neceſſariam eſſe indiſtantiam, vt patet experientia; nàm quandocumquè intèr mouens, & mobile interponitur aliquid, impeditur actio; vt, ſi expellens non tangat expulſum, expulſum non mouetur: ſi trahens non ſit coniunctum tracto, tractum non

tra-

trahitur: & vectum non vehitur: & rotatum non rotatur ampliùs. inductione igitùr patet hæc veritas.

Ad argumenta in contrarium adducta. Ad primum reſpondetur concedendo virtutem Dei non coerceri ad vllum modum agendi, & poſſe in quacumque diſtantia agere: tamèn negatur poſſe abeſſe ab vllo vbi, & poſſe eſſe non præſens; nam proptèr immenſitatem vbiquè eſt; nec poteſt contrahi eius virtus, ſed tantùm proptèr libertatem ceſſare ab operatione; & quandocumquè operatur, ſempèr neceſſario præſens eſt; & licèt nullam imperfectionem argueret in illo, ſi operaretur in diſtans; tamèn imperfectionem maximam præſeferret ſi poſſet eſſe diſtans à quoquam loco. ità enim amitteret immenſitatem, & omnipotentiam, per quam intimè præſens in omnibus, & poteſt omnia, liberè quidem ad agendum, & non agendum, ſed non limitata immenſitate eius, nàm repugnat eſſe Deum, & non eſſe immenſum.

Ad ſecundum Argumentum, quo per autoritatem Ariſt. probatur Deum non eſſe vbiquè præſentem, reſpondetur Ariſt. in Topicis decreuiſſe, diſputationem de cæli æternitate eſse problematicam, & pro vtraque parte poſse ſuſtineri, nec poſse a priori demonſtrari; vndè quæcumque profert in libris de cælo, problematicè profert; proptereà ait omnes de Diis habere exiſtimationem, & Barbaros, & Grecos putare eſse Deos; loquitur enìm ex opinione eorum, namquè ipſe probat Deum vnum tantùm eſse, & vnam cauſam omnium cauſarum: vndè dicendo Deos in numero plurali, ſatìs conſtat, loqui ex vulgi opinione; & ait eum, qui ſursùm eſt, locum illi tribuere, quià veluti Deus extrà eſt, ſed non excluſus, ità intrà, ſed non incluſus; & poterant Barbari, & Greci illi locum tribuere extrà: vt immunem oſtenderent ab his, quæ apud nos ſunt rerum confuſionibus, & in ſumma ſimplicitate ponerent; qùm enim Dei immenſitas, & omnipotentia omnem humanæ mentis coniecturam excedat; tolerabiliùs fatentur homines propriam ignorantiam; ſi numen ignotum longè exiſtens ſtatuant; & ab his, quæ iam noſſe præſumimus, ſeiungant; ac ipſe Ariſt. lib. de mundo ad Alex. qùm noſſet, omnia cùm prudentia, & conſilio à Deo facta, ac participatum eſse omnibus, his tamèn clariùs, illis verò obſcuriùs. hanc ſe ſe communicandi diuerſitatem modo, quod proponitur, explicauit, vt ſecundarum cauſarum ſeriem oſtenderet, non vt diuinæ omnipotentiæ limites poneret.

Ad Tertium Reſpondetur cum Hipp. in humano corpore eſse vnam conſpirationem, vnum concurſum, & omnia conſentire, quarè, licèt phantaſia ſit in capite, & appetitus in corde, hæ ſunt partes vnius ſuppoſiti, & conſenſu indiſtantes.

Ad Quartum Reſpondetur, ſolem eſse præſentem, & tanquàm præſentem operari in hæc inferiora: vndè per maiorem præſentiam generationis cauſa eſt: per minorem corruptionis, quòd verò cælos intermedios non calefaciat, vel negari poteſt; vel dicere ſequi non proptèr diſtantiam, ſed proptèr materiæ eorum incapacitatem, ſi inalterabile cælum eſt, qua de re aliàs dicendum.

Ad Quintum Reſpondetur aquam nunquàm calefieri; &, vt aliàs explicabitur, repugnare naturæ aquæ calidam eſse; ſed ab aqua ex ſuppoſito igne vapores gigni, qui incaleſcunt, & aquæ ſuffuſi aquam caleſcere oſtendunt; quaproptèr qùm ſit in lebete pars aquæ minùs his vaporibus ſuffuſa, & altera magìs: ideò pars aquæ calidior eſt altera; & hi vapores qùm leues ſint, magìs, ac magìs eleuantur; ideò

aqua,

aqua, quæ in fundo lebetis eſt; pauciores vapores admixtos habet, & minùs calida propterea apparet. Quæ verò narrantur de remora, & de torpedine, vel opinoſorum credulitates ſunt, vel non operantur cùm diſtantia: nam piſcis dicitur nauem apprehendere, & fabulam indè ortam credunt nonnulli, quod hi piſces cæcos incolant ſcopolos, à quibus nauis inconſpicuè præhenſa, credatur à piſciculo naui tranſeunti adherente firmata, ac torpedo poteſt per aſtam piſcatoriam vim ſuam diffundere ad manum piſcatoris, & per eam fieri præſens; velutì etiàm magnes per virtutis præſentiam operatur, vndè, qùm longiùs diſtat, nihil operatur.

Ad quas nam qualitates terminetur Alteratio.

PRætermittunt penè omnes interpræetes hanc quæſtionem, & tanquàm indubitatum recipiunt Ariſtotelis aſſertum, alterationem terminari ad ſolas qualitates tertiæ ſpeciei: nempè ad paſſibiles qualitates. Verùm, quià huius quæſtionis indagatione Ariſt. proponit quandam ſanitatis deſcriptionem, & roboris, & pulcritudinis; ad medicum pertinere ſum ratus, hoc aſſertum diligentiùs examinare; præſertìm: quià vulgatum axioma medicorum eſt, contraria contrariis curari, hoc loco quadam ex parte philoſophicè explicatur, & ratio proditur.

Non loquitur hoc loco de alteratione communitèr accepta, & impropriè, per quam quocumquè modo dicatur fieri alterum; namquè hoc modo alteratio accepta terminatur ad quamcumque ſpeciem qualitatis: imò ad quamcunque formam accidentalem; namquè alterari dicitur non ſolum qui ex ignorante fiat doctus, aut cithareedus, & qui ex infirmo robuſtus, & qui ex deformi fit formoſus, aut ex recto curuus, ac gibberoſus; ſed etiam qui ex bicubitali fit tricubitalis, ex paruo magnus, ex agente patiens; qui Romæ degens Neapolim proficitur, &, qui dexter exiſtens fit ſiniſter; aut deſinit exiſtere, aut dimittit, quod habebat, communitèr loquendo, & impropriè dicitur alterari, de qua alteratione non loquor in præſenti.

Item terminari aliquid ad aliquod duobus modis poteſt contingere; vno modo primò, & per ſe: alio modo ſecundariò & per accidens, quæram de terminatione per ſe; nàm certum eſt per accidens alterationem poſſe terminari ad quancumque qualitatem; vt aqua, quæ niue refrigeratur, primò, & per ſe eius alteratio terminatur ad frigus, & ex hac alteratione denominatur directè frigida, at hæc alteratio poteſt etiàm terminari ad quantitatem, vt minor fiat, dùm frigore denſatur; poteſt etiàm in febribus denominari ſana ob eandem frigiditatem.

Quærentes igitùr de termino alterationis per ſe. repetamus, quæ dicta ſunt expoſci ad motus terminationem, & hoc eſt dæterminatum ad vnam conditionem, nempè ad contrarietatem poſitiuam cùm latitudine ſucceſſiuè percurrenda ex propria natura, accipiendo contrarietatem pro oppoſitione formarum, quæ à ſubiecto ſe mutuo expellere debent, vel quià aduerſæ ſint inuicèm, vel quià in ſubiecto non poſſint ſimùl exiſtere. Sic dicimus contraria contrariis curari, quandò aliqua forma, temperamentum à medicis dicta, cauſat læſionem facultatis, quæ forma per contrariam formam expellitur, vel per aliam, cùm qua non poſſit in eodem ſubie-

biecto exiſtere per contrariam: vt, dùm frigida intemperies depellitur: adhibendo medicamenta calida, & inducendo aduerſam qualitatem morboſæ. Hæc contrarietas conuenit formis accidentalibus primario, & ſecundario modo. per ſe primò contrarietas conuenit illis qualitatibus, quæ ſe mutuo expellunt, vt ſunt caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Secundario modo conuenit etiàm his qualitatibus, quæ pendent ex concurſu harum primarum, & dicuntur ſecundæ qualitates paſſibiles, vt eſt acutum, & lene; aſperum, & læue; amarum, & dulce: inſipidum, & ſalſum, & huiuſmodi qualitates. Rigorosè igitùr accipiendo alterationem, & terminationem eius motus, dicendum eſt, ad ſolas primas qualitates terminari ad calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem: & ſecundariò ad ſecundas, quatenùs videlicèt ex primis pendent; & ſic ad vnicam tertiam ſpeciem qualitatis terminatur alteratio, vt aſſerit Ariſt. Vndè patet apud medicos indicationem, qua dirigitur curantis conſilium, tantùm habere locum in hac tertia ſpecie qualitatis, nempè in qualitatibus paſſibilibus: ſic contrarium indicat contrarium: & tantummodò directè indicari alterantia, &, quandò dicuntur indicari euacuantia, impropriè dicuntur indicari, vt ſuo loco clarum fiet; hoc loco tantùm notum fiat, ad qualitates tertiæ ſpeciei nempè ad qualitates paſſibiles terminari alterationem; quià in his ſolis datur contrarietas poſitiua cùm latitudine ſucceſſiuè percurrenda ex propria natura. Sanitas autèm, & robur conſequuntur temperiem, & naturalem diſpoſitionem partium pro ædendis operationibus naturalibus, quarè ex accidenti terminatur alteratio ad ſanitatem, & ad robur; quatenùs videlicèt terminatur ad harum primarum paſſibilium qualitatum temperiem à natura requiſitam; ad quam cum deuenerit, ſequitur ſanitas. Et ex hoc animaduertant medici, quandò Hypp. ait ſanitatem, & morbum eſſe ex his, quæ ad aliquid, ità debere nos intelligere, non ſequi ſanitatem, & morbum certam temperiem, & commenſurationem qualitatum ſimplicitèr, ſed reſpectiuè ad temperiem, quam pars exigit; quarè vt animaduertit Gal. in libro de inæquali intemperie, eadem commenſuratio qualitatum in vna parte eſt morbus, & in alia non eſt morbus; vt caliditas exempli gratia in ſexto gradu in hepate eſt morbus, in corde non eſt morbus, quià in hepate naturali temperie prædito non exigitur gradus adeò intenſus caloris, qui exigitur in corde. Imò, quod magis eſt, eadem commenſuratio qualitatum primarum in vna parte erit morbus frigidus, & in alia parte erit morbus calidus. veluti calida temperies, vt quatuor, in corde erit morbus frigidus, in cerebro erit morbus calidus; quià in corde exigitur ex naturali conſtitutione temperies calida vt ſex (ità ſupponatur,) in cerebro exigitur vt duo. Itàque in cerebro excedit per latitudinem duorum graduum, & per totidem deficit in corde. quòd autèm ibì ſit intemperies calida, & ibi frigida, oſtendit, inquit Hipp. ſanatio. namquè, vt reducatur temperies propoſita cordis ad naturalem conſtitutionem, adhibenda ſunt medicamenta calida; & vt reducatur ad naturalem conſtitutionem cerebrum adhibenda medicamenta frigida. Directè igitùr ad alterationem datur motus. & hac ratione propriè & directè datur motus ad ſanitatem, quæ conſiſtit effectiuè in tali temperie, & caloris, & frigoris tali commenſuratione ex Ariſt. T. 17. At, ſi ſanitas, & morbus conſiderentur formalitèr, prout ſanitas eſt integritas

facultatis, & morbus eſt læſio facultatis: tùnc ſanitas, & morbus, vt ait Hipp., ſunt ad aliquid, & datur motus ad vtrumque, licèt indirectè, & ex accidenti. namquè alteratio in ſenſibili tantùm eſt, in quibus ſanitas, & morbus cauſalitèr, & effectiuè conſideratur, aut in ſenſibili parte animæ, in qua ſanitas & morbus conſideratur formalitèr.

Quomodò motus ſint comparabiles.

Videri poteſt medico ſuperflua iſta quæſtio, & nimìs acuta, qua dubitatur, an motus ſint comparabiles ſecundùm velocitatem, & tarditatem; & quomodò. tamèn non ſolùm hoc examinandum eſt, quià de neutris agimus, quæ nequè vt ſalubria, nequè vt inſalubria conſiderantur, quà ratione omnia ſunt compræhendenda, quæ a naturali philoſopho accipiuntur; ſed etiàm, quià ad exactam indicationum comprehenſionem, ad intemperiei exactam rationem percipiendam huius rei examen poteſt quàm maximè conducere. Dicamus igitùr cum Valleſio controu. 43. ad tyrones, motus omnes (quamùis diuerſæ ſint ſpeciei, & quamuis ſint ex accidenti, aut violenti) comparabiles eſſe ratione velocitatis, & tarditatis, præſcindendo à quacumque alia formalitate, nisì velocitas, & tarditas accipiatur æquiuocè, aut analogicè. Vera enim permanet ſententia Ariſt. in afferendis conditionibus ad comparationem faciendam oportunis, quarum præcipua eſt, ne ratio comparata ſumatur in æquiuocis. nàm tùnc certum eſt non poſſe fieri comparationem; præſcindendo igitùr a quocumque motu rationem velocitatis, & tarditatis, hæc fit atoma, & poteſt comparari. ſit exemplum in febre, quæ dicitur ab Auic. *calor extraneus accenſus in corde, & ab eo procedens mediante ſpiritu, & ſanguine per venas, & arterias in vniuerſum corpus*. In hac definitione conſiderantur duo motus: vnus eſt motus localis ſpirituum, qui funduntur per vniuerſum corpus; & alter eſt motus alterationis, dùm calor inducitur. In his, licèt motus localis à motu alterationis ſit diuerſæ ſpeciei, & proptereà non videatur ſequi comparatio in illis: dicimus non veram eſſe ſententiam Ariſt. non ſequi comparationem intèr formalitates motus alterationis, & localis; tamèn in formalitate velocitatis, & tarditatis fieri optimè poteſt comparatio. Veluti nulla poteſt fieri comparatio intèr parietem, & niuem, quià non habent rationem vnam communem, per quam comparari poſſint; tamèn, ſi præſcindatur albedo parietis, & niuis, poteſt in hac ratione albedinis fieri comparatio. Ità poteſt fieri comparatio in febre intèr velocitatem, & tarditatem, qua inducitur intemperies, & calor ille extraneus, quod fit per motum alterationis; & intèr velocitatem, & tarditatem ſanguinis, & ſpiritus, qui deferuntur per vniuerſum corpus, quod fit per motvm localem; & huiuſmodi conſideratio non erit aliena, & inexplicabilis in tractatu de febribus, quià, ſtante ſententia Gal. qui citò fit, & citò definit, non eſſe morbum in intemperie, poſſumus ſuſpicari ſolam febrem ethicam eſſe morbum in intemperiè, quià motus ad alterationem eſt tardus admodùm in corpore viuente; motus autem ad locum ſpirituum, & ſanguinis eſt velocior; at poſſumus etiàm ſubtilibus ſpeculando dignoſcere, quomodò prætèr augmentum, & decrementum, vbi, & altera-

ra-

rationem, detur motus ad alias formas; nàmquè in febre non datur tantùm motus ſpirituum ad locum, & ad intemperiem; ſed hanc intemperiem, ad quam dicimus dari motum, comprehendemus ſubſequi motum datum ad actionem, & paſſionem, & ad alia prædicaamenta; & velocitatem, & tarditatem eius motus eſſe comparabilem; ſi præſcinditur ratio tarditatis, & velocitatis à ratione motus. Dum enim præſcinditur velocitas, & tarditas à ratione motus, reducitur ad prædicamentum durationis; quià appræhenditur actus entis non vt in potentia, ſed vt magis, & minùs perſiſtens in ſua exiſtentia. actus enim qui magis perſiſtit in ſua exiſtentia, actus, & potentia, quæ magis perſiſtit in exiſtentia potentiæ, efficiunt motum tardiorem, quæ minùs perſiſtunt, efficiunt velociorem; nec proptèr permanentiam actus in ſua exiſtentia, amittit motus rationem ſucceſſiui; quià, vt iàm diximus, omnis forma habet durationem, & omnis actus, & omnis potentia; ſed dicitur motus ſucceſſiuus, quandò huiuſmodi durationes, ſeù morulæ, vt nonnulli aiunt, ſunt imperceptibiles. Ariſt. ait non dari comparationem velocitatis, & tarditatis intèr motum circularem, & rectum, quià non præſcindit velocitatem, & tarditatem à motu. imò, nec motum à ſubiecto. eatenùs enim non eſt comparabilis velocitas, & tarditas motus circularis, & recti, quatenùs non eſt comparabile ſpatium acceptum in linea recta, veluti accepto in linea circulari, ſed velocitas, & tarditas motus præciſiuè acceptæ regulantur à motu primi mobilis, tanquàm a communi menſura omnium motuum tàm rectorum, quàm circularium; tam ad motum ad vbi, quàm ad qualitatem, & quantitatem, & etiam ad relationem, & ſubſtantiam, & quancumque formam generabilem; aliàs non poſſemus dicere generationem ſubſtantiæ contingere in inſtanti, ſi motus acciperetur tantùm in alteratione præcedente introductionem formæ ſubſtantialis. Nequè ab hac ſententia diſſona eſt eorum opinio, qui rationem tarditatis, & velocitatis deſumunt ex modo ſe habendi virtutis motiuæ ad mouens, dicentes: qùm motus procedat effectiuè à virtute motiua, neceſsè eſſe velocitatem quoquè procedere ab eadem virtute motiua; quià addunt ad velocitatem, & tarditatem etiàm concurrere in motu locali diuerſitatem reſiſtentiæ ex parte medii, & in motu alterationis diuerſitatem diſpoſitionum ſubiecti; namquè ex valida virtute motiua, & medii leui reſiſtentia procedit motus velox, quo ens citiùs perducitur ad terminum, & formam; & ex hoc ipſo ſequitur minorem durationem habere in actu, & minorem in potentia, ad quam formam durationis diximus reduci rationem velocitatis, & tarditatis; qui autèm dicunt conſiſtere in virtutis motiuæ actione, non proponunt formam, ſed cauſam efficientem velocitatis, & tarditatis: & iurè indè eliciunt non eſſe comparabilem velocitatem alterationis cùm velocitate motus localis ex T. 21. ſeptimi phyſ. nequè localis circularis cùm recti ex T. 22. & 23. Verùm reducendo velocitatis, & tarditatis rationem ad aliquam formam atomam, vltimam, quam vocant ſpecialiſſimam, præſcindendo à ſubiecto, & aliis formalitatibus etiàm, quæ maximè æquiuoca videntur, ad vniuocationem reducuntur, & fieri poſſunt comparabilia, vt eſt acuties ſtili, & vini ab Ariſt. propoſita T. 24. tanquàm æquiuoca, prout verè eſt: quià, licet ſtylus, & vinum dicantur acuta, longè tamèn diuerſa eſt ratio acutiei in ſtilo ab ea, quæ eſt in vino; quarè ſi ratio tarditatis, & velocitatis deſu-

ſumatur ex modo ſe habendi virtutis motiuæ ad mouens, etiàm velocitas ipſa agendi in ſtilo acuto erit diuerſa à velocitate agendi in vino acuto. At, ſi, vt propoſuimus, velocitatis ratio non ſumatur a cauſa effectiua, ſed à duratione agentis (præciſa à quacunque alia formalitate) nulla erit æquiuocatio; nàm tàm eſt duratio actionis ſtili pungentis, & permanentis proptèr tenuitatem aciei, quàm ſit actionis vini pungentis, & permanentis proptèr tenuitatem ſpiritus à vino erumpentis; & ſub hac ratione, & formalitate erit velocitas, & tarditas motus comparabilis à ſtilo, & à vino procedens.

Vndè nàm ſumatur comparatio ſingularis motus.

PAtefacto modo, quo motus vniuerſalitèr ſumpti ſint comparabiles: deueniendum eſt ad modos ſingulares, de quibus 7. phyſ. T. 35. proponit agere Ariſt. Quæ comparatio, vt recte fiat in quocumque motu, conſiderari debet quod mouet, quod mouetur, quanto in tempore, & ad quem vſque terminum. Quibus conſideratis elicitur hæc prima comparatio in motu locali. Si mouens, vt homo mouere poteſt, aut ferre pondus centum librarum per ſtadium ſpatio vnius horæ: Idem homo poterit mouere, ſeù ferre pondus quinquaginta librarum per duo ſtadia ſpatio mediæ horæ; qùm enim ſit dupla proportio mouentis ad mobile, digeritur vis mouentis non occupata à mobili in ſpatium, & tempus; aut in ſpatium tantummodò in tempus. Ità ſi vis mouentis augeatur poterit opponi reſiſtentia mobilis; vt, ſi tanta virtus mouens poteſt mouere tale mobile tanto tempore per tale ſpatium, dupla virtus mouens poterit ſuperare duplam vim reſiſtendi mobilis eodem tempore, & per idem ſpatium. Fallere tamèn animaduertit Ariſt. comparationem, ſi fiat in acceſſorio, non ſuperato principali: vt, ſi tantæ virtutis mouens poteſt mouere tale mobile tanto tempore per tale ſpatium, non propterea ſequitur eandem virtutem poſſe mouere duplum mobile per dimidium tempus, aut ſpatium: namquè, ſi mobile excedit virtutem mouentis, primò, nulla proportio haberi poteſt temporis & ſpatij: primò enim comparatio requiritur mouentis, & mobilis, qua ſuppoſita, quæritur de perſiſtentia virtutis mouentis ſuprà mobile; & ex hac perſiſtentia in tempore pendet comparatio ad ſpatium: Si enim homines cẽtum non poſſunt mouere vllo pacto, nulla proportio erit quærenda ſpatii, aut temporis; non enim ſequitur: ſi centum mouent per ſtadium, quinquaginta mouere poſſe per dimidium ſtadii, quià vis mobilis ſuperat omninò omnem vim mouentis. Non repugnaret tamèn fieri comparationem; ſi, velutì imminuitur vis mouentis, ità proportionalitèr imminuetur vis mobilis; ſequitur enim, ſi centum homines mouent nauim tantæ reſiſtentiæ, & molis, homines quinquaginta poſſe mouere aliam nauim dimidiatæ reſiſtentiæ, & molis eodem tempore, & ſpatio, quo centum poſſe mouere maiorem nauem: & paritèr eadem ratione ſequitur, idem mobile non poſse vllo pacto moueri à virtute dimidiata; eadem enim proportio, quæ eſt vnius ad vnum, erit duorum ad duo. Similes comparationes ſequuntur etiam in motu alterationis, & augmenti, in quibus etiàm rarior, & difficilior eſt comparatio, ob variam rationem mouentis, & eiuſdem obſcurita-

ta-

tatem, proptèr quam creditur interdùm mouens agens merè naturale, & erit intellectuale, & ex ratione finis; propterea proportio non reſpondet; namquè mouens interdùm per vim caloris nutritione augmentum parat non proportionalitèr; namquè idem calor multum parat augmenti in iuuentute, in virilitate nihil, etiam ſi par virtus caloris habeatur. Ità calor ventriculi ſi ſex horarum ſpatio libram carnis concoquit; non tamèn proportionalitèr trium horarum ſpatio concoquet ſelibram, hoc tamèn euenit, vt accuratè animaduertit Ariſt. Tex. 35. ob variam rationem aut mouentis, aut mobilis, aut temporis, aut termini. Sæpius enim euenit ignotum mouens eſſe, & attendi vim proportionalem ab agente inſtrumentario, latente principali; vt euenit in augmento per nutritionem, quod fieri creditur per calorem, dùm fit à principio intellectiuo, quod vtitur calore vt inſtrumento. Interdùm, quod mouetur, mouenti magis reſiſtit, aut eius vim nulla ratione recipit: interdùm ſummè obſequioſum eſt, vndè eſt, vt vis ventriculi vehementior carnem bubulam concoquit breui horarum ſpatio, & oua continet inconcocta, vt refert Galenus.

LIBER OCTAVVS Phyſicorum.

De primo motore, motu, & mobili.

TErminare intendit Ariſt. libros de naturali auditione; & qùm naturam principium, & cauſam motus dixiſſet, & quietis, ac de cauſis latè diſſeruiſſet: ac de motu, & de variis illius ſpeciebus, & in quas formas terminentur, in quo inuicem ſint comparabiles, & genericè, & ſpecificè omne mouens ab alio moueri, & non diſtare ab eo; propterea vt mutuam omnium connexionem, & formam vniuerſi patefaciat, & ordinem, qui natura eſt, omnium rerum principia ad vnum principium, omnes cauſas ad vnam cauſam, omnes motus ad vnum primum motum, & motores ad vnum motorem, & mobilia ad vnum mobile reduci, & ab eo pendere in eſſe, & conſeruari; tandèm concludit, nequè motus, nequè mobilis, neque motoris poſſe aſſignari principium vllum, aut coniectari exitum, & finem, ideoquè primum motum lationem circularem æternam fuiſſe, primum mobile incorruptibile, & primum mouens vnum immobile, & impartibile, immateriale eſſe.

Proemium.

IN proemio Ariſt. proponit inquirendum, an motus aliquandò incæperit, qùm non eſſet priùs, & an ſempèr futurus ſit, & an motus ſinè interpoſita quiete ſit, velutì eſſe videtur in viuentibus, quæ perpetua, & continuata motione actuantur, quam *entelechiam* multi; ſiuè animam vocant. animaduertens ſe non proponere quæſtionem, an motus ſit; nàm notum hoc inductione dixerat, & à quocumque naturali philoſopho conceſſum; & aliàs, ſi non concedatur, eſſe indemonſtrabile, & fruſtrà de eius exiſtentia quæri; ſed quæſtionem eſſe ait: an motus ſit æternus, & an motui admixta, & interpoſita ſit quies. qua de re erat aliqua controuerſia apud antiquos philoſophos, & erat neceſſaria eius determinatio vt conducens ad notitiam primi motoris, & auctoris præcipui rerum naturalium. Quod autèm omnes concedant, eſse motum, probat, quià omnes mundum genitum eſse aſserunt; ſed generatio non poteſt eſse ſine motu, ergò omnes concedunt eſse motum. Diſſentio igitùr non eſt de motus exiſtentia, ſed de æternitate; Qui enim dicebant, mundum eſse æternum, vt Democritus, etiàm motum æternum eſse dicebant, aut conſeruari hanc æternitatem per ſucceſſionem, dùm mundi alii generarentur, alii verò corrumperentur in ſpatio immenſo; quemadmodùm apud nos indiuidua animantia corrupta, & regenerata æternam ſpeciem conſeruare animaduertimus. Qui verò aſserebant mundum eſse corruptibilem, vt Anaxagoras, & Empedocles, etiàm de motu ſecundùm rationem corruptibilem eſse ſentire credebantur: namquè, etiàm ſi omnes genitum eſſe dicerent, Democritus tamèn perpetuam fuiſſe, & futuram generationem arbitrabatur ſucceſſione continuatam. Empædocles verò inextimabili æuo perdurare in ſua exiſtentia mundum, ſed poſtmodùm paritèr per eandem æui durationem quieſcere poſt corruptionem; ſic omnes genitum dicunt, & omnes motus exiſtentiam concedunt, ſed non omnes æternum compræhendunt. Ariſt. autèm intendit refellere eam Empedoclis quietis intermixtionem. oſtendendo motum eſſe continuum, & æternum, & vnum. Proponebat Empedolocles omnia priùs permixta in chaos, indigeſta inextimabili æuo permanſiſſe: poſteà mentem, ſiuè intellectum, qui ab ipſis Deus habebatur, confuſa omnia diſtinxiſſe, & actuaſſe: & cùm omnium innouatione motum quoquè renouatum proponebat. Eam permixtionem chaos appellabat Empedocles amicitiam, per quam omnia quieſcerent. Digeſtionem verò, & actuationem appellabat litem, per quam motus produceretur, & perſiſteret; ſic in amicitia ex eo mundus corrumpebatur, & generabatur per litem; ità vt non eſſet quicquam medium quieſcens intèr litem, & amicitiam; ſed ipſa amicitia eſſet quies intermedia intèr litem, & litem ſucceſſiuè emergentem; & ſic intèr mundi generationem,& generationem; quæ res,qùm nos conducat in notitiam mentis illius, & intellectus ſegregantis, & Dei. vtilis admodùm erit iſta tractatio de motus æternitate, & ad naturalem philoſophum, & ad methaphiſicum.

Con-

Confuſè agitur de motus perpetuitate.

AD probandam motus æternitatem ſaltèm confuſè, & rationibus problematicis, proponit Ariſt. ſuperiùs allatam definitionem motus tanquàm fundamentum rationum adducendarum. *Motus eſt* inquit *actus mobilis in potentia, prout in potentia*; ex qua definitione infert antè omnem motum debere eſse potentia mobile: velutì alteratio præſupponit alterabile, & latio mobile ſecundum locum; eſt enim combuſtibile, & comburens antequàm conburatur quicquam; quo ſuppoſito, quærit Ariſt. an mouens, & mobile præſuppoſitum antè motum fuerint genita, vel extiterint ab æterno; ſi dicamus fuiſſe genita, quoniàm generatio non eſt ſinè motu, ſequitur ea per motum fuiſſe genita, atquè ità motum fuiſſe antequàm fierent, ſaltèm per præuias diſpoſitiones generationis. Si verò dicamus mouens, & mobile fuiſſe æterna, vel in toto durationis æuo mota ſunt, vel cæperunt in tempore moueri. ſi æterno ſuæ durationis tempore mota ſunt, iàm habetur intentum, motum fuiſſe illis coæternum, ſi verò moueri cæperunt in tempore, dùm priùs non mouerentur, aliquo impedimento retardabantur à motu, atquè ità, vt in tempore mouerentur, neceſſarium fuit remoueri hoc impedimentum; ſed hæc remotio impedimenti non potuit fieri, niſi per motum, ergò motus erat antequàm mobile, & mouens mouerentur; ſic motus antè motum erit, procedendo in infinitum, quod a philoſophia alienum eſt. quarè erit concludendum motum fuiſſe ab æterno.

Hanc rationem ab Ariſt. quoniàm problematica eſt, poſſet aliquis infirmare, dicendo: qùm mouens, & mobile fuerint ab æterno, potuiſſe etiàm in tempore moueri ex noua pariter motus productione, & ſinè ſuppoſito motu præcedenti, quià in neutro fuit oportuna mutatio in tempore, vt mouerentur. non fuit neceſſaria mutatio in mobili, quià poteſt ſupponi ſempèr mobile, & ſempèr aptum ad motum, nulla fuit mutatio neceſsaria in mouente, quià, qùm hoc eſset mouens intellectuale, & liberum, potuit moueri numquàm impeditum, ſed ex voluntate in tempore determinato liberè procedens; quod impedimentum poteſt potiùs concedi in agente naturali, quod ad alterum ſuppoſitorum determinatum eſt.

Quod argumentum repellit Ariſt. primò oſtendendo, eandem rationem eſse agentis intellectualis, & naturalis,&vtrumque potentiam habere ad oppoſita; velutì enim agens intellectuale mouet ſursùm, & deorsùm liberè,ità aer frigidus frigefacit & calefacit: vndè ventres hyeme calidiſſimi propèr compulſionem expirantis ad interna. Item tàm in agente naturali, quàm in rationali, & voluntario: tàm ex parte mouentis, quàm mobilis requiritur diſpoſitio: nàm actio recipitur in patiente benè diſpoſito, quæ diſpoſitio tàm in mouente, quàm in mobili aqquirenda eſt per motum; ſic ante motum dabitur motus etiàm in agente voluntario ſaltem, vt mouens approximetur mobili, qùm probatum ſit inter mouens, & mobile indiſtantiam eſse conditionem logicè requiſitam; prætereà intèr mouens, & mobile relatio eſt, quæ antequàm oriatur, ſupponit aliquam mutationem in fundamento, quæ mutatio ſi ſit, erit motus antè motum: nullum enìm mouens mouere poteſt, & reduci ex potentia ad actum ſinè noua conditione requi-

quiſita ad motum ſuperueniente; quod tàm in agente naturali, quàm in voluntario locum habet: namquè etiàm in agente voluntario, dùm nouam intendit actionem, ad eam, per nouam aliquam cauſam ſuſcitatur, per quam ſaltem nouus appetitus oriatur; vt alimentum appetitur ob illius abſumptionem, & non ex libera voluntate aſſumentis, cuius libertas poteſt cauſare, vt ſumat, aut non ſumat; non autèm, vt appetat, aut non appetat, quià appetitus ſequitur facultatem naturalem, ratio verò eidem dominatur.

Ac, ſi quis replicet ex ſententia Anaxagoræ diuinam mentem; nempè Deum, mouere cepiſſe ſinè vllo præexiſtente motu; quod ſi noua relatio oriatur intèr mobile actu, & mouens actu, ex Ariſt. ad relationem non datur motus; imò ex hoc argumento Ariſt. deduceretur neceſſariò, motum eſſe factum. quippè, ſi omnis relatio intèr mouens actu, & mobile præſupponit præcedentem mutationem, ea neceſſaria erit antè omnem motum: ſic omnis motus eſt poſt aliam formam, & incipit in tempore.

Reſpondetur, prioritatem aliam eſſe temporis, aliam naturæ: in his, quæ fiunt in tempore, requiritur prioritas temporis vt inducitur; at in æternis ſatis eſt prioritas naturæ; &, mentem diuinam non potuiſſe in ſententia Anaxagoræ mouere nouitèr ſine nouà mutatione voluntatis, quæ voluntas ſemper ab extrinſeco excitatur. Addendo non poſſe appræhendi priùs, & poſteriùs ſinè appræhenſione temporis, neque ratio temporis eſt ſinè motu, qùm ſit eius menſura; priùs, & poſteriùs ſunt partes eſſentiales temporis, & tempus eſt menſura motus, & ex omnium ſententia eſt æternum, vno excepto Platone, qui tempus cum cælo factum affirmauit; ac eſſe æternum tempus, vt omnium ſententia proponit, probat vlteriùs Ariſt. ex ipſo nunc, & inſtanti, quod eſt medium inter duo tempora: nempè intèr præteritum, & futurum; at ſi tempus vnquàm cæpiſſet cùm cælo, vt profert Plato, eſſet aliquòd inſtans principium futuri, & non terminus præteriti, quod eſt contrà ſuppoſitum, & eadem inconuenientia, quæ proponuntur in principio motus, ſequuntur etiàm in fine; ſi quis dixerit motum fuiſſe æternum à parte antè, & habiturum exitum à parte poſt. non enim poteſt eodem tempore idem deſinere moueri, & eſſe mobile, neque mouens poteſt eodem tempore deſinere mouere, & eſſe motiuum; ità non poteſt eodem in inſtanti amitti actus, & potentia; aut emergeret impedimentum, ne potentia deduceretur ad actum; quæ rationes vim habent problematicam ex ſuppoſito omnium philoſophorum axiomate, *ex nihilo nihil fieri*, vt apud nos iam certum eſt, motum cæpiſſe, vt ait Plato, vnà cùm cælo, & nullo præcedente motu in creatore, ſed ex æterno conſilio eruptum in tempus ex nihilo materiæ ſuppoſitæ: non tamèn ex nihilo, niſi ſui, quia vniuerſum productum eſt ex increata omnipotentia, ex qua omnia ſunt poteſtate, quæ mente concipi poſſunt: itaquè, quod conſtituitur in eſſe per creationem, eſt quidèm ex nihilo ſui; ſed eſt ex omnipotentia actus ſimpliciſſimi; formæ verò, quæ dicuntur educi ex potentia materiæ, ſunt magis ex nihilo, quià materia eſt propè nihil, & actus entitatiuus, quem ipſa habet, habet ab actu ſimpliciſſimo, & nullæ temporis conditioni addito, quo potuit vnà & mobile, & motus erumpere, ſola liberæ mentis directione ad hoc velle, ex cuius mentis intellectione ità pendet ens reale, veluti ex animæ humanæ intellectione ens rationis, quod nullam aliam habet entitatem prætèr ipſum intelligere

in

in actu exercito . Itaquè ratio Ariſt. ducens ad abſurdum, quià fundamentum habet in vulgato axiomate philoſophantium , *ex nihilo, nihil fieri* locum non habet, nequè vim vllam ad excludendam creationem ſimultaneam mobilis; & motus.

Imò ne quidèm contrà Empedoclem vrget Ariſt. ratiocinatio; contrà cuius ſententiam nullam aliam rationem adducit, niſi temeritatem enunciationis; dicendo, eſſe figmento ſimile dicere, per inextimabile æuum amicitia omnia congregata permanſiſſe, & poſtmodùm per litem eſſe diſgregata, & modò rursùs congregari expetere, & res ad hoc moueri; quià Empedoclis ratiocinatio fundamentum habet in quadam ſerie rerum naturalium, quæ per amicitiam quieſcere, & ſimùl perſiſtere etiàm, quæ contraria ſunt, vt ignis, & aqua in mixto, & eadem per litem ſegregari; ex quo, ſupponendo eandem rationem eſſe totius, & partis; quod in partibus euenire compræhendimus, non temerè ratiocinamur in vniuerſo (data temporum proportione) poſſe accidere; nequè hoc eſt figmento ſimile, niſi apud eos, qui litem, & amicitiam diſgregantem, & congregantem ſinè proportione ad res, & tempora proponunt: vt fortaſsè arbitrabatur Ariſt. propoſuiſſe Empedoclem: ideòquè eius aſſertum, ait, figmento ſimile: veluti pronunciauit etiam aſſertum Anaxagoræ, cuius ſententia, velutì magis veritati æternæ proxima eſt, ità ab Ariſt. magìs à naturæ curſu elongari dicitur; quarè ex naturæ operibus, quæ nihil inordinatum habet, opera arguit mentis, ex qua ipſe ordo naturæ proficiſcitur. Ariſt. tamèn, quià problematicam dixerat quæſtionem de mundi æternitate in dialecticis, rationes hìnc indè problematicas affert: hoc magìs habere addens probabilis ſententiam pro mundi, & motus æternitate, quod ex ea faciliùs rationes aduerſæ ſoluuntur; vt eſſet, motum eſſe de termino ad terminum; ideò non poſſe eſſe æternum, quià neceſſario cæpiſſe dicendum eſt, ſi à termino eſt; &, ſi eadem eſt ratio totius, & partis, ex obſeruatione habita in motibus ſingularibus; & eorum inductione poſſumus probabili ratione motus vniuerſi principium ſtatuere, & ab æternitate liberare, & abſoluere. præſertim hoc animaduertendo in animantibus, quæ poſt diuturnam quietem moueri incipiunt; ad quas rationes deſtruendas neceſſarium fuit Ariſtoteli, minorem propoſitionem negare; videlicèt, omnem motum inclùdi intrà duos terminos, quam propoſitionem excludit exemplo motus circularis, qui eſt ab eodem in idem, & non à contrario in contrarium; propterea non finitus, ſed æternus; quod de numerico motu fortaſsè aliquam probabilitatem habet, at in ſucceſſiuo viget adhuc argumentum adductum contrà mundi æternitatem, & motus. nec Anaxagoræ elidit ſententiam animaduerſio in animantibus, quæ, licèt in ſomno quieſcere videantur, tamèn intrinſecè moueri compræhenduntur; quià iàm certum eſt animalia eſſe in motu: imò animam eſſe continuatam, & perpetuam motionem; tamèn ex ceſſatione motus localis, & eiuſdem noua aſſumptione non demonſtratiuè, ſed problematicè coniectamur vniuerſalitèr in motu potuiſſe accidere, quod in ſingulari motu animaduertimus; &, qùm hìnc indè rationes afferantur non improbabiles, ſempèr rata permanet ſententia Ariſt. probata in dialecticis: quæſtionem de mundi æternitate eſſe problematicam, & pro vtraque parte, poſſe ſuſtineri per rationes naturales.

Non omnia ſempèr moueri, nequè ſempèr quieſcere.

SVnt in rerum natura, quæ ſempèr mouentur, ſunt quæ ſempèr quieſcunt, & ſunt, quæ quandoquè mouentur, & quandoquè quieſcunt; ex his, quæ ad ſenſum compræhenduntur, non omnia ſempèr quieſcere, oſtendebat; vt ferunt, Diogenes non alia ratione, niſi ambulando: ità enim excludebat vniuerſalem propoſitionem, omnia quieſcere, ad ſenſum oſtendendo aliqua moueri: quarè etiàm Ariſt. ſtultum arguit aſſertum Zenonis dicentis omnia quieſcere, & intellectus debilitati tribuit, declarando tamèn, quomodò hæc ſententia Zenonis ſaluari poſſit, & quo ſenſu credi poteſt probata. nempè, quòd omnia ſimùl, & vniuerſum totum in ſe ipſo quieſcant: non tamèn credibile eſt, ſenſiſse Zenonem, ſingulas partes ſimùl, vniuerſi quieſcere, quià hoc eſset contra ſenſum, & iurè damnaretur hæc opinio ab omnibus naturalibus philoſophis; quarè Diogenis oſtentio non erat contrà Zenonis ſententiam; ſed contrà eorum interprætationem, qui Zenonem de ſingulis partibus dixiſse, omnia quieſcere, & non de vniuerſo arbitrabantur, vt totum quoddam eſt, & hùc ſpectat aſsertum Ariſt. 8. phyſ. T.22. *de toto aliquo, & non de parte ambiguitas eſt*, ideſt ſententia Zenonis aſserentis, omnia quieſcere, eſt intelligenda de toto aliquo, non de parte; namquè de toto fatetur etiam Ariſt. ambiguitatem eſse, an hoc totum, vniuerſum quieſcat; at moueri partes, patere, ait, ad ſenſum.

At nequè etiàm plauſibilem eſse, ait Ariſt. aduerſam opinionem eorum, qui dicerent omnia ſempèr moueri, quippè omnis motus eſt à termino a quo, ad terminum, ad quem, & à contrario in contrarium, vndè, ſi motus quilibet non haberet intermixtam quietem, idem in eodem inſtanti moueretur ad contrarios motus; vt exempli gratia, quæ alterantur, vt quæ caleſiunt in eodem inſtanti caleſierent, & refrigerarentur, quod impoſſibile Ariſt. exiſtimauit; &, id eſse ſucceſſiuè caleſieri, credidit: in vno inſtanti caleſieri, & in alio refrigerari, aut, ſi calefaciens validior ducit ad formam caloris, per duo inſtantia ſequetur calefactio, & per vnum refrigeratio; & ex hoc textu confirmatur interprætatio definitionis naturæ, eam *eſſe principium motus, & quietis* copulatiuè; & motum ſucceſſiuum eſse non, quià ſinè intermiſſione res moueantur ad certum terminum, ſed quià intermedia quies ſit inconſpicua; & proptèr ineuidentiam intermediæ quietis, Ariſt. minùs à methodo alienam dixit eorum opinionem, qui omnia moueri aſsererent, quàm, qui omnia quieſcere; quià motus magìs naturalis eſt, & ad ſenſum patens. Manifeſtè autèm in hoc textu explodit rationem motus ſucceſſiui in ſcholis receptam, dùm ait nequè augeri, nequè minui poſſibile eſse continuè, ſed neceſsariam eſse intermediam quietem, aut intermedium aduerſum motum; quod pro eodem habuit Ariſt. dùm ait motui tàm contrariam eſse quietem, quàm contrarium motum; ſed, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem intèr ſe, ergò quies, & contrarius motus idem, aut pro eodem ſunt. Quoniàm verò naturalis philoſophi ratiocinatio ſenſu regitur, non dicit rem moueri, niſi, qùm terminus acquiſitus per motum ſenſu manifeſtus eſt; quod oſtendit exemplo guttæ cauantis lapidem, & caprifici diſcompaginantis, nàm gut-

gutta cauat lapidem ſensìm ictu ſingulari partem, & caprificus paritèr lapidem diſrumpit; & tamen, quià philoſophus regitur ſenſu, non dicitur quælibet gutta proportionale quid demere, ſed mille diſponere, & vnam cauare; ſic incrementum capirifici ſensim fieri, ſed vltimum aqquiſitum lapidem ſcindere; & ſibi perſuadere, ait Ariſt., idem euenire in motu alterationis, & localis, quod aduenit in motu nauis, quæ poteſt moueri à vi centum hominum tota per tantum ſpatium, non tamèn poteſt moueri tota per medium ſpatium a quinquaginta hominum vi; quià vis determinata requiritur ad mouendam nauim totam, & vis dimidiata poteſt quidem mouere dimidiam nauem, ſed non totam nauem per dimidium ſpatii, aut temporis; ſed in motu nauis hoc eſt manifeſtum ad ſenſum, quod non eſt manifeſtum in alterationibus, & tamen ex Ariſt. proportionalitèr ſe habet; & alteratio non eſt vnus continuus motus, vt apparet ad ſenſum; ſed habet intemixtas quietes, ſeù contrarios motus; ſuperat autèm forma, quæ acquiritur, quandò vis agentis ità fuerit multiplicata, vt poſſit obſtantes contrarias qualitates vincere. Ponit etiam aliud exemplum in facto eſſe ſatis conſpicuum, in fieri non manifeſtum, nempè de congelatione, ad quam qùm datur motus, non apparet aqua ſensim acquirere duritiem, ſed totam ſimùl, quod autèm in his motibus animaduertimus manifeſtum, in quacumque alio proportionalitèr euenire, poſſumus rationabilitèr dicere licèt inconſpicuè: atquè ità concludendum eſt, non omnia ſempèr moueri, ſed ſempèr habere interpoſitam quietem; vndè ſententia Auerrhois, quam habet de motu continuo, intelligenda eſt de diſcontinuo, nàmque omnis motus ex Ariſt. in hoc textu, & ex definitione naturæ eſt interceptus à quiete; ſed iſta interceptio in actione eſt omnium minimè manifeſta, in alteratione poteſt meliùs concipi, & in motu locali fit manifeſtior: ratio eſt, quià augmentum eſt opus animaſticum, quod ſummè regulatum eſt, & fit ſensim, ità vt nec motus, nec quies in fieri, poteſt innoteſcere, ſed tantùm in facto eſſe; vt de gutta, & caprifico exemplificat Ariſt. Si igitùr falſum eſt, omnia quieſcere, quià apparet ad ſenſum aliqua moueri, ſic falſum eſt, omnia moueri, quià apparent aliqua quieſcere, erit neceſſariò concludendum: eſſe aliqua, quæ ſempèr quieſcant, vel aliqua, quæ ſempèr moueantur, & aliqua, quæ quandoquè moueantur, & quandoquè quieſcant. In quam ſententiam tertiæ diuiſionis reduci poteſt Empedoclis opinio, dicentis, omnia quandoquè quieſcere, & quandoque moueri, & ideò hanc opinionem non refellit Ariſt. quià coincidere poteſt cùm ea, qua dicitur aliqua quandoquè moueri, quandoquè quieſcere, ſenſu enim tantùm eam elidit Ariſt., quo percipitur ſaltèm quædam moueri; & argumentum valet tantùm pro rerum præſenti ſtatu, quid autem olìm fuerit, aut non fuerit, non euertit. dici tamen poteſt, ſi ex mente Empedoclis datur motus, & quietis reciprocatio ità, vt quæ modò mouentur olìm quieta eſse poſsint, & quæ modò quieſcunt, olìm poſſint moueri, omnibus contingere poteſt, quandoquè quieſcere, & quandoquè moueri: & præualet hæc opinio Empedoclis, quam Ariſt., & ferre videtur, & illi, quæ eſt Anaxagoræ præponit in ſententia moderniornm, qui ex his, quæ apparuere ſupèr ſublunarem regionem, cælum generari, & corrumpi conuincunt, non ſecùs ac ea, quæ apud nos ſunt, faciant; quarè eadem materia, quæ modò formis ſubeſt ſublunaribus,

contingere poteſt olìm ſub forma cæleſtium corporum eſse ; vt , quæ modò dicerentur ſempèr quieſcere , dici olìm poſſint ſempèr moueri , & quæ ſempèr mouentur , ſempèr quieſcere . Item ſi conuincatur etiam : non Solem oriri , & occidere , ſed nos eſse , quos natura neſcientes ferat , vt multi ſuadere conantur, omnium erit ſententia probabilis , & eorum , qui aſſerunt omnia ſempèr quieſcere ; nàm vniuerſum propriis terminis libratum proditur , & ſecundùm totum quieſcere , partes verò ſingulares ſempèr moueri dici poſſunt intrà vniuerſum per naturæ viciſſitudines, vt vniuerſum in ſe ìpſum . Itèm quædam ſempèr moueri in vniuerſo , & quædam ſempèr quieſcere , ſi nullus motus eſt , vt fatetur Ariſt. cui non intermixta quies ; & demùm omnia quandoquè quieſcere , & omnia quandoquè moueri , prout ſub diuerſa forma viciſsìm fuerint , & futura ſunt. In natura autèm , de qua quærimus in præſenti , & de his , quæ apparent , & manifeſta ſunt . aliqua ſempèr mouentur , vt cælorum corpora ; alia ſempèr quieſcunt , vt terra, ſeù potiùs , vt vniuerſum tanquàm totum , alia quandoquè mouentur , & quandoquè quieſcunt , vt , quæ generantur , & corrumpuntur .

Quoniàm verò Empedocles ſenſui obiecto ab Ariſt. contrà ſententiam eius occurrebat dicendo , motum eſſe quid apparens , & ex opinione,non autèm verum;&,quæ nos dicimus moueri , hoc dicimus , quià ſenſus decipiuntur ; & , ſtante rerum ente vno , & vna forma entis, eaque immobili , quædam ſunt , quæ nobis videntur moueri , qùm verè non moueantur . hoc ſubterfugium refellit Ariſt. dicendo , ſi nobis quædam videntur moueri , & non mouentur , ex hoc ipſo conuincitur eſſe motum ; & aliqua eſſe , quæ mouentur ; licèt non moueantur ea , quæ nos moueri dicimus , quià videri moueri , & non videri , procedit ex aliqua mutatione : veluti euenit in nauigantibus , qui dicunt quidem falsè . *Vrbes terræque recedunt.*

Quanquàm verè terra non recedat ab illis; ſed videatur recedere ex eo, quià ipſi nauigantes recedũt à terra, & opinantur recedere terram , quià ſenſus eorum decipitur . Vndè inquit Ariſt. licèt non moueantur ea , quæ moueri creduntur , vt ait Empedocles ,tamèn videri moueri ex aliquo motu proficiſcitur , & decipimur vt nauigantes ; ſic ex motu eſſe opinionem , & non opinionem, eſſe motum fatetur : nàm dùm loquitur de motu præcipuo , nempè lationis ; nimis tenuem adduceret motus rationem:ſi motus , quo opinatur , obiiceret . vt nonnulli interpretes leui admodùm ratiocinatione exponunt .

Omne , quod mouetur , ab alio moueri .

OMnia , quæ mouentur , inquit Ariſt. , vel mouentur per ſe , vel per accidens ; moueri dicuntur per accidens , quæ ad motum alteriùs mouentur , ſiuè quià in eo ſint tanquàm in ſubiecto , vt homo in curru , ſiuè quià ſint in eo tanquàm partes,vt manus, & caput in homine . homo quieſcere , & per accidens moueri ad motum currus ; ac paritèr, quandò homo ambulat , manus eius , & caput , licèt nihil agant , nequè moueantur, dicuntur tamèn moueri per accidens , quià ſunt partes hominis, qui mouetur , & motum illius ſequuntur . At per ſe dicuntur moueri , quæ non mouentur ad motum al-

alterius, quià ſint in moto tanquàm in ſubiecto, vel tanquàm partes. Hæc autèm, quæ dicuntur moueri per ſe, vel mouentur à ſe ipſis vel ab alio. Quæ mouentur ab alio, vel mouentur ſecundùm naturam, vel prætèr naturam, & violentèr: vt, quandò terra, & omne, quod graue eſt. mouetur ſursùm: aut ignis, &, leue quod eſt, mouetur deorsùm: de quibus minùs dubitabile eſt moueri ab alio. At, quæ mouentur ſecundùm naturam, & dicuntur moueri ab alio, non adeò conſpicuum eſt, à quo moueantur; vt, quandò terra mouetur deorsùm, aut ignis ſursùm, hæc enim ità mouentur ſecundùm naturam, & non poſſunt dici moueri à ſe ipſis; quià, ſi à ſe ipſis mouerentur, poſſent moueri, & non moueri, vt, dùm terra mouetur deorsùm, ſi à ſe ipſa moueretur, poſſet in medio curſu motum ſiſtere, veluti faciunt ea, quæ ſe ipſa mouere dicuntur, vt animalia; qùm igitùr hæc, quæ ſecundùm naturam mouentur, non moueantur à ſe ipſis, valdè dubium eſt, à quo nàm moueantur: quià nihil apparet, quod moueat terram deorsùm, aut ignem ſursùm; ideò videntur à ſe ipſis moueri; aut ſaltèm per propriam naturam eſſe mobilia; quam mobilitatem qùm habeant ignis, quià leuis eſt, terra quià grauis; & ignis per leuitatem, quam habet, habeat potentiam ad motum ſursùm, & terra per grauitatem habeat potentiam ad motum deorsùm; & quià, quod potentia eſt, multiplicitèr dicitur; iccircò non eſt manifeſtum, à quo hæc moueantur, vt terra deorsùm, & ignis ſursùm. quod autèm, quod eſt potentia, multipliciter dicatur, patet, quià alio modo dicitur potentia ſciens, qui ignorans eſt; & diſcit; & alio modo, qui ſcit; ſed non ſpeculatur; huius dicitur potentia proxima, illius dicitur potentia remota; ità etiàm aer dicitur potentiam habere ad motum deorsùm, ſi illi tribuimus potentiam remotam, quià aer poteſt in aquam conuerti, & ità grauitatem per nouam generationem acquirere ab actu primo; aqua verò habet potentiam proximam mouendi ſe deorsùm, quià iam grauis eſt, & quocumque impedimento remoto mouebitur deorsùm ſecundùm naturam, quarè mouentur per principium paſſiuum, & non per principium actiuum, & per hoc principium paſſiuum paſſiuè mouentur per ſe; &, quod apparet hæc mouere, vt virtus agens conuertens aerem in aquam, & tribuens grauitatem tanquàm generans, tribuit aquæ actum primum, & potentiam ad actum ſecundum, ſeù ad motum deorsùm; verùm, quod remouet impedimenta, mouet per accidens: quarè motus & potentia mouendi procedit à generante, veluti motus reflexus pilæ ad parietem oppulſæ, licèt videatur prouenire à pariete repellente, tamèn non à pariete, ſed a proiicente prouenit: ità, licèt, qui remouet impedimentum terræ, videatur mouere terram: non mouet, niſi per accidens; ac potentia ad motum tribuitur à generante, nàm, quod formam tribuit, tribuit etiàm omnia conſequentia formam. Videntur tamèn animalia moueri à ſe ipſis, quià per quamcumque lationem mouentur ad ſursùm, & deorſum, & ad libitum mouentur, & quieſcunt; quarè videntur habere principium ſui motus à ſe ipſis: & tamèn animalia quoquè ab alio mouentur, & partim natura, & partim prætèr naturam: nàm, veluti in naui diuiſum eſt id, quod mouet ſe ipſum, & id, quod mouetur; ità in animali id, quod ſe ipſum mouet, eſt anima, quod mouetur eſt corpus, ac corpus vt terreum mouetur ſursùm prætèr naturam à prædominante, anima verò mouetur à corpore ex accidenti tanquàm in ſubie-

biecto, ſi eſt actus vt nauta nauis, aut tanquàm pars, & ipſa quoquè ab alio mouetur, nempè à bono, & fine præconcepto; qua proptèr omne, quod mouetur ab alio mouetur: vt lapis à baculo, baculus à manu, manus ab homine, homo ab anima, & anima à bono præconcepto, ſic à primo ad vltimum omne, quod mouetur, ab alio mouetur; nec eſt aliquid, quod abſolutè, & per ſe moueatur à ſe ipſo, vt libro ſeptimo confusè etiàm pronunciauit Ariſt.

Dubium a quonam moueantur grauia, & leuia.

INconſpicuum eſſe dixit Ariſt. à quo nàm moueantur grauia, & leuia, qùm certum ſit, ab alio moueri ex his, quæ ſuprà narrata ſunt, & Ariſt. ait moueri à generante; quod aſſertum non videtur ſinè examine prætereundum, nàm ignis interdùm generans ignem ſtatìm illi tribuit motum deorsùm; ergò igni genito tribuitur motus ſursùm ab alio, quàm à generante: antecedens patet, dùm candela illicò extincta accenditur, à parte ſuperiori appoſita candela accenſa; tunc enìm manifeſtè videtur, dùm generatur ignis, eundem deſcendere ad ſuppoſitam candelam; ergò ſursùm ferri, ignis non habet à generante.

Secundò ait Ariſt. ignem moueri ſursùm à remouente impedimentum per accidens, à generante per ſe, & à proiciente pilam, licet videatur reflecti, & moueri à pariete, itá vt ex eo, licèt intermedij actus ſint, & motus varij, tamèn omnes motus à primo mouente proueniunt, quà ratione; dùm naturæ ordo poſtulat ex aere & ignem poſſe generari, & aquam, ab eodem agente dabitur grauitas, & leuitas, aut ſaltèm datæ ſunt remotè à generante aerem.

Tertio, quoniàm elementa ſunt homogenea, non poteſt aſſignari in illis pars mouens, & mota diſtincta; ideò dicendum eſt, moueri ab extrinſeco. ſed ex ſeptimo phyſ., quæ mouentur ab extrinſeco, vel pelluntur, vel trahuntur, vel rotantur, vel vehuntur, quæ non ſunt a generante, ergò grauia, & leuia non mouentur à generante.

Quartò effectus in actu poſtulat cauſam in actu; ſed, dùm ignis fertur ſursùm, poteſt ille ignis, à quo genitus eſt, eſſe extinctus, ergò gnis, qui fertur ſursùm, non fertur à generante.

Quinto, veluti ignis non habet potentiam ad calefaciendum à generante, ſed à propria forma, itá non debet dici habere leuitatem à generante, quià magis proprium eſt illi calefacere, quàm ferri ſursùm.

Sextò generans, ſi tribueret grauitatem, aut leuitatem, tribueret eiuſdem rationis, quam ipſum habet, ſed ab igne interdùm ex aqua generatur aer, quæ non habet leuitatem ignis: ergò aeri non eſt tributa leuitas ab igne generante.

Pro declaratione huius admodùm agitatæ difficultatis præaccipere oportet, inter viuentia, & non viuentia quod nàm ſit diſcrimen. Ex Ariſt. 2. de an. T. 3. vitam dicimus eorum, quæ in ſe ipſis habent alitionem, & augmentum, atquè diminutionem, & ex Platone in Phædro. cui forinſecus eſt moueri, id inanimatum eſt. Itaquè ex his viuentia habent principium ſui motus in ſe ipſis, inanimata extrà ſe. Natura definitur principium motus, & forma eſt natura: viuentia igitùr hoc principium ſui motus id eſt naturam habent in ſe ipſis; vndè ſequitur illud principium, a quo mouentur, eſſe illorum formam. ex ad-

aduerſo principium actiuum, & forma motus inanimatorum ſi eſt extrà ea, non erit eorum forma, erit tamèn natura; quià natura dicitur principium motus; & natura, quæ dicitur principium, & cauſa motus duplex aſſignatur ab Auerroe, alia natura naturans, alia natura naturata; natura naturans eſt principium actiuum, & natura naturata eſt principium paſſiuum. Nulli dubium eſt ignem, & terram habere formam, & formam eſſe eorum naturam, & hanc formam, & naturam eſſe principium ſui motus: hac tamèn differentia, nàm natura, quæ eſt principium actiuum motus grauium, & leuium, non eſt eorum forma, ſed forma vniuerſi, quæ dicitur ordo: grauia autèm, & leuia habent naturam, ſed naturam naturatam, & hæc natura ſub ratione naturæ eſt principium motus, ſed principium reſpondens naturæ, ideò eſt natura eorum natura naturata: eorum natura & forma propria erit principium paſſiuum ſui motus in obſequium naturæ ſuperioris, & ordinis vniuerſi. Iurè igitur dicuntur grauia, & leuia moueri à generante; non intelligendo de generante ſingulari, ſed de vniuerſali concurrente ad generationem, vt eſt Sol in generatione hominis: namquè cauſa ſingularis efficiens poſt influxum formæ tributum, nihil tribuit rei genitæ, vt homo poſtquam genuit hominem, nihil influit in ipſum; ſed dicitur prorsùs cauſa extrinſeca, aliàs, quandò filius præcipitat ab alto, à patre præcipitaretur. At cauſa vniuerſalis, vt concurrit ad generationem cùm ſingulari, ſic proſequitur formam genitam, donèc ſibi debitam perfectionem conſequatur: intèr quas perfectiones eſt in rebus grauibus, & leuibus vt in ſibi determinatum locum ferantur. ad quem aſſiduè concitat cauſa vniuerſalis omnia, quæ genita ſunt tanquàm principium actiuum ordinatum ad principium paſſiuum, quod eſt ex natura vniuſcumque rei ad ſui conſeruationem deſiderium; ſic vtraque cauſa concurrens ad generationem dicitur cauſa generans, & ambo ſimùl, dùm tribuunt formam, tribuunt etiam omnia, quæ ad eius formæ conſernationem poſſunt conducere, quæque formam conſequuntur. Concluſio ſit, grauia, & leuia non moueri à propria forma tanquàm per principium actiuum, ſed per principium paſſiuum. vndè etiàm, quandò illam formam exuunt, mouentur eadem propenſione; vt terra in mixto mouetur deorsùm, & tamèn non eſt ampliùs ſub forma terræ; in eò tamèn mixto prædominat ratio materiæ ipſius; ſecundùm quam mouetur. ſecundùm propriam formam mouent, & non mouentur, vt ignis calefacit, & ignem generat: moueri autèm eſt pati, & elementa ex ſententia Ariſt. non habent hoc diſtinctum principium ſui motus actiuum in ſe ipſis: vt aperte ille pronunciat; non tamèn repugnat, granitatem, & leuitatem eſſe inſtrumenta quædam, hoc eſt qualitates, & potentias, & impotentias naturales, quibus mediantibus agens vniuerſale concurrat ad motum. & in hoc ſenſu mouere etiàm dicitur cauſa ſingularis, quià huiuſmodi qualitates conſequentes formam indidit, quæ non ſunt virtutes motrices, ſed concurrentes ad motum. incitamentum autem motus, quod habere, dicit, in ſe ipſis grauia, & leuia, non ſunt hæ virtutes, ſed virtus cauſæ vniuerſalis.

Ad argumenta in contrarium adducta, quibus videlicèt negatur moueri grauia, & leuia à generante. Reſpondetur ad primum, pro generante nos debere intelligere ex Ariſt., tàm cauſam particularem, quàm vniuerſalem. Cauſa ſingularis generat ſibi ſimile, introducendo formam in ſubiectum benè diſpoſitum, ſi au-

ſi autèm ex accidenti hoc ſubiectum benè diſpoſitum, in quod debet introduci forma, ſit infrà, nullum eſt inconueniens, ignem deſcendere; quià magis naturale eſt formæ ſingulari generare ſibi ſimile, quàm moueri ſursùm, & actus primus præcedit ſecundum, & priùs eſſe leue, quàm ferri ſursùm; ſi igitùr candela benè diſpoſita ad recipiendam formam. ignis eſt infrà, neceſſariò progreſſus formæ introductæ debet procedere deorsùm: tamèn ignis genitus ſtatim tendit ſursùm ſecundùm exigentiam agentis cauſæ vniuerſalis.

Ad ſecundum reſpondetur, quod generat aerem agens ſingulare, vnà cùm agente vniuerſali diſponere materiam ad recipiendam formam aeris, cui ſe communicando cauſa formalis, tribuit ſuum effectum formalem, conſtituendo aerem in ſuo eſſe vnà cùm omnibus conſequentibus formam, & ſic cùm propenſione ad certum locum aeri proportionatum; ſi verò aer rursùs in ignem conuertitur, aut in aquam, quod ſursùm, & deorsùm tendet per grauitatem, & leuitatem, hoc procedit ex noua cauſa ſingulari, & concurſu vniuerſalis alio modo; Ideo hi motus, ſeù hæ propenſiones non pendent à generante aerem, nequè etiam remotè: quià in generatione noua fit *mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem*. exemplum traditum ab Ariſt., quòd reflexa moueatur à proiciente, non quadrat in caſu propoſito, niſi per quandam ſimilitudinem; & diſparitas eſt, quià pilæ nulla fit mutatio, & vis impreſſa à proiciente poteſt perſiſtere etiàm in motu reflexo, quod non contingit in generatione ſubſtantiali, in qua fit mutatio totius in totum; aut ſaltèm eatenùs primum generans aeris tribuit leuitatem, & grauitatem, quatenùs generat qualitates ſymbolicas ad vtrumque, quibus mediantibus fit facilior tranſitùs ad contrarias motus propenſiones.

Ad Tertium Reſpondetur, dùm ait, quæ mouentur ab extrinſeco, vel pelli, vel trahi, vel rotari, vel vehi, intelligere de his, quæ mouentur motu violento; quæ non habent in ſe principium paſſiuum, ob cuius defectum reſiſtant mouenti, non autèm verum eſt, omnes motus ab extrinſeco eſſe motus violentos, ſed debet etiam concurrere reſiſtentia; vndè à cauſa vniuoca res genitæ quodmmodò pelluntur, ab æquiuoca, & vniuerſali trahuntur, vel rotantur, a medio vehuntur.

Ad quartum Reſpondetur, concedendo effectum in actu expoſcere cauſam in actu; & relationem realem intercedere intèr mouens, & mobile; tamèn negatur, extincto igne, à quo, exempli gratia, ignis genitus eſt, generans non exiſtere; nàm Ariſt., dùm ait, res motas moueri à generante, intelligit de potentia indita ad motum, & hanc eſſe, ait, à generante. At, veluti actio eſt ſuppoſiti, ità potentia eſt formæ: quarè dùm in igne genito remanet forma ignis, remanet generans; nempè forma eadem, & ſpecies, quæ à cauſa formali generantis communicata eſt igni genito: quarè forma generans permanet in genito, licèt ſuppoſitum generans perierit; ſic, dùm mouetur ignis à forma, & ſpecie, mouetur à generante, & procedit effectus in actu à cauſa in actu; quòd ſi forma, & ſpecies generantis communicata genito periret, tunc ignis genitus non ampliùs moueretur ſursùm, nec leuitaret; & quandò Ariſt. ait moueri ſursùm res, & deorsùm à generante, non intelligit moueri exercitè, ſed grauitare, & leuitare; ideò ait non habere principium agendi, ſed patiendi à generante. Prætereà ad quancunque generationem cùm cauſa ſingulari concurrit cauſa vniuerſalis: vt Sol ad generandum hominem.

nem. at homine genito, licèt perierit homo generans, qui fuit cauſa ſingularis hominis geniti, non perit Sol, qui eſt cauſa vniuerſalis, & æquiuoca: ſic effectus in actu habet cauſam in actu, & mouetur à generante: non enim credi debet Ariſt. adeò pinguis Mineruæ, qui crederet, moueri filium à patre mortuo, & præcipitari; ſed moueri à forma eadem, & à generante æquiuoco. ſic Socrates præcipitans non à patre Dioniſco præcipitatur, nec a cauſa æquica; ſed à cauſa, quæ genuit terreum, & graue, quod in Socrate exiſtens eſt cauſa præcipitationis: grauium enìm inanimatorum perfectio exiſtit in permanentia grauitatis, quam habent grauia proptèr denſitatem, & leuia propter raritatem. itâ enim expoſcit ordo vniuerſi, à quo omnia reguntur, vt corpora denſiora minorem quærant circulum, qui propè centrum eſt, et rariora maiorem, qualis eſt à centro remotior. cui ordini vniuerſi nulla forma adueniens poteſt reſiſtere. ſic denſum graue, rarum leue eſt ſub quacumque forma.

Ad Quintum. Reſpondetur, negando ignem non habere potentiam ad calefaciendum à generante, quià potentia eſt formæ, & ſpeciei: qùm forma, & ſpecies ex Ariſt. ſint idem; ideò, ſi forma, & ſpecies eſt eadem in generante, & genito; & genitum pendet à generante vt effectus à cauſa, omnis potentia, quæ eſt geniti, eſt quoquè generantis, & genitum ab eo habet; calefactio autèm pendet à ſuppoſito, & non à forma ſuppoſiti, niſi, vt quo: ſecùs autèm, ſi potentia eſſet ſuppoſiti, & non formæ, & ſpeciei, in natura eſſent plurimæ potentiæ fruſtrà: namquè in quocumque grano tritici eſt potentia ad generandam ſpicam, & tamèn innumera grana eius teruntur, nec reducuntur ad actum; nèc tamèn ea potentia ſingularis grani eſt fruſtrà, quià potentia eſt formæ, & ſpeciei, actio autèm eſt ſuppoſiti: quarè non dicitur fruſtrà ea potentia, quandò in vniuerſa ſpecie vnum granum tritici exercitè producat ſpicam, ad quam forma, & ſpecies habebat potentiam. Sol, & homo generant hominem; &, velutì, qui dicit cælum, dicit formam, &, qui dicit hoc celum, dicit formam in materia: itâ, dùm Ariſt. dicit homo generat, intelligit formam, non ſuppoſitum, & ſi forma eſt, quæ generat, & ex Ariſt. forma, & ſpecies eſt idem: dùm leuia mouentur à forma mouentur à generante, vt ait Ariſt.. propterea dicitur ignis, g., e. moueri a ſe ipſo, dùm mouetur a ſua forma, quià non mouetur à forma tanquàm numericè diſtincta, ſed ſpecificè, & ab alia numericè diſtincta a generante, & tribuente impulſum, & naturalem propenſionem ad talem motum; qui impulſus præualet, nec deſeritur, qùm nihil habet obſiſtens: velutì, ſi pila ſphærica moueretur in ſuperficie plana æquè diſtante à centro, ſeruaret impulſum in æternum, ſi daretur in naturalibus ſuppoſita æqualitas, & æquidiſtantia.

Ad Sextum. Reſpondetur, negando ab igne poſſe aerem generare, quià omne ſimile generat ſibi ſimile; quarè aer vel generatur à cauſa vniuoca, nempè ab aere, vel à cauſa æquiuoca, & vniuerſali mediantibus diſpoſitionibus introductis vel à cauſa æquiuoca, vel vniuoca. Ab igne ex aqua generatur propriè vapor, non autèm aer; qui vapor, ſi poſtmodùm in aerem vertitur, hoc fit ab aere mediantibus diſpoſitionibus ab igne impreſſis, per quas diſpoſitiones formæ ſimbolicæ eleuantur, vt facillimus ſit tranſitus ad formam aeris.

In motu non dari proceſſum in infinitum.

POſtquàm probatum eſt, grauia, & leuia non moueri à propria forma, ſed ab omnium rerum generante vnà cùm concurſu cauſæ efficientis vniuocæ, & determinatæ: probandum ſequitur, in mouentibus, & mobilibus non dari proceſſum in infinitum; non in mobilibus, quià, licèt mobilia plurima ſint intermedia, quæ mouentur ab alio, & ſimùl mouent aliud; tamèn deueniendum tandèm eſt ad vltimum mobile, quod moueatur, & non moueat; vt ratio boni concepta mouet hominis animum, hominis animus motus mouet manum, manus mota mouet baculum, baculus motus mouet lapidem; ſi lapis motus nihil mouet, aut ſi mouet aerem, quæ nihil aliud moueat, datur tandèm mobile motum non mouens. & idem proceſsus, qui conſideratur in mobilibus, debet conſiderari in mouente; vt, quemadmodùm nos in motu à nobis propoſito ſingulari, & determinato procedimus ad rationem boni, quæ moueat, & non moueatur. Ità in motu abſolutè ſumpto deueniendum eſt, ad ſupremam, communiſſimam, & extrà humanæ mentis coniecturam rationem boni, quæ moueat, & non moueatur, & hæc dicatur primum mouens, immobile; quæ ratio boni præaccepta vt expoſcitur in agente intellectuali; ità expoſci debet in agente naturali, quia etiàm agens naturale regitur, & mouetur ab intelligentia, quæ proportionalem conſtituit motum agentis naturalis, & intellectualis. Imò, qùm natura dicatur principium motus, præſumenda eſt natura, quæ dicta eſt naturans; nam ſi præſumeretur ea, quæ dicitur naturata, eſſet dependens ab alia superiori virtute, & eſſet mobilis, & ſic non eſſet principium motus abſolutè ſumpti, ſed principium motus determinati, & ſingularis: velutì eſt quælibet forma ſingularis, quæ dicitur actus primus, & ratio, & principium vniuſcumque motus: At, velùti in ordine quolibet datur primum, & vltimum, datur infimum, & ſupremum, ità in ordine vniuerſi, & abſoluto debet dari vltimum, & ſupremum; &, qùm nihil ſit in natura communius motu, nec manifeſtius, concludi debet in motu non dari proceſſum in infinitum; ſed eſſe deueniendum ad vltimum agens, ſeù primum mouens immobile. aliàs enim, ſi daretur proceſſus cauſarum in infinitum, daretur infinitum actu: quià cauſæ omnes ſubordinatæ exiſterent: quod immobile, quià ratione actionis dicitur primum, & ratione inuentionis per proceſſum intellectus à mouentibus notis, ad eorum cauſas mouentes, & ab his ad alias dicitur vltimum; ideò ab aliis dicitur A, & Omega. quod non ſolùm non mouetur ab alio, ſed nec à ſe ipſo, nec per ſe, nec ex accidenti. Non mouetur ad ſubſtantiam, quià ex Ariſt. primo cæli cap. primo ex defectu oritur, vt fiat tranſitus, hoc autèm primum mouens eminentèr omnem perfectionem includit. nec eſt quò moueatur; eſtque ingenerabile, & incorruptibile: proptèr immenſitatem non poteſt augeri; nèc habet vbi extrà ſe, quò moueatur; & eſt prorsùs inalterabile, ſic quocumque motu eſt immobile, & perpetuum. immò omnia, quæ perpetua creduntur, vt in ſublunaribus ſpecies rerum, ad illius ſimilitudinem perpetuà ſunt, & per participationem illius diuinitatis, ad quam tendunt, & cuius immaginem præſeferunt; ſi igitùr ſpecies rerum præciſiuè accepta, & abſtracta à ſingula-

laribus eam componentibus creditur perpetua; non poteſt per vim ſingularium perpetuari; quià, si ſingularia ſe ipſa non ſeruant, multò minùs poterunt aliud conſeruare; qùm quodlibet tendat potiùs ad propriam conſeruationem, quàm ad alienam ex naturali inſtintu; conſeruatur igitùr ſpecies per aſſiduam, & continuatam reparationem indiuiduorum à vi ſuperiori, & extrà indiuidua: quæ vis tandèm concipitur in hoc primum mouens immobile; quod, ſi debet perpetua ſeruare cætera, & poteſt; multo magis poterit idem ſemetipſum, & ſeruabit vnum, immobile, & ſempiternum. præſtat enim vnum multis, & ſimplex compoſito, nec poteſt humanæ coniectura mentis duas immenſitates concipere, nequè animo agitare; quomodò duæ æquales potentiæ poſſint ad ea ſeruanda concurrere, quæ vna potuit; quippè altera ex his potentiis eſſet fruſtrà, aut, ſi altera, altera opus habet, eſſet impotentior, quàm ſupponitur procedenti ad cauſam cauſarum omnium, in quibus vnus perennis, & continuus motus datur; quique non, nisi ab vno motore poſsit procedere, eoque immobili, infinitæ virtutis, indiuiſibili, vbiquè præſenti, & incorporeo: non habet eſſe participatum ab alio, & illud improductum, & ſinè diſtinctione prædicatorum eſſentialium, nèc generici, nec ſpecifici, nec numerici. vno, quià fruſtrà fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora. Immobili, quia non poteſt concipi quicquàm ſuprà ipſum, quò moueatur, nec quarè, & ad quid ſe ipſum moueat. Infinitæ virtutis tàm extenſiuè, quàm intenſiuè, nec intenſiuam illius virtutem reprobat Ariſt. dicens primo Cæli cap. 5. non poſſe producere plures mundos; & cap. 6. dicendo primum motum eſſe finitæ velocitatis. Loquitur enim Ariſt. de motore determinato ad hoc vniuerſum, e non de motore ſupremo, & independente. cuius vim non capit humanæ coniectura mentis. ideò more ſolito Ariſt. ſiſtitur in virtute finita, & determinata, & iuxta illum terminum, & capacitatem in plauſibili, & manifeſto.

De Proiectis.

PRopoſuerat Ariſt. primò omne, quod mouetur, ab alio moueri. Secundò mouens non poſſe diſtans à mobili mouere illud. Tertiò ſola animata ſe ipſa mouere. His propoſitionibus aduerſus videtur motus proiectorum, poſtquàm mobile proiectum à mouente ſeparatum eſt: quippè non videtur moueri ab alio. Aut, ſi dicatur moueri à proiiciente, etiàm poſtquàm mobile ab eo ſeiunctum eſt, mouens mouebit motum diſtans ab eo; aut, ſi mobile per virtutem impreſſam ſibi à proiiciente mouetur, poſſet dici, moueri a ſe ipſo: qùm virtus illa mouens illud conſequatur. Ideò, vt ſeruentur integræ prædictæ aſſertiones ab Ariſt. propoſitæ, quærendum eſt, quomodò proiecta, poſtquàm à proiiciente expulſa ſunt, moueantur; quæ res manifeſtiſſima quidèm eſt, quò ad effectum: ignota autèm, aut admodum obſcura, quò ad cauſam.

Probatu facilis eſt eorum ſententia, qui aſſerunt mobile proiectum, & expulſum non moueri à proiiciente, non a ſe ipſo, non ab aere impellente; ſed à virtute impreſſa ab ipſo proiiciente: ſed non conſtat, ad quod nàm genus prædicamenti reducatur hæc virtus impreſſa; nàm vel ad qualitatem, vel ad actionem, vel ad paſsionem, vel ad habitum leuitatis, aut grauitatis videtur referenda. Si qualitas dica-

tur motiua, & ſi redigatur ad habitum, hic non inducitur, niſi tractu temporis: ſi ad potentiam naturalem, repugnat naturali grauitati lapidis ferri ſurſùm; non eſt igitùr apertum, quid ſit hæc virtus impreſſa. Ariſt. nihil de hac virtute impreſſa loquutus perhibetur; imò tertio Cæli T.28. ait nihil moueri in vacuo; ſi autèm proiectum moueretur à virtute impreſſa, non repugnaret quicquam moueri in vacuo; nec apertum eſt, quarè non moueatur proiectum velociùs ab initio, ſed potiùs in medio motu, vt teſtatur Ariſt. ſecundo cæli T.35. cùr enim non moueretur à principio intrinſeco, ſi virtus imprimitur, atquè eadem virtus modò eſſet leuitas, modò grauitas, prout ſurſùm, aut deorſùm moueret, nec ſi, quid eſt, quomodò operetur mouendo, poſtquàm mobile expulſum, & diſtinctum eſt à mouente.

Non negatur tamèn, eſſe aliquam difficultatem de aere impellente, à quo dùm dicitur moueri proiectum, transfertur difficultas, non tollitur. transfertur, inquàm, quià, dùm dicitur proiectum moueri ab aere, qnærendum eſt, à quo nàm aer moueatur, poſtquàm proiiciens quieuerit a motu proiectionis; deindè cùr proiiciens medullam ebuli, aut ſuberis corticem minùs longè proiicit, ſi ab aere proiectum expellitur? & aer à manu, à funda, a chorda in actu recipit impetum. videtur enim faciliùs moueri poſſe corpus leue, quàm graue, ſi ſurſùm mouendum eſt, nequè hoc aeris reſiſtentiæ tradi rationabilitèr poteſt; quià aer multò magis corpori graui reſiſtit, quàm leui, vt qui cùm leui maiorem habet coerentiam proptèr ſimilis naturæ corpus incluſum. inſupèr, dùm pila ferrea puluere tormentario acta eſt in aquam, à qua reſilit; ſi ab aere retro impulſo ageretur, ſecùm aquam traheret extrà; & in ſiluis folia, & truncos à tergo relictos, in quos eadem vis aeris raperetur ità. ſi aer motus ex baliſta glandes ageret, etiàm, quandò baliſta vacua expellit aerem, quicquid incidit directum baliſtæ impellenti non ſecùs moueretur, ac ſi ex baliſta exiret. Ceptu igitùr admodùm difficile eſt, quomodò proiecta ab aere moueantur, vt pxnè communitèr in ſcholis receptum eſt.

Et tamen adeò aperta eſt ſententia Ariſt. 8. phyſ. T. 82. & 3. cæli T.28. & alibi quam celebriores ſequuntur philoſophi, ne videatur oppugnationi locum relictum eſſe; ſed tantùm ſubeſſe explicationi; per quam fateri oportet, corpus proiectum, vt puta lapidem, moueri ab aere, & aerem à proiiciente; ſed non niſi poſtquàm lapidis grauitas proiecti compenſata eſt ab alio graui corpore; & quaſi in lance poſita Sumitur hæc expoſitio ex Ariſt. in quæſtionibus mechanicis quæſt 34; vbi ait, *oportet igitùr id, quod proijcitur, commenſurationem quandam habere ad id, quod proijcit*. & videtur ſignificare, proiecta eleuari iuxtà præponderationem proiicientis; vt, quò grauiùs innititur; & quò versùs innititur, ex aduerſo moueatur proiectum, quasi in lance poſitum. Velutì enim in lance poſita grauiùs deprimuntur: & ea velocitate, qua graue deprimitur, leue eleuatur, iuxtà menſuram ponderis ſuperantis velociùs, aut tardiùs; ità, quod proiicitur, eò velociùs fertur in oppoſitum, quo ponderoſius ſe conſtituit, quod proiicit: & quò magis innititur. nihil igitùr efficit proiiciens, niſi por commenſurationem cùm proiecto præponderato; per quam præponderationem, qùm fuerit proiectum graue conſtitutum indifferens, ne moueatur ſurſùm contrà propriam naturam, nequè deorſùm proptèr interceptam vim generantis, & ordinis vniuerſi à proiiciente, proptèr in-

dif-

differentiam ſequitur aëris impulſum, & ab ea expellitur, vt profert Ariſt.

Quibus poſitis ſoluuntur argumenta deducta contrà Ariſt., nàm, dùm transfertur quæſtio ad aerem, dicimus, aerem moueri a proiiciente per tractum prolixum proptèr illius continuationem; vndè, qùm aer impulſus continuetur per intermedium aerem: cùm B ad motum A. mouetur etiàm B directè oppoſitum D. quarè dùm mouetur B vt neceſſario ſequitur C ad replendum vacuum a B conſtitutum, & moto C. moueri debet etiàm D ad C., & A. ad D. ideò à proiiciente dum impellitur A. impellitur etiam B illi continuatum in eodem inſtanti. at non in eodem inſtanti mouetur C. ad B. D. ad C. & A. ad D; ſed ſubſequentèr: & indè euenit, etiàm remota vi proiicientis, & finita, perſeuerare motum C. D. A. vbi eſt proiectum, & ſequitur A. ſubſequentèr motum, non immediate à proiiciente, ſed à proiiciente mediante motu ſubſequenti B. C. D. A. quò itàquè motus proiicientis vehementior eſt, eò longiùs diſtantem aerem mouet ad D. ad C. ad B, & propterea, quò vehementior eſt impulſus in A. proiecti, eò longiùs proiectum expellitur; & hoc modo ſatisfit argumento de translatione quæſtionis à lapide proiecto ad aerem, quià aer in A. mouetur poſt ceſſationem impellentis non ab impellente, ſed ad replendum vacuum in B. priùs motum ab impellente.

Ad ſecundum argumentum de medulla ebuli, ſuberis cortice, & pluma; Reſpondetur non moueri longè, quià non habent commenſurationem cùm proiiciente; &, quià nullam, aut leuiſſimam habent reſiſtentiam, non expectant impulſum proiicientis, quo reddantur indifferentes; ſed ſtatim proptèr leuitatem eleuantur, ac ſentiunt impellentis vim; nequè ſeruantur per renitentiam pro receptione vis illatæ; imò vis, quæ illata eſt ad centrum, diſtrahitur à vi illata ad latera per aerem reſiſtentem. vt qui non receperit vim impellentis, quarè ea leuia proiecta, non proſequuntur motum aeris impulſi; ſed rotantur circà vim illatam in centro, & non feruntur ſursùm, nequè per aliam lineam, per quam centrum eorum vim directè receperat: plùs enim valet in his obſiſtentia laterum, quàm expulſio centri; & leue hoc corpus maiori vi impelleretur, quàm graue, ſi renitens expectaret impetum proiicientis; ſed quià ſtatim proptèr leuitatem proiicientis vim excipit, ſtatim etiàm ab eo diſiungitur; vndè vis proiicientis fertur in inane, & non communicatur proiecto, nec illi vim ſuam infert. niſi quatenùs obſiſtit

Ad Tertiam difficultatem de pila ferrea reſiliente ex aqua. Reſpondetur, aquam non trahere ſecum; quià aqua à pila percuſſa ea ratione reſiſtit, quià gerit vicem ſolidi, vndè, veluti non excipit pilam nimio impetu ruentem; ità nèc valet eam ſequi reſilientem. In ſyluis autèm quæcumque inuadit, aut antè ſe defert, aut ad latera impetuosè ruens diſſipat.

Quo ad vim aeris expulſi à baliſta vacua, primò vix dari poteſt incidentia corporis tranſeuntis antè aerem expulſum; &, ſi per hypoteſim daretur incidentia, non ſufficit motus aer ad differendum corpus incidens, ſed neceſſarium eſt, vt idem corpus à vi proijcientis ſaltèm reddatur indifferens, nè feratur deorsùm, quod fit à vi impellentis.

De

De impulſu, & expulſis.

QVoniàm ſuprà ſcriptum eſt, proiectum moueri ab aere, quatenùs à proiiciente redditur indifferens ad motum ſursùm, aut deorsùm, & non aliàs; quià vis aeris non eſſet ſufficiens proptèr raritatem impellere corpus denſum, niſi illud priùs à proijciente redderetur indifferens, hoc eſt deſtitueretur naturali grauitate, aut leuitate, & alia adderetur propenſio, & potentia, quæ tàm ex parte proijcientis, quàm proiecti dicitur impulſus; ideò quærere oportet, quinàm ſit huiuſmodi impulſus, quæ quæſtio licèt ſubtilis admodùm, & ardua ſit, ac ſtoicis tantùm ratiocinationibus apta; non tamèn eſt medico inconueniens proptèr ſimilem rationem, quam præſefert cùm expultrice, quæ facultas naturalis eſt, aut à facultate expultricè procedens, atquè, quià actionem producit, certum eſt non eſſe quantitatem, nequè relationem, nequè aliud ex prædicamentis, quæ non ſunt operatiua; ac, ſi eſſet actio, & forma ab actione procedens, daretur proceſſus in infinitum: ſupereſt igitùr eſſe qualitatem in ſpecie potentiæ naturalis, quæ qualitas imprimitur paſſo, veluti a magnete infertur calybi potentia trahendi ferrum, & veluti imprimitur paſſibilis qualitas in quolibet ſubiecto, quod à calore fit calidum, & potens calefacere, quæ qualitas non eſt leuitas, nequè grauitas, ſed, vt ità dicam, antipathia, & ſympathia artificialis, aut caſualis, quæ imprimitur ab agente voluntario, aut caſuali proiecto, veluti imprimitur calybi à magnete vis trahendi, & expellendi ferrum, & calybèm. Veluti igitùr habet homo per voluntatem potentiam diſiungẽdi manum à ſe, qùm manui ſummam vim infert diſiungendi, quam proptèr naturalem connexionem non poteſt conſumare, vim impreſſam communicat his, quæ manu continentur, quæ ſi ſinantur, vim impreſſam ſeruant, & diſiunguntur, & ea diſiunctio dicitur proiectio, & ea dicuntur proiecta: Ità ignis à puluere tormentario, qùm loci capacitatem non habeat ſuæ dilatationi æqualem, maximo cùm impetu diſiungitur, & conceptam potentiam imprimit glandi obuiæ, & reſiſtenti, quæ propterea diſiungitur à tormento, & proruit impulſu vehementi in punctum oppoſitum puncto renitentiæ. Ignis autèm glandem non proſequitur; quià, poſtquàm in latum deductus eſt, vndecumquè dilatatur, & per conſequtionem finis in loco capaci, impetum amittit, & ſiſtitur; non tamèn valet reuocare impreſſam qualitatem glandi, quæ qualitas dicitur impulſus. In baliſta, dùm cornua vim patiuntur, quærunt ſe reſtituere priſtinæ, & naturali conſtitutioni, quam illi, ars obripuit; cui reſtitutioni qùm aliqua ex parte glans ſeſe obuiam paret: eam chorda expellit, & diſiungit, imprimendo potentiam, quam dicunt impulſum, ſeù expulſionem; quæ expulſio non poteſt dici grauitas, nequè leuitas, quià nequè ſursùm, nequè deorsùm determinata eſt, ſed tantùm ad punctum oppoſitum puncto renitentiæ ſiuè ſursùm, ſiuè deorsùm, ſiuè fuerit ad latera. Veluti dùm ignis ex puluere tormentario quærit locum ſuæ dilatationi proportionatum, ne fruſtrà quærat, quærit in A. vndè punctus renitentiæ eſt in B. quià conatus ad latera in C. D. reſoluitur vniformitèr. in A. B autèm omninò renitet, & qùm in eo ſit punctus renitentiæ, neceſſario glans fertur in oppoſitum, nempè in A. Paritèr baliſtæ cornua ſi ex naturali conſtitutione feruntur

in

in D. , & E. dùm vim patiuntur à chorda F. per eam continentur in A. , & B ; quod ſi vis vlteriùs allata chordam trahat ad G. chorda F. vim patitur adhùc maiorem , quo maior eſt diſtantia à naturali conſtitutione D. E. ; ad quam vt ſe reſtituat , omnem vim adhibet , & omnia obſtantia expellit: &, qum in G. glans reperiatur chordæ F. adhærens : qùm chordam renitentem expellere nequeat, quià illi obligata eſt, glandem G. expellit, tanquàm obſtantem reſtitutioni ſibi naturalis conſtitutionis,quæ eſſet in D. , & E. niſi chorda obſiſteret ; & quià in chorda F. nulla pars eſt, quæ magis diſtet a D , & E. , quàm quæ eſt in G , & ideò punctum renitentiæ maxime eſt conſtituendum in G. , & glans oppoſito motu expellitur in H. eo maiori impetu , quo maior fuit vis illata cornibus arcus A. , & B. *Eſt igitur impulſus potentia naturalis indita à proijciente, vt proiectum à ſe diſiungat.* Dicitur *potentia naturalis*, quià non eſt ſubſtantia, quandoquidèm inhæret ſubiecto : non eſt quantitas : aut relatio : aut aliud eſt aliis prædicamentis , quæ non ſunt operatiua; ſupereſt igitùr eſſe qualitatem , atquè , qùm non ſit habitus, nequè diſpoſitio , nequè paſſibilis qualitas , nequè forma, aut figura , ſequitur eſſe potentiam naturalem . Dicitur *indita*, quià non competit rei expulſæ ex natura , quippè multa grauia pelluntur ſursùm, quò non tendunt ex natura; eſt igitùr potentia naturalis inſita . *Proiiciens* ponitur cauſa efficiens , ac producens hanc potentiam, quià ipſum eſt , quod communicat propriam virtutem rei expulſæ. Ponitur tandem tanquàm cauſa finalis , vt proiiciens à ſe diſiungat proiectum; quià hoc primò intendit proiiciens ſiuè naturale , ſiuè rationale ; &; licèt in proiiciente naturali præcipuus naturæ finis videatur reducere proiiciens ad naturalem ſtatum , vt ignis ad ſibi debitam latitudinem: baliſtam ad rectitudinem à natura datam ; tamen , quià definitur proiectum , debet definientis conceptus illud includere in definitione, & qualibet definitionis parte: qua proptèr in aſſignanda cauſa finali includitur proiectum dicendo, *vt proiectum à ſe diſiungat* tanquam obſtans præcipuo fini a natura intento reducendi ſe ad naturalem ſtatum , ex qua propenſione non irrationabilitèr naſcitur etiàm ſimilis potentia nataralis , quæ dicitur grauitas , & leuitas ; leuitas, ſi corpus rarum eſt ità vt locus ſibi proportionatus ſit latior, & magis à centro diſtans; grauitas, ſi corpus ſit densùm ità vt minores circulos circà centrum ſibi proportionatos habeat : qua ratione omnis impulſus erit eiuſdem rationis , & grauitas , & leuitas ſequitur impulſum , & ab eo diſtinguitur tantùm , quià grauitas , & leuitas conſequuntur naturalitèr coerentiam corporum ab ordine vniuerſi nempè agente . impulſus verò ab ordine , & forma incidente , & ſingulari:quæ forma ſingularis , quià non concurrit cùm vniuerſali , nec ad eundem finem tendit , ideò dicitur peruertere illius ordinem , & motus ſequens dicitur violentus .

Obijcitur autèm contrà hanc definitionem , quià ſagitta expulſa à ſagittario non expellitur, vt ab eo diſiungatur ; ſed , vel vt in certum ſcopum dirigat , vel feram , aut hoſtem occidat ; quarè definitio impulſus non eſt communis cuiuſcumque impulſi .

Reſpndetur finem dirigendi ſagittam, aut occidendi feram , non eſſe proijcientis immediati , ſed mediati ; nàm ſagittarius non proijcit ſagittam immediatè , ſed tantùm , aptando actiua paſſiuis arcum tendit , & ſoluit , immediatè autèm arcus cornua , vt reducant ſe ad natu-

turalem ſtatum, vim faciunt, & expellunt omnia obſtantia huic fini, vt eſt chorda, & ſagitta. ex accidenti autèm ſequitur à ſagittario intendi ſcopum attingere, aut feram occidere; & hoc eſt per accidens, non autèm ſeparatio proiecti, cuius ſeparatio per ſe intenditur tanquàm obſtans reductioni ad naturalem conſtitutionem.

Deſitio autèm impulſus eſt ex defectu durationis, quæ eſt entitas, cuicumque ſubſtantiæ, & accidenti tradita; & actioni præſertim, & paſſioni: poſt quas numeratur in cathegorijs, vt vnicuique rei propria competat duratio, qua deſinente, ea entitas deſinit, abſquè vllo contrario corrumpente, ſed à ſolo ordine vniuerſi, a quo duratio data eſt, ne quicquam inſtantaneum ſit, neque abſolutè, & per ſe perpetuum, præter autorem ordinis, qui Deus eſt. Vndè, licèt inſtantanea fortaſsè ſit generatio, non poteſt eſſe inſtantaneum, quod generatur; & quamquàm pari ratione perpetua ſint aliqua à Deo creata, vt creditur anima rationalis, eius æternitas non eſt à natura; ſed ab autore naturæ: quandoquidèm in his, quæ a natura ſunt, ſtatuta eſt propria duratio, quam ſequitur naturalis deſitio.

Obiici etiàm poteſt ſi hæc potentia inſeritur à proiiciente, vt proiectum diſiungatur ab eodem proiiciente, cur maior vis, & potentia apparet poſtquàm proiectum diſiunctum eſt, cuius motus velocior eſt in medio, quàm in principio; namquè omnis actio naturalis ceſſat per conſequutionem finis, ad quem actio directa eſt; ſi igitùr proiiciens ideò communicat proiecto ſuam formam actionis proiicientis, vt à ſe diſiungat, ſtatìm ac diſiunctum eſt proiectum à proiiciente, deberet ceſſare impulſus, quandò proiiciens conſequtum eſt ſuum finem.

Reſpondetur per dicta ſuperiùs, qualitatem inductam habere propriam durationem, & perſiſtentiam, & ideò, etiàm, poſtquàm proiectum, diſiunctum eſt, proſequitur magis, ac magis diſiungi; cur verò eius motus ſit velocior in medio, quàm in principio, hæc cauſa traditur, quià proiectum proſequntur in principio plures aeris partes, quæ paritèr receperint à proiiciente impulſum, cuius formam poſſunt imprimere ipſi proiecto, vt de facto, & exercitè imprimunt conſequentèr; vndè ab initio proiectum mouetur tantùm per impulſum impreſſum à proiiciente; mox mouetur, & ab eo, & ab impulſu ſuperaddito ab aere conſequente; ideoquè poſtmodùm velociùs mouetur concurrente ſimùl aeris rarefactione anticæ, & poſticæ ſubſequutione ad replendum vacuum: qua ſubſequutione, etiam aliquem impulſum ſuperaddat. Ruuius hæc leuia exiſtimat, & potiùs credit impulſum productum in parte ſuperficiali proiecti extendi ad partes profundiores ſucceſſiuè, & ideò motum ſucceſſiuè paritèr fieri velociorem. Verùm neutra ex his rationibus videtur ſatisfacere queſtioni: non prima quià experimento patet, ab eadem vi proiiciente proiectum rarius, & leuius ſempèr tardiùs moueri, & minùs elongari; vndè aer impulſus a proiiciente non poteſt conſequi proiectum grauius, vt illi poſſit imprimere, & ſuperaddere impulſum: non ſecunda Ruuij quià, vt illuminatio in inſtant totum aerem actuat: ità forma illa i quæ dicitur impulſus, totum proiectum actuat tàm ſuperficialitèr, quàm in profundum; nèc ſucceſſiuè poteſt impulſus augeri, niſi proiiciens proſequatur proiectum, & ſucceſiuè ſuperaddat impulſum. vndè rationabilius videtur dicere, aerem impulſum vnà cùm proiecto ob vehementiam impellentis non ſtatìm cedere, ſed gerere vicem ſolidi;

lidi, vt facit vapor, qui dicitur ſulmen, quod etiàm ſolidiſſima corpora penetrat quià ob impulſum, & vehementiam gerit vicem ſolidi; & aqua à pila plumbea ex tormentis bellicis exploſa, ſi aquam offendit, aqua eam non recipit; ſed gerit vicem ſolidi, & illam repellit. Ità aer vi valida motus gerit vicem ſolidi; & quaſi corpus continuatum propellit longinquum vſquequò vis impreſſa refracta peruenerit, & impetus recipiatur; veluti ſi proiiciens impetum faciat: ſi impetus vehemens eſt, aer impellenti non cedit, ſed mouetur quaſi corpus continuatum per totum A. C. B., & perueniens, vis proiicientis in B. Proptèr longinquitatem minùs valida eò peruenit, quàpropter aer in D. cedit, & effunditur: proptèr quam effuſionem, ne detur vacuum, ſuccedit aer, qui ſubeſt, & illi ſubſequens quaſi attractus a vi vacui per partem poſt partem vſque ad A. Vnde ab initio proiectum in A. habet aliquam reſiſtentiam ab aere non cedente ſtatìm; ſed, vbi peruenerit ad C., inuenit aerem non ſolùm magìs cedẽtem: ſed attractum vſque in B. id circò ab A. ad C. mouetur tardiùs. a C. ad B. velociùs; &, quià aer cedit, & quià proiectum trahitur. poſt. B. verò vis illa impreſſa imminuitur: ſic proiecta ab initio, & in fine tardiùs, in medio velociùs mouentur; diuerſa tamèn ratione, quia ab initio tarditas procedit ab aeris reſiſtentia: in fine ob impulſus diminutionem. quod eò clariùs patere poteſt, ſi animaduertamus, hoc euenire in proiectis, quæ admodum impetuosè ab initio mouentur, & ſummam patiantur violentiam: nàm ſecùs in proiectis, quæ non vehementi pelluntur violentia, motus obſeruari poteſt velociſſimus in principio, & indè vniformitèr difformitèr imminui, donec ex toto deſierit.

Ex Motu nos deuenire in notitiam primi Motoris.

IDeò agit Ariſt. in calce libri octaui de motus æternitate, & vnitate, vt deueniamus in notitiam primi motoris ſimpliciſſimi, æterni, & indeterminabilis virtutis. nec oſcitantèr hæ quæſtiones de proiectis erant prætereundæ, quià in his, quæ omnium rerum maniſeſtiſſimæ ſunt ad ſenſum, vt eſt motus, deducamur in id, quod omnium mentis captum ſuperat, cuius eſſentiam compræhendere niſi poſſumus, ſaltèm eſſe cognoſcamus, & ab ea omnia regi, & gubernari ſtatuamus. Probat itaquè primò Ariſt. omnium motuum primum eſſe motum localem: quià omne, quod alio motu mouetur, vt alteretur, augeatur, & fiat, neceſsè eſt per priorem motum localem agens approximari paſſo; ſi igitùr motus localis ſupponitur in quolibet alio motu, neceſsè eſt dicere motum localem eſſe cuntis priorem. Intereà intèr motus locales primum omnium probat eſſe circularem; quià motus rectus, & mixtus ex recto, ac circulari non poſsunt eſse continui, ſic nequè perpetuari, quià nihil poteſt perpetuari, niſi per continuationem. Quòd autèm motus rectus, & illi admixtus non poſſit eſſe continuus, probat, quià eſt à contrario in contrarium, ſed motus, qui eſt a contrario in contrarium, non poteſt eſſe continuus, ergò motus rectus non poteſt eſſe continuus. Motus à contrario in contrarium non poteſt eſſe continuus, niſì per reflexionem; ſed, antequàm reflectatur, neceſsè eſt vt quieſcat ſaltèm quiete reſpectiua ad motum ſursùm, niſì quieſcat ab-

ſolutè, ergò non poteſt eſſe continuus perpetua, & non intercisa continuatione, qua fiat vnus motus reſpondens vno motu ſimpliciſſimo, immobili, & infinitæ virtutis; proptereà motus rectus vel ſursùm eſt, vel deorsùm; ſi ſursùm, non poteſt quicquam moueri motu in infinitum progrediente, quià extrà vniuerſum, nec motus, nec locus eſt, in quo quidquam moueri poſſit; ſi deorsùm ad centrum ſiſtitur: ſi moueatur per motum reflexionis idem mobile mouebitur per contrarios motus, qui motus non poteſt eſſe naturalis vndequaquè, &, ſi dicatur violentus, nullum violentum eſt perpetuum, quarè motus rectus nulla ratione erit perpetuus; ſic non erit æterno motori competens. ſolus igitur circularis erit illi competens.

Ex Ariſt. 5. phiſ. Tex. 60. dicitur quies contraria motui: quià, quæ quieſcunt ſecundùm naturam in vno loco, indè mouentur prætèr naturam quatenùs eadem ſunt. At, non indè ſequitur, quietem abſolutè eſſe contrariam motui. Natura enim eſt principium motus, & quietis, & idem non poteſt eſſe principium duorum contrariorum. Dicendum itàquè videtur *motum eſſe actum entis in potentia, prout in potentia*, in quiete deſinere potentiam per conſequutionem actus. ſunt itàque contraria, motus, & quies transcendentèr, & ſuprà prædicamentum: velutì actus, & potentia, e nihil quieſcit in natura, ſed quæ videntur quieſcere mouentur diuerſo motu; vt ignis mouetur ſursùm ſecundùm naturam, donèc peruenerit ad locum ſibi conſentaneum, vbi non quieſcit, ſed mouetur alio motu, nempè circulari, quo qùm moueamur & nos, videtur quieſcere: velutì ſi duæ naues in mari mouerentur eodem vento ſimillimo modo, vtraque alteri videtur quieſcere; magis igitùr contrarius eſt motus motui, & quies quieti, quàm motus quieti, & quilibet motus habet admixtam quietem, & quælibet quies habet admixtum motum: ex quo motus fit velocior, & tardior per maiorem, & minorem admixtam portionem, non contrariorum inter ſe, ſed cohærentium cùm noſtro motu, & non coerentium. ſi enim nos mouemur circularitèr, quæcumque circularitèr pari velocitate mouentur, dicuntur à nobis quieſcere, & dicuntur etiam quieſcere homines in naui, dùm mouentur eodem cùm nauis motu.

DE COELO.

INſcribũtur hi libri Ariſt. grecè *peri vranu* hoc eſt de cœlo, quod verbum non nulli exiſtimant deriuari à verbo ebreo *vr* quòd ſignificat lucem, quasì nihil ſit in eo magis conſiderabile pratèr lucem, quæ à cœlo prouenit. D. Ambroſius in exam. arbitratur, hoc nomen datum ab *oreo*, quod ſignificat viſui peruium. Vndè omne, quod viſui peruium eſt, dicitur cœlum; & etiam aer: ſic dicuntur volucres cœli. Latini optimè denominationem ſumunt à ſcapello, quod latinè cœlum dicitur, quo ſculptores vtuntur: ſignificando, Deum cœlo, & cæleſtibus corporibus Sole, Luna, &c. eodem modo vti ad agendum in hæc inferiora, quo vtitur ſcultor pro edendis operibus ſuis, & hoc latini præſumunt dirimere ſuperſtitionem eorum, qui arbitrarentur ſolem, lunam, & cętera cæleſtia corpora eſſe Deos; atque vt tales venerarentur. Sol enim ex hoc non Deus, ſed Dei inſtrumentum oſtenditur; & noſtris temporibus etiam ſeruantur quędam Iouis ſtatuæ, quæ manu geſtant cœlum, hoc eſt ſcalpellum, non fulmina; quemadmodùm in nonnullis proptèr inſcitiam artificis ſculpuntur; quaſi Deus fulmina ſempèr manu geſtare credatur. At veriſimilius eſt Iouem, qui ità vocabatur à iuuãdo, manu geſtare id, quo hæc omnia inferiora reguntur, & gubernantur per ſuperiores lationes, quam id, quo diſſipantur.

Pacatumque nitet diffuſo lumine Cælum.

inquit Lucretius, vt oſtendat, à cęlo beneficos influxus: non fulmina procedere. hæc autèm atris è nubibus ſunt, non ex nitido ſyderum domicilio, & ex terræ ſulfareis exalationibus. Ex hac cœli conſideratione patere poteſt ex ipſa inſcriptione, quod nàm ſit horum librorum ſubiectum: videlicèt accipiendo cęlum pro his omnibus, quæ concurrunt ad rerum ſublunarium generationem vnà cum prima cauſa, & tanquàm illius inſtrumenta. ſic Iamblici, & Siriani ſententia recipitur, vt ſenſit Simplicius cum Alexandro.

Textus Primus.

Scientia de natura ferè plurima eſſe videtur circà corpora, & magnitudinis, & eorum paſſiones, & motus.

Circà huiuſmodi tranſitionem à libris octo naturalium, in quibus præſertìm agitur de principijs, cauſis, & motu, variæ oriuntur ſententiæ interpretum, innumerique ſermones iactantur; cùr videlicèt circà corpora, & magnitudines, ferat verſari ſcientiam de natura, ſi ab initio protulit, tunc nos arbitrari cognoſcere vnamquodque, cùm cauſas primas nouerimus, & principia prima, & vſ-

vſquè ad elementa; vndè videbatur dicendum, cùm vſque adhùc actum ſit de principijs, & de cauſis: ſubſequens eſſe agendum de elementis, quod propriè exequitur in his libris de Cęlo; proptereà exiſtimo multum cōferre ad ſoluēdas præcipuas quæſtiones, quæ agitantur acritèr de cœli materia, agere an ſit eadem, quæ ſublunarium, & an Cęlum ſit corruptibile, &, non in ſimulando cuiuſuis opiniones, nouam afferre.

Quandoquidèm Ariſt. aſſeruit apertè, & ſæpiùs replicauit, quæſtionem de cęli corruptione eſſe problematicam: eius ſententiæ aduerſa videbatur Platonis ſentētia in Timeo, & ſecundo de regno prolata; vbi profert cęlum, quià corporeum eſt, neceſsè eſſe corruptioni obnoxium. Itàque aggrediens Ariſt. tractationem de cęlo, elidere quærit primò hanc ſententiam Platonis, confirmando quæſtionem de cęli corruptibilitate eſſe problematicam; & ex eo, quod corporeum eſt, non poſſe dici corruptioni obnoxium, quià, ex defectu oritur, vt fiat tranſitus: corporeæ magnitudini nihil deeſt, ergò cęlum, ſi fuerit corruptibile, non erit ex eo; quod ſit corporeum. Aliàs enìm, ſi præſumeret Ariſt. probare cęli incorruptibilitatem ex eo, quod eſt corporeum: præſumeret etiàm incorruptibile omne corporeū, quod manifeſtè falſum eſt, quià aliæ dantur occaſiones corrumpendi corpora; non quià corpora ſint, ſed ob alias paſſiones, & motus, qui corporibus accidunt; proptereà profert Ariſt. ſcientiam de natura eſſe non ſolùm circà corpora, & magnitudines; ſed etiam circà paſſiones, & motus eorum, & adhuc circà principia; ex quibus poteſt ſuccedere corporum corruptio; non abſolutè quià corpora ſunt; ſed quià alijs paſſionibus, & motibus ſunt ſubiecta: nulli enim motui ſunt ſubiecta quià corporea ſunt. Qua ſtante ſententia Platonis, rationabilis tranſitus ſumitur ab Ariſt. ad tractationem de cęlo, quam aggreditur.

An Cœlum ex mente Ariſt. ſit ingenerabile, & incorruptibile.

IMponitur Ariſtoteli tanquàm indubitabile, ab eodem cœlum abſolutè incorruptibile defendi: adeò vt non nulli celebres eius ſequaces, animaduertentes ex nouitèr obſeruatis cęlum eſſe corruptibile: referant, illis neceſsè eſſe ab Ariſtotile ſuo recedere. Proptereà in eorum ſolatium, ne doleant ampliùs, nequè querantur de iſto receſſu, oſtēdere nitar: ex Ariſtotelis dotrina cęlum habendum eſſe corruptibile.

Pro qua determinatione præaccipiendum eſt, ex Ariſtotile primo Topicorum quæſtionem de cęli incorruptibilitate eſſe problematicam; & poſſe ſuſtineri pro vtraque parte, tàm affirmatiua, quàm negatiua, cuius ambiguitatis cauſam reddit in his libris de cęlo lib. 2. T. 17. & 61. quià videlicèt proptèr diſtantiam non poſſumus certò, & euidenti argumento naturam eius cognoſcere.

Ariſtoteles more ſuo peripatetico, non determinando, niſi ea, quæ manifeſta ſunt, proponit in his libris de cęlo argumenta omnia problematica, quæ ſuadent cęlum eſſe incorruptibile, & quæ probant eſſe corruptibile.

Noſtrum eſt in præſenti quæſtione omnia proponere, quæ ab Ariſt. probata ſunt pro parte affirmatiua, & pro parte negatiua, & indè examinare ſecundùm regulas ab Ariſt. traditas, quæ nàm validiora ſint argumenta: an, quæ probant incorruptibilitatem, an quæ ſuadent cęlum corruptibile, vt inde eliciamus, in quam

quam partem Ariſtoteles magis procliuis habendus ſit.

Argumenta problematica, quibus Ariſt Cęli æternita tem probat.

PRimum ex T. 4. libri primi de cęlo ſuadetur cęli incorruptibilitas ex eo, quod eſt corporeum. quippè corpus eſt vndequaquè diuiſibile, & ideò circà magnitudines eſt omnium perfectiſſima, & ex defectu, & imperfectione res quærunt tranſmutationem, ergò cęlum non poteſt in melius procedere per generationem.

Item T. 15. probat Ariſt. motum circularem eſſe cęlo ſecundùm naturam, qui motus circularis ſempiternus eſt, & ſinè termino; ergò cęlum quoquè erit ſempiternum, & idem proſequitur lib. 2. Cęli T. 18. & 20.

Tertio probat cęlum eſse ingenerabile, & incorruptibile T. 20. ex eo, quòd non habet contrarium vllum, quod in primo libro nititur ſuadere à T. 24. vſque ad 31. & in ſecundo libro T. 18. & 37.

Quarto ſuadet eſſe inſeneſcibile, inalterabile, nequè habens augmentationem, nequè diminutionem. & T. 22. inquit *omnes homines de Dys habent exiſtimationem, & Barbari, & Greci quicumque putant eſſe Deos, & eum, qui ſursùm eſt, locum Deo tribuunt, tanquàm æterno locato æternus debeat aptarì locus*, quod argumentum, ex omnium opinione intèr problematica habendum omnium validisſimum, quod etiam replicat lib. 2. T. 2. & 4.

Quinto refert, in omni præterito tempore nullam haberi memoriam, cęlum vnquàm eſſe aliquam mutationem paſſum nequè ſecundùm totum, nequè ſecundùm partem: ergò temerè diceretur tranſmutabile; & idem replicat T. 90. & 92.

Sexto Idem deducit: quià ne quidèm habet extrà quicquam, à quo poſſit pati alterationem vllam, nequè locum, in quem feratur, ex quo videtur ſequi, eſſe incorruptibile, vt T. 100.

Septimo lib. 3. cęli T. primo ait, ſe manifeſtè oſtendiſſe; cæleſtia corpora eſse ingenita, & incorruptibilia, & cęlum eſſe primum elementum, & ingenerabile, & incorruptibile, ergò ſaltèm non videtur ambigendum, ab Ariſtotele cęlum haberi incorruptibile.

Octauo lib. 3. cęli aſſerit Ariſt. non omnium corporum eſſe generationem, & ſi in aliquo corpore neganda eſt generatio, nulli alij videtur neganda prætèr cęlum; ergò ſaltèm ex ſententia Ariſt. cęlum eſt ingenerabile.

Argumenta Problematica, quibus ex Ariſt. probatur Cęlum eſſe corruptibile.

DIuus Thomas. Quodlibet 12. art. 8. aſſerit, cęlum non eſſe æternum, in cuius ſententiam videtur poſſe reduci etiam Ariſt. quià, licèt aſſerat quæſtionem de cęli corruptibilitate eſſe problematicam; tamèn, facta comparatione intèr argumenta probantia incorruptibilitatem, & probantia corruptibilitatem, magis efficacia ſunt, quæ probant corruptibilitatem, quàm, quæ probant cęlum incorruptibile.

Et primum Argumentum, quo proba-

batur ex Ariſt. cęlum corruptibile habetur lib. 1. de cęlo T. 7. vbi ait Ariſt. corpora alia eſſe ſimplicia, & alia compoſita ex his; & intèr ſimplicia corpora numerat etiàm T. 8. corpora celeſtia, quæ ex 3. cęli T. primo ingrediuntur compoſitionem mixti, vt cætera elementa; ergò cęlum eſt eiuſdem naturæ cùm cæteris elementis ex ſententia Ariſt. qùm paritèr terra etiam rotunda ſit vt cęlum. & refert Ariſt. 2. cęli T. 72. 75. & 76. habitam quoquè eſſe terram vnum Aſtrorum.

Præterea T. 16. ait Ariſt. hoc alterum corpus, nempè cęlum, tanto diuiniorem habere naturam, quò magis diſtat ab his, quæ apud nos ſunt; ſed in progreſſu tractationis probat Ariſt. euidentèr diſtantiam cęli à nobis non eſse infinitam, ergò neque erit infinita eiuſdem diuinitas. diuinum autèm appellat Ariſt. intranſmutabile primo cęli T. 11 o. igitur Ariſt. ſtatuit cęlum tranſmutabile aliqua ex parte.

Tertio ait Ariſt corpora moueri proptèr aliquod bonum, & ad aquirendam perfectionem: ſed cęlum perpetuò mouetur, ergo perpetuò caret perfectione, & ex defectu oritur, vt fiat tranſitus, & ex hoc inſtituitur generatio.

Quarto cęlum eſt omnium imperfectiſſimum, quià non eſt animatum; ſed animæ inſtrumentum; & talia eſse ait omnia corpora naturalia Ariſt. 2. de anima 37. ergò eſt corruptibile vt cętera corpora naturalia.

Quinto ex T. 22. 1. libri de cęlo dicitur cęlum incorruptibile, quià numquam apparuit in eo mutatio neque ſecundùm totum, neque ſecundùm partem; ſed poſt tempora Ariſt. apparuit mutatio ſecundùm partem, & eadem eſt ratio totius, & partis; ergò ex Ariſt. hac data mutatione, conceditur corruptibile. Minor probatur, ex antiquis teſtatur Lucretius vnam, ex Pleiadibus interiiſſe.

Hæ ſeptem numero narrantur more vetuſto:

Stellæ, cernuntur verò ſex vndiquè paruæ,
An non interiiſſe putari conuenit vnam?

& poſse alias opiniones ſuboriri de cęlo teſtatur ſecundo cęli T. 34. Itâ interiiſſe poſſumus ſuſpicari eam, quæ nupèr apparuit in Caſſiopęa, & viſibilem factam eſſe propè interitum, quæ priùs in conſpectu non veniret; vt experimur quotidiè in ignitis, quæ propè extinctionem lucem extendunt, & hoc magis veriſimile eſt, quàm quæ iactantur de nouis phænomenis, nempè ex coniunctione plurium ſtellarum, & alia quæ feruntur inueriſimilia.

Sexto Aſſerit Ariſt. quæ habent contrarium, eſſe corruptibilia, & idipſum deducitur ex conſequentia in ipſo: ſi æterna ſtatuuntur, quæ non habent contrarium; ſed motus cęli, licèt non habeat contrarietatem in motu recto, velutì apud nos eſt, habet tamèn in circulari, ergò cælum eſt corruptibile.

Septimo, proptèr quod vnumquodque tale, & illud magis: ſed in his inferioribus generatio, & corruptio contingit proptèr cęlorum varios motus, ergò multo magis contingit in cęlis.

Octauo Ariſt. T. 92. ſtatuit cęlum ſenſibile, & in materia; ſed materia ſtatuitur principium mutationis, & corruptionis, ergò cęlum eſt mutabile, & corruptibile. Qui enim dicunt diuerſam eſſe materiam cęleſtium, & ſublunarium, id probant circulo, quià videlicèt cęlum eſt incorruptibile, &, quia ſenſibile, ex 3. metaph. T. 12. eſt etiam corruptibile.

Nono Ariſt. 1. cęli T. 102. refert ab omnibus cęlum genitum dici; ſed omne, quod eſt genitum, eſt etiam corruptibile, ergò omnes ſtatuunt cęlum generabile, & corruptibile.

Decimo lib. 2. cęli T. 20. ait Ariſt. non eſſe rationabile quicquam mo-

mobile eſſe ſempiternum ; ſed cęlum ſtatuitur ſempèr mobile, ergò non poteſt ex ſententia Ariſt. dici ſempiternum.

Ex his præſertim colligitur Ariſt. ſententiam potiùs inclinare ad cęli generationem, & corruptionem per rationes problematicas, quàm ad perpetuitatem, namquè intèr omnia argumenta problematica illud validiſſimũ habetur, quod 1. cęli T. 102. refert ab omnibus ità credi; & aliàs de eius generatione, & corruptione refert 3. cęli T. 2. ſtatuendum eſſe in methaphiſicis; vbi ſolum Deum ſempiternum, immenſum eſſe, & omnipotentem conuincitur; & in naturalibus qùm id problematicum dicatur apertè ab Ariſt. tamèn ipſe potiùs ad productionem ipſius in tempore, quàm ad perpetuitatem inclinare videtur.

Diluuntur Argumenta ab Ariſt. prolata pro cœli incorruptibilitate.

ANtequàm deueniamus ad ſolutionem argumentorum ab Ariſtotele allatorum pro cęli incorruptibilitate, prętèr ea, quę dicta ſunt de eiuſdem Ariſt. ſenſu quæſtionem hanc eſſe problematicam, prę accipiendum ideò tàm conſtantèr ipſum proferre ingenerabile; quià, cùm nouerit fortaſsè cęlum conſtitutum in eſſe in tempore, non eſse tamèn conſtitutum per generationem, & ideò dicitur ingenerabile, quià futurum erat olim, ſed non per generationem.

Secundò dicitur ingenerabile, quod incipit eſſe, & priùs non erat, ſed non incipit per veram generationem, vt eſt motus.

Tertio dicitur ingenerabile ad tempus, quod hodie non poteſt generari, etiamſi cràs generaretur; & quod tantę durationis eſt, nè poſſit humana mens concipere eius principium, neque exitum. vt adamas reſpectiuè dicitur incorruptibile, quià eius duratio ad captum humanæ mentis ſinè fine eſt.

Ad Argumenta relata ab Ariſt. pro cęli incorruptibilitate. Reſpondetur ad primum illud eſſe ad reprobãdam Platonis ſententiam, qui dixerat cęlum eſse corruptibile ex eo, quod ſit corporeum, oſtendit enim Ariſt. perſiſtens in problematica quęſtione; ſi cęlum fuerit corruptibile, non eſſe ex eo, quod ſit corporeum; ſed proptèr aliàs cauſas. ſecùs enim argumentum ab Ariſt. adductum probaret de quocumque corporeo, & non de cęlo tantùm.

Ad Secundum argumentum deſumptum ex motu circulari dicitur, nullius momenti eſſe, quià innititur in eo, quod motus circularis ſit proprius cęli, & quod hic motus ſit ſempiternus; & primò, motum circularem eſſe proprium cęli non ab omnibus conceditur, quià creditur etiàm ignis moueri circularitèr; & ſi eſt eadem ratio totius, & partis, videntur partes cęli aliquandò moueri motu recto; & ſi, ex hypoteſi, pars aliqua cęli deduceretur ad terram, credi poteſt redituram in cęlum motu recto. Deindè etiàm motus circularis ſinè ratione creditur ſempiternus; quià quandò circulus, aut ſphęra peruenerit ad punctum, a quo diſceſſerat, motum ſuum abſolutum habet; &, vlteriùs procedens, renouat circulationem, non facit perpetuam, niſi per motus iteratos; vt euenit etiam in ſublunaribus iterari motus ſursùm, & deorſum; nempè vaporum, qui ſursùm eleuantur, & concreti in pluriam deſcendunt; & iterùm in vapores ſursùm redeunt

quod

quod perpetua circulatione ſequitur; vndè potiùs motus rectus poteſt in æternum ferri, quià non habet terminum, à quo decedat, è ad quod redeat.

Ad tertiũ quo probatur incorruptibilitas propterea, quòd non habeat cõtrarium, hoc gratis profertur, quià in cęlo datur obſiſtentia, & retrouertuntur cęli, & retardantur ab ea ex eodem Ariſt. ergò non certum eſt, motum circularem non habere contrarium.

Ad Quartum quo deducitur incorruptibilitas ex omniũ cõſenſu, quod argumentum intèr problematica eſt validiſsimum, animaduertere oportet, omnium conſenſum non aſſignari ab Ariſt. pro cęli incorruptibilitate; ſed pro Dei exiſtentia, *omnes enim homines, inquit, de Dijs habent exiſtimationem, & Barbari, & Greci quicumque putant eſſe Deos, & eum, qui ſurſum eſt, locum Deo tribuunt*; dicendo enim eum, *qui ſurſum eſt locum* includit etiàm cęlum empireum, & omnem immenſitatem, quę eſt ex attributis reſpondentibus Dei eſſentię; argumentum autèm omnium problematicum validiſſimum cenſetur, quandò intèr omnes includuntur etiàm ſapientes, at nemo ex ſapientibus concedit, Deum eſſe in loco, & omnes ferunt Deum eſſe vbiquè per præſentiam, potentiam, & operationem, ideò aſſignare locum ſursùm, & ſtatui in loco, aſſignari debet Barbaris, & Grecis cuiuſcunque generis, & non ſapientibus, qui conualidant argumenta problematica.

Ad quintum, quo deducitur cęli incorruptibilitas, quià nulla vmquàm apparuit mutatio nequè ſecũdùm totum, nequè ſecundùm partem, concedit Ariſt. illius corruptibilitatem deducendam ex his, quæ refert Lucretius de corruptione Pleiadum, & ex alijs phænomenis obſeruatis noſtris temporibus in Caſſiopea, & cometis.

Ad ſextum, quod cęlum non habeat quicquam, à quo poſsit pati, id gratis ab eo pronunciari refero; quia idem Ariſt. non proſequitur, niſi manifeſta, & magis plauſibilia. an igitùr extrà cęlum quicquam ſit, à quo poſsit pati proptèr diſtantiam non poſſumus determinare, vt idem Ariſt. fatetur.

Ad ſeptimum Argumentum, quo deducitur ſententiam Ariſt. firmam eſſe pro cęli natura ingenerabili, poteſt reſponderi Ariſtotelem agnouiſſe creationem, & quùm de cęlo protuliſſet futureitatem, videtur concepiſſe eſſe quidèm cęlum conſtitutum in eſſe, quùm non eſſet priùs; ſed per creationem, non per generationem; ideò oſtendiſſe profert cęlum eſse ingenitum, & conſequenter incorruptibile, quoniam iam demonſtratiuè oſtenderat omnia, quæ genita ſunt eſſe corruptioni obnoxia. ſic omnia (præter incorruptibilia) quæ conſtituta ſunt in eſſe, quæ non erant, ſoluentur quidèm, ſed non per veram, & naturalem corruptionem.

Eodem modo poteſt dilui argumentum, quo ſtatuit, non omnium corporum eſſe generationem, quià videlicèt corpora in ſuo primo eſſe ſint conſtituta quidèm in eſſe, qùm non eſſent priùs: ſed non per generationem, quod determinare, ait, Ariſt. 3. cęli T. 2. non pertinere ad naturalem philoſophum, *eſſe enim quædam ingenerabilia magis alterius, atquè prioris, quàm naturalis conſiderationis.*

De-

De Mundi Perfectione.

MVndum perfectum eſſe in ſuo genere, hoc eſt ſecundum conſtitutionem, in qua à Deo firmatus eſt, non erit fortaſsè, qui ambigat; nãquè vnaquęque forma, & quodcumque compoſitum in ſuo genere tali modo perfectum eſt, ſi partes eſſentiales habet ſibi debitas, & integrales, vndè emanant proprietates, & paſſiones illi debitæ, & conueniunt accidentia. Eſſe verò mundum perfectum abſolutè, non erit fortaſsè, qui concedat; namquè nihil abſolutè perfectum eſt, prætèr Deum; quarè primàm rationem perfectionis in mundo probare, ſuperuacuum eſt, ſecundam impoſſibile, nequè in hoc probando laborat Ariſt., vt interpræ tes opinantur, & concedunt; ſed probat corpus intèr magnitudines eſſe perfectam, & redarguit Platonis ſententiam, qui dixerat cœlum eſſe corruptioni obnoxium, quià corporeum eſt; negat enim, ex eo capite corruptibile eſſe, ſi corruptibile eſt. Si enim cęli perfectionem conuincere præſumeret Ariſt. quià ſit diuiſibile ſecundùm omnem dimenſionem, nempè latitudinem, longitudinem, & profunditatem, etiam vermis mortuus hoc modo conuinceretur perfectus, & incorruptibilis. Non igitùr ex eo, quod habet trinam dimenſionem elicit Ariſt. perfectionem Vniuerſi, ſed propterea, quòd omnia contineat, quæ ad eius eſſentiam, & integritatem requiruntur, & nihil conuinci poſſit habere extrà, quod ſit de ratione eius, aut poſſit eius naturam permutare. Vndè elicitur omnia, quæ intrà hoc vniuerſum ſunt, concurrere ad perfectionem vniuerſi tanquam partes eſſentiales, vt ordo, &c. vel tanquàm integrantes, vt cęli, elementáque ità vocata, animalia, & plantæ; &c. nec videtur ambigendum eandem eſſe omnium materiam eodem ordine tanquam forma actuatam tàm cęli, quàm ſublunarium. præterquam, quòd natura cęli purior habenda credatur à Platone in Timæo, & Plutarco 2. de placitis: hoc enim fateamur neceſſè eſt; quia eadem à cęlo accidentia promanant, quæ à ſublunaribus vt quantitas, raritas, denſitas, pellucentia, calor, frigus, &c. nequè ex eo, quòd perfectior ſit illius materia, naturæ diuerſitas conuincitur, nequè etiàm ex loco, aut motu; nàm diuerſum quoque locum habet terra, & ignis: & tamèn eadem conceditur vtriuſque materia, & Ariſt. fatetur;.. nihil intereſse, differre tanta diſtant à, an tanta. quarè cęlum quoquè erit compoſitum ex eadem materia, qua ſublunaria; natura tamèn diuerſa erit, ſi natura intelligatur ea, quæ primò natura dicitur, nempè forma; quæ non ſolùm credenda longè diuerſa ab his, quæ apud nos ſunt, ſed credere etiam dignum eſt, aſtra inter ſe ſecundùm naturam, & formam differre eodem modo, quo differunt ab hàc natura elementorum, ità vt, veluti terra quacumque diſtantia remota à proprio centro creditur reditura ad proprium locum; ità, ſi quæ pars cęli per hypoteſim ferretur ad nos, eadem naturali propenſione ferretur in ſuum locum ſursùm, & ſecundùm naturam; quo ſursùm, & ſecundùm naturam fertur ignis. Ità, ſi pars Lunæ ad Solem, pars Iouis ad Lunam ferretur, hoc vi ſequuturum credere licet, & ſecundùm naturam eas partes per lineam rectam, atque breuiſsimam ad corpus, vndè diſtractæ fuerint, redituras. ſic propriam materiam habent cęleſtia corpora, & proprias formas, paſſiones, & proprietates etiam ex ſententia Ariſt. quæ nihil differt à Theologorum ſententia in hoc ſenſu.

Nàm dùm Ariſt. 9. methaph. T. 17. negat æternis potentiam, non proptereà negat materiam cęlis, ſed æternitatem, quam concedit intelligentijs lib. 12. T. 30. quatenùs æternę ſunt, ſiuè lib. de longit. & breuit. vitæ cap. 2. impoſſibile eſſe, ait, ea, quæ in materia ſunt, non habere contrarium; concedit aliquam contrarietatem ſaltèm raritate, & denſitate, & motu oppoſito cęlorum, quo cęleſtia corpora eodem modo retardari, & miſceri eorum motus veloces, & tardi creduntur, quo per mixtionem frigoris, & caloris media temperamenta conſtituuntur, nec cælum ità intranſmutabile, & inalterabile creditur ab Ariſt. vt plerique peripateticorum arbitrantur, veluti apertè dicitur conſtare ex materia primo cęli T. 92. qùm, tanquam quid corporeum non poſſit exiſtere ſine materia, & forma, quod ſi 12. metaph. T. 10. proponitur aliqua diuerſitas in materia, ea materia debet intelligi de materià ſecunda, quæ poſſit per aliquem actum diſtingui alia ab alia, non autem de materia prima, quæ eadem ad omnia, & in omnibus eſt, & tàm in cęlis, quàm in ſublunaribus formam appetit, quà de re, præter ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs, non videtur ambigendum; quià, ſi cęlum appetit formam accidentalem, quà mouetur ad vbi ſaltèm, multo probabilius eſt appetere ſubſtantialem, id autèm, quod problematicum indicat Ariſt. eſt an exercitè cęli corrumpātur ſecundùm partes, & corruptibiles ſint ſecundùm totum. nequè potentia hęc poteſt dici fruſtra in materia, quia iàm dicitur indifferens ad quamcumque formam; & qùm vna forma eſt informata, expletur eius potentia, & reducitur ad actum; & niſi nouum actum recipiat, non proptereà exuit rationem materiæ, & potentiæ; qua reſpicit eſſentialiter formam; non inſeparabili modo, ſed modo, de quo protèr diſtantiam ambigimus rationabilitèr: an vmquam ſeparari contingat. Quoniam ex diſpoſitionibus, quas percipimus in cęlis habere contrarium, vt ſunt raritas, & denſitas, velocitas, & tarditas, pellucentia, & obſcuritas, coniectamus quidèm poſſibilem corruptionem; ſed non conuincimus exercitè contigiſſe, aut futuram fore; proptereà in ſententia Ariſt. remanet quæſtio de cęli corruptibilitate problematica, & conſequentèr ſequitur quæſtio problematica de perfectione materiæ etiàm ſecundæ cęli.

An Cęlum ſit graue, vel leue.

COElum non eſſe graue, nequè leue, ſatis euidenter probat Ariſt. ex ſuppoſito, quid ſit graue, vel leue; & motu illius determinato; namquè, ſi leue eſt, quod mouetur à centro, & graue eſt, quod mouetur ad centrum; & cęlum non mouetur ad centrum, nequę à centro, certo certius eſt; cęlum non eſſe graue, nequè leue. Ex quarto cęli T. 13. fertur opinio, leuiora eſſe corpora, quę plus habent vacui, &c. qùm itàquè natura vacuum renuat, quę plus habent vacui, vehementiùs extrà vniuerſum feruntur, & hoc eſt leuitate, cuius cauſa ferri non poteſt ex Ariſt. T. 15. Sed quærendum eſt de his ſuppoſitis: videlicèt, an graue ſit, quod mouetur ad centrum, & leue, quod mouetur à centrò, & an cęlum ſit ex his, quæ non moueantur ad centrum, nequè à centro: ſed tantummodo circa centrum. & primò graue non eſſe, quod mouetur ad centrum, probatur, quià aer dicitur leuis, & tamèn naturali propenſione, ſi illi pateret iter moueretur ad centrum; nequè hoc tra-

di

di poteſt alicui violentiæ à vacuo; quià credere dignum eſt,ſi circa centum eſſet ignis, tamèn aerem ad centrum deſcenſuram per medium ignẽ, veluti terra grauiſsima per mediam aquam facit. Næc ratiocinando poſumus concludere, graue moueri ad centrum; namquè hoc eſſet tamquàm ad proprium locum, vel pro conſeruatione ſui, vel pro ordine ſeruando vniuerſi. Non pro ſui conſeruatione; quià ſi centrum ſtatueretur locus pro conſeruatione grauium, grauia,quæ tantam occupant molem, in fundo deberent conſeruari, ſic pro minima particula eſſet determinata conſeruatio. non pro ſecundo ordine vniuerſi, quià,qùm tot partes pares. diſpares ad idem cenrum tendant, potiùs tumultuarentur, quàm ſeruerẽt formam, & ordinem vniuerſi, & ſe inuicèm premerent. Nec ſatis eſt afferre ſententiam, elementa in ſe ipſis non grauitare aut, leuitare, quià partem præmi ab alia parte patere videtur in dolio perforato, quod plenum maiori impetu humorem effundit, quàm ſemiplenum, quod nulli alij cauſæ poteſt tribui, nisi parti fluidi humoris præmenti aliam partem humoris ſubiecti: quod verò celum non moueatur ſursùm; aut deorsùm, non ſatis plenè conſtat, vt poſſit ità liberè promuntiari: nàmque cælum influit in hæc inferiora, & vis quædam eſt in ouo, & quolibet viuente, quæ proportione reſpondet elemento ſtellarum, vt tradit Ariſt. Solis radij ad terram feruntur, & ad certum aeris ſpatium reflectuntur, ergò cæleſte aliquid videtur ferri deorsùm. atquè ex hypoteſi Ariſt. ſi terra eſſet extrà vniuerſum, credibile eſt propenſione naturę redituram in ſuam ſphęram ad centrum: ità poſſumus nos pari ratiocinatione credere, ſi pars Solis, aut cęli per hypoteſim has in noſtras regiones ferretur, per propriam naturæ ſuæ propenſionem in cęlum redituram; & hoc, motu recto, & per lineam brebiſſimam; & hoc ſaltem rationabile eſt,Solem, Lunam, & aſtra cætera proprios habere centros, ad quos ferantur, ità vt ſi pars eius globi in eam partem cęli raperetur, quæ perſpicua eſt, credibile eſt in lucentem partem redituram, & ſi pars cęli perſpicua ad centrum ſyderis ferretur, redituram. quoque ad proprium locum: illud autèm eſt ad centrum ferri, & hoc à centro elongari. habere igitùr, rationabile eſt, cęlum propriam grauitatem, & leuitatem competentem corporibus denſioribus, & tarioribus, prout hoc loco accidit. Tubo ophtico Solis pars flagrars, & cuiuſcumque ſyderis cernitur tumultuosè moueri ſursùm, & deorsùm, & non circularitèr.in Luna ſunt certæ partes eminentes, & depreſſæ illius globi, itàut eminentiores vmbras iaceant in ſuperficies depreſſas, & circumpoſitas; vndè non ſolùm graue, & leue eſſe in cęlis ſuſpicari licet, ſed eſſe quid grauius, & quid leuius. Ex ſententia igitùr Ariſt. de his ſuſpicari poſſumus; nil tamèn propter incuidentiam determinando; niſi, vt ipſe facit, ex ſuppoſito, graue eſſe, quod fertur ad noſtrum centrum, leue quod ab eodem recedit; & cęlum nec accedere, nec recedere, & ideò non eſſe graue, neque leue, quod poſsumus aſſerere, ſi effectus formalis leuitatis, & grauitatis determinatur ad centrum terrarum orbis; & pari ratione; nec veram quantitatem eius eſſe dicere fas erit: nec veram denſitatem, aut raritatem, nec veram duritiem, aut fluorem:ac ſimili ſotiocinatione conuincitur etiam eſse vnum; nàm, ſi nihil eſt in intellectu,quod priùs non fuerit in ſenſu, non capit humana mens alienam naturam ab his diſtinctam, quæ in conſpectum nobis ſunt; ſic extrà vniuerſum, quod mundum appellamus,nihil eſse, niſi poſſibilia dicendum eſt.

An motus circularis habeat contrarium.

VT ſuperiùs relatum eſt, cęlũ eſse in corruptibile, deduci poſse proponit Ariſt. quià non habeat contrarium quicquam, à quo poſſit alterari, aut corrumpi; quod argumentum valdè debile patefecimus, & falſa ſupponens. inquiendum tamèn ſupereſt luculentiùs de motu circulari, an habeat contrarium, quod redarguit Ariſt. hoc modo. Motui circulari vel eſt contrarius motus rectus, vel circularis: neutrum dici poteſt, ergo nullus motus eſt circulari contrarius.

Non eſse contrarium motum rectum circulari, probat; quià motus rectus diuiditur in motum ſursùm, & deorsùm; vel ergò motui circulari eſt contrarius motus ſursùm, vel motus deorsùm: neutrum poteſt dici; ergò motus rectus non eſt contrarius circulari. minorem propoſitionem probat Ariſt. quià motus rectus ſursùm habet contrarium motum rectum deorsùm, & inuicèm motus rectus deorsùm motũ rectum ſursùm; ſed vni non poſsunt eſse duo contraria, ergò nec motus rectus ſursùm, nec motus rectus deorsùm poteſt eſse contrarius motui circulari. quod verò motui circulari non ſit contrarius alius motus circularis, probat ratione terminorum, quoniàm videlicèt termini contrarij non ſunt.

Quæ probationes manifeſtè ſunt ad mentem eiuſdem Ariſt. in topicis: vbi pronunciat quæſtionem de cęli æternitate eſse problematicam, & probationibus inniti pro vtraque parte probabilibus: non autèm demonſtratiuè concludentibus. non concludere eam, quæ ſupponit, vni non poſse duo eſse contraria, patet ex 8. phiſ. T. 62. vbi affirmat non conſtate propoſitionem, quà quis dicat vni plura nõ eſse contraria, nã motui eſt contrarius alius motus, & quies; & æquali, ac mediocri eſt contrarium excedens, & deficiens. Idemque dicendum de motu circulari, qui dicitur non habere contrarium, nam 8. phyſ. T. 64. ait in motu circulari, contingere contrarietatem, quià, quæ mouentur ex oppoſito ſimiliter ſiſtuntur. ibi T. 65. ſoluit hoc problema dicendo non idem eſse circulo ferri; & circulum. itàque hoc loco Ariſt. probat non dari contrarietatem in circulo: ibi verò ait, dari in motu circulari: tribus enim exiſtentibus, ait, ibi T. 65. principio, medio, & fine, contrarietas in motu circulari poteſt eſſe in principio, & in medio: quamquàm non ſit in termino, & fine; vndè, licèt, quod mouetur circularitèr, moueatur ab eodem in idem; tamèn, ſi diuerſo medio moueatur, eius motus erit contrarius alter alteri; &, quæ mouentur, ſiſtentur inuicèm in medio; ratione cuius medij in motu circulari datur contrarietas adæquata: atque ità, qui diuidunt contrarietatem in contrarietatem adæquatam, & inadæquatam, nullo modo roborant Ariſt. argumentum, quià non defenditur motui circulari eſse contrarium rectum, ſed dicitur motui circulari ab A. ad C. eſse contrarium motum circularem à C. ad A. ſiue per B ſiue per D. alterutrum feratur, & hanc eſse contrarietatem ad æquatam, ſi daretur per eandem lineam ſemicirculi. magis igitùr ex mente Ariſt. ſoluuntur hæc argumenta, dicendo ea eſſe problematica, & non demonſtratiuè concludentia, prout problematicam eſse quæſtionem de mundi æternitate aſserit Ariſt. in topicis: in ordine ad quam cęlum carere contrario fatetur; quæ argumenta ab Ariſt. tradita hoc ſaltem ſucci habent, vt aliquo pacto probent cęli corruptibilitatem, ſaltem probabilibus ratio-

tionibus. Argumenta Platonis probantia cęli corruptibilitatem non ſolùm carent omni probabilitate, ſed in contrariam ſententiam conducunt; namquè dicendo, cęlum eſse, corruptibile, quià eſt corporeum, non probabilem refert ſententiam, ſed omninò falſam, quià probat Ariſt. cęlum, quo corporeum eſt, eſse incorruptibile, quià corpus intèr magnitudines eſt perfecta, & transmutatio fit ex defectu, ſeù ex priuatione tamquam ex termino à quo. Dicendo autèm cælum eſse in corruptibile, quià non habet contrarium, probabile eſt, nisi neceſsarium, & in hoc genere debemus ſumere Ariſt. argumenta probantia motum circularem non habere contrarium, qua de re quærebatur.

An Mundus ſit finitæ magnitudinir.

QVod mundus ſit finitæ manitudinis probat efficacitèr Ariſt. ex motu, nàmque, ſi infinitæ eſset, non eſset imaginabile ſpatium, in quod ferretur, nec eius circuli daretur volutatio, quià lineæ ductæ ab huius centro ad circumferentiam diſtarent infinito ſpatio; ſi, quò magìs protrahuntur, magìs diſtant; ſic non poſſet vna ad aliam ferri, vt n motu circulari expoſcitur: aut, ſi moueretur, moueretur infinito tempore, & non ſpatio 24. horarum, vt experimur in maiori circulo huius vniuerſi mundi, de quo quærimus: an ſit finitę, vel infinitæ magnitudinis, quod ſi probatur de maximo circulo, & corporibus eo menſuratis, multò magìs probari debet de corporibus hoc circulo concluſis, vt ſunt inferiora corpora celeſtia, & elementa: quod probat etiàm probabili argumento de elementis; quia ſi, elementum eſset infinitæ molis, eſset etiam infinitæ grauitatis, aut leuitatis: ideòquè moueretur in inſtanti: quod argumentum dicam probabile, vt cætera, non autèm demonſtratiuè concludens, quià, certum eſt quidèm, quod grauius eſt ſecundùm ſpeciem velociùs moueri, vt plumbum velociùs moueri, quam lignum, ſed non adeò certum eſt de grauioribus ratione molis, quià æquè velocitèr creditur moueri vncia plumbi, & libra: ac propctereà, licèt etiam ratione molis augeretur velocitas motus, non tamèn augeretur in infinitum, licèt eſſet infinita moles, quia infinita moles non habet ſpatium, quò moueatur, & velocitas habet determinatum gradum, & eſt vnius cuiuſque actionis determinatum minimum tempus, ex Ariſt. 2. cæl T. 39. nec quicquam credibile eſt quacumque velocitate, aut ex natura, aut ex mole aut ex impulſu addita, quicquam poſſe velociùs moueri, quàm moueatur primum mobile; non autèm experimento neſcimus grauiora ſempèr velociùs moueri, & in motu ſecundùm naturam ſemper augeri velocitatem, quò magìs progreditur mobile: quià numquàm experti ſumus, quicquam deueniſſe mobile ad eam motus velocitatem, quæ naturà determinata eſt, & qua moueri primum mobile traditur. At ſi pro mundo accipiatur indefinitè & qui ſursùm eſt, locus, compræhendendo etiàm ſpatia imaginaria; certè deberet dici infinitum, vt Democritus, & Leucippus arbitrabantur, ibiquè corpora huic mundo reſpondentia eſſe infinita non tantùm ad ſatietatem mentis, ſed etiam ad nauſeam, & ad furorem: qùm ſanę mentis eſſe non poſſit, ea præſumere concipere animo, quę ne quidèm potuit capere vniuerſum.

An

An Mundus ſit vnus.

QVærentes Veteres Philoſophi, an extrà hoc vniuerſum aliquid ſit; ne ſpatia imaginaria ſuperuacua concipiendo, aliquid Dei liberalitate, atque fæcundæ potentiæ detraherent, plures mundos ibi eſſe, ſuſpicati ſunt; &, quod fieri poſſe credidere, factum monimentis traduxerunt. Democritus ſub certo numero conſtitutos, ſed non determinatè, Xenophanes, Anaximander, & alij plurimi hunc indeterminatum numerum dixere infinitum. Verùm Democritus cuiuſcumque mundi diuerſam conſtituit rationem, itàut quęlibet ſtella, & quæ noctu apparet, & quæ tubi ophtici auxilio in conſpectum deducitur, vel huic terrarum Orbi, vel Soli reſpondeat. alij verò, quò præ imginariæ mentis imbecillitate alias rerum naturas, & rationes ſibi conſtituere non valuere, alios eſſe mundos credidere huic noſtro ſimiles, qui & terrarum orbem, & Soles, & ſydera inerrantia habeāt, & in eo terrarum orbe ſit aqua circumflua, & aer, & ignes, &, quæ ex his apud nos miſcentur, itàut etiam aliud genus hominum ibi viuere arbitrentur.

Affirmare alios eſſe mundos huic noſtro non abſimiles, vbi alij homines, & animalia, & plantæ viuant, hoc prorsùs inrationabile eſt, & a veritate alienum; quod probat Ariſt. argumento ex elementorum propenſione deducto, qua ad centrum terra trahitur, & aqua ad locum ſuper terram, quam propenſionem non ammittant, etiàm ſi tanta longè abſint diſtantia, aut tanta. ideò ea elementa, quocumque eſſent in loco ferrentur ad locum iſtorum, nec poſſent ibi conſtituere aliam rerum ſeriem huic reſpondentem. Quod argumentum Ariſt. concludit contrà multitudinem indiuidualem; nàm ſi vna eſſet ſpecies mundorum numero tantùm diſsidentium probat aliqua ratione argumentum, ſi verò ſit diuerſa ratio; & natura mundorum in imaginario ſpatio conſiſtentium, vt arbitrabatur Democritus, nihil probat. Probat inquàm aliqua ratione: non ex toto, quià poteſt inniti falſo ſappoſito, quo dicitur, nihil intereſſe, tanta diſtantia res abeſſe, an tanta; namquè ſiuè terra trahatur ad centrum; ſiuè feratur, poteſt tractionis vis, & progreſſus deſiderium ad certum ſpatium determinari, vltra quod terra non feratut ad centrum; veluti euenit in pluribus chalibis partibus ad multas magnetis partes ſeſe ferentibus: Chalibis enim in tanta diſtantia ad vnam partem magnetis trahitur, in maiori ad alteram, cui magis proxima fuerit. Prudentis igitùr Philoſophi eſt, primò ſimiles quęſtiones, quorum non ſit euidentia, non agitare: deìn, vbi proponantur agitandæ, euidentioribus concluſionibus addici; nec vltrà humanæ mentis captum ratiocinari; aut præmiſſis aptare concluſiones: nè, ſi præmiſſæ ſint de poſſibili, concludatur de facto. In quem errorem cecidere Vuidephus, & Abaiilardus, qui videntes conſtare, à Deo vnum tantùm eſſe creatum memdum, inferunt non poſſe alios creare: quià ipſe immutabilis ſit, &, quam potentiam habet, beneficus prodat: ità vt, quæ potuerit facere, fecerit. Error autèm indè oritur, quià conſtat vnum tantùm mundum creaſſe: & omnipotentiam Dei non confitentur.

De

DE COELO.

LIB. II.

POſtquam in primo libro Ariſt. de cęlo egit in communi; deuenit ad tractationem magis peculiarem: pendendo anteà in primo capite cùm oſtenſionum, quibus probatum eſt ab eo, cęlum eſſe incorruptibile, quam vim præcipuam eſſe ait, in eo, quo demonſtratum eſt; cęlum, ſi fuerit corruptibile, non eſſe corruptibile ex eo, quod eſt corporeum: vt Plato pronunciauit. Vndè hoc Argumentū elicit pro confirmanda fide de cęli incorruptibilitate. Qui defendunt cęlū eſſe corruptibile, hoc fundamento defendunt; quod ſit corporeum, & opus habere Atlante, à quo ſuſtineatur, & ſubiici perpetua agitatione Ixionis fato: ſed hoc fundamentum, oſtenſum eſt, eſſe inſufficiens: ergò remanet integra opinio credentium cęlum eſſe incorruptibile. Maior patet ex Platonis enunciato in Timeo, & 2. de regno: Minor probata eſt ab initio primi libri, quià corpus eſt perfectiſſima magnitudinum, & principium rerum naturalium, hoc eſt, quæ in fluxu ſunt, & mobiles. eſt etiam priuatio, quæ nulla eſt reſpectu magnitudinis in corpore; &, quæ de Atlante, & Ixione feruntur, faboloſa ſunt: ergò corruit. Conſequentia ſuadetur, quià, ſi fundamenta corruunt eorum, qui ſtatuunt cęlum generabile, remanet integra ea opinantium eſſe ingenerabile, & ſtatuunt Deorum ſedem tanquàm ingenerabilem, impaſſibilem, & laboris expertem. At ſimili etiàm argumento procedit, ad oſtendendam illius corruptibilitatem, quaſi hoc modo ratiocinans. Qui defendunt, cęlum eſſe incorruptibile, hoc fundamento defendunt; quòd ſit ſedes Deorum; quòd diuino numine ſuſtineatur, quod Atlantem vocant; quòd nullia violentia moueatur, proptèr quam paſſibile fiat: eò, quòd celerrima moueatur latione, vndè à nulla alia ſuperari poſſit; & quòd animam habeat conſeruantem motu ſempiterno; ſed hoc quoquè fundamentum corruit, ergò cęlum non poteſt defendi incorruptibile. Maior propoſitio patet ex dictis Ariſt. T. 2. per totum primum caput; minor quoquè ab eodem Ariſt. traditur; & in metaphiſicis, vbi oſtendit, Deum non eſse in loco; & in libro de ſpiritu, vbi ait, Deum eſse vbiquè per præſentiam, potentiam, & operationem; vndè nulla ei ſedes propria ſtatui poteſt. Item in hoc libro, vbi oſtendit, hoc vniuerſum, de quo agitur, eſse finitæ magnitudinis: & ideò dùm dicunt indefinitè, *eum, qui ſurſum eſt locum*, etiam ſpatia imaginaria includunt, vbi Deus quoquè eſt per præſentiam, potentiam, & operationem, quam exercet, intelligendo ſe ipſum, ſic includunt Deum ipſum, & immenſitatem eius, quam nulli dubiùm eſt, eſse æthernam. Quæ de Atlante, & Ixione dicuntur, iam probatum eſt, eſse fabuloſa, & hoc eodem conſtituunt cęlum terræ non abſimile; & graue, dùm conſtituunt animantem, quod illud regat. Qui dicunt, vt Empledocles ſeruari ob celeriorem lationem, temerè id pronunciant: qui, ab anima ſeruari aſserunt, non animaduertunt, nullam vitam poſse ſeruari ſinè triſtitia, & ſic ſinè paſſione, quæ principium corruptionis eſt. ex quibus concludit Ariſt. in calce T. 6., & primi capitis nō ſecùs ea, quæ de cęli incorruptibilitate tradūtur eſse coniecturalia, atquè ea, quæ de cæli corruptibilitate færuntur; & confirmat ſuam ſententiam traditam in Topicis de cæli æternitate: nempè eam eſse problematicam, & eſse, quid ſimile diuinationi, ſi vtriuſque par-

partis ſermones perpendantur, itá enim ſonant verba Ariſt. *chie timanno.*

De cęli diſpoſitione, & figura.

QVoniàm dubitatio propoſita, & agitata eſt, an cælum ſit animatum: ſequitur etiam dubitatio de partium illius diſpoſitionibus, quæ ad ſimilitudinem earum, quæ animantium ſunt, cælo traduntur. diciturque cæli dextrum, & ſiniſtrum, antè, & retrò, ſursùm, & deorsùm, vt in animantihus obſeruatur, & in præcipuo animantium præſertim, nempè in homine. in quo eſt pars dextera, ac ſiniſtra; a quibus dextrum, & ſiniſtrum brachium, & dextera, & ſiniſtra manus denominantur; eſt caput sursùm, pes deorsùm; ac pars antica ad faciem, vbi ſenſus ſunt, ex Ariſt. de anim. inceſsu cap. 4. poſtica ad occiput. Ad harum poſitionum ſimilitudinem aſſignantur in cælo partium poſitiones dextera in oriente, ſiniſtra in occidente, sursùm ſuprà caput, deorsùm, infrà pedes; antè ad auſtrum, retro ad aquilonem. Quas tamèn poſitiones antè, & retrò non omnibus eædem ſunt hominibus, quià omnes ſolis iubare reguntur, & ad illud conuerſi has poſitiones deſignant: quarè hi, qui vltrà lineam meridionalem ad Auſtrum habitant, dùm Solem ſpectant parte antica habent aquilonem, & poſtica Auſtrum; qui verò apud nos citrà eandem lineam ſunt, ſi Solem ſpectant, à parte antica haben Auſtrum, à poſtica Aquilonem. Vnde fortaſse factum eſt, vt qùm quiſque, ſcribendo, manus ſcribentis Solem ducem ſequatur, & ſemper à deſtra ad ſiniſtram pergat. ideò, qui vltrà lineam meridionalem fuere. dùm ſcribendi rationem, & ſtili motum regerent, aduerſum ſtilum ducunt, ſcribendò, à linea, quam nos proſequimur; tales ſunt Hebrei, & Arabes, & qui ab eis ſunt. Nos verò, qui citrà eandem lineam meridionalem ſumus, & ſolis curſum ab oriente ad occidens alio modo obſeruamus: dùm illius motum ſequimur, à dextera ſcribendo ad ſiniſtram procedere conſueuimus. Alij verò ſunt vt caldei, qui ſcribendo linea recta procedunt a sursùm ad deorsùm, quià fortaſse hi, qui talem ſcribendi rationem inſtituere, ſub linea degerent meridionali, nec vltrà, nec citrà eam, ſemperque vmbram à Sole procedentem euitarent. Hæ igitùr diſpoſitiones dextri, & ſiniſtri, sursùm, & deorsùm, antè, & retro traduntur per reſpectum ad animalis poſitiones, & præſertim hominis. & non intrinſecùs conueniunt illi, ſaltèm ſecundùm eandem rationem, qua conueniunt animantibus; quià cælum non habet eaſdem partes, quas habent animantia. Attamèn, ſi diſpoſitiones in animantibus conſiderentur, prout procedunt à motu, poterit eſse aliqua ſimilitudo rationis in poſitionibus cæli; quia hi quoquè mouentur de loco ad locum: non tamèn erit eadem determinatio, quæ fertur modo per denominationem extrinſecam ab animantum poſitione; nam, quod modo dexterum, & ſiniſtrum dicitur, per eam denominationem extrinſecam, intrinſecè in cælo dicendum eſset antè, & retrò ſecundùm regulam traditam ab Ariſt. de inceſsu anima. cap. 4. namquè pars, quæ ſpectat ad occidens, deberet dici antè, & non dextera, quià eò versùs cælum mouetur: quæ ſpectat ad oriens, eſset pars poſtica. neque hac ratione poteſt habere cælum sursùm, & deorsùm, quià non habet augumentum. de dextero autèm,

tèm, & ſiniſtro iurè ambigimus, quià nondùm clarum eſt, an cælum ad latera moueatur; & an motus trepidationis ſit alius à proprio, & raptus; &, quicquid illi conueniat ex his poſitionibus, dicendum eſt conuenire per ſimilitudinem, quam habet ab intrinſeco cum corporibus viuentibus, quæcumque illa ſit, quā nullo alio modo magìs explicatam habere conceditur, quàm quærendo de eius naturali conſtitutione, & motu, à quibus hæ poſitiones petuntur in animantibus.

Ariſt. T. 35. ſecundi libri concludit ſinè contradictione, cæleſtia corpora eſse ſphęrica, & motum eorum eſse inuariabili continuatione ſempiternum; eo tamèn modo, quo aliàs relatum eſt: intèr quæ corpora etiam aſtra numerantur, quæ non rotantur in ſe ipſa, ſed quaſi infixa ſphætæ cùm ea mouentur, quod qùm ità appareat in Luna, ſemper eandem, aut propè eandem faciem nobis oſtendente, credibile etiàm eſt hoc idem in cæteris accidere, aut ſaltèm temerè hæc vertigo proponitur in his, quorum facies eſt immanifeſta, ſi in his, in quibus eſt manifeſta, non apparet. At de ſcintillatione ſtellarum: quoniam eorum cauſam Ariſt. 2. cæli T. *46.* incertam ponit, licet ab eius opinione recedere, dicendo; ſcytillare ſydera inerrantia, quià flagrant, & lucem à ſe ipſis habent quaſi ardentia: planetæ autèm, qui non ardent, ſed lumen à Sole mutuantur; non ſcintillant; poteſt autem id non procedere ex diſtantia, vt ſuſpicatur Ariſt. quià, quæ ſcyntillant inerrantia etiam tubi ophitici beneficio propè coſtituta ſcyntillant, & manifeſtiùs: ideò motum illum habent in ſe ipſis aſtra: non autèm procedit ab oculo, & eius imbecillitate; pręterea Sol propinquior eſt Ioue, & Marte, & tamen ſcyntillat; & idem tremulo quodam lumine faciunt, quæ a Sole illuminantur, licèt propè ſint. Scintillatio igitur inditium eſt flagrantiæ corporis ſcyntillantis, vt quilibet ignis facit: non autèm diſtantiæ, ſed vt diſtinctiùs totius vniuerſi conſtitutio, quantum ex diſtantia conceditur, habeatur, ſeorsìm de ſingulis partibus dicendum eſt incipientes à terra.

De Terra.

QVem ordinem ſeruet terra, & quo reſpectu ſita ſit ad alias vniuerſi partes, non liquido conſtat, neque omnes Aſtrologi in eadem conueniunt ſententia, vt proponit Ariſt. 2. cæli T. 72, Et primo; quià aliqua eſse, creduntur, quæ in vniuerſo ex natura quieſcant, & aliqua quæ moueantur. Plurimi magìs probabili opinione, & ſenſui magis reſpondente aiunt, terram in medio vniuerſi ſitam eſse, eamque centrum ſtatuunt; vt ex ſphæra à Ptolomeo tradita depræhenditur; per quam vniuerſi conconſtitutio ità determinatur; vt in centro ſit terra: ſuprà eam aqua: ſupèr aquam aer: ſupèr aerem ignis: ſupèr ignem cælum Lunæ: ſupèr hanc Mercurius: ſuper Mercurium Venus: ſupèr venerem Sol: ſupèr Solem Mars: ſuper Martem Iupiter: ſupèr Iouem Saturnus: ſupèr Saturnum cælum ſtellarum inerrantium: ſupèr cælum ſtellarum inerrantium primum mobile, ſeù cælum empireum, vndè ſphæra hac ratione conſtituitur à Ptolomeo.

Ex Ariſt. 2. cæli T. *96.* variæ repetuntur opiniones de terræ conſtitutione, & motu. Nam alij, ait, dixerè, eſse vnum aſtrorum: alij, in medio eam ponentes, veluti eſt, moueri dicunt circa medium polum. Ipſe autèm Ariſtoteles has opiniones reprobat, ad quod confirmandum

his rationibus vtitur primò, inquit, eadem eſt ratio totius, & partis ſed pars quælibet terræ, ſi remoueatùr à centro, ad centrum redit, ergò etiam tota terra in centrum fertur. præthereà textu 97. inqnit, ſi terra mouerctur motu circulari: vt mouentur cætera, moueretur etiam pluribus motibus, velutì mouentur aſtra cętera, & ſphęrę, quę à prima ſphera rapiuntur; quòd ſi eſſet, neceſſariò etiàm ſequeretur aliqua mutatio, & conuerſio ſyderum inerrantium. vndè concludit T. 101. terram nequè moueri, neque ſituari extra centrum vniuerſi.

Verùm, quia rationes ab Ariſt. relatę à nonnullis tanquàm probabiles tantùm recipiuntur, nec propter diſtantiam poteſt quicquam certò determinari, ideò alia ſyſtemata ſunt propoſita a variis aſtronomis pręter Palemtoicum. vndè aliud dicitur ſyſtema Copernicæum; aliud Tyconicum; aliud Argolicum; aliud Pithagoricum, ſeu Italicum, quæ a nobis proponuntur, vt Prolemaici ſyſtematis tot ſęculis comprobata conſtitutio confirmetur.

PT. COP. TIC. ARG. ITAL.

De Syſtemate Ptolemaico.

VT cauſæ, quæ referuntur apparentium in cęlis, decerni maiori probabilitate poſſint, neceſſarium eſt relatas obſeruationes proponere, prout ſtatis temporibus memorię tradite ſunt.

Primùm igitùr, quod omnibus indubitatum eſt, obſeruatum eſt, ſpatio viginti quatuor horarum paulo plùs, aut minùs Solem, & Lunam, sydera errantia, & inerrantia circumduci.

Secundo aliqua ſydera eſse, pręſertim ex non errantibus, quæ in certis Terrę regionibus nunquàm appareant, nec in conſpectum veniant: quædam verò quæ perpetuo oculis ſubyciantur; intèr quæ etiàm quædam eodem in loco perpetuò perſiſtere videntur, quędam modò deprimi, modò eleuari, & circumagi ità vt, quę magis diſtant ab his, quę immobiles videntur, ſempèr magis, atquè magis velocitèr moueantur.

Tertiò ex ſyderibus quædam maiora: alia minora nobis in cōſpectum venire: alia magìs lucida, alia minùs: alia fixi luminis, alia ſcintillantia: alia per eandem cæli regionem ſemper & oriri, & occidere, alia modò in hac, modò in illa parte eleuari in ortu, aut deprimi in occaſu; alia ſemper in conſpectu eſſe, alia breui lucere, & longiſſimo temporis ſpatio aliàs occultari: plurima ſibi ſempèr reſpondere, alia ſitum variare.

Quartò in his, quorum diſci facies obſeruari, & diſtingui poteſt, vt in Luna, manifeſtum eſt, eandem ſempèr faciem nobis oſtendere, aut leui dimotione modò, ex vna parte, modò, ex alia occultam diſci partem inuertere, & interdùm totum diſci orbem lucere nobis, interdùm partem tantummodò, & in falcis figuram imminui, ac tandem occultari.

Quintò obſeruatum traditur, ſydera inerrantia, licèt intèr ſe eundem ſemper ſitum ſeruent, tamèn longa temporis continuatione varietatem aliquam prodere tàm ſecundùm latitudinem, quàm ſecundùm longitudinem: permanere tamèn inerrantia reſpectu eclypticæ, adeò vt ſyderum inerrantium, & Solis eadem perſiſtat via.

Sextò certum eſt: nullibi gentium noctem prorsùs ęqualem diei eſsè, niſi in ęquinoctiis, & in ìpſis ęquinoctiis vbiquè aut noctem diei eſse omninò ęqualem, aut per totā diem Solis partem dimidiam, aut proportionalem ſuprà Orizontem eleuari, & aliam proportionalem ſub occultari:

tari. Intelligendo per diem ſpatium 24. horarum, non autèm lucis perſiſtentiam; quę aliqua in terrę plaga poteſt ſemper perſiſtere, aut clara ſub Sole, aut incerta cùm crepuſculo, vt ſub polo.

Septimo obſeruatum eſt: ſydera inerrantia modò plura, modò pauciora in conſpectum venire, & ſemper eadem velocitate ab ortu ad occaſum verti; errantia verò, quæ planetæ dicuntur, modò ſegniùs; modò velociùs moueri, & interdùm retrogredi, & pati plures inæqualitates, quæ quià ſunt communes omnibus, nec eodem modo ſunt, dum de ſingulis agendum eſt, explicabuntur. Hoc autèm maximè notabile eſt in planetis ſuprà Solem poſitis, tunc velociſſimos, & maximè directos eſſe, qùm Soli coniunguntur, tunc tardiſſimos, & retrogrados, quandò Soli opponuntur; & hoc patiuntur indifferentèr in oppoſitionibus, & coniunctionibus, quacumque in cęli plaga fuerint, dùm opponuntur, aut coniunguntur: ſemperquè minimo apparent diſco, dùm coniunguntur, maximo dùm opponuntur.

Ptolomeus igitùr cum Ariſt. ſtatuit terram centrum vniuerſi, & immobilem, quià, ſi ipſa circumferretur, tàm concitati motus aliquis ſenſus eſſet hominum, qui orirentur, & occiderent. itèm quià iactus in altum lapis, dùm redit, non rediret in eandem partem, à qua diſceſſerat ob ſpatium à terrę circumferentia ſuperatum, dùm in aere lapis ſuſpenderetur.

Suprà terram aquam ſtatuunt ex natura, quod verò terræ apparet aridum: id ſupra aquæ ſuperficiem quidem eſt, ſed violentia quadam, aut vi naturæ viribus conceſſa: ſiue æterno conſilio. Terram ſubeſſe aquæ patet, quià, ſi pars terræ in aquam dimittitur, ea mergitur, & eadem eſt ratio totius, & partis. A litore autèm non conſpici naues in altum longo interſtitio latas ex figura ſphęrica aquæ procedit: non quià aqua ſupereminens lineæ viſualis tranſitum impediat: quod ex eo manifeſtum fieri poteſt, quià, non ſecùs ijs, qui in naui ſunt, conſpectus litoris interdicitur, imò minùs interdicitur. Aqua ęſtus patitur, fluxum vocant, & refluxum, bis die vno, itàut in quolibet fluxu, & in quolibet refluxu quartam diei partem ſuperet, cuius rei cauſam Lunę plurimi tradunt. Soli etiam poteſt aſſignari, qui accedens calore aquam rarefacit, recedens condenſat; illud fluxus, hoc refluxqs cauſa eſſe poteſt, quà de re non eſt huius loci diſſerere, ſed in metheorologicis.

Suprà aquam aer conſtituitur ſinè controuerſia; ſupèr aerem ignis non æquè omnium conſenſu, quià oculis non conſpicitur. Verumtamèn ignis aſcendere in aere cernitur, creditur ergò rationabilitèr, ſphęram ſuam habere ſupèr illum.

De Luna.

SVprà omnes ſphęras elementares Luna collocatur tamquã res cęleſtis contigua ſublunaribus, & incorruptibilis mortalibus. proxima conſtituitur à Ptolomeo, & creditur ab Ariſt., & penè omnium Aſtrologorum vniuerſitati vltima omnium planetarum à ſupremis incipiendo, prima incipiendo à terræ regione, & hoc probabili admodùm ratione traditur, quoniàm maximo eius diſco omnes planetæ, & ſydera defectum patiuntur, & interdicuntur hominum oculis, qnod eſſe non poſset, niſi ipſa ſub omnibus eſset collocata. Item terrę vmbra à Sole orta in eam iacitur ità, vt defectum lucis patiatur, at non apparet iaci in alios planetas. vnde conyci-

mus ipſam terrę maximè proximam, eſse ; pręter quam quòd multa communia habet cum terra; partes videlicèt ſuperficiei elatas , & depręſsas. In vmbras , & opacitatem . Item, probabile eſt, ſi rapiuntur planetę à primo mobili, quo minùs rapiuntur, magìs ab eo diſtare ; vndè , qùm Luna ſeriùs feratur ad occaſum per motum ab oriente in occaſum , quàm moueantur cęteri planetę , ſequitur ipſam maximè diſtare à primo mobili , & hac ratione proximam eſse . Ex quo conſequitur proprium illius motum , qui eſt ab occaſu in ortum , eſse omnium planetarum velociſsimum; ſiquidem Luna proprium circuitum perficit , & vniuerſum Zodiacum peragrat diebus 27. horis 7. ac 43. Solem verò conſequituur ab vna coniunctione ad aliam diebus 29. horis 12. & 44. Eius circulus imaginarius tanquàm altera Eclyptica , quià obliquus concipitur, ſecat Eclypticam ; quas ſectiones aſtrologi vocant nodos , vel caput Dragonis , aut caudam . Caput Draconis vocant eam ſectionem , vndè fertur in ſeptentrionem : caudam draconis vocant , vndè fertur in meridiem: quę ſectiones varietatem habent , vt aliorum planetarum , ſed multo euidentiores, vtporè quę quotidiè contrà ſignorum ordinem mouentur gr. 0. 3. 10. itàut anno vno hoc eſt diebus 365. pertranſeant gr. 19. 20. 33., & vniuerſum Zodiacũ luſtrentur annis Egiptijs,qui ſunt præcisè dierum 365. 18.; ac diebus 223. Arabes caput draconis , quod à grecis dicitùr nodus borealis , & aſcendens , hoc ſigno tradunt caudam verò quam greci vocant nodum auſtrinum , ſeù deſcendentem hoc modo ſignificant Velutì autèm ſolſtitia fiunt in maxima declinatione Solis ab ęquinotiali ad tropicos cancri , & capricorni , ſic ſub tropici ratione ſtatuũtur puncta in Lunę orbita, quę diſtant ab his nodis ſuprà poſitis per quartam orbitę : hoc eſt per gr. 90. quot diſtant tropici ab æquinotijs ; & hæc puncta dicuntur limites , quià latitudinem Lunæ maximam terminant gr. 5. alterum terminat latitudinem borealem : alterum auſtralem ; qui limites dicuntur ab Arabibus ventres draconis , vtpotè , qui ſunt medij intèr caput , & caudam ; qui limites eandem varietatem ſortiuntur , quam diximus contingere in nodis tanquàm in eadem Lunæ orbita poſiti , & conſiderati ; à quorum limitum diſtantia etiam diſtantia cæterarum partium orbitæ poteſt concipi , & determinari . Habet prętereà Luna motus inæqualitatem , ideſt modò tardiùs , modò velociùs mouetur ; atquè, ſi referatur ad limites, ſeù ventres draconis , aut ad nodos præpoſitos , dicitur eius motus, motus medius latitudinis , per quem motum Luna diſcedit à nodis , aut limitibus quotidie gr. 13. 13. 45., & reuertitur ad eos diebus 27. horis 5. e med. Totum verò Zodiacum pertranſit , redeundo à puncto ad punctum , diebus 27. horis 7., & 43.; qui periodus dicitur menſis lunaris periodicus , ſeù annùs. Reuertitur verò ad Solem diebus 29. horis 12. 44. quià præter abſolutam periodum totius reuolutionis à puncto zodiaci ad eiuſdem punctum , à quo diſceſſit , vt ad Solem appellat , debet etiam ſuperare aliud ſpatium Zodiaci; quod Sol in eo menſe lunari peragrauerit ; & iſta peragratio dicitur annus lunaris , ſeù menſis ſynodicus , ſeù coniunctionis . Luna enim,licèt medio motu quotidie ſuperet Zodiaci gr. 13. 13. 45. velociſſimo gr. 15. tardiſſimo 11. tamèn non diſcedit à Sole niſi per gr. 12. 11. 26. dùm medio motu cietur, plùs proportionalitèr, dùm velociſſima eſt, minùs dùm eſt tardiſſima: habita etiàm aliqua ratione motus ſolaris , quo ipſe quoquè modò tardiùs , modò velociùs cietur. Sic Luna hac periodo menſis lunaris Soli coniungitur


Syſtema
Syſtema
Argolicum



systema
Ptolomaicum
Systema
Copernicum

gitur, aut opponitur, aut medio conſiſtit. Dum illi coniungitur lucis totum reflexum ſursùm iacit, nihil deorsùm ad noſtros oculos, vnde iſta coniunctio dicitur interlunium: ſeu luuę ſilentium: dùm opponitur, dicitur Lunę oppoſitio; & tunc diſco maximo nobis apparet, & rotundato. dùm in quadraturis eſt, media nobis apparet lucere, & imperceptibiliter paulò plùs: quià hæc conditio competit corpori illuminato, ſi minoris molis fuerit, quam ſit corpus illuminans: tunc enim paulò plùs, quàm medium illuminatur. vt patet hoc exemplo; vnde fortaſſe maior, & propinquior apparet in quadraturis, quià tunc medium corpus eius illuminatum totum nobis in coſpectum venit; dùm verò opponitur Soli: licèt tùnc quoquè plùs quàm media illuminetur, neque etiam media oculis noſtris proditur; quarè, habita proportione mediæ partis illuminatę in quadrataris ad totam illuminationem: ſi oculis credimus, maiorem exiſtimamus in quadrataris, quàm in coniunctione, aut in oppoſitione. Qùm luna à Sole per gradus 14. receſserit, tunc tenuiſſima eius lux nobis apparet, quæ dicitur nouilunium. In hoc enim deffert nouilunium ab interlunio, quo in interlunio Luna nullo pacto videtur, quæ incipit videri in nouilunio, in quo, quandò primùm apparet falcata apparet, & cornuta; quæ cornua obtuſiora indiès euadunt, donèc Luna ad quadraturam peruenerit primam: quę eſt poſt nouilunium; poſt quadraturam verò ſecundam, quæ eſt poſt oppoſitionem, iterùm cornua reformare incipit, hac tantùm diſtinctione; nàm cornua poſt nouilunium ad ortum ſpectant, poſt oppoſitionem in occaſum: ſempèr tamèn Soli aduerſa ſunt: Ideò, quandò Sol eſt Lunę orientalis, cornua ad occaſum conuerſa ſunt; quandò Sol eſt Lunæ occidentalis, cornua Lunę verſa ſunt ad orientem. Interdùm Luna longè etiam a Sole obſcuratur; interdum ipſa Solis lucem adimit. Obſcratur ipſa, dùm Soli oppoſita eſt, Solem obſcurat, dùm illi coniungitur, quæ obſcurationes. eclypſes dicuntur; & non niſi contingunt, quandò accidat Lunam coniungi Soli, aut opponi, dùm in nodo aliquo eſt, ſiuè propè illum, quem caudam, vel caput draconis appellari diximus; & quò magìs proxima nodo eclypſim patitur, aut conficit, eò maiorem efficit; itàut, ſi contingat coniunctio in ipſo nodo, & ipſa in ima parte ſui epycidi ſit, Solis lucem omninò intercipit; itaut, vel obſcuriſſimam noctem ęmuletur, & aues, qui in medio cæli depræhenduntur, decidant; ac paritèr, ſi in nodo contingat oppoſito, ipſa tota obſcuratur; itàut tanqùàm ferrum ignitum nobis in conſpectum feratur. In quadraturis ſempèr maior Luna, & terræ propinquior apparet, & locum in Zodiaco variatur, & aliàs etiàm maior apparet, quandò velocem habet motum, minor quandò tardiùs mouetur. Vndè, cæteris paribus, quandò Luna velorior mouetur, maiores patitur eclypſes, & maiores facit in Sole, &, qùm tardior, minores. Itèm maiorem patitur Eclypſim Luna, cæteris paribus, quandò in meridie, quàm quandò eſt in ſeptentrionalibus ſignis. Sol verò exaduerſo maiores patitur Eclypſes ad Septemtriones accedens, quàm ad Auſtrum. Prætereà in nouilunio etiàm in parte oppoſita parti illuminatæ lucis aliquod rudimentum apparet, itaut lucis circulum perficiat. In oppoſitione non ſtatìm orbis deteritur, ſed etiàm ſecunda die poſt oppoſitionem integer, & perfectus orbis lucet; atquè, dùm deteritur in ea lux poſt oppoſitionem, aut augetur poſt interlunium, pars lunæ interna ſemper inæqualis amphractuoſa, & denticulata eſt; itàut etiàm alicubi partes eius apparent

pa-

pareant quaſi ramenta illuminata ſeparata ab eius diſco:atquè, dùm in plenilunio eſt, tota maculoſa apparet.

Omnes igitùr Aſtronomi cùm Proſomeo conueniunt, coſtituendo Lunam omnium planetarum maximè proximam terræ; & moueri circà eã, cuius varietates in motu tradunt circulis in eius cælo imaginatis; vnus, qui dicitur orbis Lunę eccentricus: alter deferens draconis; tertius ſuprà orbem lunæ conſtitutus, & ſuprà deferentem; qui dicitur epyciclus, in cuius circumferentia Luna conuertitur diuerſo tamèn modo ab eo, quo moueri cæteros planetas referemus in proprijs epicyclis: quippè alij planetæ, dùm ſunt in ima epicycli parte, & nobis magis proximi, mouentur versùs occaſum, dùm verò ſunt in ſuprema parte epicycli, & à nobis remoti, mouentur versùs ortum. Luna verò in imò epicycli versùs ortum pro ſignorum ordine: in ſuprema verò versùs occaſum contrà ſignorum ordinem per A. B. C. D. E. alij autem planetæ per E. D. C. B. A. ideoque, dùm Luna velociùs mouetur, ex eo procedit, quià tunc eſt in ima parte epycicli A. B. C., & mouetur ſecunda motui eccentrici, & auget illius motum, qui dicitur medius, & nobis apparet maior nempè 36. diametri in diſco, & propinquior, & maiorem patitur parallaxem, ſeù varietatem apparentiæ: quandò verò mouetur tardiùs, mouetur in epicyclo motu aduerſo ei; qui eſt eccentrici, & contra ſignorum ordinem: ideo minor nobis apparèt; & remotior, & minorem patitur parallaxem. Quoniàm autèm epicylus eius tardior eſt eccentrico, ideò fit quidèm tardior, & velocior, at numquàm retrograda; quippè motus eccentrici ſuperat motum epicycli, quùm eodem penè temporis ſpatio permeet per totum circulum A. F. G, H. I. quo luna per A. B. C. D. E. & eadem eſt ratio; quarè eclypſes minores contingant, quandò Luna tardior incedit: quià videlicèt eſt à nobis longinquior, ideoque conus vmbræ à, terra procedens anguſtior incidit, vt patet ſi ponetur terra k, vmbra l. ac lunæ ſtella in B. & D. Differentiam autem, quam animaduertunt Aſtronomi in Lunæ quadraturis, in quibus maior, & propinquior ipſa apparet, & viſum eludit tradunt ipſius deferentibus; namquè eccentricus ſignorum ſequitur ordinem ab occaſu in ortum: deferentes contrario motu aguntur ab ortu in occaſum; quaproptèr in annua reuolutione Luna bis in antapſide reperitur. & bis in abſide, ideoque bis centro proxima. & bis remota eſt. Remota in abſide in coniunctionibus, & oppoſitionibus; proxima in antapſide in quadraturis; in quibus propter vicinitatem maiorem patitur parallaxim, & loca in cælo eludit. eſt enim ab omnibus conceſſum, Lunam citimam eſſe omnium planetarum, & qùm oculorum proſpectus non ſit in centro terræ; ſed in ſuperficie: oritur, vt ratione terræ diametri non ſit eadem linea apparentiæ, & exiſtentiæ planetæ, quod in Luna ſenſibile eſt, in cæteris planetis, licèt quoquè ſit, tamèn eſt inſenſibile proptèr diſtantiam, & proptèr modicam proportionalem, vt ſit centrum terræ A. ſuperficies B. luna C. Saturnus D. Si conſideretur varietas conſpectus à centro, & a circumferentia vtriuſque; magna varietas compræhendetur; quia, Luna exiſtente in C, linea conſpectus eius tendit in. F linea centri in E. At in Saturno, D. linea conſpectus terminatur in F, & linea à centro in G. At varietas, ſeu paralaxis ab F. ad E. eſt admodũ manifeſta: ea verò quæ eſt ab f. ad G. vix conſpicua eſt. Quæ varietates etiàm in Luna minùs conſpicuę ſunt, quandò quadraturæ, & depræſſiones


H A E
D B
G C F
D E
C A
I L
H K F
O
C
B
A D
H
D E F G
C
P
Q
A H
R
S
I
O N M L K
A
B D
G
H
E
D G
C B F
A

nes Lunæ contingunt ea exiſtente in parte maximè ſeptentrionali, & in linea meridionali, longèque ab ortu, & occaſu; namquè, quò magis planeta eleuatur ab orizonte, eo minor ſuccedit proportio varietatis, quià ſtella exiſtente in zenith, eadem eſt linea centri terræ, & viſus: vt apparet in linea A. B. H. qua propter quandò probanda, ac reperienda parallaxis, eſt reperienda propè orizontem, habita tamèn ratione refractionum, quæ ibidèm frequentiùs contingere poſſunt. Nuperrimè obſeruata paralaxis à Tycone eſt minima 56.4 4. maxima 65. 3 6. vndè colligunt orbis Lunę craſſitiem extendi per 9. terræ diametros ad minimum: nàm tali diſtantia Luna notata eſt accedere, & recedere orbi terrarum, ſic per paſſum miliaria 81000. & per epicyclum vniuerſum circumferri per paſſuum milliaria 243000. quem motum perficit diebus 27. horis 23.

Alter circulus imaginatus in motu Lunę ſecat eclypticam in duobus punctis oppoſitis: veluti ipſa eclyptica ſecat ęquatorem; & veluti circulus eclypticus ſecans ęquatorem recedit ab eo modò versùs auſtrum; modò versùs ſeptentriones per gradus 23. & medioritä iſte circulus ſecans eclypticam recedit ab ea versùs ſeptentriones, & auſtrum per gradus 5, & ſectiones dicuntur nodi boreus, & auſtralis, vt ſuprà relatum eſt.

Eccentricus autèm dicitur Lunæ circulus, cuius centrum non reſpondet centro mundi circà quæ mouetur Lunæ epicyclus. tamèn, quia Luna moueri creditur etiam per periferiàm epicycli, ex quo motu conſurgit anomaliæ motus; qùm idem ſit ſempèr aptum facere idem, & ex ſententia Ariſt., 1. Cæli T: 57. vnius corporis non poſſit ſecundùm naturam dari nisì vnus motus, ex his duobus motibus centri epicycli in proprio orbe Lunæ, & centri diſci ipſius in epicyclo tertius conſurgit circulus circuli mundi centro non reſpondens; quique propterea dicitur eccentricus, anomalia enim ex natura non ſunt, licèt appareant, nec Luna, quamquàm velocior, ac tardior incedere videatur, credi poteſt, nisì vno, & perenni motu inuariabili cieri.

De Lunæ Maculis.

INntèr cætera argumenta, quibus ſuaſum eſt, Lunam eſſe maximè terræ omnium planetarum proximã, fuit, eam habere multa communia cùm terra. quod depræhenditur ex maculis, quæ in ea ſunt olim incertæ: noſtris verò temporibus tubi ophtici ope admodùm manifeſtæ, ac diſtinctæ, quęque appareant, non vt olim credebantur ex raritate, & denſitate lunaris corporis emergentes; ſed ex depreſſis, & eleuatis montibus, & conuallibus, prout in terrarum orbe conſpiciuntur: ità vt manifeſtè, dùm Sol ab vna parte eſt, in aliam vmbræ iaciantur, atque, dum Sol ad aliam deflectit, vmbræ quoquè conuertuntur ex minutis eleuationibus, & aſperitatibus Lunæ, quamquàm ſumma vmbrarum vnam vmbram conſtituere videatur, quæ ſemper eandem figuram, & eundem locum ſeruet. Ex hac itàquè aſperitate ſuperficiei globi Lunæ maxima coherentia depræhenditur Lunæ, & terrarum orbis; adeò vt nonnulli, falſo tamen, crediderint, ibi quoque hominum genus reperiri, & animalia, & plantas proportione aliqua, & analogia his reſpondentes; ſed hæc temerè, & inconſultò prolata cenſenda ſunt, Nam hoc euenire poteſt ex diuerſitate, vel raritate partium in ea exiſtentium, vt paret in aliquibus lapidibus;

dibus, & gemmis, quæ apud nos reperiuntur, quæ, quanquàm ſolidę, & leues intùs tamèn partes continent diuerſæ naturæ, & conſtitutionis; quę transfuſam lucem remittant, & recipiant, & vmbras iaciant. ex quibus ſi globi conficerentur, illas omnes aſperitates continere viderentur, ſi eminus conſpicerentur.

De Lunę magnitudine, & partibus eius.

LVnam eſſe minorem terra coniiciunt aſtrologi ex eo, quià in eclypſi tota in terræ vmbram mergitur, & hoc lato interuallo. Qùm itaquè terrę vmbra conica ſit, & ſempèr diſci eius diametro minor; quò magis ab illo elongatur; patet quandò ad Lunam deuenerit vmbra terrę, multò minus ſpatium habere, quàm habeat ipſa tellus; &, qùm longo interuallo Lunam ſub vmbram contineat, neceſſario ſequitur; Lunam non ſolùm minorem terrę orbe, ſed longè minorem eſſe; &, facta diligenti animaduerſione, ſtatuunt eam proportionem habere Lunę diametrum ad terrę diametrum, quam habet 5. ad 17. ſi itàquè conſtituantur duo globi ex qualibet materia eiuſdem ponderis, vt ex cera, aut plumbo, quorum vnus ponderis ſit vnius vncię, & alter ponderis vnciarum 40. erit eadem proportio magnitudinis intèr hos duos globulos, quę eſt intèr terram, & Lunam, namquè, ſi diuidatur terrę diamater minoris globuli in partes quinque, comparatus cum diametris maioris globuli, in eo erunt partes eiuſdem rationis 17., & ſi dentur in quolibet gradu terrarum orbis miliaria 75. gradus 360. conſtituunt totius circuitionis terrę miliaria 27000., & habita proportione, quę eſt 5. ad 17. erit lunę totus circuitus in maiori circulo miliaria 7941., & diameter illius nobis conſpicuus, vt quę reſpondet periferię, quę eſt 7. ad 22. erit miliaria 2527. ex qua totius menſura partium magnitudo quarumcumque haberi poteſt iuxtà menſuram conſtitutam, habito tantùm reſpectu ad latera ſpherici corporis, in quibus decurtatę apparent, & maiores iudicandę, quàm oculis oſtendantur.

De Lunę influxu in hæc inferiora.

INcrementum, & decrementum Lunę nobis coſpicuum plurimarum mutationum, quæ apud nos contingunt, cauſa creditur. Vndè maris fluxus, & refluxus; aeris quotidianæ conſtitutiones; ventorum, turbinum, pluuiarum reuerſiones ab his lunę mutationibus procedere creduntur. Si ſata non reſpondent; ſi ligna cariem recipiunt, ſi vina perturbantur; ſi lina decoquuntur, Lunæ traditur; morborum acceſſiones, & incrementa; quo mouentur, & reuertuntur febres, & dolores Lunæ cauſatur influxus, quã humidam prætèr modum prædicant: Quorum euentuum cauſatio inualuit non ſolùm apud vulgus, & leue, ac indoctum hominum genus; ſed etiam apud eos, qui ſolidori dotrinoa firmatum animum habent. credo ex eo, quià narratorum euentus frequentes ſunt, cauſa verò adhuc inexplorata. itaut, qùm paritèr ignotum ſit, quid cauſare poſſint hæ Lunæ varietates, facilè eſt id, cuius ignoratur effectus, aptari illi effectui, cuius ignoratur cauſa, vt hoc notitiæ linimentum in animæ ignorantis ſolatium adhibeatur. At, ſi

licet

licet in hoc ſcientiarum flumine leuiora, quæ ſupernatant aliorum cupiditati relinquere; &, quæ grauiora in profundo tacito murmure volutantur ex piſcari. Nullam in natura cauſam humiditatis in Luna concedere rationabilitèr poſſumus, namque ipſa omnium ſyderum vltima proprio motu ſublunaria agitare credibile eſt. ipſa lumen poſt Solem copioſiſſimum effundit Marte multo lucidior, & omnes philoſophi fatentur motu, & lumine calorem cauſari, & non humiditatem. Maris effluxus, & refluxus non vbiquè eadem reciprocatione redit; licet Luna eadem omnibus luceat. & vbiquè venti, pluuiæ, tempeſtates quæque & ſilente Luna, & creſcente, & decreſcente contingunt. ligna ſi ſucco repleta cæduntur menſe Martio, Aprili, Maio, quocumque in ſtatu Luna ſit, ſempèr cariem contrhaunt; & menſe Auguſto, & Ianuario, etiam ſi ſilente Luna ligna cędantur, ſolida perſiſtunt, & incorrupta, quantum ligni natura patitur. lina teruntur facilè; ſi aut ſputo fæminæ mali habitus macerata ſunt, aut nimia coctura, aut validioris materiæ cinere expurgantur: non autèm Lunæ vitio. morbi periodici, & febrès eodem tempore, & in eadem Lunæ motus velocitate, aut tarditate aliquibus perſiſtunt, alijs pręmouentur, alijs poſponuntur. non eſt itàquè, quarè Lunæ tradatur cauſa. præteteà, ſi lumen Lunę Solis reflexu oritur, ipſa non niſi Solis virtutem effundit; quà igitùr qualitate Sol præditus traditur, eadem & Luna pollere credere dignum eſt; leuiori tamen vi, quantum directa vis magis pollet, quàm reflexa. Nec admodùm valida ratiocinatione vtuntur, qui à Luna, referunt, innatam humiditatem euocari per vim radiorum Solis, & in hæc inferiora effundi. namquè experimur, Solis radios æquè eſcam incendere, & incaleſcere, quandò aquam pertranſeunt, ac quando per vitrum; vnde patere videtur nullam humiditatem concipere Solis radios ex aquà reſultates, aut per aquam tranſeuntes; nec pariter poterunt ex Luna, ſi ea humida ſit; quod temerè Lunæ tribuitur, & ſi eſſet, & transfunderetur ea qualitas, credi poteſt, dùm per ſphęram ignis totam fertur, diſſipari; ſed non, propterea quòd incertum creditur, ſingulares huiuſmodi narratos effectus procedere à Luna, aut ab vlla alia ſtella determinatæ qualitatis diffamata; negari vlla ratione poteſt, hæc omnia ſublunaria ſuperioribus lationibus regi, & gubernari. Summa enìm influxę vis certa eſt, ſingularis quoquè ab his, quæ hic accidunt, determinatur; velutì Solis lux vna eſt, & eadem omnibus: quę tamèn innumeras recipit differentias ratione corporum, & diſpoſitionum eorum, quæ apud nos ſunt, ex quibus ad innumeros colores, & colorum gradus conuertitur, & effectus etiàm intèr ſe contrarios producit. Sydera autèm, & decantatæ virtutis aſpectus ſunt ſigna concurrentium cauſarum, non cauſæ; cauſæ enìm diſponentes proptèr innumeros concurſus, & concurſuum varietates occultæ ſunt; ſed certis temporibus procedunt, & reuertuntur; quæ tempora, & præcedentia, & ſubeuntia cæleſtibus luminaribus deſignantur, & eorum concurſu determinantur; in quibus, quæ ſæpè eueniſſe obſeruata ſunt, euentura prædici poſſunt; non, quia his cauſentur, ſed quià ſignantur effectus; Sol, & homo generat hominem, ſed Sol communi influxu, homo determinato; & Sol non propria tantùm virtute concurrit, ſed mixta, & fuſa virtuti omnium corporum cæleſtium; qui influxus modum recipit non ſolùm ex omnium virtute, quæ modò, & nupèr à cęlo inſpiratur, ſed ab ea etiam, quæ diù, & multo antehàc annorum fluxu prodiere. Ea fuſa

eſt per motum ; à quo etiam lux excitatur: quarè cęlum influit in ſublunaria per lucem ; ſed ſubſequentèr . namquè motu deficiente, lucem etiàm defecturam credibile eſt ; qùm motus ſit tanquàm vita quędam vniuerſi ex Ariſt. 8. cęli T. 1., & deficiente motu cęleſti , à quo omnia rapiuntur, & cientur , rationabile eſt, omnem etiàm motum apud nos ceſſare . Luna hac noua ſignificatur, apud Aſtronomos.. quià licèt plena , ac ſatura magis orbita conſpicua ſit , tamèn hac figura meliùs ab alijs planetis diſtinguitur ; & quia talis ſempèr , dùm noua apparet , conſpicitur ; qui regreſſus , & nouatio maxima erat in veneratione apud antiquos ; & talis ſalutabatur adueniens ; & hoc menſium periodi diſtinguebantur , taliſque tandèm , vt cętera omnia proptèr pręcedens ſilentium, & priuationem luminis deſiderata erat ; & velutì Solem orientem magìs adorare conſueuimus : ità , & Lunam adoloſcentem potiùs , quàm adultam : quandoquidèm in adulta , & plena primum futurum decrementum deſpicitur , & oculi luce multa ſaturati in eam non adeò cupidè conuertuntur .

De Mercurio.

POſt Lunam Mercurius ponitur à Ptolomeo: non propterèa quòd obſeruatum ſit ab ab eo ſtellam aliquam e ſuperioribus pręſertim eclypſari ; de qua dubitari poſſet , an ipſa proximior ſit ; nequè, quià vmbra terrę in eum iaciatur ; ſed quià omnium minimè rapi à ſuperioribus lationibus conuincitur ex motu proprio velociori , quàm ſit motus Veneris , aut alterius planetæ ſuprà Lunam , & motum annuum parem habet cum Sole: propriam verò reuolutionem perficit diebus 115. horis 22. itàut annis 40. reuolutiones proprias perficiat 145. Conuenit autem quàm maximè motus eius cùm motu Veneris, vt infrà demonſtrabitur . non tamèn ab orbe Veneris , cui ſubeſſe creditur, rapi obſeruatum eſt ; quià motu annuo æqualiter cùm eo conuertitur . In Mercurij motu tres potiſſimum diuerſitates tradidit memoriæ Ptolomeus: prima fuit velocitatis, & tarditatis obſeruata libræ, & arietis in punctis oppoſitis g. 20. nempè in libra, tarditas, & in arietę velocitas. Alia quoq; motus varietas ab eo fuit obſeruata in punctis nõ oppoſitis, ſed quatuor tãtũ ſignis diſtantibus in aquario gr. 9. velocitas in geminis tarditas . Tertiam varietatem in puncto determinato non obſeruauit ſed vbiquè promiſcuè in qualibet Zodiaci parte , & directè moueri , & ſtare : & retrocedere adnotauit . Primas duas varietates velocioris, & tardioris motus colligit & ex elongatione eius à Sole maiore , quàm ratione epicycli illi contingeret . In vtraque enim obſeruatione reperijt Mercurij ſydus longè à Sole gr. 26. 30. &, qùm ratione proprij epicycli non contingat elongari à Sole vltra gr. 22. 30. conſequens eſſe arbitratus eſt aut velociùs , aut tardius moueri ; velociùs moueri creditur , quandò elongatio animaduertitur matutina ; & moueri tardius , quandò veſpertina eſt ; nàm ſi qùm manè receſſerit magìs , aut ſtella velocior, aut Sol tardior fuit; quandò veſpere , aut Sol velocior , aut ſtella tardior : ſed huiuſmodi inæqualitas non animaduertitur in Sole ; ergò in ſtella Mercurij ponenda eſt . Primam inæqualitatem, quæ traditur in ariete, &, libra aſſignant eccentrico: cuius abſis in libra ponitur: antabsis in ariete: ſic facilè oſtẽditur in vna parte ſtellam moueri velociùs, in alia tardiùs . Secundam inęquali-

tatem tradunt motui centri epicycli, qui bis in ãno terræ proximior fiat:in aquario vna vice, & alia in geminis: ſed quomodò ità centrũ epicycli elõgetur à terra, & fiat proximius, non oſtendunt, niſi multiplicando circulos, & tradendo circà eccentricum orbem Mercurij quatuor deferentes eccentricos, duos maiores, qui extrinſeci ſint, & duos minores, qui ſint interni; ita tamèn, vt maiores ſtabiles ſint, & immobiles: minores verò moueantur continuò ab oriente in occidentem motu contrario ei, qui eſt Mercurij. Tertiam inęqualitatem aſſignant epicyclo, cui etiàm aſſignant ea, quæ circà latitudinem obſeruata ſunt; quòd videlicèt epicyclus circà ſectiones ſeſe inclinet, & eleuet:itàut in punctis medijs circulus epicycli ſubalternus ſit cũ eccentrico;qui euentricus,qùm modò moueatur vltra eclypticã, modò citrà, vt alij, neceſſe eſt, dum planeta à parte ſuperiori defertur in punctum medium, circulum epicycli eſſe auſtralem in Mercurio, vt ille in punctis mediis ſempèr oſtendatur auſtralis, vt obſeruatum eſt, veluti, ſi in alio planeta, vt in Venere contrarium accidat, quòd videlicèt in punctis medijs ſit borealis, id aduenit, quià modus idem, ſed proportio diuerſa ſit. Quæ rationes eorum, quæ obſeruata ſunt, aſpectus ſeruant; ſed Ariſtotelis ſenſum, & rationem non ſequuntur, qui in his vnius corporis vnum tantùm motum ſecundùm naturam dixit, & fruſtrà fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora. aliàs enìm non patet apud Aſtronomos, quo modò eccentricus modò vltrà eclypticam, modò citrà feratur. & quæ nam cauſa tantam motuum varietatem moliatur, quam cauſam indagare, ſi difficile creditur in cæteris planetis, in Mercurio certè difficillimum eſt: cuius motus, & motuum varietates minimè omnium obſeruarè potuere, etenìm tàm pauco interuallo a Solis radijs digreditur, vt rariſſimè contingat videri, & poſſe eius vias obſeruari, preſertìm, quæ dicuntur epicyclares, ſeù anomaliæ ab aſtromonis, & irregularitatis, habet enim circà Solem circulationem inęqualem, quippè in vna parte zodiaci magìs digreditur à Sole, quàm in altera, & ſemel in anno elongatur à ſole per gardus 28. 30. aliàs 20 tantùm, nec velociſſimus, nec tardiſſimus, nec retrogradus poteſt obſeruari, quià tunc in Solis radios merſus eſt, & retroceſſiſſe cernitur, non retrocedere; recta tamèn ratiocinatione depræhenditur, tunc planetam velociſſimum eſſe, quandò concurrit motus eius in pæriferia ſuperiori epicycli cum motu centri ipſius in Sole pro ſignorum ordine ab occaſu ad ortum; tardiſſimum verò, & retrogadum, quandò centrum epicycli eius mouetur pro ſignorum ordine. ipſe verò planeta contra ſignorum ordinem velocior mouetur ab oriente ad occidens motu proprio, & in periferia inferiori proprij epicycli, in qua maxima velocitate, & maxima rarditate, ſeù retrogradatione ſempèr planeta Soli coniunctus eſt, & in illius radios merſus, vel infrà, vel ſupra Solem. Qua proptèr cuius figuræ ſit Mercurii ſtella, an aſperæ, & inæqualis ſuperficiei, an perfectè rotunda: an lumen à ſe ipſo habeat, ſeù verò recipiat à Sole, & quantam iaciat vmbram, non poſſumus determinare, niſì ratiocinando per ea, quæ in cæteris planetis apparent, & præſertim in Luna; quæ, qùm rotundæ figuræ ſit, & aſperæ, & lumen à Sole mutuetur, rationabile ducimus, ipſam quoquè Mercurii ſtellam, & figuræ ſphęricæ, & inæqualis ſuperficiei, & à Sole lumen recipere; & ſtatis temporibus corniculatum cerni poſſe; & ſummo conſilio eius lucem imminui, & minùs ad nos reflecti, quandò proximior eſt nobis, magis directè ad nos ra-

radios Solis, etiam nobis inuiſum dimittere, quandò in ſuperiori parte epicycli à nobis magis diſtat, vt debita in rebus ſublunaribus ſeruetur æqualitas; & quantum fieri poteſt euitentur exceſſus caloris, & frigoris. creditur enim Mercurius duplo maior Luna, ſed multò viuidiores radios Solis reflectere; quarè in infima parte epicycli exiſtens, & terræ proximus, Solis radios reflecteret, & notabile caloris efficeret argumentum. Mercurius hac nota ſignificatur aſtronomis tanquàm caduceum ferens, quod erat Mercurij virga, quam ægiptij implexu duorum ſerpentium figurabant, & qua bellum dirimitur. oſtendentes ſummæ prudentiæ eſſe, cuius ſymbolus ſerpens eſt, bella dirimere, & pace frui, quod fieri non poſſe, niſi bellatorum prudentia inuicèm concurrat: hæc autèm virga quarè tribuatur Mercurio inde creditur, quià ipſe exiſtimabatur Dei miſſus, à quo nihil magìs, quàm pax petitur; & forteſſe hìc Dei miſſus traditur, quià omnium minimè in conſpectum venit, velutì Dei arcana, & iudicia imperſcruptabilia ſunt, & inconſpicua; & viæ admodùm obſcuræ, & caduceatores dicebantur, qui bello dirimendo mittebantur.

De Venere.

Venus ſuprà Mercurium ponitur à Ptolomeo; quia minùs diſtare à primo mobili ſuadetur; qùm tardior Luna, & Mercurio proprio motu moueatur; quippè medio motu qualibet die mouetur *36. 59. 25. 51. 11. 26.* licèt motu epicycli conſequatur Solem, ſicuti conſequitur Mercurius, à quo per proprium motum in epicyclo digreditur maiori interuallo gr. 47. 32. cæterùm mouetur eius epicyclus Soli concentricus æquo paſſu cùm Sole, vndè patet Veneris orbem non rapi ab orbe Solis; nàm, ſi raperetur, non poſſet moueri æquo paſſu cum Sole, namquè duorum orbiùm, qui in idem agantur, minor ſempèr velocior redditur. qùm igitùr Venus æqualis Soli moueatur, colligitur a Solis orbe orbem Veneris non rapi. Eius medius circulus, & eclypticam ſecat, & æquinoctialem, & centrum eius epicycli mouetur eodem modo, quo centrum Solis; vndè Ptolomei temporibus Venus tardior, & velocior incedebat. punctum tarditatis maximæ, & velocitatis paulo varium tradebant, & noſtris temporibus punctum habet maximæ velocitatis in Capricorno, maximæ tarditatis in Cancro, quæ eſt anomalia, ſeù inæqalitas epicycli. Aliam quoquè anomaliam ipſa habet in epicyclo, hoc eſt propter motum eius in epicyclo apparentem, quæ dicitur directionis, ſtatus, & retrogradationis; cuius anomaliæ circuitus integri octo obſeruantur annis quinque contingere, & in quolibet circuitu modò Solem antecedit, modò conſequitur, modò in eius radios mergitur; quandò Solem antecedit, apparet matutina; &, quià maximo interuallo elongatur à Sole per gradus 47. 32. breui poſt eius ortum dies ſequitur, & , dicitur lucifer. Quando Solem ſequitur veſpertina apparet, & dicitur Heſperus; & antiqui aſtronomi antè Pythagoram arbitrabantur Luciferum, & Heſpeum eſſe duas ſtellas diuerſas. ſemèl igitur Solem ſequitur, & ſemèl anteit in integro circuitu, qui perficitur menſibus nouem diebus 23. ac 30., & bis in Solis radios mergitur, modò tardior, modò velocior incedens, & modò retrogada; &, qùm bis Soli iungatur, in vna coniunctione maximè directa eſt, & velociſſima: in altera tardiſſima, & retrograda.

Ve.

Velociſſima eſt, quandò matutinà ad Solem accedit, aut veſpertina recedit. Tardiſſima eſt, & retrograda, quandò veſpertina ad Solem accedit, & matutina recedit, quarè lucifer dicta, ſi recedit à Sole, tardo recedit motu: ſi accedit ad Solem, accedit motu veloci, et Heſperus dicta, ſi recedit à Sole, velocitèr recedit; ſi accedit ad illum tardè accedit. Habet etiàm in latitudine inęqualem motum Venus, ità tamen, vt circà puncta media non faciat latitudinem, niſi 16. circà ſectiones maximam vſquè ad gr. 7. atque in punctis mediis ſempèr ſeptentrionalis ab ecliptica ſpectatur, in ſectionibus verò aliquandò ſeptemptrionalis, & aliquandò meridionalis. Auſtralis in ſuperiori parte directa, ac maximè velox, in inferiori tarda, & retrograda: Borealis in ſuperiori parte tarda, & retrograda, in inferiori velociſſima. In quo cùm Mercurio maximè conuenit latitudinem faciendo tùm in ſectionibus, tùm in punctis mediis, & æquè in punctis medijs minimam: in ſectionibus maximam; in hoc tamen longè di uerſus eſt motus Veneris à motu Mercurij, quia Venus in punctis medis ſemper ſeptentrionalis apparet: Mercurius verò ſempèr meridionalis. Maior etiam eſt ſtella Veneris ſtella Mercurij ità, vt diſti Veneris ſit ea proportio in diſcum Mercurij, quæ eſt 35. ad 10., & eadem proportio eſt Lunæ ad Venerem, quæ eſt 1. ad 7., & Veneris ad Solem quæ eſt 1. ad 180. Tamèn, qùm minor ſit Ioue, & Saturno, & qualibet ſtella non errante Venus, & penè æqualis Marti lucidiſſima eſt infrà Solem, & Lunam, itàut noctù aliquandò vmbram faciat; & interdiù conſpiciatur: pręſertim quandò media intèr ſummum, & imum epicycli eſt, & ſtationaria. Cauſas eorum, quæ apparent in Venere has tradunt Ptolemaici ex eccentrico, & epicyclo. Eccentrico traditur prima inæqualitas, qua tardior, & velocior moueri dicitur: cuius punctum maximè tarditatis dicimus abſidem, punctum maximè velocitatis dicimus antabſidem; tardior enim mouetur in ea mediatè eccentrici, aut moueri videtùr, quià maior portio illi reſpondet aplanes, in alia mediate minor. Ponamus centrum epicycli Veneris A. quod moueatur in eccentrico B. reſpondente aplanes circulo C., cui B. eſt eccentricus: licet A. moueatur vniformitèr per circulum B. tamèn, quo reſpondet circulo C. D. E. F. non apparet ęqualiter, nam medietas E. eccentrici Veneris A. B. C. reſpondet medietati D. E. F. in maiori circulo eccentrici: alia verò medietas A. H. G. reſpondet alteri medietati D. E. F. & quoniam eodem temporis ſpatio progreditur per medietatem D. C. E. atquè per aliam medietatèm D. E. F. ſequitur velociorem videri ſtellam in motu per maiorem medietatem, tardiorem per minorem, quià hoc idem eſt eſſe tardum, aut velocem. velocius dicitur, quod eodem tempore maius ſpatium pertranſit. Epicyclo traditur anomalia directionis, ſtationis, & retrograditionis: in quo Epicyclo mouetur Planeta, & quià modo mouetur ſecundùm motum centri epicycli, modò contrà, & modò medio modo ſe habet; ſequitur, dum mouetur iuxta motum centri epicycli ab occidente in oriens duplicatur motus ipſius, & planeta ſit velocior, vt eſt in ſemicirculò A. B. G. quando verò planeta eſt in G. aut A. non mouetur nequè contra ordinem ſignorum, nequè ſecundùm ordinem, & ideò regitur tantùm à motu centri epicycli, & tùnc dicitur planeta ſtationarius. qùm verò mouetur in alia circuli medietate G. H. A. dicitur moueri tardè: & motu retrogrado, quià mouetur contrà ordinem ſignorum, & velociùs mouetur planeta in epicy-

clo,

clo, quàm centrum epicycli in eccentrico; & qùm ille motus ſit huic aduerſus, motus velocior ſuperat tardiorem, et ſit retrogradatio. Anomaliam verò, quæ apparet in latitudinem, Ptolemaici partèm tradunt eccentrico, & partim epicyclo: ſiquidèm epicyclus Veneris non permanet ſempèr in plano eclipticæ; ſed modò in Auſtrum flectitur, modò in Aquilonem: vnde duo motus anomali oriuntur in latitudinem, quorum alter dicitur inclinatio, alter reflexio. Vnde planeta modò Auſtralis ſit, modò Borealis, & reſpectu eclypticæ ſortitur vtrinquè latitudinē protrahitur enim duabus diametris per epicyclum, altera ſurſum, & deorſum; altera antè, & retro. Diameter, quæ ſursùm, & deorsùm per latitudinem protrahitur, inclinatur ſummo puncto versùs eclypticam, & Boream, itàut reſpectu eclypticæ ſortiatur latitudinem gr. 7., qua inclinatione dicitur Venus vaga extrà Zodiacum his præſertim, qui latitudinem ordinariam ſequuntur Zodiaci gr. 12. alij autèm, ne vagam ſtatuant Venerem, Zodiacum dilatauere vſque ad gr. 14. Quarè autèm Venus in punctis medijs ſempèr borealis videatur, procedere, quià eccentricus modò vltrà ecclypticam: modò citrà moueatur per 16. ea proportione ſeruata ad epicyclum, vt planeta ſempèr ſeptentrionalis reperiatur, dum eſt in punctis medijs, veluti Mercurius: alia proportione dicitur in punctis medijs ſempèr auſtralis. Quarè autèm Venus conſpicua interdiù aliquando ſit, & non Mercurius, qui proximior creditur, cauſa eſt, quià Mercurius multò minor Venere eſt: deindè, quià Mercurius ſemper ferè eliacè occaſus dicitur, & tàm breui ſpatio à Sole digreditur, nè conſpici valeat nè quidèm noctu; & Venus, quandò longiſſimè abeſt à Sole tota illuminata eſt, & tunc temporis maximè conſpicitur, & vmbras facit, quod verò refert Plinius lib. 2. cap. 7. ſolam Venerem interdiù conſpici, & vmbras facere, non omninò verum eſt; nàm Iuppiter quoquè, quandò eſt in imò ſui epicycli, & Soli oppoſitus, conſpicitur interdiù; & vmbram mouet noctu. Ab Aſtronomis Veneris ſydus hoc ſignificatur caractere ſiuè hoc ſpeculum notetur, quod gerat, vt aliqui credunt; ſiuè pomum, quod tanquàm pulchrior obtinuit, quod veriſimilius alij arbitrantur. Venus Cupidinis mater fortaſſe dicitur, quia manè, e ſerò apparens veſpere accedentes: manè recedentes moneat.

De Sole.

SVpra orbem Veneris ſtatuunt Ptolemaici orbem Solis, qui fons lucis dicitur, à quo omnes planetæ lucem mutuentur, & ad quem relationem quandam habere aſtronomi omnes fatentur, & qui terram centrum vniuerſi ponunt, & qui Solem. Rapitur Solis orbis ab ortu in occaſum, vt cęteri orbes, ſpatio 24. horarum, & habet etiam proprium motum illi motui obliquum ab occaſu ad ortum. Cuius medius circulus ſecat circulum æquinoctialem in punctis, quæ propterea æquinoctia appellantur; & hanc propriam motus circuitionem perficit diebus 365. horis 5. ac 49. hoc enim temporis ſpatio vniuerſam eclypticam pertranſit, & totum Zodiacum circuit, & hoc tempus dicitur annus aſtronomicus, ſeù naturalis, tropicus, ſeù æquinoctialis; pro vt vel à tropico, vel ab æquinoctiali menſuretur; motus verò ipſe dicitur motus in longitudinem, quià eſt, & conſideratur iuxtà ordinem ſignorum ab occaſu ad ortum recta, in quo Sol quotidie progreditur in eclyptica 59. 16. 19. & proprium Solis motum dixere: quià arbitrabātur eum motum, quem pe-

peragit Sol ab ortu ad occaſum ſpatio horarum 24. eſſe violentum ex raptu; qui tamèn motus in æclyptica non omninò æqualis animaduertitur, ſed quandoquè velocior, quandoquè trardior; namquè circuitiones, quas Sol obijt pertranſiens à Capicorno in Cancrum per Arietem breuiores animaduertuntur 5 7. longiores, quæ à Cancro ad Capricornum per libram gr. 1. 1. ſic longiores ſunt, quæ obſeruantur, dum Sol in parte reperitur ſeptentrionali, breuiores, quæ eodem exiſtente in parte Auſtrali; &, cæteris paribus, breuiores ſunt, dùm Sol circa ſectiones verſatur, quàm dùm circà tropicos, cæteris paribus, breuiores itàque ſunt 57. longiores gr. 1. 1. 7. medii 59. 8. 9. Antiquiſſimi Aſtronomi, qui Aplanes motum cęli ſyderei non animaduerterunt, aut parui fecerunt, annum metiebantur à Solis reditu à ſtella aliqua poſita, & determinata, ad quam in puncto regrederetur, ideò ſex horas addebant integras diebus 365 pro integra Solis reuolutione. At Aſtronomi poſteriores circuitionem menſurantes non à ſtella, ſed à loco æquinoctij, vel tropici; animaduertunt, deeſſe aliquid ſex horis, diebus 365. integræ reuolutioni. Ptolomeus aſſeruit eſſe 300. diei, hoc eſt horæ 4. 12., vt qui animaduertit, Solem redire ad æquinoctium poſt annos 300. vna die priùs. At Albatenius 100. Annis hoc idem contingere retulit. Prætèr has diuerſitates, quæ in annua circuitione accidere feruntur: aliæ etiam traduntur in tropicis, hoc eſt circà maximam Solis declinationem, quam Ptolomeus ſtatuit gr. 23. 51. Albatenius gr. 23. 35. Iohannes à Monte regio noſtris temporibus gr. 23. 28. Pomponius Mela tradit vetuſtiſſima ægiptiorum obſeruatione monumentis datum eſſe, olìm Solem ortum ſuum habuiſſe, vbì nunc occidit; quod non debemus intelligere de ortu diurno, ſed de annuo ex Fracaſtorij ſententia.

Poſtquàm anni vulgaris & anni maximi differentias propoſuimus: de die etiàm aliquę diuerſitates ſunt proponende. Dies alia dicitur artificialis, ſeù ciuilis, alia naturalis. Naturalis eſt, quæ ſecundũ naturalẽ circuitionem menſuratur, eamque integram, vel ab ortu ad ortum, vel à meridie ad meridiem; vel ab occaſu ad occaſum; vel à media nocte ad mediam noctem. Ciuilis dies dicitur, qui ciuilibus operationibus inſeruit, qui etiam dicitur artificialis, quià eo regulantur artifices, & eſt ſecundũm plurimos; quando Sol ſuprà orizontem eleuatur, donèc occidat. ſecundùm aliquos quandò lux aperta ciuilibus operationibus, ſeù artificialibus commoda eſt; & ex aduerſo nox dicitur vel, quandò Sol occiderit totum ſpatium temporis, donèc oriatur; vel poſt occaſum, dùm lux non ampliùs clara eſt. Ciuilis itàquè dies, ſiuè artificialis quandoque maior nocte eſt, quandoquè minor, quandoque ęqualis. Maior eſt dies nocte, quo tempore Sol ab æquinoctiali recedit: &, qùm ad tropicum cancri deuenerit, tunc dies maxima eſt. Minor, quo tempore recedit ab ęquinoctiali versùs auſtrum, & qùm deuenerit ad tropicum capricorni, tunc dies minima eſt degentibus in hac parte mundi citrà æquinoctialem; diuerſo autèm modo accidit his, qui vltrà æquinoctialem habitant; hi enìm maximam diem habent, dùm Sol ad tropicum capricorni deuenerit, minimam verò dùm peruenerit ad tropicum cancri; onmes tamèn vbiquè degentes ęqualem diem habent quãdo Sol circà æquinoctialem vertitur, itàut hi, qui ſub polis ſunt, niſi æqualem habent diem nocti ratione lucis, & vmbrę, habent ſaltèm ratione diſci Solis: diſcum enim medium tantummodò coſpiciunt, & à medio illuſtrantur, vndè, licèt va-

varietas magna ſit dierum, & noctium pro diuerſitate maioris, aut minoris elongationis ab æquinoctiali linea, itaut, qui magis diſtant maiorem, atquè maiorem ſortiantur inæqualitatem, & proportionem à maxima die ad minimam; tamèn in tota circuitione annua ſumma diei, ac noctis omnibus vbiquè gentium degentibus eadem eſt, niſi ea varietas à montium poſitione accidentali oriatur. qui enim ſummam noctem horarum 12. habent, vt qui ſub linea æquinoctiali ſunt, eiuſdem ſpatij habent & ſummum diem, imò perpetuo his dies æqualis nocti eſt; qui ſummam diem habent horarum 13. totidem horarum habent ſummam noctem, & ſic deincèps progrediendo, quanta maxima vbique dies eſt ſiuè 14. ſiue 15. ſiuè 18. ſiuè 24. horarum: eſt nox maxima, & ſi erit per integrum menſem, aut duos menſes vſquè ad ſex: dies maxima perſeuerat per vnum menſem, aut duos, & perſiſtit maxima vſque paritèr ad ſex; & hæc eſt varietas diſtinguens in diebus ciuilibus, ſeù artificialibus. Quæ verò contingit circà dies naturales minùs conſpicua eſt; nàm, licet breuiores tradantur dies naturales, quæ menſurantur, dum Sol eſt in parte ſeptentrionali, & longiores, dùm Sol eſt in parte auſtrali; tamèn hoc non niſi aſtronomis notum eſt, & ope inſtrumentorum comprehenditur.

De Cauſis narratorum.

CVr Sol ſuprà Venerem conſtituatur, nulla alia redditur cauſa, niſi vt propriam virtutem vniuerſo cælo commodiùs, & æqualiùs largiatur in medio totius tamquàm cor vniuerſi, quæ ratio militat, & apud eos, qui Solem centrum vniuerſi ſtatuunt, & apud eos, qui ſtatuunt terram. Rapitur autèm eius orbis, vt cæteri, vt motus vna ratio, quantum fieri poteſt, ſeruetur in vniuerſo, & ab eo motu omnia regantur, quod maxime diſtantis corporis a nobis eſt, & idcircò ex ſententia Ariſt. nobiliſſimi. Obliquatur autèm motus Solis proprius, & Planetarum; vt fęcunditatis, varietatiſque cuiuſcumque tradatur cauſa, &, vt æqualitas in ſumma rerum conſeruetur, tradita fortaſsè eſt inæqualitas motus ipſius, vt generationum viciſſitudines occaſionem ſimùl habeãt remotiſſimam, & communiſſimam; &, ne vmquàm rediret eadem ratio omninò temporum, aut non rediret in tempore, cuius haberi poſſit memoria; ſtatutus eſt etiàm motus aplanes, & tropicorum, tanquàm cauſæ finalis ratio maxima cùm difficltate haberi poſſit. veluti nè quidèm cauſa efficiens aſſignari, niſi leui adtuodùm ratiocinatione, & immaginatis circulis comprobari; nam Solis orbem ſuprà Venerem eſſe, hanc ſuprà Mercurium, eius ſupra Lunam, & pari ratione de ſuperioribus, ſola efficiens cauſa videtur raritas corporis; quę vel propterea maiorem poſtulat circulum, vt proportionato contineatur; vel quià fertur opinio ab Ariſt. 4. cęli T. 13. leuiora eſſe corpora, quæ plùs habent vacui; &, qùm natura vacuum renuat, ideò ea vehementiùs extrà hoc vniuerſum ferantur, & elongentur à centro magis, quod eſt leuitare. eius aliam cauſam ferri non poſſe, refert Ariſt, 4. Cæli T. 15. Primam inæqualitatem tradunt medio circulo vocato eclyptica, quæ quià ſecat circulum æquinoctialem bis in anno: dùm peruenit ad tropicos, ſequitur bis etiam diem nocti æqualem efficere, & inter maximam, & minimam diem, quæ fiunt maxima dùm Sol in tropico cancri ver-

verſatur: minima dùm in tropico capricorni. duos etiam in toto anno dies omninò æquales emergere propter circulos intrà tropicos contentos paralello. accedente Sole, & recedente ab ipſis. Vt ſi H. A. E. ponatur eclyptica A. B. C. D. percurrens ad tropicos B. D. vnam perficiens circuitionem ab B. ab D. vel a D. ad O. ſecat lineam æquinoctialem A. C. bis, hoc eſt ſemèl in A., & iterùm ſemèl in C. ac paritèr in quacſique lineà vltra, vel citrà æquinoctialem A. C. duos dies æquales conſtituit per circulos paralellos inter ſe. Contiagit autèm æquinoctium Vernum, & Autumnale in vniuerſo orbe terrarum eadem die, quià Orizon tranſit per centrum in quacumque orbis terrarum plaga; quarè diuidit circulum æquinoctialem in duo æqualia, & arcus, qui eſt ſuprà, æqualis eſt illi, qui infrà eſt: ex quo procedit dies æqualis nocti, quià in arcu, qui eſt ſuprà orizontem, fit dies: in eo, qui infrà, contingit nox. Quò magìs indè Sol elongatur ab æquinoctiali, maiorem defert diem in eam partem, in quam fertur; minorem, à qua fertur: quià obliquus eſt orizon omnis, & minor fit pars circuli, quæ eſt ſuprà orizontem, minor quæ ſubeſt; Ponatur æquinoctialis E. M. Orizon rectus A. H. obliquus B. I. ſit Sol vbi F. dies in tota F. R. nox in R. L. à qua parte fertur oppoſita ſit D. H. dies erit in D. Q. nox in Q. H. & quò magìs elongatur Sol ab æquinoctiali, eò magis dies, aut nox elongatur, vt patet ex C. O. & G. H, Ac pari ratione loca magìs ab æquinoctiali diſtantia maiores habent noctes, ac dies; vt in A. & H. ſub polis etiam ſex menſes perduret dies, namquè his, qui ſunt in A. perſeuerat dies, donèc Sol perſiſtit Zodiaci parte C. D. E. O. H. M. nox verò donèc eſt in E. F. G. M. L. H., & vice verſa euenit his, qui degant ſub polo N. Diximus lineam orizontalem tranſire per centrum, quià licèt diſtantia lineæ orizontalis diſtet à centro per integrum terræ ſemidiametrum, tamèn, quantùm pertinet ad viſum, hæc diſtantia eſt inſenſibilis, quià non eſt proportio eius ad diſtantiam immenſam Zodiaci perceptibilis. Dies verò breuiores eſſe, Sole exiſtente in vna parte Zodiaci, quàm exiſtente in altera, cauſam tradunt eccentrico, quia: ponatur circulus internus E. F. G. H. reſpondens circulo externo, qui ſit Zodiacus A. B. C. D. medietas eccentrici, ſeù portio E. F. G. reſpondet medietati Zodiaci A. B. C. altera portio eccentrici F. H. G. reſpondet alteri medietati Zodiaci A. D. C. At Sol perambulans æqualitèr per totum circulum E. F. G. H. plùs temporis aſſumet in portione E. F. G. quàm in portione E. N. G. ſic, imminuto reſpectu ad Zodiacum, Sol medietatem, quæ eſt ab æquinoctio autunnali ad ęquinoctium vernum per capricornum, ſuperat diebus 178. eam verò, quæ eſt in ęquinoctio autumnali per cancrum perficit diebus 187. & eadem proportione excreſcunt, & imminuuntur dies; & horæ; de quibus habetur minuta ratio apud aſtronomos: nobis verò, qui ſenſibiles mutationes proponere intendimus, ità quoque ſuperabundans erit.

De Marte.

Mars Stella errans eſt, cuius orbis ſuprà Solem ſtatuitur à Ptolomaicis; qui rapitur vt cæteri ab ortu in occaſum ſpatio 24. orarum; & mouetur proprio motu obliquò illi motui ab occaſu ad ortum, ſpatio dierum 687. & horis. 5. ſuum perficiens motum;

& medius circulus eius ſecat æquinoctialem, & eclypticam. Habet motus illius duas inęqualitates: vna, qua modò tardior, modò velocior eſt; tardior in ea medietate, qua per Leonem mouetur à Tauro ad Scorpium; velocior, qua per Aquarium mouetur a Scorpione ad Taurum; altera inæqualitas eſt, qua modò directus, modò ſtationarius, modò retrogradus fertur, cuius inæqualitatis Ptolomeus tradidit abſolui 37. periodos annis 73. diebus 3. horis 8., & hoc notabile admodùm ſtella hęc habet in reſpectu ad Solem; vt, quacunque contigerit in cæli plaga reperiri, ſit ſempèr velociſſima dùm Soli coniuncta eſt, tardiſſima, & maximè retrograda, quandò Soli opponitur; qùm habeat latitudinem circà puncta media: non æqualitèr emergit latitudo, vt in Sole; ſed maior eſt maxima latitudo in parte auſtrali, minor in ſeptentrionali; vt in parte auſtrali contingat latitudo gr. 7. in ſeptentrionali gr. 4. e med. cuius inęqualitatis cauſa nulla adęquata redditur, aliarum verò inæqualitatum magis rationabiles cauſę redduntur; primę eccentricus orbis, in quo planeta reperitur; ſecundę epicyclus nempè directionis, & retrogradationis: at qùm contingat retrogradum eſſe planetam, dùm Soli oppoſitus eſt, velociſſimum, & maximè directum, dùm Soli coniunctus eſt, nulla alia ratio redditur, niſi proprietatis ità incidentium motuum.

De Ioue.

SVprà orbem Martis Iouis orbis ponitur, qui ſpatio pariter 24. horarum ab ortu in occaſum rapitur, & annis 11. diebus 313. hotis 10. motu proprio ab occaſu ad ortum explet integram in Zodiaco circuitiouem. ſecat æquinoctialem, & æclypticam eius medius circulus, & plures habet motus inæqualitates; prima eſt, quà in medietate circuitionis propriæ tardior mouetur in Zodiaco: in ea, qua ſuperat à Cancro ad Capricornum per Virginem: velocior in ea, quam ſuperat à Capricorno ad Cancrum per Piſces: in quibus ſummam habet velocitetem, & ſummam habet tarditatem in Virgine. Habet etiam aliam inæqualitatem indifferentèr in quacumque cæli plaga iucidentem, qua velociſſimus eſt, & maximè directus, quandò Soli coniunctus eſt, tardimiſſus verò, & retrogradus, dùm eſt illi oppoſitus; ac directus, & velox accedit ad eclypticam, & tardus, & retrogradus recedit ab ea. quam ſecundam inæqualitatem abſoluit planeta menſibus 13. diebus 8. horis 21. & has reuolutiones obit 65. annis 71.

Has inæqualitates tradunt Aſtronomi: primam eccentrico, ſecundam epicyclo, vt ſupra de Marte rolatum eſt. nequè cùr in coniunctione velociſſimus ſit planeta, in oppoſitione retrogradus cauſam vllam concludentèr proponuut.

Recentèr quatuor ſtellæ viſæ ſunt moueri circà Iouis ſtellam per proprium epycyclum modò verſùs occidentem, modò versùs orientem: quarum interdùm plures conſpiciuntur; modò Ioui proximę, modò remotæ tam ſecundùm longitudinem, quàm ſecundùm latitudinem. vna ſuum perficit circuitum horis 42. altera 85. tertia 172. quarta 402.

De

De Saturno.

VLtima Stella ex errantibus eſt Saturnus , qui mouetur ab ortu ad occaſum horis 24. quotidie, & velociùs, quàm cæteri planetæ prænarrati, quantò ſegniùs mouetur proprio motu ab occaſu ad ortum ; quem motum per circuitionem in Zodiaco abſoluit annis 29. diebus 162. horis 12. quo motu ſecat non ſolùm æquinoctialem; ſed etiam eclypticam, & ſunt clypticæ ſectiones variabiles ſingulis penè centum annis gradu vno.

Habet hic quoque planeta varias motus inæqualitates, vt ceteri: & primò in vna medietate propriæ circuitionis tardior eſt; in alia velocior; determinatis tamèn ſignis, tardior quidem in medietate, quæ eſt à Virgine ad Piſces per Sagittarium. Velocior in ea, quæ eſt à Piſcibus ad Virginem per Geminos; itàut punctus maximæ tarditatis ſit in Sagittario, & maximè velocitatis in Geminis. Aliam verò inæqualitatem habet indifferentèr in quacumque Zodiaci plaga ſucceſſiuè, pro vt Soli oppoſitus planeta, aut coniunctus eſt, & ipſe quoque eſt Soli coniunctus velociſſimus, oppoſitus tardiſſimus, & retrogradus. cuius inæqualitatis reuolutio abſoluitur ſucceſſiuè diebus 378. hora vna, & dimidia; cuius inæqualitatis reuolutiones obſeruantur 57. in annis 59. die vna, & horis 18. ità tamèn, vt ſit aliqua differentia in velocitate, & tarditate planetæ, tàm directi, quàm retrogradi in vna circuitione, atque in alia: reſpondente tamèn ſumma omnium per totam reuolutionem, quam perficere diximus annis 29. diebus 162. cùm dimidia. In latitudine autèm, vbi planeta à ſectione eclypticę receſſit, non ſempèr vniformitèr accedit, & recedit ab ea; ſed modò plùs, modò magìs. Accedit enim ad eclypticam, quandò eſt Soli coniunctus; recedit ab ea, quandò eſt Soli oppoſitus; itàut acceſſus, & receſſus huiuſmodi ſit minimus propè ſectiones, maximus circà punctum medium: ad quem dùm accedit, ſemper acceſſus, & receſſus ab eclyptica auget. & dum à puncto medio reflectitur ad aliam, ſectionem, imminuit vniformitèr hos acceſſus, & receſſus ſucceſſiuè.

Eadem ratione, qua ſuprà explicatum eſt, tribuunt Aſtronomi has inæqualitates eccentrico. & epicyclo, quarè autèm ità contingat moueri tot motibus epicyclum, non patefaciunt luculentiùs.

DE GENERATIONE. & corruptione.

LIBER PRIMVS.

POſt libros de cælo agit Ariſt. de generatione, & corruptione: nàm in libris de Cælo loquutus erat de corporibus ſimplicibus, quæ non videntur generari, & corrumpi, ſaltèm ſecundùm totum, ſed potiùs videntur tanquàm elementa ſeruari ad ea, quæ generantur, & corrũpuntur; veluti litteræ ad orationem, ex quibus indè conſtruitur tragedia, & comedia, vt exemplificat Ariſt. Ideò poſt tractationem de corporibus ſimplicibus, egit de eorum motu ad formam; vndè ſubiectum horum librorum eſt corpus mobile ad formam; & ad formam, vt ſic, abſtrahendo à quacumque forma prędicamentali; quià agitur de generatione ſimplicitèr accepta, & accepta ſecundùm quid. Generatio ſimpliciter accepta eſt ad ſubſtantiam, accipiendo ſubſtantiam, prout accipit pluries Ariſt; & præſertìm cap. de vniuocis, &c. nempè pro eſſentia quacumque abſoluta; & non pro vt dicit inhærentiem ſubiecto, ſiuè ſit, quæ propriè dicitur, & principalitèr ſubſtantia; ſiuè quantitas; ſiuè relatio, ſiuè qualitas; ſiue aliud ex memoratis prędicamentis, quod ſit actus primus Generatio ſecundùm quid eſt etiàm ad eaſdem entitates, prout dicunt inherentiam ſubiecto, & relationem; ac actum ſecundum, in cuius gratia in ordine ad quantitatem agitur de augmento, & diminutione: ad qualitatem de alteratione; ad actionem, & paſſionem de agere, & pati, ad durationem, locum, ſitum, & habitum, agitur de corruptione, congregatione, & ſeparatione, de tactu, & de mixtione, itàut etiam ſtatuere poſſimus ſubiectum horum librorum corpus mobile ad actum; abſtrahendo ab actu ſubſtantiali, & accidentali: & ab actu primo, & ſecundo; non enim vt diſcere, ſed vt ſpeculari eſt ſentire ex Ariſt. primo de ſenſu, & ſenſili cap. 4. ità agere, & pati erunt, vt ſpeculari, & actus ſecundus.

Qui verò opinantur ſubiectum horum librorum eſſe elementa, quià Ariſt. 2. de anima profert, ſe egiſſe hoc loco de elementis, malè opinãtur. nam Ariſt. aliàs etiàm agit de elementis; quarè elementa non poſſunt eſſe ſubiectum proprium horum librorum; & quià de his agit tantùm in ſecundo libro, non erit adæquatum, quod nos quærimus.

Accedunt magis ad veram apinionem, qui ſubiectum ex inſcriptione ſtatuunt; quæ eſt *de generatione, & corruptione*. in aliquo tamèn deficiunt,

ciunt, quià non includunt ſubiectum commune naturalis philoſophiæ, quod debet includere hæc tractatio, vt intelligatur pars naturalis philoſophiæ.

Includunt autèm ſubiectum commune, qui ſtatuunt ſubiectum horum librorum corpus naturale prout eſt generabile, & corruptibile; ſed hæc opinio vel tantùm comprehendit potentiam ad generationem, & corruptionem: non autèm actum generationis, & corruptionis, vel, ſi includit actum, & actum ad ipſum coincidit cùm ſententia, quam nos proponimus, hoc enim idem eſt eſſe generabile, & corruptibile, & eſſe mobile ad formam, & actum, vt fiæ: præſertim apud eos, qui non excludunt cęlum ab hac affectione generationis, & corruptionis, quam nos excluſimus.

An detur generatio ſubſtantialis.

MAgna fuit intèr veteres Philoſophos diſſentio, an daretur generatio ſubſtantialis: vt luculentèr explicatum eſt in quæſtionibus naturalibus; qua de re vtpotè apprimè neceſſaria iterùm agit Ariſt. vt pateat, in quo nam conſiſtat æquiuocatio. Omnes enim animaduertunt rerum diſtinctionem, & tranſmutationem compoſiti in aliud compoſitum diuerſæ naturæ, & ſpeciei; quod non fit niſi per eductionem formæ ſubſtantialis ex potentia materiæ; per quam eductionem acquirit nouum actum, & conſtituit aliud; ſed diuerſo modo concipiunt id, de quo traſmutationem conſiderant. Alij enim dicebant eſſe vnum tantùm ens, quod traſmutatur ſecundùm partes, ipſum remanens immobile: vt Parmenides, & Meliſſus: alij dicebant eſſe infinita corpuſcula, vt Anaxagoras, & Democritus, quę ſecundùm variam paſſionem, & figuram, quam reciperent, has rerum varietates conſtituerent, quas nos generari dicimus; qùm igitur illi ponerent vnum ens immobile, & iſti infinita corpuſcula mobilia quidèm, ſed accidentaliter: vel exiſtimabant, eam tranſmutationem, quæ fieret in vno immobili, aut intèr infinita atoma, eſſe ex ſubſtantia in ſubſtantiam, vel non. Si non exiſtimabant eam tranſmutationem eſſe è ſubſtantia in ſubſtantiam, auferebant generationem ſubſtantialem permanentibus vno, vel infinitis corporibus ſempèr ſubſtantialitèr, & traſmutatis tantùm accidentalitèr. Si exiſtimabant eam tranſmutationem, quæ fit in ſuppoſita ſubſtantia, aut vna, aut numeri infiniti eſſe ſubſtantialem, auferebant alterationem, & arbitrabantur vnumquodque ens generari, nullum alterari, quià eiuſdem rationis ſtatueretur quælibet tranſmutatio in ſuppoſito ſubiecto, aut ſubiectis ſemper manentibus. Qùm igitùr ex ſententia Ariſt. diuerſa ſit ratio generationis, & alterationis: neceſſe habuit vtriuſque rationem diſtinguere, vt pateat, quomodò, & quam ob cauſam vulgata loquendi conſuetudo his diuerſis nominibus vtatur generari, & alterari: cuius diſtinctionis modus ſumitur à formula petitionis in quid dirigatur; nàm, pro exemplo, ſit paries niger, qui dealbatur, hæc tranſmutatio è nigro in album, vel quæritur de pariete, vel de albedine ipſa, ſi petitur de pariete; hęc mutatio dicenda eſt alteratio, quià paries idem permanet, & in hac tranſmutatione tantummodò alteratur. Si hæc eadem mutatio petitur de albedine ipſa, dicitur generatio, quià eſt à contrario in contrarium: eſt à priuatione ad habitum, ex non eſſe ſui, prout requiritur in vera generatione. imò, ſi hæc albedo nouiter genita abſtraheretur à conditione inhærentiæ, di-

diceretur eius etiàm generatio ſubſtantialis, quià ex ſententia Ariſt. quælibet forma prædicamentalis cōſiderata, vt exiſtens, non vt inhærens, dicitur ſubſtantia. At quià nulla forma exiſtere poteſt exercitè ſine ſubiecto ideò ſola illa forma dicitur ſubſtantialis ex vulgata loquendi conſuetudine philoſophantium, quæ non eſt in ſubiecto vt inhærens, ſed vt pars compoſiti; cuius ſolùm propriè ſtatuitur generatio ſubſtantialis, quam generationem, ſeù tranſitum ex potentia ad actum ſequitur emanatio proprietatum, & operationum, quæ ſubſtantiam conſeruuntur. ſic datur generatio diſtincta ab alteratione, & generatio ſubſtantialis diſtincta à generatione accidentali.

Quid ſit Generatio.

EX Ariſt. 8. phyſic. cap. 7. generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe; ſed, quoniam declarauerat in naturalibus auditionibus, non fieri quodlibet ex quolibet. (non enim poſſibile eſt, fieri ex igne aquam, neque ex albo nigrum) ſed determinatum ex determinato; neque fieri ex quolibet non ente; ideo aliam definitionem tradit generationis in hoc libro primo T. 25. qua generatio dicitur mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam actu; quę definitio vt ipſe Ariſt. animaduertit T. 8. huius libri, poteſt conſiderari logicè, & naturalitèr. logicè conſideratam ſubſtantiam intelligit quancumque formam prędicamentalem abſtractam ab inhęrentia: naturalitèr verò conſideratam intelligit ſubſtantiam *id quod neque in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur*: aut, quod eſt in ſubiecto tanquàm pars, ſinè qua naturalitèr nulla exiſtit forma prędicamentalis ex eodem Ariſt. T. 15. neque quantitas, neque qualitas, nec vbi, &c. Atque, vt oſtenderet generationem eſſe mutationem vniuſcumque formę prædicamentalis de non eſſe ad eſſe, ſi ea forma conſideraretur ſimplicitèr, & non vnà cùm ſubiecto; quià conſiderata in eo eſſet actio, vt ſuprà explicatum eſt; tradit alteram definitionem, quam penè omnis ſchola peripatetica ſequitur, dicendo *generationem eſſe mutationem totius, in totum nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem*. Dicitur mutatio, quià hęc pertinet ad eſſentiam generationis ſecundùm eſſentiam acceptæ, vt eſt eius prædicatum eſſentiale. namque per mutationem diſtinguitur generatio à creatione, in qua aliquid conſtituitur in eſſe ſinè mutatione, & ſinè termino à quo. Dicitur mutatio totius, quià id propriè dicitur generari, quod totum mutatur, non autèm; quod mutatur ex parte: id enim dicitur alterari, quarè non ſemper totum ſuppoſitum dicitur generari, ſed aliquid in ipſo; atquè, vt diſtinguatur, quid ſit in ſuppoſito id, quod generatur, tradit hoc ſignum Ariſt. id generari, quod totum mutatur. Cuius rei exemplum tradit Ariſt. primo phy. T. 76. *ſi ex equo fiat canis*: generationis eius ſimplicitèr acceptæ, ait eſſe formę canis ex priuatione ipſius: quarè, licęt canis ſit animal, ratio animalis non dicitur generari, quia ſub forma equi etiam iam erat animal: quaproptèr tantùm, quod totum mutatur, dicitur generari, & ſimplicitèr ſecundùm eam formalitatem, quæ tota mutatur; ſic, quandò generatur compoſitum ex materia, & forma; id, quod generatur, eſt forma, non autèm materia, quià hæc eſt ingenerabilis: & tamèn per aduentum nouę formæ ex accidenti dicitur genitum totum compoſitum; quià rerum ſpecies, & formæ ſunt veluti numeri. ſic, veluti numeri ratio tota tranſ-

tranſmutatur; vna tantùm ſuperueniente vnitate, ità vna tantùm ſuperueniente formalitate, quæ ſimplicitèr dicatur generari, dicitur genita noua ratio totius compoſiti; quod totum dicitur generari ex accidenti: quià aliquid in eo generatur ſimplicitèr, per quod totum rationem variam concipit ex natura; quippè in naturalibus, etiàm perſiſtentibus, & non mutatis partibus diciur mutari totum compoſitum, veluti in artificialibus etiàm permanente ligno ſub ratione ligni, & lapide ſub ratione lapidis dicitur tota ratio domus mutari, ſaltèm ex accidenti, qùm aliquid mutetur ſimplicitèr, per quod res aſſumat nouam cauſalitatem, & præſertim finalem, à qua omnes alias cauſalitates regulari, & emanare oſtendemus in metaphiſicis, ideoque materiam impoſibile eſſe ſinè paſſione, aut ſinè forma ex T. 29. de generatione, terminus itaquè generationis eſt totum compoſitum, cuius tota ratio eſt forma.

Additur in definitione *nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem*, quià ex T. 21. primi huius libri, corrumpi dicitur ſimplicitèr ens, quandò ad inſenſibile venerit, & non ens generari ex non ente, quando ex inſenſibili, ſenſibile; itàque ſenſibile, & non ſenſibile eſt nota, & ſignum generati, & corrupti; vndè, vel cicatrix in cadauere eſt quid ſẽſibile alterius rationis, quàm fuerit in homine, vel ſubiectum cicatricis non eſt conſtituendus homo; ſed tradenda caro, quæ, extincto homine, remanet magis ſub ratione carnis, quàm manus, & oculus, & caput: nàm diſſimilarium magis eſt relatio, & idcircò eorum eſſe totum eſt, ad aliud, nempè ad hominem referri. extincto itaquè homine, perit omnis relatio, vt quæ dicitur ad conuertentiam, & oculus non eſt oculus, nec manus manus, nequè caput eſt caput, niſi vt lapideum, aut depictum; ſi igitùr cicatrix tanquàm ſenſibile remanet in carne, dicendum eſt carnem non eſſe corruptam, aut cutem, & ideò hoc ſenſibile permanere. Ità exemplum tradit Ariſt. T. 24. de aqua: ſi ex aqua generatur aer, & videtur vtrumque corpus pellucidum, & perſpicuum; hoc autèm non ſuccedit, quia eadem perſpicuitas remaneat in genito, quæ fuerat in corrupto; nequè, quià alia generetur, vt nonnulli philoſophantes arbitrantur; ſed vel quia eſt in vtroque corpore non quid poſitiuum, ſed priuatiuum lucis; vel quià eius ſubiectum non eſt aer ſimplicitèr, neque aqua, ſed medium quoddam corpus, de quo Ariſt. primo phyſ. T. 54. quod in vtroque genito, & corrupto maneat intraſmutatum: vt remanet animal in equo, & cane, ſi ex equo fiat canis.

Ex his colligitur terminum generationis eſſe totum compoſitum, & ſuppoſitum primò intentum à natura: ratione operationis tanquàm propter finem: quod totum dicatur mutari ex toto, licèt vna tantùm formalitas mutetur, veluti tota ratio vndenarii numeri mutatur ex tota ratione denarii, vna tantùm addita vnitate, à qua tèrminatur forma, & ſpecies, & totum compoſitum per naturalem emanationem, quę dicitur terminari ad ſubſiſtentiam proptèr *habitum*, quem neoterici appellant *vnionem*. Quo habitu in homine vt omne aliud compoſitum, terminatur etiam hominis ſuppoſitum: etiamsì anima, quæ eſt forma illius, à Deo creata ſit tanquàm forma ſubſtantialis. licèt enim talis forma non educatur ex materiæ potentia, educitur illa forma; quæ dicitur habitus, per quam terminatur ſubſtantia, & conſtituitur ſuppoſitum per actiones ſubſequentes ab agente intentas, per quas dicitur generatio lib. 2. de generat. T. 14. via ad naturam: quià ea actio, quę dicitur ge-

ne-

neratio, terminatur, quandò per eam ad compoſitum aqquiſiuerit, quod natura intendit, & quo poſſit operari ſecundum naturæ leges. non poteſt autèm dici generatio terminata priùs ad formam, quàm ad compoſitum, nec natura, nec ratione; quia nec quidèm ratione poſſumus compræhendere entitatem vllam tanquàm formam, nisì, quæ habeatur, & non habetur, nisì quæ informat, nec poteſt informare, qùin conſtituatur compoſitum, quod dicitur ſubſtantia intenta in generatione ſimpliciter accepta; quicquid ſit de ratione formali generationis lato modo acceptæ, & ſecundùm quid; hæc enìm poteſt terminari ad quancumque entitatem ſucceſſiuè concurrentem ad conſtituendam ſubſtantiam, cuius ſimplex eſt generatio; quę, vt diximus, per habitum; ſeù vnionem terminatur ad compoſitum; quod totum dicitur mutatum ex toto itaut hæc forma accidentalis prædicamenti actionis, quæ dicitur generatio, ſubiectetur in ſubſtantia incompleta, & in potentia, vt tali; hoc eſt, quæ ſit materia non prorſus ſinè forma ſubſtantiali; quià ſinè ea non poteſt eſſe ſubiectum eius formæ accidentalis, quæ dicitur generatio: ſed cum forma ſubſtantiali influxa à toto in totum: donèc ad naturam deuenerit. ad quam dicitur via generatio; hoc eſt ad eam compoſiti ſubſtantiam, per quam poſſit operari natura ſecundum proprias leges; in quo fluxu exiſtens ſubſtantia dicitur materia non prorsùs nuda, ſed forma in terminata imperfecta, & in fluxu, vt diximus. nec propterea, quod ſubiectetur generatio in compoſito imperfecto, debet dici mutatio ſucceſſiua; quia formalis ratio generationis conſiſtit in mutatione de non eſſe ad eſſe, vt protulit Ariſt. quæ mutatio non poteſt eſſe, niſì inſtantanea; nam materia eſt ſubiectum primum, & eſſet fruſtrà, nisì ſubiecti exercitium haberet. quarè, amiſſa prima entitate, ſtatim neceſsè eſt aliam recipiat, qùm in natura nihil ſit fruſtrà. vndè tantummodò alteratio eſt motus ſucceſſiuus præcedens hanc inſtantaneam mutationem, quæ dicitur generatio.

De corruptione Subſtantiali.

Generationem congregatione fieri, ſegregatione corruptionē protulit Ariſtot. primo de gen. T. 8. & declarat. T. 10. has tamèn non eſſe generationem, & corruptionem, ſed viam ad eam, quià per congregationem paratur generatio homogeneæ denſioris; ac & herogenei. per ſegregationem paratur generatio homogenei rarioris, ac pariter ætherogenei. Dari igitùr corruptionèm ſubſtantialem, non videtur dubio reuocandum, ſi conceditur generatio: nàm ſecùs omnia genita eſſent æterna, & vna omnium eſſet duratio. At multa manifeſtè deſinunt eſſe, & ad ſenſum pereunt. et ex T. 19. ſenſus habet virtutem ſcientiæ. Ideò dicendum eſt, vt datur generatio, ſecundùm eandem rationem dari corruptionem; itaut veluti *generatio* dicitur *mutatio totius in totum*. Ità *corruptio* deberet dici *mutatio totius in totum*; nec alia videtur eſſe differ ntia: niſi qua corruptio terminatur ad non eſſe formæ, & generatio ad eſſe. at ex aduerſo generatio habet non eſſe formæ terminum, aquo, & corruptio terminum ad quem. nisì igitur in mutatione attenderetur terminus, & non ſubiectum, quod mutatur, magis deberet dici mutatio corruptio, quā generatio; quià corruptio habet terminum à quo ens, quod poteſt mute-

tari, generatio autèm habet terminum à quo non ens, cuius non eſt mutatio. eadem itàque eſt ratio mutationis, tàm in generatione, quàm in corruptione; & paritèr totum mutatur, & mutatur ſecundùm naturam, quandoquidèm id, quod mutatur, quatenùs mutatur, habet rationem materiæ, & non compoſiti; & materia appetit quancumque formam: & ex Ariſt. 2. Phyſic. T. 15. etiam priuatio eſt forma quædam, ideò, dùm materia tendit ad priuationem ob expletam durationem, forma inutilis tendit ad principium alterius naturæ, cui non repugnat naturalis appetitus compoſiti ad ſui conſeruationem; quià hic appetitus regitur ex perſiſtentia cauſalitatum eiuſdem compoſiti; quarum ſi aliqua deficiat, & pręſertim finalis; vt, ſi idem compoſitum proptèr aliquid, quod superuenerit, ſit fruſtrà in natura, deperditur appetitus conſeruandi ſe ipſum. pro exemplo ſit homo, qui iam proptèr ſenium non habeat ampliùs facultatem generandi ſibi ſimile, & genitam prolem dirigendi per conſilium. in hoc ſtatu, ſecundùm naturam hic homo eſt inutilis, & fruſtrà, ideoque mors illi naturalis contingere poteſt; velutì etiam in ſupernaturali, ſi eo gratiæ deuenerit homo, vt, quantum homini concedi poteſt, diuinam aſſentiam mente capiat, aut etiam per affectus in eius contemplationem rapiatur, poteſt cupere diſſolutionem; quod etiàm rationabiliùs poteſt concedi; quia, data naturali corruptione compoſiti, nullum eſt inſtans, in quo dici poſſit materia ſinè forma, qùm generatio ſuccedat in inſtanti, nec vnquam detur diſſolutio vſquè ad materiam primam: quomodò ſuperiùs explicatum eſt, & nihil eſt in rerum natura, nec celeſti, nec ſublunari, quod naturalem formam non receperit, quæ dicitur duratio; qua conſummata, rei naturalis corruptio ſequitur per defectum omnium cauſalitatum ſimùl: ſi verò vna tantùm cauſalitas deficiat, ac præſertim finalis, tùnc eſt etiam ex parte corruptio naturalis, ex parte tamèn dicitur violenta iuxtà alias cauſalitates non conſequentes durationem à natura datam ab initio generationis vt gr. ex. ſi in homine ex vulnere plurima pars ſpirituum cum ſanguine effundatur, aut viſcus aliquod præcipuum lædatur, itàut naturales operationes ædere non poſſit, ob defectum actus ſecundi, actus primus eſſet nempè anima fruſtrà corpori vnita: ideòque proptèr defectum cauſæ finalis tollitur habitus animæ; & hoc eſt ſegregari à corpore, & mori; quæ corruptio dicitur violenta ob obturbatam durationem ex natura conſtitutam: eſt tamèn naturalis attenta naturæ ſecunda intentione; quià in natura nihil fruſtrà conceditur, & cauſalitate finis, & boni deperdita, omne compoſitum diſſoluitur.

His ſtantibus corruptio eſt naturalis materiæ, vt quæ ſubiectum eſt vniuſcuiuſque formæ, & priuatio eſt forma quædam, ac principium rerum naturalium, quæquè, ſi propè nihil eſt, etiàm propè nullam haber durationem, & proportionalem propriæ entitati: qùm generatio ſit mutatio inſtantanea. Eſt naturalis compoſito vndequaquè, ſi expleta fuerit eius naturalis duratio (loquendo de rebus corruptibilibus) quæ ſingulis entibus extrà Deum conſtituta eſt, niſi à Deo ipſo ſeruentur. Formæ etiam eſt naturalis: quia hæc ſequitur conditionem compoſiti, quod propriè ſit ex Ariſt. 1. phyſ. T. 64. aliàs, præſcindendo ab ea eſt idem ex Ariſt. primo phyſ. T. 60. quod ſpecies, quæ eſt ingenerabiles, & incorruptibilis: ſic nec generationem habet naturalèm, nequè corruptionem, & formæ ſeparabiles, vt anima humana: quià non eſt educta de potentia materiæ, nec ſe-

ſequitur conditiones compoſiti, nec genita eſt, neque corruptibilis ex natura.

Qui negant corruptionem eſſe naturalem, his vtuntur argumentis. Primò omnia appetunt ex natura ſui conſeruationem, ſed corruptio tendit ad deſtructionem formæ, & compoſiti, ergo non eſt illis naturalis. Secundò corruptio tendit ad malum, quippè ad non eſſe, ſed malum non intenditur à natura; ergò neque corruptio per actionem propriam & poſitiuam. Tertiò ſi corruptio eſſet naturalis, eſſet per principium intrinſecum, & non ſecundùm accidens; ſed corruptio eatenùs conceditur, quià eſt conditio neceſſariò antecedens receptionem nouæ formæ proptèr incompoſſibilitatem plurium formarum in eodem ſubiecto, ergò eſſet principium huius corruptionis per accidens, ſic non naturalis.

Pro declaratione huius difficultatis præaccipiendum, naturale dici à natura, natura autèm præcipuè eſt forma, forma autèm, & ſpecies eſt idem ex Ariſt. velut igitur datùr ſpecies ſubalterna, quæ reſpectu inferiorum dicitur genus, & ratione ſuperiorum dicitur ſpecies: ità datur etiàm quodammodò forma ſubalterna, quæ ſub vna conſideratione habet rationem materiæ, & ſub alia habet rationem formæ: vt in artificialibus eſt forma ligni, & forma lapidis, quæ reſpectu ad materiam propriam eſt forma naturalis: reſpectu ad domum & lignum, & lapis ſunt materia: ità in naturalibus elementum eſt materia alimenti, alementum eſt materia humoris, humor eſt materia nerui, neruus eſt materia muſculi, muſculus eſt materia partium diſſimilarium, vt manus, & capitis, manus, & caput ſunt materia animalis. forma itaquè vniuerſi eſt forma, & natura formarum reſpondens generi generaliſſimo. forma elementi eſt forma infima reſpondens ſpeciei ſpecialiſſimæ. Inferius itàquè ratione ſuperioris habet rationem materiæ, & ſubiecti: ſuperius habet rationem formæ, & naturæ *quæ ſit principium motus, & quietis in eo, in quo eſt primo per ſe, & non ſecundùm accidens*, qui motus, qùm pendeat à natura, ſempèr eſt dicendus naturalis.

Quibus poſitis concludendum corruptionem eſſe mutationem naturalem: non tantùm, quià fit iuxtà conditiones naturales, ſed quià etiam eſt per principium intrinſecum per ea, quæ ſuprà illata ſunt.

Ad Argumentum primũ reſpondetur, concedendo maiorem, omnia appetere ſui conſeruationem et diſtinguendo minorem: corruptionem vergere ad corruptionem formę, & compoſiti eius, in quo ſit principium intrinſecum iſtius mutationis, negando; ſed concedendo tantùm vergere ad corruptionem formæ inferioris, quæ habeat rationem materiæ, & partis, vt noua materia formæ agentis aptior innouetur: veluti faber murarius pro conſeruatione totius Domus interdùm deſtruit ligna vetuſta, & noua ſuggerit; ità natura humana inſtrumenta inutilia in Socrate, aut Platone aut proptèr ſenium; aut proptèr morbum corrumpſit: vt ſe ipſam conſeruet noua inferioris naturæ reparatione; qua homo, vt ſic, conſeruatur, non deſtruitur. quarè non eſt conditio naturę Socratis, vt Socrates eſt, vt corrumpatur; ſed naturæ humanæ, quę, vt ſe ipſam conſeruet, deſtruit indiuidua, vt ſpecies conſeruetur innouatione.

Ex quibus patet reſponſio ad ſecundum argumentum; nàm corruptio tendit in malum ex accidenti, vt perficiat: & ſic per ſe tendit in bonum iuxtà principium intrinſecum naturæ ſuperioris; & nunquàm natura tendit in malum abſolutè: quià nunquàm datur tranſitus ad non ens abſolutum, ſed ad non ens tale, &

ad

ad priuationem, namquè etiam ſingularis compoſiti, quod corrumpitur, remanet materia, quæ eſt incorruptibilis, & remanet fòrma, ſeù ſpecies, quidquid ſit deforma indiuidua.

Ad tertium reſpondetur negando, formam ſingularem corrumpi propter incópoſſibilitatem plurium formarum in eodem ſubiecto: quià par eſſet ratio ad repellendam generationem. neceſſariò igitùr noua forma introducitur per principium intrinſecum tendens in bonum, quod conſequitur natura, non ſolùm conſequutione boni, ſed etiam repulſione mali; mala igitùr exiſtente quacumque forma, quæ non conſequitur ſuum effectum formalem meritò, & per principium intrinſecum depellitur; veluti in artificialibus rectò conſilio, & à bono directo remouetur à curru rota; & noua ſubſtituitur: dùm vetus inepta erat motui, & totius currus vſum impediebat.

De Alteratione.

ALteratio ex Ariſt. primo de gen. & cor. T. 23. eſt, quandò, manente ſubiecto ſenſibili exiſtente, transmutetur in eius paſſionibus, aut contrariis, aut mediis exiſtentibus. Ex qua definitione colligitur, nullam eſſe differentiam in ratione mutationis intèr generationem, & alterationem, qua differat alteratio à generatione, ſed diferre, quià generatio dicitur ille motus, in quo totum mutatur, & nihil remanet ſenſibili ſubiecto; alteratio verò, quandò ſubiectum manet, & ſenſibile exiſtit. pro exemplo ſit. Si lignum, quod erat frigidum, fiat calidum: lignum ipſum dicitur alterari, & eius mutatio dicitur alteratio, quià lignum permanet, & transmutatur tantùm ſecundùm paſſiones. At caliditas in eo dicitur generari, quià eſt mutatio totius frigoris in calorem, cuius eſt vera, & propria generatio, qùm ſit a contrario in contrarium, & ex nihilo ſui. At dicitur à plurimis generatio huius caliditatis, & ſimilium generatio accidentalis, quià comprehenditur ſinè præciſione ab inhęrentia, & tanquàm ens entis. At quià ſcopus Ariſt. in his libris eſt, loqui de generatione ſubſtantiali, ad quam viam parat generatio accidentalis: ideò; vt contrà diſtinguat hanc ab illa, illam appellat generationem, hanc verò alterationem, quià per eam fit aliud, & per hanc alterum. quam etiam reſtringit ad paſſiones habentes contrarium, aut ex toto, aut in parte: quandoquidèm contrarietas maximè diſponit ad veram generationem, quæ eſt ex contrario in contrarium. Eſt igitur alteratio *mutatio contrariarum paſſionum in ſubiecto ſenſibili remanente.* Dicitur *mutatio*, quià in hoc genere conuenit cum genaratione. Dicitur *contrariarum paſſionum*, vt diſtinguatur ab augmento, quod eſt circà quantitatem, quæ non habet contrarium. Additur *in ſubiecto ſenſibili remanente*, vt diſtingatur à propriè dicta generatione, in qua *remanente* debemus accipere non tantùm ſecundùm ſenſibilitatem: ſed etiam ſecundùm totalitatem, in alteratione enim, vt alteratio eſt, ſubiectum debet manere, vt diſtinguatur à latione, in qua totum mutatur, quamquàm non in totum. Vnde aliæ differentię, quæ proponuntur ab Auctoribus, quibus diſtinguatur alteratio à generatione, non omninò procedunt. Non ratione termini ad quem, quià ratione terminorum a quo, & ad quem omnium eſt eadem ratio generationis à priuatione ad habitum, In ratione motus ſucceſſiui omnis mutatio eſt per inſtantia, per

 quam

quam continuationem dicitur motus ſucceſſiuus. Sola differentia, quæ attenditur penès ſubiectum firma eſt, & ad mentem Ariſtotelis; nàm generationis ſubiectum eſt materia prima, & quæ non eſt intelligibilis nisi per ſimilitudinem; & ſic neque ſenſibilis, quià ſenſus ſcientiæ habet virtutem ex Ariſt. de generatione T. 9. ſubiectum alterationis eſt totum ſubiectum ſenſibile ex Ariſt. T. 23., & ſi ſit generatio impoſſibilis, eſſe impoſſibilem quoquè alterationem. Ex quo patet, non poſſe dari alterationem ſinè generatione, nec generationem ſine alteratione, &, dato vnam ex his eſſe impoſſibilem erit & alia mutatio impoſſibilis, non enim poteſt alterari ſubiectum ex calido in frigidum, quin in eo generetur frigiditas; nec poteſt concedi generatio totius, quin per præuias diſpoſitiones generentur partes concurrentes ad conſtituendum totum; quod permanens dicitur alterari.

An Alteratio ſit motus continuus.

SAtis clarè Ariſt. 6. phyſ. T. 58. oſtendit alterationem non eſſe motũ continuum & genericè aſſerit, motus, qui ſiunt intèr terminos contrarios, nullo modo poſſe eſſe continuos. hic verò ait veram alterationem eſſe in paſſionibus contrariis; verum, quià interruptio temporis, quo ſit alteratio eſt ſenſu incompræhenſibilis, ideò communis opinio tenet, alterationem eſſe motum continuum: videlicèt prout continuitas illius contradiſtinguitur à motu intercepto per morulas ſenſu perceptibiles.

Alteratio duplex traditur, altera per intentionem, altera per extentionem; pèr extentionem dicitur, quandò vna pars ſubiecti alterabilis alteratur poſt aliam; vt, dùm ligni pars poſt partem incaleſcit. Per intentionem dicitur, quandò eadem pars ligni, calida ſit magis, àtque magis; quod fieri, aiunt, per maiorem caloris radicationem; quod eſt, dùm in ſubiecto, ſaltèm ſecundùm rationem, ętherogeneo pars rarior ignea, & aerea caleſit, antequàm caleſiat denſior; vt aqua, aut terra: poſt quàm maiorem penetrationem caloris per plures partes ſubiecti calefactas emergit calor; ideòque dicitur calor intendi, & modus calefactionis eſt idem per partem, poſt partem: actus autèm calefaciendi eſt diuerſus; quià, qui dicitur extendi eſt eiuſdem gradus in omni parte; qui dicitur intendi in eadem parte maioris eſt efficaciæ. in vtraque tamèn ratione altèrationis eſt extenſio, & proptèr reſiſtentiam corporis patientis, quod redagit, & retardat actionem agentis neceſſariò huiuſmodi motus, qui dicitur alteratio, ſiuè intendatur, ſiuè extendatur, debet fieri per interualla, ſaltèm ſecundùm rationem, licèt ad ſenſum appareat continuus. prout enim genericè dictum eſt in libris de motu, in motu abſolutè continuo, & ſecundùm rationem eſt ſumma, quæ in natura haberi poteſt, velocitas. vndè non poteſt dari motus continuus velocior, & tardior, qùm fieri non poſſit tardior, niſi per morulas interpoſitas, vt ibi oſtenſum eſt. Id enim, quod vocãt moderniores diſponere; nil aliud, eſt, niſi introducere, & extendere qualitatem in partem magis ſimbolicam, & rariorem corporis alterandi. quippè non ſolùm nullum mixtum eſt abſolutè homogeneum, ſed nè quidem elementa ità homogenea ſunt; quæ enim homogenea vocantur talia comparatiuè vocantur. At quià in naturalibus plerumquè ſenſum ſe-

ſequimur : ſecundùm hoc omnis motus continuus dicitur, in quo mora non apparet manifeſtè ; ideò communis ſententia refert alterationem quamcumque, ſiuè extendatur, ſiuè intendatur debere dici continuã ; quoniàm, etsì media quies intercidat, vt erit alter illius motus, ità erit altera alteratio, quandò redit. ſic dantur plures motus alterationis, ſed quilibet eſt continuus, ſub ea ratione continuitatis, quæ haberi poteſt in motu, qui tardior ſit primo mobili, per quas intermedias quietes ſiuè mente, ſiuè ſenſu perceptibiles, quælibet alteratio continuatur ſiuè ſecundùm partes, ſiuè ſecundùm gradus dicatur continuarì. Dicitur enìm continuari per gradus alteratio, dùm intenditur, quod ſuccedit, vt ſuprà explicatum eſt, per introductionem qualitatis in partes interiores ſubiecti ætherogenei, quod moderni vocant radicari, ſeù magis educi de potentia, ac perfectiùs participari, & magis ſubijcere. in quas partes qùm deficatur qualitas, donèc omnes æquè alterentur, dicitur gradus acqquirere, & ſic intendi, quod verè eſt, & propriè extendi, & maiorem virtutem adipiſci in maiori quanto ſuperato, ſeù actuato; non quòd verè, & in ſe calor vt ſic habeat gradus virtutis diuerſæ : quippè calor gr. ex. habet vim vndequaquè ſimilem, & ſummam potentiam exercet in ſubiecto aduerſæ qualitatis expers qui ſit vt eſt ignis, & in quolibet mixto iuxtà ignis participationem, & non aliàs: ita vt ad ignem terminetur caloris actiuitas : vt frigoris ad aquam. nihil enim igne calidius : nihil aqua frigidius eſt ; & quædam venena ideò frigida dicuntur, quià calorem naturalem perturbant, nec ſinunt proprias functiones exequi ſiuè diſtrahendo, ſiuè corrumpendo ſpiritus; non quod propriè frigus, quod ſit qualitas, tertiæ ſpeciei, introducant, vt ſuo loco erit oſtendendũ luculẽter.

De Augumentatione.

POſt tractationem de generatione ſubſtantiali dictum eſt de generatione paſſionum, quæ dicitur alteratio. & merito de ea dictum eſt proximè poſt de generatione, quià maximè habet rationem generationis, qùm fiat à contrario in contrarium. Quandò verò manente ſubiecto ſenſibili, ſit generatio partium non habentium contrarietatem, hæc non videtur adeò habere rationem generationis; ideòque ſubſequentèr de hac loquitur Ariſt., quam generationem partialem appellat augmentum : & modum, qui ſequitur augmentum, appellat nutritionem. vndè in præſenti de augmento ſimul, & de nutritione dicendum eſt.

Augmentatio eſt motus corporis permanentis ad maiorem quantitatem, & perfectionem conuenientem operationi: adueniente aliquo per nutritionem.

Dicitur *motus* ex Ariſt. 5. phyſ. T. 9. & hoc lib. primo de generat. à T. 25. Dicitur *motus corporis*, quià hic motus non procedit ex potentia quanto ad actu quantum, hæc enim eſt generatio quantitatis non augmentum : nequè ex quolibet quanto ſequitur augmentum, vt nequè ex puncto, nequè ex linea, nequè ex ſuperficie. igitur traditur motus corporis. Additur *corporis permanentis* ex T. 34. lib. 5. de generat., aliàs eſſet corruptio, & non augmentatio : namquè ſi ex aqua fiat aer, fit per motum corporis ad maiorem molem, ſeù perfectionem vt diſtinguatur augmentum à ſimplici nutritione, quæ eſt corporis permanentis, verùm non ad maiorem quantitatem, & ab augumento per tumorem: vt eſt etiam dum ſeneſcẽtes pinguiores euadunt.

Ad-

Additur quoquè *adueniente aliquo* ex eodem T. vt diſtinguatur à rarefactione in ſententia eorum, qui defendunt rarefactionem fieri acquiſitione nouæ quantitatis nullo alio corpore ſuperueniente. Demùm fertur, id fieri per nutritionem, nè credatur vinum auctum aut vini aquæ, aut alterius liquoris additione: neque auctus ignis niſi impropriè: veluti eſt impropria illius nutritio.

Contrà hanc definitionem poſſet aliquis inſurgere.primò negando augumentationem eſſe motum hoc argumento. Motus ex Ariſt, 5. phyſ. non eſt, niſi ad qualitatem, quantitatem, & vbi. In augmentatione nullus eſt ex his, ergò abſolutè non eſt motus. Probatur minor propoſitio, quò ad partem minùs controuerſam, de quantitate, quià in augumentatione non producitur noua quantitas, ſed eadem quantitas quę erat in alimento, tranſit ad alitum per nutritionem, & ſimplicem formam, quæ dicitur *habitus*: ſeù vnio, ad quam non datur motus; ergò augumentatio, vel non eſt motus, vel non eſt motus corporis manentis, ſed alimenti, cuius etiàm non eſſet motus ad quantitatem, ſed ad vbi, qùm accedat ad alitum: ſic non eſſet augumentatio ille motus, ſed latio, negligit enim Plato in Parmedine hunc motum ad quantitatem, quam addit Ariſt.

Præterea motus eſt de genere cõtinuorum ex ſententia Ariſt. ſed ex eodem 8. phyſ. T. 23. neque augeri, neque minui poſſibile eſt continuè, ergò augmentum non eſt motus.

Tertio,ſi eſt Ariſt. non datur propriè motus ad ſubſtantiam, quia generatio ſubſtantiæ ſequitur ſinè motu, in inſtanti. eadem ratio erit de augmentatione, quæ non ſequitur, niſi per aggenerationem nouæ ſubſtantiæ, & partialis; & eadem eſt ratio totius, & partis.

Quarto manere, & moueri ſunt contraria; ſed Ariſt. ait, corpus augeri manens, ergò augmentatio non erit motus.

Quinto poteſt etiàm augeri linea in longitudinem, & ſuperficies in latitudinem, ergò augeri non eſt abſolutè corporis.

Sexto quantitas addita alito, & aucto iam erat in alimento, & nulla ratione de nouo acquiritur, ergò non eſt motus ad maiorem quantitatem, ſed ad nouam ſubſtantiam.

Septimo ſi augmentum fit adueniente aliquo, & vnito, qùm hæc inuicèm vniantur, non apparet diuerſa ratio, cur id potiùs, cui aduenit, quàm id quod aduenit dicatur auctum ex primo de generatione T. 34.

Demùm,ſi augmentum fit per nutritionem, fiet per ſe ipſum, quia Ariſt. hoc primo libro de generatione T. 25. ait; nutritionem idem eſſe, atquè accretionem.

Pro dirimendis his difficultatibus benè diſtinguere oportet, quid ſit nutritio, & quo differat ab augumentatione: hac enim ratione tradita definitio confirmabitur.

De Nutritione.

NVtritiuam animam ineſſe neceſsè eſt in omnibus, quæ augentur, aut minuuntur ex Ariſt. 3. de anima T. 59. Vndè non eſt ambigendum, nutritionem dari, ſi datur augmentum.

Nutritio propriè,& impropriè dicitur. Impropriè pro omni eo quod alienam ſubſtantiam in propriam naturam conuertit: vndè ignis oleo nutriri, & auræ aquis dicuntur. Propriè pro conuerſione tali in viuente; vndè dùm ambigimus, an metalla, & lapides in fodinis nutriantur, ambigimus etiam, an viuant,

&

& de hoc in præſenti, loquitur, quæ eſt *actio animæ in corpore viuente, vt viuens alimento diuina auræ particeps conſeruetur*.

Dicitur *actio*, quia nutritio non eſt ſimplex facultas, ſed actus ſecundus exeuntis in actum; quarè, veluti actus primus habet quid proportionale ſomno, & actus ſecundus vigiliç; non inconuenit facultatem nutrientem interdùm feriari, quo ad opus ſingulare. ſatis enim eſt, ne ſit fruſtrà, vt aliquem in actum exeat, ſaltèm continendo diuinæ *particulam auræ*, vt euenit in ſemine, in quo facultas nutriens feriatur deficiente alimento, qùm autèm ex Aueroe 2. de anima T. 14. nutrimenti principium ſit anima. dicitur actio animæ, quià alimentum non fertur natura ſurſùm vt leue, aut deorſùm vt graue; ſed quoquò animæ officium expoſcit graue etiàm ſurſùm, & leue deorſùm, & hoc eſt omnem partem nutriti nutriri, & aucti augeri.

Additur *in Corpore viuente* ex Ariſt. 2. de anima T. 46. qùm enim actio hæc animæ ſit actio immanens, non poteſt exerceri, niſi in corpore viuente.

Vt alimento, &c. ſubiectum nutritionis eſt corpus viuens, inſtrumentum vero eſt alimentum: non enim actio animæ in nuda conſeruatione conſiſtere poteſt, ſed neceſſaria eſt innouatio. veluti enim in reſpirantibus nec diù detentus inutilis eſt, ità materia in viuente detenta, aut durata, aut ſemper proficiendo ad aliud atquè aliud miniſterium animæ functionibus ſit inhabilis. vt animaduertit Albatigni de nutrim. & nutribili tract. 2. cap. primo et deduci poteſt ex Ariſt. 2. de anima T. 46.

Viuens conſeruetur, &c. Nutritio eſt, per quam aliquid ſaluatur, vt eſt ex D. Thoma 2. de anima T. 49. & eſt expreſſa Ariſt. eodem lib. de anima T. 34. 47. & alibi, quod viuens non debemus intelligere indiuidualitèr, vt ſingulare viuens nutritionem moliatur; licèt actio ſit ſuppoſiti; eſt tamèn ſuppoſiti, vt viuentis, non vt talis viuentis; quod deduci facilè poteſt in Ariſt. de ſomno, & vigilia Cap. primo, ex conſenſu omnium medicorum: vbi ait nutritiuam particulam magìs opus ſuum perficere in ſomnis. At animal vt ſingulare, & motum à phantaſmate parat alimenta, non conficit. imò etiàm mandere eſt in homine ipſo à facultate ſpecifica non percepto fine ab homine ſingulari, a quo fine moueatur. eſt itàque alimentum non ad conſeruandum indiuiduum, ſed ad formæ cuſtodiam, & ſpeciei, & hoc modo intelligendus eſt. Iohan. Gramm. primo de generatione, & corruptione T. 41.

Demùm ponitur cuius nam fiat conſeruatio: nempè *diuinæ auræ* ex ſecundo de anima T. 34. & 47., quæ diuina *particula auræ* vt cuocetur ab alimento, & de potentia illius materiç: exteritur priùs alimentum in ore, & materia exeunte à cerebro tamquàm fermento conficitur, & tranſmutatur, & diſponitur ad recipiendam formam alimenti; ac in ſtomacho exactiùs: mox defecatur in inteſtinis; & in ſuccum alimentalem conuerſum lacti ſimilem colore, & facultate per anguſtas venas, quas meſeraicas vocant, fertur ad hçpar: vbi rurſùs defæcatur, & amari parte ſepoſità, in ſanguinem conuertitur: & rurſùs ex vena, quæ porta dicitur in cauam dimiſſus ſanguis ſeri partem per venas emulgentes ad renes deponit, & magis purus circumfertur, ibique calore, & motu vitalem elicit ſpiritum, & in vniuerſum corpus diffunditur; & ſimilem cuiuſcumque partis naturam, vt omnigenum recipit, & hac ratione nutriri. D. Thomas de ſomno, & vigilia cap. 36. ait, ſuſcitari nutrimentum in ſtomacho, in hepate. & in corde; accipiendo pro ſtomacho tra-

tractum vniuerſum ab ore per ſtomachum, ventriculum, & inteſtina, perhepar à principio venarum; quas meſeraicas vocant, venam portam, & cauæ portionem; quæ hepate cõtinetur; & fertur vbique ad cor; per cor, & id ipſum viſcus, & arterias. Qua ratione facilè conciliatur controuerſia inter medicos, & philoſophos, ex Galeno, & Ariſt. namquè incohatiuè, & materialitèr nutritiua eſt ab hepatè, vt Galenus protulit, terminatiuè à corde, formalitèr tamèn à cerebro per ſpiritus animales: ab ore per totum curſum: donèc, & totum alimentum in rem alitam fuerit tranſmutatum loco eius, quod diſſoluitur.

Quibus poſitis, & declaratis reſpondetur ad argumenta, & ad primum: licèt cum Galeno, & Parmedine, & Thæteto non detur propriè motus ad quantitatem, finis enim naturæ proficientis non eſt præcisè quantitas, ſed perfectio, in quo non diſſentit Ariſt. dùm ait augmentum fieri ſecundùm formam; tamen ex Ariſt. conceditur in augmentatione, in qua, licèt non producatur noua quantitas abſolutè, producitur reſpectiuè, quippè ea, quæ erat alimenti, fit aliti, & per eam denominatur auctum: non quòd corrumpatur alimento, & noua producatur in aucto: eſſet enim hæc generatio ex T. 37.

Ad ſecundum Reſpondetur; Motus continuitatem aliam eſſe abſolutam, aliam interceptam; & intercepta, alia eſt intercepta inſenſibiliter, alia ſenſibiliter. Motus continuus abſolutè non competit: niſi primo mobili, aut, ſi quid aliud eſt quod omnium velociſſimè moueatur. Continuitas intercepta per morulas inſenſibilitèr competit omnibus corporibus mobilibus, quæ ſegniùs primo mobili mouentur continua motione, per quas morulas plures, & pauciores datur motus velocior, & tardior. Continuitas intercepto ſenſibilitèr auctioni, & imminutioni, per quam interceptionem, etiàm ſi ſenſibilis ſit, non tollitur continuitas, & ratio motus.

Ad Tertium reſpondetur, quantitatem productam; & per habitum, ſeù vnionem applicatam alito eſſe accidens diſtinctum à ſubſtantia partiali producta per nutritionem, à qua alitùm denominatur auctum, quia illi cùm noua ſubſtantia etiam noua quantitas aqquiritur.

In quarto argumento hæc latet æquiuocatio; nàm manet aucti corporis ſubſtantia, non quantitas; & hoc intelligit Ariſt. manente aucto corpore ſecundùm ſubſtantiam.

Ad quintum reſpondetur ſubſtantiam aliam eſſe corpoream, aliam incorpoream: incorporeæ nulla competit magnitudo: corporeæ non competit, niſi perfecta, vt eſt corpus. qùm igitùr anima ſit actus corporis, motus etiàm eius erit corporis. punctum autèm, & linea; & ſuperficies dicuntur impropriè augeri: qùm verè non ſint magnitudines, ſed principia magnitudinis, & *corpus commune nullum* ex primo de generatione T. 31.

Ad Sextum reſpondetur per ea, quę dicta ſunt ad tertium: eadem enim vis agumenti videtur non enim alimẽtum denominatur auctum, ſed alitum.

Ad Septimum Reſpondetur, denominari auctum corpus permanens; & perfectius, & in cuius gratiam alitio, & auctio ſequitur. ex Platone rationabilitèr non videtur diſpar ratio, cùr potiùs hæc vnitas, quàm illa dicatur aucta concurrentibus inuicèm ambobus ad conſtitutionem binarii numeri; at, ſi binario numero alia vnitas ſuperueniat, non ambigitur, binarium denominandum eſſe auctum, & non vnitatem ſuperuenientem.

Ad Vltimum reſpondetur cùm eodem Ariſt., ſubiectum augmentationis, & nutritionis idem eſſe,

&

& hoc intelligere Ariſt. in materia conuenire formaliter tamèn differre, & ratione termini, & ratione finis. Ratione termini, quià terminatur nutritio ad ſubſtantiam partialem nutriti, augmentatio verò terminatur ad molem, & perfectionem: Ratione finis, quià finis nutritionis eſt conſeruatio formæ, & ſpeciei: finis augmenti eſt functio ſuppoſiti naturæ conueniens, & in gradu proportionato, qui gradus facultatis, & virtutis determinatur à quantitate, & proportione partium, qùm in maiori quanto maior ſit virtus, & in minori minor. non igitur per ſe eſt motus ad quantitatem materialem, & augmentum: ſed ad formalem, & perfectionem, & per ſe.

Et hac ratione intelligendus eſt Ariſt. dùm ait, quamlibet partem aucti eſſe auctam; videlicèt formalitèr, & non ſecundùm materiam, niſì ex accidenti per aliquotas partes, vt linea bicubitalis propriè tota aucta dicitur per punctum additum, quatenùs videlicèt potentia, quæ eſt formæ, ſicùt actio ſuppoſiti, perficitur; & hoc modo augeri, non ſolùm intelligitur ſecundùm molem extrinſicè, ſed etiàm intrinſecè; pars enim viuens augeri etiàm dicitur, ſi ſolidior facta eſt; dummodò ſoliditas conferat ad ædendas proprias aliti operationes. ſecùs autèm, ſi ſoliditas, & denſitas partis: aut etiàm magnitudo, & tumor lędat operationes, tunc pars dicitur imminui eandem ob rationem; quià augeri, & imminui non intelligitur materialitèr, ſed formalitèr: quatenùs ad ædendas operationes aptior fit: Oculus gr. ex. in puero eſt æquè aptus aduidendum, atque in viro; fruſtrà igitùr augeri, aut perfici per ætatem videtur; tamèn, quià ad perfectionem formalem maximè ſpectat pro formæ conſeruatione generare ſibi ſimile, & vis generandi ab omni corporis parte procedit, ideò, etiam ſi pueri oculus optimè videat, debet tamèn augeri, & perfici, donèc vim generandi valeat effundère; & in hunc finem quælibet pars aucti formalitèr debet augeri, & perfici, vt reſpondeat proportio; & in hoc perfici eſt verè, & propriè augeri per ſe; terminari verò ad molem maiorem eſt per accidens, quatenùs in maiori mole maior eſt virtus; ex qua mole eſt denominatio extrinſeca aucti: ex perfectione verò eſt intrinſeca, ac paritèr ex mole perfectionem includente.

Notandum iuxtà poſitionem alimenti eſſe conditionem neceſſariam, non cauſam efficientem alimenti, quod nè quidem vnitur conuerſum in naturam aliti, ſed per habitum, ſiuè, vt ſentiunt moderniores, per vnionem conuertitur in naturam aliti, & illud auget; non ſicut augetur vinum aqua mixtione; quia aqua, licèt ſit immediatè iuxtà poſita, & vnita, non habet à natura hunc habitum, per quem habeatur, à ſpiritu vini; velutì habetur aquoſa ſubſtantia acini callo incluſa; proptèr quam formam habitus ex ea aquoſa ſubſtantia, & ſpiritu fit vnum, quod dicitur vinum. Vndè non ſpiritus abundantia, & proportio ſuprà aqueum conſtituit eſſentiam vini, ſed habitus ille, per quem natura, & non ars vnit ſpiritum igneum aqueo. hinc dari poteſt, vinum meracius pauciores ſpiritus cōtinere, quam dilutum ſi natura ſpiritu multo, & igneo abundat.

Notandum præterea ex Ariſt. 2. de anima *viuere* dici, *quæcumque in ſe ipſis habent alitionem, & augmentum, atquè diminutionem*. iaugmenti per terminum poſitiuum, diminutionem per negatiuum tamèn partialem. ex qua ſententia patere poteſt, hominem, neque aliud viuens augeri per totum vitæ circulum, ſed ſpatio ſtatuti temporis augeri, & perfici; alio verò imminui. Diximus autèm augumentum decerni à perfectione, & virtute, non à mole

vndè licèt alitionis terminus à quo ſit ſemper ad maiorem molem etiam inſtaurando, quod deperditur, tamen hæc auctio eſt ſecundùm materiam, non ſecundùm formam, ſiuè forma accipiatur ſpecies ſimilarium vt oſſis, carnis, &c. ſiuè figura diſſimilarium, cui datur terminus intrinſecus potentiæ, & conſtituta eſt per emanationem propria forma, quæ dicitur *duratio* iuxtà cauſam finalem propoſitam à natura, per quam omnis virtus conſequtione finis deſiſtit ab opere: vt animal quodcumque, qùm præcipuam potentiam habeat ad ſibi ſimile generandum, maturiùs ſeneſcit, quò maturiùs hunc finem explentem dictam potentiam conſequitur; habet igitùr ex natura viuens augmentum, & diminutionem: non defectu caloris, aut humidi, niſi ex accidenti, quatenùs hæc deficiunt ob defectum cauſæ finalis. aliàs ſempèr poſſet calor, & humidum refici, & perpetuari; &, quoniàm media ætate tàm augmentum, quàm diminutio eſt ſenſu imperceptibilis, dicitur etiàm habere ſtatum. Augmentùm eſt, donèc membra ad præcipuas ędendas operationes deſtinata perfecta fuerint; ſtatus, dùm horum incrementum, aut decrementum fuerit inconſpicuum; decrementum, quandò horum potentia ad actum fuerit redacta, & finem fuerit conſequuta, aut conſequendi terminus præterierit. Namquè homo celebs longiorem quidèm habebit iuuentutem, non tamèn ęternam, quià potentia eſt formæ, & ſpeciei, nec omnino determinata eſt ad ſuppoſitum; quare etiàm expletur in ſuppoſito, licèt hoc ad exercitium illius potentiæ non deuenerit, quod pertinet ad ſuppoſitum. In homine ferè augumentum eſt vbſque ad annum 30. ſtatus ad 45. declinatio vſquè ad vltimum vitæ terminum. Ad quem peruenniunt etiàm in plantis quædam partes integrantes, quæ toto vitæ curriculo permanent inuariabiles, per quas indiuidua & eędem numero plantę non trasfunduntur in inſitas plantas, in quas ſolùm tranſmittitur alimentum. ideò diuerſum quid numero conſtituitur in eodem trunco tàm materiæ, quàm formę innouatione, & diſcontinuatione: qùm inſiti ſit potiùs contiguitas, quàm continuitas naturalis; partes autèm illæ integrantes permanentes ſunt regula, & norma fluentium, & conſtituunt indiuiduum, velutì fons alueus, & ripæ conſtituunt indiuiduum flumen, quamuis tota aqua præterfluat.

De Rarefactione, & condenſatione.

QVod eſt in corpore animato alimentum, augmentum, & decrementum; idem videtur eſſe in inanimatis rarefactio, & condenſatio. Qùm igitùr agatur in his libris de generatione in communi; & rarefactio, & condenſatio videatur quædam generatio, & corruptio quantitatis, meritò ſequitur de his agendum.

Vix controuerſum eſt, dari rarum & denſum, at quomodò corpora rarefiant, & condenſentur, & ad quod nam prædicamentum terminetur rarefactio, & condenſatio, certant interpretes. & vnuſquiſque pro ſententia propria plauſibiles rationes adducit.

Ad ſenſum patet rarefieri corpora, & denſari; ſed, dùm rarefiunt, vt ſpongia vel aquam, vel aerem recipit ad replendas cauitates deductarum, partium; vndè opinio viget, in rarefactione non gigni nouam quantitatem, nec in condenſatione dimitti, ſed admitti, & dimitti alienam ſubſtantiam, quo differt

fert ab augmentatione, quià id, quod excipitur in rarefatione, non transit in naturam rarefacti, veluti transit id, quod recipitur in augmentatione propriè dicta.

Verùm hæc ſententia oppugnatur validè obſeruatione habita in thermoscopiis, vbi aer incluſus vltrà medietatem interdùm antecedentis molis rarefit, aut condenſatur; atquè, dùm rarefit, nullum habet corpus, quod poſſit excipere, &, dùm denſatur, non habet ſpatium, in quod valeat dimittere. Neque ex aquæ corpore id, quod excipitur, extrahi dici poteſt, quia tunc aqua imminueretur, quo apparet contrarium: namquè eodem calore rarefit aer, proportionalitèr etiam aqua, aut oleum, quod ſi deforis accederet aer. qui tranſit per aquam, bullulas excitaret, nec aqua ipſa vi quadam traheretur ſursùm ſuprà propriam planiciem. Si verò dicatur, per vitri poroſitates penetrare corpus rariſſimum, quo aeris incluſi partes rarefactæ repleantur; primo nequè ad ſenſum vllum patere; & ratiocinatione difficilè ſuaderi, quod nam ſit corpus igne etiàm ſubtilius; nàm ignis ipſe vitri poros non penetrat, & ſi intùs incendatur, vt exeat, vitrum diſrumpit: nec facilè credi poteſt adeò tarum corpus in hanc regionem adeò proruptum eſſe, vbi aer etiam craſſior ſpatiatur. Dein eadem facilitate exiret hoc tenuiſſimum corpus per poros vitri, qua admittitur, nec vim faceret impellendo aquam in vaſe ſubiecto.

Quòd ſi nihil recipiat in ſe aer, dùm rarefit, vacuum admittit: & dùm denſatur, pars eius partem penetrat, quod vtrumque abſurdum in natura creditur, nec eſt facilè intelligibile, quomodò quantitas eadem dilatari poſſit, & aquirere maiorem extenſionem in loco, rarum enim ex Ammonio erat non vacuum.

Vndè alii calori eam vim tribuerunt, quam tribuit Hipp. in libro de carnibus; quod videlicèt omnia poſſit: cuius effectus formalis non ſolùm ſit, producere calorem, ſed etiam omnia conſequntia ipſum calorem: intèr quæ eſt etiam raritas, quæ haberi non poteſt ſinè inconuenientibus ſuprà enarratis, niſi producatur ſimùl quantitas: per qaum extendatur. Vndè, ſi id, quod calidum appellamus, omnia poteſt, poterit etiàm producere nouam quantitatem, per quam aer iſto calore eleuatus in maiorem molem extendatur abſque admiſſione vacui; ſic ſinè noua materia noua quantitas generatur in rarefactione, & dimittitur in condenſatione; quæ quantitas non eſt coeua materię, vt plerique ſenſu ducti arbitrantur; quià materia prima non eſt quid, nec quale, nec quantum, ſed quantitas pet reſultantiam oritur data cauſalitate materiæ, qoalis eſt ſubſtantia, quę eſt ſubiectum omnium accidentium, &, data cauſalitate ſinis, qui eſt ab ſubſtinenda cætera accidentia, quæ non poſſunt ſubiectari, niſi in ſubſtantia quanta; & propterea quantitas dicitur cœua materię, quia nunquàm obijcitur ſenſui materia ſinè quantitate. Itàque in termoſcopio, dum aer rarefit, & denſatur, non excipitur aliud corpus; ſed admittitur, & dimittitur noua quantitas.

Si quis verò cum recentioribus, & cum Porphirio, Amonio, Boetio, & aliis non vulgaris famæ philoſophantibus velit defendere, rarum dici, cuius partes aliud corpus admittunt; neceſsè erit ponere corpus aliud in aere tenuiſſimum, quod Chriſtallum valeat penetrare ſplendoris ad ſimilitudinem; quod vi caloris agentis partes aeris deductas repleat; quod corpus tanquàm quid diuinum, & appetibile à quocumque corpore caloris vi eleuato appetat, & ſibi aſciſcat in ſubſtantiam:

aliàs; vt ſuprà dictum eſt, eadem facilitate dimitti poſſet, qua excipitur: ſed qùm hoc tenuiſſimum corpus per caloris efficaciam ſit vnitum corpori rarefacto, firmitèr continetur, & non deponitur; niſi, qùm ab acie calor, à quo roborabatur, deceſſerit. Aliàs enim mihi inintelligibile videtur, eandem quantitatem, & corpus quantum poſſe extendi ad occupandum locum maiorem, & contrahi ad minorem ſinè admiſſione, aut dimiſſione aut nudæ quantitatis, aut alterius corporis quanti.

Ariſt. 4. phyſ. T. 84. & 85. & Simpl. primo phyſ. T. 32. aſſerunt conuenire rarum, & leue, ac denſum, & graue: cuius rei hanc ſeriem cauſarum tribuendam cenſeo; *exiſtente bono aliquo diuino, & appetibili* ex ſententia Ariſt. primo phyſ. T. 81. quod Hyp. lib. de carnibus tribuit ei, *quod calidum appellamus*. Quarè, dùm corpora caleſcunt; hoc diuinum excipiunt; at corpus tantò diuiniorem habet naturam, quo magis diſtat ab his, quæ apud nos ſunt ex Ariſt. primo cæli T. 16., at leuia ſunt, quæ magis diſtant ab his, quæ apud nos ſunt, & hæc, qùm ſurſùm ferantur tanquàm in proprium locum, & hoc magìs ſpatioſum, neceſſariò debent corpus aſſumere, quod ampliorem occupet locum, & hoc eſt rarefieri. per raritatem enim ità afficitur quantum corpus, vt partes eius magìs diſtantes fiant, ex quo maiorem habent extenſionem in ordine ad locum, & reſpondent maiori ſpatio; quæ itaque incaleſcunt, diuiniora fiunt; quæ diuiniora ſunt ex propria natura magìs diſtant ab his, quæ apud nos ſunt: quæ magìs diſtant ab his, ampliorē ſortiūtur locum: vt contingit in quocumque circulo, qui à centro magis diſtet, & per hanc ſeriem conueniunt rarum, & leue, ac denſum, & graue, vt protulit Ariſt.

Differt tamèn huiuſmodi rarefactio à generatione, licèt noui corporis *vnionem*, ſeù *habitum* admittat; quià per hanc admiſſionem non tranſmutatur in aliud, quod rarefit; ſed perficitur, & eleuatur accidentalitèr in diuiniorem naturam, vndè non eſt generatio, ſed alteratio. ex D. Thoma primo de generatione T. 3. Differt ab augumento, quià, quod excipitur corpus non tranſmutatur in naturam rarefacti corporis; veluti aqua non traſmutatur in naturam ſpongiæ; quam ingreditur. Differt ratione finis, quià corpus, & quo rarefit, non rareſcit, & perficitur in conſeruationem propriæ formæ, & ſpeciei; ſed ratione diuini, boni, & appetibitis, quod inſitum cuique rei ex natura eſt. Differt etiam pro ratione cauſæ efficientis, nàm augumentatio eſt ab anima, & ideò competit animatis: rarefactio eſt ab vniuerſaliori cauſa mouente in bonum etiam ea, quæ vitam non habent, & eſt qualitas ex Auerrh. 2. de gen. T. 15. ſignificans potiùs partium poſitionem ex Ariſt. & Boetio prædicto cap. 4. & D. Thoma 2. de generatione T. 7. & 57. non per varium ſitum, ſed per diſtantiam inuicèm. idem enim eſt in naturalibus rarum, & denſum, quod eſt in matematicis magnum, & paruum ex Auèrrho. primo phyſ. T. 49. ideò rarefactio non terminatur propriè ad qualitatem, nequè propriè ad ſitum: ad vtrunque tamèn aliquo modo; quià partes deductæ, aut ad locum, aut ad poſitionem terminantur, & hæc ad diſpoſitionem, ſeù formam, & figuram, quæ ſunt ſpecies qualitatis.

Itàque *rarefactio eſt motus partium corporis ad maiorem inuicèm diſtantiam, vt id perficiatur per exceptionem corporis diuinoris à calido oblati.*

Dicitur *motus*, quia non definitur raritas, ſed rarefactio, & ſic in fieri, & in potentia. dicitur *motus partium*, quià totum ſupponitur immobile quòad huiuſmodi motum rare-

refactionis, quidquid ſit de motu ad qualitatem, nempè ad calorem, quæ ſit tanquàm cauſa efficiens rarefactionis. Dicitur motus partium *ad maiorem inuicèm diſtantiam*, vt excludatur motus ad veram poſitionem, in qua varia emergit partium ſymetria; ſed quæ non conſiſtit in ſimplici diſtantia. Additur *vt id perficiatur*. tangendo cauſam finalem deductionis partium. ponitur *perfectionis* cauſam efficientem, quę ſit *exceptio corporis diuinioris*, vt ſuprà explicatum eſt. Demùm ad receptionem huius corporis dicitur diſponi ab eo, *quod calidum appellamus*, de quo Hipp lib. de carnibus autorizat efficaciam, & à calore procedere raritatem teſtatur Ariſt. 2. de part. anim. cap. 1. & alibi.

Aliis quoquè de cauſis rarefieri, & condenſari corpora apparent, ſed à nulla profuſiùs, & manifeſtiùs, quàm à calore; namquè aer præſertim, ſi incluſus trahitur, rarefit, ſi præmirur denſatur abſquè caloris interuentu; &, quod maiore animaduerſione dignum eſt, dùm trahitur, rarefit ſinè admiſſione corporis, de quo agitur in definitione, quod patet. quià, ſi attracto aere incluſo, & ex ea actractione rarefacto, via occludatur, per quam poſset ſe reſtituere in priſtinam denſitatem, vim facit occludenti, & ſi os vaſis occludentis aerem vi rarefactum in aquam dimittatur, & obſtaculum tollatur, trahitur in vas aqua. Ideò, ſi rarefactio ſucceſsiſſet per admiſsionem alterius corporis, nec vim faceret, nec aquam traheret, nisi corpus illud tenuiſsimum vim pateretur ab aqua incluſa, & ſeruaretur non vnitum, itàut ſtatìm expiraret in prìſtinum gradum. vbi in priſtinum ſtatum ſe reſtitueret aer rarefactus. veluti enim ſpongia dilatata attrahit aerem circumsitum, & compreſſa illum dimittit: ità fieri poteſt aerem rarefactum per vim attrahentis trahere corpus illud tenuiſsimum ex aere circumfuſo; ac, dùm redit, dimittere. Vnde videtur dicendum, ſi difinitionem præſtet defendere: attractione aeris circumfuſi ipſum aerẽ non rarefieri; ſed vim pati parietes vaſis includentis aerem, vndè, remoto obiice, parietes in priſtinam conſtitutionem redeuntes actractum aerem repetunt; quod fieri poteſt, & admodùm rationabile eſt, ſi minor aeris portio trahitur ex vaſe, ex valida, & ſolida materia fabrefacto, quàm ex molliori, & magis cedente: at, ſi par portio ex quocumque vaſe, & cuiuſcumque cedentis, aut non cedentis materiæ confecto; iſta quoque ratiocinatio claudicat, & videtur redeundum ad opinionem; qua dicitur quantitas generari, & corrumpi iuxtà exigentiam corporis ſpatium occupantis, ac vtraque opinio ardua admodùm, & difficilis eſt, nec facilè capit coniectura mentis humanæ ſenſibus addictæ, & euidentibus dogmatibos imbutæ, quomodò materia prima eſſe poſſit ſinè quantitate, aut atomi, itàut plus materiæ, et plures atomi eadem quantitate, & ſpatio contineantur in denſo corpore, in raro verò ſub eadem quantitate ſit minùs materiæ, ſeù atomi pauciores contineantur,

De Actione Tactu, & Mixtione T. 43.

Ex titulo patet inſtitutum Ariſt. fuiſſe in his libris agere de generatione, & corruptione; & quià ad hanc concurrunt quædam partiales generationes ſubſtantiæ, quantitatis, & qualitatis: vt hę diſtinguuntur à propriè dicta generatione: de his ſeorſim egit ſub nomine nutritionis, augmenti, rarefactionis, & alteratio-

nis,

nis. Modo redit ad inſtitutum, tractationis de ſimplici generatione, ad quam, ſicutì multa concurrunt, ità multa antè, explicanda erant contingentia circà cauſas rerum, quæ generantur, & corrumpuntur; vt in ordine ad cauſam efficientem, agendum de actione, & reactione, & de tactu. In ordine ad cauſam formalem agendum de mixtione, de primis qualitatibus, de temperamentis, quæ à nonnullis habentur pro forma. In ordine ad cauſam materialem agendum de quatuor elementis. In ordine ad cauſam finalem de cauſis perpetuitatis, quo pacto fiant in rebus conſequutiones, & reuerſiones.

De Actione.

Breuitèr in dialeticis explicatum eſt, quid ſit actio, quod luculentiùs explicabitur in metaphiſicis. hoc loco tantùm tangendum eſt, non quid ſit, ſed quomodò ſuccedat, & ſequatur. Videlicèt an ſequatur ſempèr per contactum inuicem patientis, & agentis, et cum reſiſtentia, & redactione patientis: an neceſsè ſit, eſſe diſſimile agens paſſo, aut in forma, aut in gradu, &, quæ has ſequuntur, inquiſitiones.

Et primò vt determinet Ariſt. an ſempèr ſequatur actio per cōtactum. Idem eſſe, ait, facere, & pati, ac mouere, & moueri. Vndè, veluti aliquandò euenit mouens tantùm mouere id quod mouetur, abſquè eo, quòd id, quod mouetur, agat in id quod mouet: Ità aliquid poterit tangere abſquè eo, quòd tangatur. hoc autèm euenire, ait, in mouente, & agente æquiuoco, hoc eſt diuerſi generis, & formæ à moto, vt eſt primùm mouens immobile; hoc enìm mouet, & tangit contactu virtutis, non tamèn mouetur, ac tangitur. Tangunt ſe inuicèm quæcumque determinatas magnitudines, & paſſiones habentia, habent vltima ſimùl, exiſtentibus mobilibus, & motiuis inuicèm ex T. 44. & hæc ſunt, quæ habent grauitatem, aut leuitatem, aut vtrumque, & formam in materia. Aliàs, ſi non haberent formam in materia, impaſſibilia ſunt ex T. 54. Et quandò exteriora, quæ ex Hipp. primo aph. primo perturbant ægrotantem, vt eſſet epiſtola mali nuncii, & ſimilia, dicuntur tangere; & mouere ægrotnotem: non tamèn tangi, & moueri ab ægrotante. Ex qua ſententia Ariſt, primo de generatione T. 45. licèt actio ſempèr fiat per contactum ſaltèm virtutis: non tamèn ſempèr eſſe neceſſariam & perpetuam reſiſtentiam, & redactionem. Non eſt perpetua reſiſtentia, quam proponunt paſsìm philoſophantes, quià, vt animaduertit Alex. ad Aleſ. 12. metaph. T. 36. eadem eſt ratio patientis ad primum mouens, quæ eſt ſerui ad dominum. At ſeruitus, vt probat Ariſt. luculentèr primo moral. eſt ex natura. ità, quod patitur, patitur ſecundùm naturam; aliàs paſſio non eſſet entitas realis diſtincta ab actione. Igitùr. ſi, quod patitur, patitur ſecundùm naturam, & ad exigentiam ordinis vniuerſi: nulla erit in patiente reſiſtentia, aut redactio. Ac reſiſtit tantùm, & redagit, quatenùs ab agente vim patitur patiens, à quo vltrà id, quod à natura expoſcitur mouetur, quod aliqua ex parte ſempèr in natura eſt: quia nihil, ſaltèm in ſublunaribus, vndequaquè ſecundùm naturam eſt. Ideò qua parte agens, & patiens ſecundùm naturam ſe inuicèm habent, nullam admittunt redactionem, aut reſiſtentiam; ſed tantùm admittunt, qua parte ſunt extrà naturæ ordinem. Ideò neceſſe eſt ad ſaluandam communitèr acceptam reſiſtentiam,

ac

ac redactionem, nullum agens agere in ſibi vndequaquè ſimile, & ſecundùm formam, & ſecundùm gradùm. Tùnc enim tàm agens, quàm patiens fruſtrarentur fine, quo actio fit, & paſſio, nanquè finis agentis eſt, producere effectum formalem ſimilem ſibi; patientis autèm finis eſt perfici per actum, ad quem proximam habet potentiam. fruſtrà igitùr agens ageret in aliud, quod iàm ſibi ſimile eſt; & fruſtrà patiens ad actum, & formam mitteretur, quam iam poſſideret. Agens, quandò agit extrà exigentiam naturæ in paſſum, vt non habet rationem agentis naturalis, ità & reſiſtentiam inuenit, & redactionem. Quando Ariſt. primo de generat. T. 46. diſſimilia, & differentia, ait nata eſſe agere inuicèm, & pati, non eſt, quia ſit neceſſaria redactio, aut reſiſtentia proptèr diſſimilitudinem prouenient; ſed quià nullo fine moueretur agens ad propriam formam introducendam, ſi ea iam eſſet in paſſo; vt ex primo cæli *defectu oritur*, *ut ſiat tranſitus*, & huc ſpectat, quod ſubdit Ariſt. à magna portione ignis paruam deſtrui, licèt ſit ſimilis forma: nàm eſt diſſimilis in gradu, & in maiori quanto maior eſt virtus; nec propriè magna flamma deſtruit minorem, ſed rapit in ſe ipſam, & abſorbet miſcendo, & experientia patet, ipſam flammam paruam moueri, ex ſe in magnam tanquàm in ſui conſeruatricem, non deſtructricem. atque ſi omnino actiuum aſſimilare intendit ſibi paſſum ex T. 51. magna flamma aſſimilat ſibi paruam, non ſecundùm formam, quià ſimilis eſt, & quam potiùs conſeruat, quàm deſtruat; ſed, parum quod eſt in magnam molem rapit, quod Ariſt. vocat corrumpi, quià forma paruæ flammæ confunditur in magna, & non vltrà diſtinguitur, nec manifeſta eſt ad ſenſum, & videtur corrumpi, dùm euehetur. Mutua igitur. reſpondentia eſt inter agens, & patiens ex natura: itàut præſente agente, & introducente formam quamcùmque, ac ſimùl id, quod poteſt eam recipere, ac ambabus conſtitutis indebita diſtantia, itaut ſaltèm per contactum virtutis ſe inuicèm tangat, neceſſariò ſequitur actio ex T. 54. Quæ actio denominatur à vincente; vndè, quandò parua flamma mergitur in magnam, licèt inuicèm miſceantur, tamèn magna dicitur agere, & parua pati; & nihil reſiſtit, niſi quod extrà rationem patientis eſt: quarè reſſiſtentia, quæ in ſcholis dicitur negatiua, nihil aliud eſt, niſi impaſſibilitas, quæ contingit hìs, quę non habere poſſunt rationem patientis; qua ratione negata, neganda eſt etiàm agentis actio, omne enim agens agit proptèr finem. nihil itàquè tentabit introducere propriam formam in ſubiectum prorsùs incapax, ſic non erit reſiſtentia, vbi non eſt actio. Ea verò reſiſtentia, quæ dicitur poſitiua, & pariter actiua debet dici actio, non reſiſtentia; nam multa frigiditas aquæ, quæ dicitur reſiſtere poſitiuè, & actiuè: propriè debet dici, agere in ignem, & non reſiſtere; ac, quandò reſiſtit formalitèr, erit, quià, deficiant conditiones neceſſariæ intèr agens, & patiens: vt eſt contactus, & præſentia: ex quo ſequitur non reſiſtere aquam igni agenti, ſed ignem nondùm agere; & aquam nondùm pati: non enim calor exiens ab igne ſtatim poteſt penetrare adæquatè omnes aquæ particulas, & præſentèr agere. Qualitas in ordine prædicamentorum pręcedit immediatè predicamentum actionis, quià eſt præcipùum Inſtrumentum principii, & primæ cauſæ de quo T. 53. ſiuè hoc principium fuerit immobile, ſiuè, & ipſum motum. Actionis enim primum principium eſt agens æquiuocum, & ab Ariſt. dicitur non habere eandem materiam, hoc eſt, non eſſe in eodem genere. Vt mens,

&

& conſilium in medico eſt primum principium ſanitatem producens in corpore humano, ideò eadem mens nil patitur à corpore; at medicamentum, & cibus, qui eſt inſtrumentum ſanitatis, & vltimum tangens, aliquid patitur à corpore, quod ſanatur tanquàm continens in ſe primas qualitates, & quæcumque in contrarietate manifeſtam habent actionem, & paſſionem. Intèr primas qualitates duæ dicuntur actiuæ, vt calor, & frigus, & duæ paſſiuæ vt humiditas, & ſiccitas. Actiuæ ità appellantur, quià inſtrumenta ſunt actionis calor præſertim excitando, & frigus compeſcendo, calor vim, frigus modum tribuit in actione ex philoſopho, vt refert Ruuius primo de generat. capit. 9. quæſt. 2. num. 55. Humiditas verò, & ſiccitas dicuntur paſſiuæ qualitates, quià ad paſſionem conducunt eodem modo, quo calor, & frigus ad actionem; nempè humiditas paſſionis inductioni inſeruiens, & ſiccitas compeſcendo, quod fortaſſe appellant moderniores reſiſtere; quod præſertim, & primò tribuunt ſiccitati: in igne enim nulla alià actio videtur, quàm calefacere, quia reſiſtit frigiditati per eandem actionem; ſi enim reſiſtere eſt impedire actionem, nullum patiens, vt tale, poteſt dici reſiſtere: quià, vt tale, ſe tenet ex parte materiæ, quæ appetit formam, quę introducitur ab agente, non autèm impedit: loquendo, *qua tale* quia *qua tale* ſupponitur benè diſpoſitum primo, & tanquàm à veritate coacti primam vim agendi tribuunt calori, primam reſiſtendi tribuunt ſiccitati; quià ſiccitas paſſionis vim compeſcit contraria humiditati eadem ratione, qua frigus compeſcit vim actionis tanquàm contrarium calori. in hoc tantum errare videntur recẽtiores, quod omnibus primis qualitatibus tribuunt actionem, primò calori, deindè frigori, tertio humiditati, & quarto ſiccitati: omnibus pariter tribuunt reſiſtentiam ordine, retrogrado nempè ſiccitati primùm, ſecundò humiditati, deindè frigori; omnium minimum calori: cui, vt ſumma actiuitas, ſic ſumma reſiſtentia tradenda eſſet, humiditati autèm nulla eſſet tribuenda reſiſtentia; quià humidum definitur ab Ariſt., quod alieno termino facilè terminatur; hoc autèm eſt minimè agenti reſiſtere. Reſiſtentia igitùr aut nulla eſt, aut in actione tribuenda eſt frigori; in paſſione ſiccitati; caloris nulla eſt reſiſtentia in actione: nequè humiditatis in paſſione; quià calor ſummè agit, & humiditas ſummè patitur. frigus tribuit modum calori in agendo, at modum recipere, non eſt pati, ſed perfici. Ità ſiccitas tribuit modum patiendi humiditati, quæ eſt conſiſtentia. Aqua ignis calore ſæpe incaleſcit, at ignis aquæ frigore nunquàm refrigeratur, ſed potiùs ex accidenti extinguitur; hinc ſequitur ſemper actionem procedere à proportione maioris inæqualitatis, quià calor minimè reſiſtit redactione modificantis, ſed eam ſpontè recipit ob actionem mixti congruam, & ad recipiendam ſibi debitam temperiem, & determinatam ſibi à natura, in qua ſiſtitur, & quæcumque ſit eius denſitas, quæcumque magnitudo, ſemper agendo effectum producit æqualem, & proportionatum temperiei ſibi à natura deſtinatæ: ſiuè gradus attenditur, ſiuè perfectio. Quod autèm nullam habeat actionem humiditas patere poteſt, ſi quis aliquid aridum vitro includat, non dico arenam, quę perpetuo aquam labentem ſuſtinet intrinſecè ſemper arida; ſed etiàm ſal, ſi aqua mergatur, nunquàm tabeſcet, & nihil patitur ab vniuerſa humiditate immenſi locus; imò, ſi ſal tabefactus in vaſe vitreo contineatur, & vas iſtud in aquam natet: itaut aqua extrinſecus per vitrum propriam qualitatem poſ-

poſſit communicare ſali; tamèn, non ſolùm non vltro tabeſçet, ſed exiccabitur, expirante aqueo iam contracto, a quo tabuerat.

Actio itàque tribuitur ſuppoſito, non qualitatibus vllis. qualitates ſunt inſtrumenta, quibus agens ſuppoſitum agit in ſuppoſitum patiens, & quibus ſuppoſitum patiens patitur à ſuppoſito agente; quæ entitas emergens ex ſuppoſito patiente, & dicitur paſſio: vt diuerſæ formæ eſt ab ea, quæ dicitur actio: diuerſa, etiam habet inſtrumenta, quibus vis, & modus tribuatur, actioni caliditas, & frigiditas; paſſioni humiditas, & ſiccitas. caliditas, & frigiditas inuicèm contrariantur, non vt inuicèm deſtruantur, ſed vt concurrant ad eandem actionem; ſiccitas, & humiditas, nequè hæ contrariantur, vt ſe deſtruant, ſed vt concurrant ad eandem paſſionem, quarè caliditas nulla agit directè in frigiditatem, nec frigiditas in caliditatem. propterea ait Ariſt. hoc primo libro T. 55. ſi eſſet aliqua ſeparata caliditas, nihil pateretur: quia paſſio eſt ſuppoſiti, vt actio: non caloris, aut frigoris, ſed ſuppoſitum eſt, quod agit per calorem, & frigus, & patitur per humiditatem, & ſiccitatem. Quod facilè patere poteſt in ſuppoſito mixto, vbi calor, & frigus concurrunt ad illius actionem, & non ſolùm non inuicèm contrariantur, ſed in obſequium nouæ formæ mixti operantur ad exigentiam formæ illius, frigus calefaciendo interdùm, & calor refrigerando. vt euenit hyeme, quandò ventres ſunt calidiſſimi, & tamèn plurimam gignunt pituitam, quæ frigida eſt, & lapides, quæ ignis ſunt, refrigerant, plurimaque ſunt ſemina, quæ refrigerandi facultatem habent, & caloris actionem vehementèr oſtendunt: vt ſunt ſemina concurbite, quorum celerrima actio eſt in prolifica, quod ex calore procedere certum eſt. Modificat itàque frigus caliditatem, & non tendit ad eius deſtructionem. quòd, ſi aqua extinguit ignem, non eſt proptèr contrarietatem qualitatum, ſed quià aqua effuſa impedit exceptionem halitus, quo ignis veſcitur; & extinguitur ob defectum pabuli ab aura: non contrarietate qualitatis; vndè etiàm oleum effuſum ignem extinguit; etiam arena. ac ſinè vlla effuſione, ſi concluſo igni ſpiraculum occludatur, ſtatim extinguitur, vt notum eſt his, qui carbones fabricant; & debilis facula, ſi vitro tenuiſſimo claudatur, & mergatur in aquam: ſi ſpiraculum habet, nil patitur à frigiditate aquæ circumfuſæ: non itaquè per contrarietatem qualitatum extinguitur ignis, ſed aliam ob cauſam. Quæ maximè diſtinguenda eſt in arte medica, quià calor exuperans in febre, aut alia quacumque inflammatione per refrigerantia modificandus eſt, non autèm extinguendus: vt ſuo loco manifeſtabitur; & ad excitandum calorem, eſt intèrdum vtendum refrigerantibus, quæ in affectionibus calidis conſiderari debent, an habeant rationem cauſæ, an habeant rationem præſidii; quod vtrumque eſſe poteſt, aut per compulſionem, & reflexum, quem vocant antiperiſteſim, aut reducendo ad naturalem temperiem caloris exceſſum, per quem exceſſum cruditates etiàm oriuntur in ventribus, & alij effectus ſequuntur à frigiditate aliàs oborientes, pro qua directione neceſsè eſt harum qualitatum exactiùs cauſas, & effectus prodere, & inueſtigare vt ad regulas artis medicæ cognoſcamus, quid ſit actio, & quomodò ſuccedat, & ſequatur, vt propoſuimus ab initio.

Contactus non expoſcitur tanquàm ratio formalis agendi, ſed eſt conditio non prorsùs neceſſaria in agentibus ſuperioris ordinis ex Auic: de an. ſect. 4. cap. 4. cùm Hipp. quem refert Alex. primo metaph. cap: Com: 18. vt fertur de magnete

agente in ferrum ſinè aeris intermedij alteratione, & de oleo charta incluſo in lebete aqua pleno, de imaginatione mouente apetitum; ſi enim medium ſit incapax formalis agentis, poteſt virtus agentis ferri in ſubiectum diſtans, quod ſit capax abſque eo, quod vllum effectum producat in medio; imò virtutem eò magis integram in diſtans tranſmittit, quò minùs in medio eius virtus fundetur aut diſſipatur. Ità Solis calor creditur fundi ad aerem abſquè eo, quòd cælos intermedios calefaciat; quod ſi eſt, eſt proptèr eorum incapacitatem: ità ſpectrum, quod cupimus, aut timemus, pallorem inducit, & membra ſuſcitat nullam fundendo virtutem, vt patet de ſpectro interdum ficto, & ſimulato; ſed per ſimplicem apprehenſionem phantaſiæ, & ſufficit ſubordinatio potentiarum externarum ſenſuum, & omnium radicatio in eadem anima; agit enim in ſenſum non ſpectrum in re, ſed in phantaſia, & hoc non per modum agentis cauſæ, ſed per modum cauſæ finalis.

Agens ex parte debet eſſe ſimile, ex parte verò diſſimile: ſimilia ſubiecto, in quo ſe inuicèm modificant, non expelluut, & actio pertinet ad cauſam efficientem, paſſio ad materialem; ità vt, ſicuti materia appetit formam, ſic patiens appetit agens, vt perficiatur per actionem, non vt deſtruatur. Ideò agens debet eſſe actu, patiens in potentia. debent inuicèm tangi ſaltèm tactu virtutis, qui idem eſt cùm formali. tertio non debet continuari, ſed in debita diſtantia permanere.

De Mixtione, ſeù temperamento.

IN ordine ad generationem agens Ariſt. de mixtione primò oſtendit, eſſe quid diſtinctum à cæteris mutationibus. Deindè explicat modum, quo fiat, ac demùm prodit, quid eſt miſcibile, & mixtionis proponit definitionem.

Dari Mixtionem, ſeù temperamentum.

VEluti in arte typographica datur mixtio elementorum, per quam componitur oratio, & datur ſolutio, per quam in loculos reponuntur elementa, diſſoluta oratione, quæ ità parata ſint ad nouam mixtionem. Ità in rerum natura dantur ſimplicia corpora, quæ dicuntur elementa, in quæ quodlibet exiſtens diſſoluitur ex ſententia Ariſt. 5. metaph. T. 5. qùm omnia reſoluantur, ex quibus conſtant. Si hæc ſimplicia elementa ſunt à natura conſtituta in hunc finem, vt ex his cætera entia componantur: neceſsè eſt aſſerere, per talem compoſitionem miſceri; quod tamèn non defuere, qui negarent, fieri ex natura; namquè talia elementa, dùm miſcentur, vel permanent in eadem forma, vel tranſmutantur; &, ſi tranſmutantur, vel tranſmutantur ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm qualitatem, vel ſecundùm quantitatem, vel ſecundùm locum. Si dicatur tranſmutari ſecundùm ſubſtantiam, erit eorum corruptio, non mixtio; ſi ſecundùm qualita-

litatem; erit alteratio; ſi ſecundùm quantitatem,erit augmentum: & ſecundùm locum, erit latio. ſi permaneant intranſmutata, qùm ſint prædita qualitatibus, intèr ea erit pugna perpetua, tantùm abeſt, vt poſſint miſceri, & ſimùl permanere impermixta; ſi verò alterum elementorum corrumpatur, alterum non exiſtens non poteſt miſceri cum non exiſtente, ac non exiſtens nullo modo poteſt miſceri, ſic mixtionem dari negabant.

Non alio pacto ſoluit argumenta Ariſt. contrà exiſtentiam mixtionis allata, niſi oſtendendo, dari quandam mutationem in rerum natura, quæ differat à cæteris narratis mutationibus; & hanc vocari mixtionem, ait, ex vulgata loquendi conſuetudine, & primò, & principalitèr oſtendit miſtionem defferre à generatione, & miſcibile à generabili quià *generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto* eodem; at in mixtione elementorum ad conſtituendum mixtum remanet grauitas, & leuitas cuiuſcumque elementi, & mixtum ſequitur impulſum prædominantis, cùm refractione: remanent qualitates primæ elementorum: ergò mixtio non eſt generatio. Deindè probat defferre ab alteratione, quià alteratio eſt ſecùs paſſiones: at paſſiones vt albedo, caliditas &c. non ſunt ſeparabiles à ſubiecto; miſcibilia autèm ſupponuntur ſeparabilia: eodem enìm modo accipitur mixtio in natura à philoſopho, quo accipitur ſecundùm vulgatam loquendi conſuetudinem in artificialibus; at in artificialibus, quæ dicuntur miſceri, vt triticum, & hordeum; & aqua, ac vinum poſſunt rursùs ſegregari in priſtinam naturam:vt domus in ligna, & lapides, ità miſcibilia debent eſſe ſegregabilia. opponitur enim miſcibili ſegregabile; vt generabile corruptibili; at non dicitur, miſceri ignem ligno, vel lignum igni, nec nutrimentum corpori, quià nequeunt ſegregari, quo capite differet mixtio à nutritione, augmento,& alteratione. Differre etiàm ait,à compoſitione,quia in compoſitione,ſiuè ſenſibilitèr,ſiuè inſenſibilitèr partes ſunt iuxtà poſitæ,non autèm vnitæ.ſenſibilitèr in mixtione hordei,& tritici:inſéſibilitèr in mixtione farinæ hordei, & farinæ tritici, & aquæ,ac vini: in his enim ſenſu imperceptibilis eſt iuxtà poſitio; tamèn intellectui patet, non eſſe veram mixtionem:quià partes iſtæ minutiſſimæ aliqua arte ſunt ſeparabiles: vt filtro dicitur poſſe ſeparari aqua à vino, & magnete pollen chalibis a polline argenti, aut plumbi mixtum. at miſcibilia non ſunt ſeparabilia ab arte, ſed à natura: & quælibet pars mixti debet eſſe ità mixta, vt ſit homogenea. ſic patere, ait Ariſt., mixtionem eſſe mutationem diſtinctam à prædictis, ac exiſtere in rerum natura.

Qnomodò ſequatur Mixtio.

ALij dixerunt ſequi mixtionem partium minimarum ad ſenſum: alij etiàm minimarum ex natura. ad ſenſum minimæ partes permiſcentur gr. e. dùm aqua, & vinum permiſcentur; harum enim particulæ ad ſenſum non videntur poſſe excogitari minores; ex natura minimæ partes, quæ vocabantur per antonomaſiam athomę; quas opiniones reijecit Ariſt., quià hoc modo conſiderata rerum mixtio eſſet iuxta poſitio, & compoſitio, nec pareret homiomeriam; aut ſolùm permaneret præcedens: nihil ex hac mixtione nouum emergeret, quod neceſſarium iudicat Ariſt: ne fruſtrà concurrant miſcibilia. Explicando

itaquè modum, quo fiat mixtio per propriam ſententiam, ait primò, non omnia omnibus miſceri, veluti dixerat, non fieri omnia ex omnibus. Indè ſupponit, miſcibilia debere eſſe ex his, quæ inuicèm agunt, & patiuntur, pro eodem enim habet Ariſt. mixtionem, ac temperamentum; ideò non poteſt exceſſus, eius qualitatis modificari, & ad debitam temperiem reduci ſecundùm exigentiam formæ introducendæ, nisi hæc miſcibilia inuicèm agant, & patiantur: non vt ſe deſtruant, ſed vt hoc tale conſtituant temperamentum; quo conſtituto, ceſſat eorum actio inuicèm, & in obſequium formæ ſuperuenientis etiàm hæ contrariæ qualitates concurrunt ad eandem actionem ſuppoſiti à tali forma conſtituti. Prætereà dicta miſcibilia debent eſſe facilè terminabilia, vt ſunt, quæ vel humida ſunt, vel humido continuantur: humida ſunt aqua, & aer, humido autèm continuantur, quæ in minimas particulas diuiſa, ſeù ignis ſit, ſeù terra aere, aut aqua continuantur. vndè addit, nec partes magnas cùm paruis benè conuenire ad mixtionem perficiendam, nec magnas partes, cùm magnis: ſed tantùm paruas, cùm paruis. non paruas cùm magnis admodùm, quià paruæ admodùm abſorbentur in magnis, vt gutta aquæ concurrens cùm multo igne, aut multa portione terræ non exit in mixtum; quià vis aquæ impar eſt ad mixtionem; ideò, vt terra cùm aqua miſceatur, debet aratro imminui, & deteri; ſi verò magna pars cùm magna parte conueniat, nec facilè ſequitur mixtio: vndè lapides in medio flumine exiſtentes, & ſcopuli in lacubus non miſcentur, niſi in minimas partes conterantur. Debent etiam, quæ miſcentur coexiſtere: ideò non dicitur miſceri lignum igni, nec nutrimentum corpori. Prætereà, quæ miſcentur, per mixtionem debent aliquam pati alterationem; ideò non dicitur miſceri albedo, & corpus, quià in mixtione albedo remanet ſub eadem ratione albedinis, & corpus ſub eadem ratione corporis. Inſuper, quæ propriè miſcentur, debent eſſe ſeparabilia, & exiſtere in eadem materia: hoc eſt ſub eodem genere, vndè nec ceræ dicitur miſceri figura, quam recipiat etiam de nouo, nec animæ diſciplina, nec lineæ puncta: quæ etiàm debent eſſe ità ſeparabilia, vt in priſtinam naturam redeant, quandocumquè ſoluuntur: veluti, dùm mixtum reſoluitur in elementa, elementa reſtituuntur in priſtinam naturam, vt rursùs miſcibilia fiant, veluti in arte typographica ſoluuntur elementa, vt iterùm ad conſtruendam orationem poſſint conuenire. Exiſtunt autèm miſcibilia conſtituentia homiomeriam, hoc eſt ſimilitudinem partium, vt quælibet pars mixti, ſit mixta, ex quibus concludit *mixtionem eſſe miſcibilium alteratarum vnionem.*

Dicitur *enoſis* ſiuè *vnio*, ſiuè concurſus in vnum, nam ſiuè accipiatur vnum per continuationem, & indiuiſibilitatem, ſiuè per identitatem rationis, vt primo phyſ. T. 16. vtroque modo elementa in mixtione dicuntur vniri, ſiuè concurrere in naturam vnam, & rationem vnam, ſeù formam. At in præſenti non conſideratur terminus motus in hanc formam, quià eſſet generatio, ſed in huiuſmodi concurſum, quem poſtmodùm iuxtà diſpoſitionem tributam per craſim conſtitutam, & temperiem, ſequitur forma, & generatio. Numeramus enim tanquàm plura: aut, quæ non ſunt continua, aut quorum non eſt vna forma, aut ratio, ait Ariſt. 5. metaph. T. 11.

Dicitur *vnio miſcibilium*, quoniam non omnia, quorum eſt concurſus, ſunt miſcibilia: concurrunt quippè plures formalitates, & prædicata eſſentialia ad conſtituendam vnam

vnam ſpeciem, ſeù formam; tamèn hæc non dicuntur miſceri, nec vocantur miſcibilia: quoniàm id miſcibile dicitur, quod etiàm eſt ſegregabile: inuicèm enim opponuntur miſcibile, & ſegregabile; quarè non eſt miſcibile, quod non eſt ſegregabile: explicatur enim miſcibile per hanc relationem, quam habet ad ſegregabile; atque ità non committitur definitio vitioſa, vt ſcaliger exercit. 3. pronunciauit; & hoc præſertìm diſtinguitur mixtio à generatione, in quam concurrunt reſoluenda, & ex hoc miſcibilia; aliàs genere conuenit mixtio cùm generatione.

Demùm dicitur *vnio miſcibilium alteratorum*; quià, nisì hæc miſcibilia inducerent aliquam inuicèm alterationem, non eſſet eorum mixtis, ſed compoſitio. Aliæ formalitates, & prædicata eſſentialia concurrentia ad conſtitutionem vnius formæ nullam patiuntur alterationem, ſed integris formalitatibus in harmoniam vnius rationis conueniunt. At in miſcibilibus ſequitur alteratio; nàm ignis in mixto non ampliùs operatur, vt ignis, nec aqua, vt aqua; quippè ignis in ligno non deſtruit lignum, ſed conſeruat, & aliud generat, aqua paritèr in mixto non extinguit ignem, ſed defert, & fit illius vehiculum: ſic caliditas conuenit cùm frigiditate, & ſiccitas cùm humiditate, & alterum agit, alterum patitur non contrarietate aliqua, ſed conſenſu naturæ, quem excipiunt per alterationem, per quam elementa non corrumpuntur, ſed perficiuntur: ſunt enim ad hoc ordinata, vt in embrione ratio animalis eſt ordinata ad hominem.

Ex quibus patere poteſt miſceri tantùm ea, quæ antonomaſticè vocantur elementa, & prætèr elementa, quæ perennem habent naturam; & ad plures mutationes perſiſtentem, vt oleum, ſal, nitrum, & huiuſmodi, in quæ mixta ſoluuntur; hæc enim, quià concurrunt ad conſtitutionem mixti, & redeunt in priſtinam naturam diſſoluta; non per nouam generationem, qùm nihil tribuat effectum formalem in diſſolutione, nec ignis poteſt tribuere formam, quam non habet, ideò hæc omnia dicuntur miſcibilia.

Secundò patet hominis formam, licèt ſit ſeparabilis, dici tamèn informare, & non miſceri, quià per vnionem nec anima quicquam alteratur, nequè corpus phantaſticum, quod informat. vt in embrione ratio animalis eſt ordinata ad hominem.

Tertiò patet partes eſſentiales ſuppoſiti non miſceri, quià ſunt diuerſi generis, vt eſt materia, & forma, genus, & ſpecies; partes autèm integrantes non miſceri, quià non patiuntur alterationem vllam, & non concurrunt in vnam eſſentiam formalitèr, ſed relatiuè; namquè cor, cerebrum, hepar, caput, manus, pedes concurrunt ad conſtituendum vnum relatiuè, & non miſcentur, quià partes manent integræ, & impermutatæ; non permanent, dùm ſegregantur, quià caput ſeiunctum non eſt caput, nequè manus eſt manus, niſi æquiuocè, vt lapidea, & depicta.

Quartò patere poteſt: quandò Ariſt. aſſerit mixtionem fieri ex elementis indefinitè, qùm indefinita æquipolleant vniuerſali, intelligere ex omnibus; nulla enim poteſt fieri mixtio non concurrentibus omnibus elementis; qui verò negant ignem ex natura non poſſe deſcendere, nec terram, aut aquam aſcendere, reſpondendum eſt in bonum ſingulare ex natura ignem non deſcendere; deſcendere tamèn in bonum vniuerſale pro generatione mixtorum, in quibus non repugnat aquam, & terram aſcendere, vt manifeſtum eſt in plantis, quarum truncus adaugetur, & ſursùm fertur, quamuìs ex terra conſtet; & aqua; & in bonum vniuerſale ignis aſcendit ſub ratione

ignis,

ignis, ne terræ circumfuſus abſumat exceſſu qualitatis omnia mixta, quæ in terrarum ambitu reperiuntur.

Quinto patet cauſam mixti per ſe eſſe virtutem quandam ſublunaribus à Deo conceſſam, vt cunctis aliis orbibus, &, licèt ſinè controuerſia ab omni ſchola recentiorum aſſignetur Deus, de quo non eſt dubitandum: tamèn in effectu determinato ad hæc inferiora, non eſt recurrendum ad cauſam magis vniuerſalem ſinè euidenti neceſſitate; quæ neceſſitas non videtur vrgere: qùm valdè rationabile ſit à Deo virtutem his ſublunaribus conceſſam eſſe, vt cæteris orbibus, quæ proportione reſpondeat elemento ſtellarum; magis tamèn ſpecifica in viuentibus, communiter in non viuentibus; quæ virtus diſgregat, & congregat elementa, & quæ ex elementis componuntur vt oleum, ſalem, ſpiritum, oſſa, carnes, neruos, & in ſeminibus dicitur hæc virtus ab Ariſt. *ſpiritus artifex* congregat autèm iuxtà exigentiam formarum introducendarum. nec corrumpitur forma vlla elementi in generatione mixti: veluti non corrumpitur forma ligni, nec lapidis in conſtitutione domus; nec proptereà ſequitur plures formas ſubſtantiales permanere in eodem ſubiecto, vt paſsim in ſcholis obiicitur, quià in domo lapidis forma habet proprium ſubiectum, ligni forma proprium, forma domus proprium. in omnium concurſu forma conſtantium ſingularitèr propria. ſic elementa permanent in mixto, verùm in obſequium formæ ſuperuenientis exuunt qualitates repugnantes formæ ſuperuenienti, & retinent conducentes: nec dicuntur corrumpi, ſed perfici, quià ſimplicia in hanc perfectiorem naturam ordinata ſunt, vt miſceantur; & mixta vt animentur, qùm omnia corpora naturalia ſint animæ, hoc eſt huius virtutis inſtrumenta ex Ariſt. 2. de anima T. 37. Nequè ideò ceſſat conditio ab Ariſt. tradita mixto: videlicèt quamlibet partem mixti debere eſſe mixtam, quià elementa in mixto habent rationem materiæ, non partis; ideò mixtum ſeruatur homogeneum. qùm verò deuenerimus, diuidendo, ad minimam mixti partem; hæc minima pars mixti, ſi reſoluatur, diuidetur in elementa, quæ non ampliùs habent rationem partis, ſed materiæ; materia autèm non eſt pars mixti; ſi eadem eſt ratio totius, & partis. ideoquè (vt in ſilice eſt manifeſtum) ſi mixtum aliquod, vt lapis vi aliqua vehementèr diſſoluatur, ità vt in minimas partes diuidatur, vltrà quas non poſſit conſiſtere forma mixti, illud mixtum ſoluitur in elementa, intèr quæ ignis, vt maximæ actiuitatis, fruſtulis adhùc inhærens manifeſtatur; & certum eſt, nullam adeſſe cauſam efficientem, quæ tradere poſſit, & communicare effectum formalem ignis; ergò ignis erat formalitèr in eo mixto, in quo elementa tantùm ab Ariſt: dicuntur alterata, & de proximo explicauerat Ariſt: quid ſit alterari, & quid generari, & corrumpi. Iure nihilominùs dubitat omnium philoſophorum conſenſus, quomodò formæ elementorum maneant in mixto quià operatio indicat formam, & ignis in mixto non vrit, nec leuitatem vllam habet, imò ligna, quæ plùs ignis in ſe habent, grauiora ſunt; nec, niſi redacto igne ad actum ex potentia, leuantur. At, ſi hæc virtus conceditur, quæ igne vtatur in ſublunaribus, veluti vtitur artifex; à qua ignis diſſoluens aliàs, vbi oportuerit, in mixti generatione fit vnio, etiàm ſub ignis nomine: vt ex Ariſt. patet ſecundo de plantis cap. primo: & idem ignis facultate diſſoluente præditus, in locum determinatum aſcendit velociſſimè; ne, quæ ſeruanda ſunt, diſſoluat; dùm verò generationi debet præeſſe, etiàm aquam penetrat, & me-

dium

dium mare peruadit in generationem piſcium, quos inſipidos, ex ſale ipſo eligit; nec loci, aut materiæ præſentis iuribus obligatur, quandò non operatur. Hinc ſequitur virtutes elementorum non permanere formalitèr in mixto; hoc eſt emergere ex his tertium temperamentum, quo forma adueniens, & natura operatur diuerſa ratione ab operatione præcedentis formæ; & tamèn modo, quo permanent formæ elementorum; nempè iuxtà proprias virtutes remanent etiàm qualitates, tanquàm elementorum proprietates, quæ ea conſequuntur; quarum tamèn actio reguletur a fine, & cauſalitate ipſius, & ità intellexiſſe, rationabile eſt, Ariſtotelem, dùm ait *remanere elementorum virtutes*; diximus enim, ipſa elementa perfici, non corrumpi; ſed, veluti diuerſa ſpecies eſt hominis, & embrionis, dùm viuit vitam animalis; ità diuerſa ſpecies eſt elementi ſimplicis, & ſinè forma mixti exiſtentis; virtus tamèn elementorum eſt, extrà formam mixti diſſoluere: ſub forma mixti operari iuxtà exigentiam formæ illius. ſic virtus eorum ſempèr permanet eadem: licèt in diuerſo ſubiecto diuerſas habeat operationes. veluti ignis idem lutum durat, & ceram mollit eodem calore; & malleator eodem malleo lenit, & exaſperat. Formalitèr dici debent remanere qualitates, & virtus miſcibilium, quæ naturæ opere non miſcentur, & tamèn videntur tertiam ſpeciem liquoris conſtituere; vt, dùm miſcentur vinum, & aqua; oleum oliuæ, & oleum nucis; hæc enim corpora, licèt appareant mixta, & in tertiam liquoris naturam, ſaltèm ignis vi, & diuturnitate mixtionis; tamèn propriè mixta non ſunt: quippe vera mixtio eſt à natura, & virtute ſuprapoſita, quæ vi agentis æterni, & validi rerum naturas conuertit, & mixti iuxtà exigentiam ordinis, & ornatus vniuerſi. quod ait Ariſt. de gutta vini fuſa in decem mille congios aquæ, quæ propriam formam ammittat, non conſequentèr aſſerit, ex his ambobus liquoribus tertiam naturam mixti generari; ſed tantùm in aquam conuerti ipſum vinum. quod etiam intelligere oportet, quoad ſenſum; nàm aliàs vinum corrumpitur quidem, ſed ex eius ſpiritu animalcula gignuntur, quæ aquæ innatantia conſpiciuntur orta ex putri poſt vini corruptionem, non poſt mixtionem apparentem, per quam forma vini conſeruatur, donèc corrumpatur. Ariſt. autem dixit guttam vini in plures congios aquæ fuſam conuerti in aquam, quia in omni ſua tractatione proſequitur ſenſum, & non concludit niſi ea, quæ plauſibilia, & manifeſta ſunt.

DE GENERATIONE, & corruptione.

LIBER SECVNDVS.

De principio materiali generationis elementorum.

Determinata in fine præcedentis libri definitione mixtionis, de qua egerat ad explicandam naturam, & rationem generationis, redit ad ipſam generationem, eorum primò, quæ miſcibilia appellauit, nempè elementorum: quorum generationem antequàm patefaciat, differit de principio eius; & primùm, more peripatetico ſibi propoſito, aliorum opiniones circà hoc principium materiale, ex quibus intendit propriam elicere. Ex antiquis itàque, ait Ariſt., alii fuere, qui vnum tantùm cenſent eſſe principium: alij duo, alij tria, alij quatuor. Qui dicebant vnum eſſe principium, alij dixere eſſe aerem, alij ignem, alij medium quoddam ſeparabile ab ambobus. Qui dicebant eſſe duo elementa, numerabant ignem, & terram. Qui tria ignem, terram, & aerem; Qui quatuor ignem, aquam, aerem, & terram, vt traditur Empedocli, qui tamèn, ſequi rerum generationem, & corruptionem, aſſerebant iuxtà horum congregationem, aut ſegregationem, vel alterationem aliquam, vt ex ſententia Platonis hæc communis materia tranſmutaretur in varias rerum eſſentias, eadem ſemper permanens, veluti aurum tranſmutatur in varias figuras ſempèr tamèn aurum permanens: itaut de quacumque re poſſet hæc materia prædicari in recto; dicendo, hoc eſt elementum: vt prædicatur in recto aurum de qualibet figura aurea, quæ poteſt dici; hæc eſt aurum.

Refellit eorum opinionem Ariſt. qui dicerent, vnum eſſe omnium principium ſeparabile ab his vocatis elementis, quià illi videtur impoſſibile, iſtud corpus non eſſe præditum contrarijs qualitatibus, quas traderet, & transfunderet his, quæ generarentur ex eo; & paritèr non eſſe graue, aut leue; Idem corpus ſimùl eſſe calidum, & frigidum, & graue, & leue eſt inconueniens. Ideò magis laudat Ariſt: opinionem Empedoclis ſtatuentis quatuor elemen-

menta ignem, aerem, aquam, & terram pro ſubiecto omnium compoſitionum. In hoc tamen non conuenit, quià Empedocles hæc elementa per congregationem tantùm, & ſegregationem producere generabile corpus, & corruptibile: negando tranſmutationem ſubſtantialem. Ex his omnibus opinionibus propriam ſtatuit Ariſt. hoc commune ſubiectum, ex quo omnia gignuntur eſſe vnum tantùm, quod appellat materiam; ſed hanc ait non eſſe ſeparabilem ab his quatuor elementis vocatis; ſed commune omnium ſubiectum capax contrariarum qualitatum per indifferentiam, non per ſuam proprietatem: ad quam ſententiam confirmandam nihil pronunciat contrà eos, qui dixerant eſſe vnum aerem, aut vnum ignem, aut duo ignem, & terram, aut tria ignem, terram, & aquam aut quatuor vt Empedocles; quià proptèr rerum inuicèm tranſmutationem quæcumque ex his opinionibus poteſt reduci ad rectam, nàm dici poteſt hoc vnum ſubiectum aer, quippè, ſi elementa inuicèm tranſmutari dicuntur, hoc ſubiectum commune ſub forma aeris in perpetua tranſmutatione totum, diuerſo ſaltèm tempore inuenietur, & idem dicendum eſt de igne, & de igne, & terra, & cæteris propoſitis elementis. recipit etiam ex parte opinionem ponentium medium quoddam, ſed hac conditione, ne ſtatuatur ſeparabile a dictis elementis propter rationes à ſe adductas. Sed præ cæteris habet ſententiam Empedoclis, dummodò admittat eam tranſmutationem, quæ in rebus obſeruatur paſsim, non eſſe per ſimplicem congregationem, & diſgregationem, nequè per alterationem iuxtà ſenſum a ſe poſitum in præcedentibus, ſed dicatur eſſe tranſmutationem ſubſtantialem per effectus formales, a proprijs cauſis procedentibus. Et quoniam moris eſſe peripaticorum diximus, ex omnium ſententijs vnam rationem veritatis abſtrahere, per quam conueniant, ideò etiam ex Platonis ſententia aliquid veritatis incluſum elicit, dùm ait Plato hanc materiam in natura eſſe, veluti in artificialibus aurum gr. c., ex quo ſupponatur omnia fieri. licet enim alia figura ſit circulus, alia triangulus, alia quadrangulus: tamèn omnis figura erit ex auro, & omnium de ea predicari poterit in recto dicendo hic triangulus eſt aurum: ità dici poteſt ignis eſt materia, terra eſt materia, planta eſt materia, tamen ità limitandam eſſe, ait, ſimilitudinem Platonis, quià dùm tranſmutatur aurum in varias figuras, eius tranſmutatio eſt accidentalis, at huius materiæ tranſmutatio in generatione eſt ſubſtantialis, & talem non credidiſſe Platonem, quià inquit, *vt aurum prædicatur in recto de quacumque figura, ſic quodcumque compoſitum prædicari de hoc principio materiali*, quod ex ſententia Ariſt. falſum eſt, quià hoc principium materiale non poteſt prædicari, niſi in obliquo de quocumque compoſito; nàm dicere poſſumus, hoc eſt materiale: non autem hoc eſt materia, hæc enim materia communis tàm elementorum, quàm cuiuſcumq; compoſiti nunquàm reperitur ſinè aliqua forma aut elementi, aut mixti: & pari modo credendus eſt Plato accepiſſe hanc communem materiam, & propoſuiſſe exempla, prædicando in recto, pro eo quod eſt in obliquo, dùm enim dicitur hæc figura eſt aurum, iam clarè accipitur aurum poni pro eo, quod eſt aureum, vt aliàs ſæpè pronunciauit Plato: Palladis oculos eſſe ex auro, & aureos, non autèm aurum.

De Principio formali Elementorum.

DIximus mixtum ab Ariſt: accipi ſæpe pro temperamento; ideò hoc loco ſtatuitur principium formale elementorum; ex quibus componitur mixtum, ponuntur quatuor primæ qualitates, quæ per tactum diſtinguuntur. Non enim hoc loco conſiderantur elementa, prout ſunt abſolutè corpora naturalia, in qua conſideratione primæ qualitates conſiderarentur in eis vt accidentia, non autèm, vt formæ; ſed, quià Ariſt: accipit in his libris pro temperamento, meritò pro miſcibili accipit primas qualitates, quæ proptereà T. 7. & 16. huius primi libri indifferentèr dicuntur elementa, & formæ elementorum; quià elementa non ſunt ſenſibilia, nisi per huiuſmodi qualitates; & operantur per temperamentum ab his procedens. Merito etiàm formale principium elementorum hoc loco ſtatuuntur qualitates tangibiles: quià conſiderantur elementa, vt generationi, & corruptioni obnoxia. ſic ſecundùm magis defectuoſam illorum naturam; quandoquidèm *ex defectu oritur, vt fiat tranſitus*: ideò in hoc ſtatu meliùs comprehendi poterunt per ſenſus minùs nobiles; vt eſt tactus reſpectu habito ad viſum; nàm per ſenſum viſus colores tantùm iudicamus, & opacitatem, ac pelluciditatem, ex quibus differentijs non comprǽhenditur generatio, & corruptio, qùm aer pelluceat, & ſub ratione aeris, & ſi in ignem conuertatur. non enim per viſum recipiuntur qualitates actiuæ, & paſſiuæ, prout debent conſiderari in ordine ad generationem, & corruptionem, de qua inſtitutum eſt agere in his libris.

Sunt autèm huiuſmodi qualitates ſtatutæ pro principio formali elementorum quatuor; nempè calor, frigus, humiditas, & ſicitas. Aliæ enim qualitates tangibiles competentes corporibus elementaribus vel non ſunt verè tangibiles, ſed apparentèr; vel reducuntur ad has quatuor primas. Intèr alias qualitates tangibiles numeratur grauitas, & leuitas: durities, & mollities; lubricitas, & ariditas: aſperitas, & leuitas: craſſities, & tenuitas. Intèr quas primæ, nempè leuitas, & grauitas numerantur ab Ariſt: intèr qualitates tangibiles, qùm propriè tangibiles non ſint, & ideò ab Ariſt: dicuntur, non eſſe actiuas, ac paſſiuas inuicèm; & vim, quam faciunt, eſt, quatenùs in proprium locum tendunt: vbi qum ſint, non ampliùs eam vim inferunt, imò non grauitant, nequè leuitant, at primæ qualitates non ſecùs competunt corporibus, quibus inſunt, ſi in proprium lata ſint locum, quàm ſi extrà ſint. vndè ignis etiàm, imò magis, calefacit in proprio loco exiſtens. cæteræ autèm qualitates tangibiles ad has primas enarratas reducuntur, & idcircò dicuntur ſecundæ qualitates, præſertim redigibiles ad paſſiuas: nempè ad humiditatem, & ſiccitatem. Ad humiditatem quidèm mollities, lubricitas, læuitas, & tenuitas: ad ſiccitatem durities, ariditas, aſperitas, & craſſities; vt patet conſideranti; iſtæ enim ſecundæ qualitates eatenùs actiuæ, & paſſiuæ ſunt; quatenùs ad humiditatem, aut ſiccitatem accedunt; non ad caliditatem, aut frigiditatem: nisi fortaſsè tanquàm effectus. & hinc patere poteſt, quomodò & quamobrèm caliditas, & frigiditas dicantur ab Ariſt. qualitates actiuæ: & humiditas, & ſiccitas qualitates paſſiuæ; non quià hæc non agant, aut minùs agant; ſed quià calor, & frigus conſtituunt temperamentum, quo mixtum

túm agit per principium intrinſecum; & humiditas, & ſiccitas conſtituunt temperamentum, quo mixtum patitur intrinſecè; aut ſi per ſecundas qualitates agit, agit tantùm extrinſecè, vt ſuprà declaratum eſt; nempè vt, veluti actiuitas propria eſt caliditatis, & frigus tribuit modum illi, vt accepto temperamento congruè agat. ſic paſſibilitas propria eſt humiditatis, & ſiccitas tribuit paſſioni modum, quo congruè patiatur, & aptam ſuppoſiti conſtitutionem determinet.

Quòd autèm modo narrato caliditas, & frigiditas ſint qualitates actiuæ, & humiditas, & ſiccitas paſſiuæ, patere poteſt ex eorum definitionibus ab Ariſt. propoſitis. *Calor dicitur, quod congregat homogenea, & ſegregat ethereogenea. Frigus, quod congregat etherogenea, & homogenea.* congregare autèm, & ſegregare eſt agere: indè patet, has qualitates eſſe actiuas; imò non alia ratione poſſe definiri, niſi per earum actiones, & effectus. *Humiditas verò eſt, qua res proprio termino non terminatur, ſed alieno.* Siccitas eſt; *qua res proprio termino terminantur, & non alieno*; at terminari, aut non terminari non ſunt agentis, ſed ſunt patientis, in quod agentis actio terminatur. Qùm igitùr calor, frigus, humiditas, & ſiccitas ſint primæ formæ, ex quibus componuntur mixta, ſeu temperamenta, & ad has omnes, quæ vocantur ſecundæ reducuntur: hæ formæ erunt elementorum, & ipſa elementa, ex quibus omnia fiunt, & in quæ omnia reſoluuntur aqua. ignis, aer, & terra. ità enim circumſcribuntur ab Ariſt. elementa 3. cæli T. 31. & magìs genericè, ſed in eundem ſenſum 5. metaph. Tex. 4. vbi includit etiam ea, quæ metaphoricè dicuntur componere, aut per rationem, aut per artem; per artem vt dùm literæ dicuntur elementa orationis, & ſyllabarum: per rationem, & metaphoricè prima principia elementa demonſtrationis, & materia, & forma elementa rerum, reſtat tamen elementa rigorosè deſcribi 3. cæli, & eorum ſimplicitas probata hoc loco per quatuor poſſibiles combinationes primarum qualitatum. Sex enim habentur tantùm combinationes eorum. nempè caliditas, & frigiditas: humiditas, & ſiccitas: caliditas & humiditas: caliditas, & ſiccitas; frigiditas; & humiditas; frigiditas, & ſiccitas. At caliditas, & frigiditas: humiditas, & ſiccitas in eodem ſubiecto ſimplici, & homogeneo abſolutè eſſe non poſſunt, qùm ſint contrariæ qualitates, quibus repugnat ſimùl eſſe in eodem ſubiecto ſimplici: & tantùm admittuntur in compoſito, & mixto, vt contraria qualitas iuxtà poſita contrariæ illi tribuat modum in mixtorum operationibus. Dixi non poſſe eſſe in ſubiecto homogeneo abſolutè, quià hæ combinationes etiam contrariarum qualitatum obſeruantur in ſubiecto homogeneo reſpectiuè, vt eſt lignum, os, caro, & ſimilia, quæ dicuntur homogenea reſpectiuè ad vniuerſam plantam, & membra, quæ conſtant ex neruo, oſſe, & carne. aliàs tamèn abſolutè homogenea non ſunt, niſi vocata elementa, quæ ne quidèm pura dari omninò conceditur ab omnibus philoſophantibus, ità vt etiàm Hipp. de nat. p. T. 23. dixerit omnigenum eſſe in terra, & Anaxagoras hæc vocata elementa ſeminarium eſſe omnium, quæ mixta appellantur protulerit. Supereſt ergò, vt ſola combinatio caloris, & humiditatis: caloris, & ſiccitatis, frigoris, ex humiditatis: frigoris, & ſiccitatis concedi poſſit: quæ propterea quatuor ſimplicia corpora ſeorsim pro ſubiecto haberent. Ignis caliditatis, & ſiccitatis. Aer caliditatis, & humiditatis. Aqua frigiditatis, & humiditatis. Terra frigiditatis, & ſiccitatis.

Dubitationes emergentes circà ea, quæ dicta ſunt in definitionibus. quomodò calor, & frigus dicantur elementaria.

ET primò dubitatur, dùm principium formale elementi ſtatuitur qualitas: quià Ariſt. naturam eſſe ait ſimplicia corpora, vt ignis, aer &c. ac T. 3 protulit naturam eſſe principium motus &c. ac T. 4. ait, quæ habent huiuſmodi principium eſſe ſubſtantias. Ergò principium formale elementi non poteſt eſſe qualitas, ſed ſubſtantia.

Reſpondetur efficacitèr à nonnullis, elementa duobus modis poſſe conſiderari, vel prout ſunt corpora naturalia, vel prout ſunt elementa mixtorum. primò modo conſiderata habent proprias formas ſubſtantiales diuerſas ab his qualitatibus, per quas generant ſibi ſimile: non recipiunt intentionem, nec remiſſionem: nec habent contrarium, prout de ratione ſubſtantiæ eſt: nequè hæ ſunt ſenſibiles. at ſecundo modo conſiderata elementa, quoniàm mixtum etiàm dicitur ab Ariſt. temperamentum, habent has qualitates pro formis ſubſtantialibus; quià neque alias differentias notas habent & eorum operatio nullam aliam formam indicat: velutì enim ex ſententia Ariſt. ſecundo de Anima: ſi dolabra eſſet corpus naturale, ſectio eſſet illius forma ſubſtantialis; &, ſi oculus eſſet animal, eius forma; & quod quid erat eſſe, eſſet viſio, quamuis viſio, & ſectio ſint accidentia aſſignanda in prædicamento actionis, ità elementa, prout à natura conſtituta ſunt ad mixtorum generationem, quæ operantur per temperamenta mixtà, dicuntur habere pro principio formali has primas qualitates tanquàm formas ſubſtantiales ex Gal. primo de vſu partium, et 2. de elementis, & ab Ariſt. hoc ſecundo libro de generatione dicuntur principia elementorum, & differentiæ, & quod conſtituant elementa: non quòd verè conſtituant elementum; ſed quià forma elementi, vt quæque alia forma non eſt per ſe actiua; ideò neceſſario operatur per has qualitates, quæ ſenſibiles ſunt, & generationis progreſſum prodeunt. licèt terminus generationis non habeatur ab his qualitatibus; ſed à forma ſubſtantiali, vt eſt facere ſibi ſimile; ignis enim per calorem operatur; ſed per ſubſtantialem formam ignem generat, & non calefacit; nequè per hanc formam ſubſtantialem ignis contrariatur aquæ, ſed per illas accidentales contingit ſubſtantiam ſubſtantiæ contrariam eſſe, vt Ariſt. admonet lib. 2. de generat. & corrupt. T. 59. non enim per ſe, & per propriam formam ſubſtantialem conuenit ignem eſſe contrarium aquæ, vt ſuprà tactum, ſed per qualitates, quæ conſequuntur formas. imò definitio contrariorum non conuenit igni, & aquæ, vt nonnulli contendunt; nam contraria ſunt, quæ in eodem genere maximè diſtant, & in eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt: at formæ ſubſtantiales aquæ, & ignis, aut aeris, & terræ non diſtant, niſi per qualitates proprias, nec ſe mutuo expellunt, niſi ſub communi ratione formæ, &, vt aiunt, proptèr incompoſsibilitatem: quod nè quidèm nouimus, an ſit proſequi, vel expellere. imò, nec per qualitates ſe mutuo expellunt, ſed perficiuntur inuicèm temperamento, vt ſuprà explicatum eſt: quaproptèr non contrariantur elementa, nec per formas ſobſtantiales, nec per accidentales; ſaltèm in conſideratio-

ſione; quæ habentur in his libris di-recta ad conſtitutionem mixti, ſeù temperamenti; vndè in ſimplici cor-pore, vt Aqua, & aer &c. ſi ſimplex daretur, non poſſent ſtare contra-riæ qualitates nèc in gradu remiſſo; nec intenſo, quià repugnat abſolutè vnum contrarium eſſe, vbì eſt aliud; &, ſi ſimul ſtare poſſent, quod nul-la ratione conceditur, ſimùl paritèr permanere poſſent in gradu intenſo, proptèr inefficaciam vtriuſque ad expellendum contrarium. non enim par eſſet ratio, cur potiùs calor fri-gus expelleret, quàm frigus calorem, qùm vtræque ſint qualitates actiuæ, & vtræque ſupponuntur in pari gra-du actiuitatis. ſi itàque non poſſunt contrariæ qualitates eſſe ſimul in gradu intenſo propter incapacita-tem ſubiecti: multò minùs poterunt eſſe ſimul in gradu remiſſo, nam qualitas ſuperior inferiorem expel-leret; &, ſi daretur certa æqualitas, quam vocant ad pondus, conſtitue-rent temperamentum adeò æquale, vt ex eo nulla poſſet dari actio, ne-què calefaciendi; neque refrige-randi: quod temperamentum repu-gnat dari in natura, quià eſſet fru-ſtrà: qùm non poſſit vlla ratione operari. In ſubiecto autèm mixto, in quo elementa diximus ſeruari in-corrupta, & concurrere ad mixti conſtitutionem: contrariæ qualita-tes permanent in gradu remiſſo, quo ad exigentiam mixti, & prout ſunt inſtrumenta formæ illius, & prout ſubiectantur in elemento, per-manent in mixto in gradu intenſo: operantur autèm remiſsè in mixto, proptèr minorem molem miſcibi-lium, veluti euenit in coloribus, qui-bus corpus coloratum magis, aut minùs apparet, vt magis, aut minùs album; quo plùs, aut minùs cæruſ-ſæ admixtum fuerit. licèt albedo cæ-ruſſæ, ſi ſeparari poſſet, à ceteris coloribus, a quibus refrangitur, ſemper in eodem gradu albedinis remaneret, & de facto remanet e-tiam admixta, licèt eius albedo pro-ptèr mixtionem contrariorum colo-rum non appareat; ex quo colligi-tur eandem eſſe rationem qualita-tum actiuarum, vt caloris, & fri-goris, & non actiuarum, vt albe-dinis, & nigredinis; & colligitur ab igne aquam non calefieri, ſed vapo-rem aquæ immixtum, qui ad tactum percipitur calidus: cuius vaporis qùm minùs ſit in fundo lebetis minùs etiàm ibi percipitur caloris, licèt ſit pars igni proximior: & proptèr hanc cauſam expirante hoc vapore, aquæ frigiditas tactui rursùs fit manife-ſta, non quià aqua per propriam for-mam ſe reſtituat in propriam frigi-ditatem, ſed quià vapor ille expiret ab igne alteratus.

Quomodo qualitates ſecundæ procedant à primis.

Dubitatur inſupèr, dùm qualitates ſecundæ dicun-tur procedere a primis; nam, ſi procederent à primis, ma-ximè deberent procedere ab actiuis, vt à calore, & frigore. ſed ab his non procedunt, ergò abſolutè non procedunt a primis: maior patet, quià calor, & frigus ſunt qualitates actiuæ, aut magis actiuæ: ideò ra-tionabilitèr omnes effectus, qui di-cuntur procedere à qualitatibus, aut ſaltem plurimi debent ab his procedere. Minor apparet, quià omnes narratæ qualitates ſecundæ reducuntur ad humiditatem, & ſic-citatem; quæ non ſunt qualitates actiuæ. idcircò, licèt ad has re-ducantur, non poſſunt ab his pro-cedere.

Reſpondetur in his qualitatibus ſecundis poſſe conſiderari cauſam efficientem, & cauſam formalem, quo ad cauſam efficientem dicuntur pen-

pendere à primis qualitatibus actiuis, quo ad cauſam formalem pendere à primis qualitatibus paſſiuis. ſic vera manet ſententia, quæcumque cauſalitas in his conſideretur, pendere à primis qualitatibus. Probatur prima pars, nam grauitas, & leuitas pendet à primis qualitatibus actiuis: vtpotè leuitas à calore, & grauitas à frigore tanquam à cauſis efficientibus: nàm caloris eſt rarefacere, frigoris condenſare; quæ rareſiunt, vt ſuæ raritati proportionatum locum quærant debent maiores circulos, qui à centro remotiores ſunt, quærere, & hoc eſt leuitare: nempè à centro eleuari, & ſursùm ferri. Quæ verò denſantur oppoſito modo procedunt. Durities, & mollities paritèr aut ambæ, aut alterutræ à calore, aut frigore procedunt. Mollities à calore rarefaciente homogenea, & ab eodem calore durities per rarèfactione attollitur, tenuè quod eſt, & remanet durum; primo modo mollitur cera: ſecundo ducatur lutum. A frigore verò durities ſempèr procedit: niſi ex accidenti etiàm frigore vapor denſetur in aquam, a qua terra mollior fiat. Lubricitas, & ariditas penè eadem ratione ſuccedunt; nam calore ſal areſcit, & oleum fit lubricum; frigore verò non niſi ariditas, aut nulla ex his qualitatibus oritur. Aſperitas duritiem ſequitur, & ariditatem, læuitas duritiem, & lubricitatem. ideò à quibus iſtæ qualitates pendent, illæ quoquè pendere credi debent. & eodem modo philoſophandum eſt de craſſitie, & tenuitate, frigus enim denſando craſſius reddit, & calor rarefaciendo tenuius. Probatur ſecundo loco quò ad cauſam formalem pendere, ſeù potiùs ſequi ſecundas qualitates primas, ſed paſſiuas; quià durities ſequitur ſiccitatem: mollities humiditatem, & earundem formarum participatio in his eſt; ita lubricitas, æuitas, & tenuitas ex participata humiditate; ariditas, aſperitas, & craſſities ex participata humiditate. qua de re ambigent multi circà aſperitatem, & læuitatem, quas ambas qualitates à ſiccitate prodire arbitrantur ex eo decepti, quià læuitatem cùm duritie iunctam conſiderant; quòd ſi ſeorsìm, & ab ea præſcindendo, conſiderarent aſperitatem à ſiccitate procedere, læuitatem ab humiditate; dicerēt namquè vtraque qualitas conſideratur in ſuperficie corporis, in quo lęui nullus terminus proprius eſt; quanquàm ſit in profunditate. in corpore autèm aſpero eſt in ſuperficie aliquid proprio termino terminatum, nec facile cedens alieno.

Quomodo calor, & frigus dicantur actiuæ ſiccitas, & humiditas paſſiuæ.

Dubitationem etiàm habet, quod relatum ſuperiùs eſt: calorem, & frigus qualitates eſſe vocatas ab Ariſt. 2. de ortu, & intentu, & 4. meteor. actiuas; & humiditatem, & ſiccitatem paſſiuas: quià calor, & frigus conſtituunt temperamentum actiuum, & humiditas, & ſiccitas paſſiuum. illæ ſpectant ad principium formale, hæc ad materiale: cuius ratio eſt pati; quæ res diuerſo modo videtur accepta in ſcholis; quod videlicèt calor, & frigus agant, humiditas, & ſiccitas nihil vnquàm agant, At Ariſt. paſsìm ait, contraria agere in contrarium, & pati ab eo; quod conuenit non ſolùm calori, & frigori, ſed etiàm humiditati, & ſiccitati. ſiquidèm omnes ſunt contrariæ qualitates, & idcircò omnes eſſent dicendæ actiuæ: & omnes paſ-

paſſiuæ. Item elementa ſimbolica, quæ patiuntur, & agunt inuicèm, ſecundùm vnam tantùm qualitatem non omnia agunt inuicèm per actiuas; ſed per paſſiuas; vt aer, & ignis inuicèm agunt, & patiuntur, & non per communem caliditatem, ergò per humiditatem aeris, & ignis ſiccitatem; ſit humiditas, & ſiccitas non ſecùs eſſent actiuæ qualitates. Neque ſoluunt difficultatem hanc, qui dicunt, Ariſt. vocare has paſſiuas, quià minùs agant, nàm magis, & minùs non faciunt differre ſpecies, & multo minus genera ſuprema, vt eſt actio, & paſſio, a quibus hæ qualitates denominantur ab Ariſt. actiuæ, & paſſiuæ: ac paritèr, qui dicunt, has qualitates primas in elementis conſideratas, in ſimplicibus eſſe omnes actiuas, & omnes paſſiuas. in mixtis verò duas actiuas, & duas paſſiuas; nam hæ qualitates in elementis ſunt, & conſiderantur in gratiam mixti: quod mouetur ſecundùm prædominans, & conſeruat virtutes elementorum ex Ariſt. quarè eadem erit ratio qualitatum in ſimplicibus, & in mixtis, & omnium quæritur actio vniuoca; quod, ſi quæreretur æquiuoca, per quam ſecundæ qualitates producuntur, tribueretur actio præſertim humiditati, & ſiccitati, ad quas reduci omnes qualitates ſecundas ſuperiùs oſtenſum eſt. meliùs igitùr, & faciliùs ſolui videtur contradictio, dicendo calorem, & frigus dici actiuas qualitates, quà conſtituunt formale mixti, & temperamentum agens; humiditas verò, & ſiccitas conſtituunt materiale mixti, quo recipit formale, nàm aliàs humiditas, & ſiccitas inuicèm agunt, vt caliditas, & frigiditas; & non ſecùs ſunt inuicèm actiuæ, & paſſiuæ, vt protulit alias Ariſt. *Non eſt neque ipſum pati ſimplex*, aliud imperfectius, loquendo de actione contrarietatis, deſtructiuæ: non autèm de actione concurrentium; & perfectiuæ, de qua agit in præſenti: dum dicit calorem, & frigus actiuas qualitates, & primo meteorol. T. 4. ait actiuas agere in paſſiuas, in hunc ſenſum, quià formalis eſt agere, & materialis pati, quod conſtituunt humiditas, & ſiccitas. ſi enim propriæ ageret calor in humidum, aut frigus in ſiccum, aut calidum in ſiccum, hæ ſecundæ qualitates in ſimplicibus elementis illicò deſtruerentur; nàm calor ignis ſiccitatem deſtruerent: calor aeris humiditatem &c. nec videtur ratio quarè in mixto ex coniunctis qualitatibus id competat, & non ſimplicibus.

Quæ nam ſit ratio definitionum qualitatum Ab Ariſt. traditarum.

ANtequàm ratio definitionum traditarum confirmetur, non nulla dubià contrà veritatem eorum emergentia ſunt ſoluenda; & primò, dùm dicitur calor id, quod ſegregat etherogenea; quippè in medicina multa componuntur pinguia, & arida caloris vi, & plerumquè indiſſolubilitèr congregantur; ac, dùm mittitur ſanguis, humores, qui in venis permixti erant, & calore congregabantur, extrà venas calore deſtituti, & frigore concreti ſegregantur, vndè patent effectus contrarij his, quæ definitionibus caloris, & frigoris traduntur; nam calore etherogenea congregantur, & frigore ſecernuntur. Non tamèn ex his traditæ definitiones ab Ariſt. infirmantur, quià traduntur, & contrahentur per effectus eis per ſe competentes; qui ſunt præcisè caloris ſegregare, frigo-

goris congregare. ſic calor omnia ſegregat, frigus omnia congregat; &, ſi Ariſt. addit, calore ſegregari etherogenea, & congregari homogenea, eſt pro explicanda maiori caloris efficacia in ſegregatione; quod patefiat repetendo, quæ ſuperiùs tradita ſunt: videlicèt homogeneum nihil eſſe abſolutè in ſublunaribus; itaut nè quidem elementa pura credantur, & impermixta; quæ autèm homogenea dicuntur in mixtis ſunt reſpectiuè homogenea, facta comparatione ad ea, quæ ſunt diuerſæ naturæ ad ſenſum. ſic vinum, oleum, cera dicuntur corpora homogenea: quamuis impura ſint, & perpetuo depurentur; ità neruus, os, caro dicuntur homogenea corpora, reſpectiuè ad muſculos, & membra, quæ conſtant ex oſſe, carne, & neruo. Qùm igitùr in ſublunaribus nihil ſit homogeneum abſolutè; & calor abſolutè ſegreget omnia: ſequitur ſegregando diſiungantur ea, quæ etherogenea apparent, & congregentur ea, quæ apparent homogenea. qùm enim ea, quæ apparent homogenea, abſolutè homogenea non ſint: dùm vi caloris in his ſegregantur partes etiam circonſpectiuè etherogeneæ, ſequitur ex accidenti, vt partes remanentes magis ſimilares congregentur, & propterea calor dicitur ſegregare etherogenea, & congregare homogenea. Experimentum traditum ex medicina, negatur, quo dicitur caloris vi pinguia, & arida congregari, nàm hæc omnia caloris vi eſtenuantur, & rarefiunt, & hoc modo ſegregantur; ſequitur autèm ex accidenti, ea corpora eſtenuata magis penetrari: Et itàut poſtmodùm frigore concreta magis, e conſequentèr tenaciùs vniantur. Ideo Ariſt. vt in definitione caloris tradat effectum, & qui ſequitur per ſe, & ſequitur per accidens, ait eſſe quod ſegregat etherogenea: hoc eſt omnia, & congregat homogenea.

In exemplo tradito de frigore, quo apparent ſegregari ethærogenea, quæ vi caloris vnita permanebant intrà venas, hæc latet æquiuocatio, quod intrà venas humores extrà ſegregati conſtituunt ſanguinem, & ſic corpus homogeneum, quale in ſublunaribus dari poteſt, in quo illi tantùm ſunt in potentia non actu. itàquè extrà venas hic ſanguis ſtatìm emoritur, & homogeneitatem, ſeù vnionem, & habitum vi caloris naturalis retentum amittit: & eius ſeparatio procedit per putredinem quandam, non ex frigore: quod patere poteſt, quià iſti humores non ſecùs ſegregantur, ſi in aquam calidam dimittantur: imò aqua calida fibræ quoquè ſegregantur, quæ frigore concreſcunt aliàs dùm ſanguis mittitur.

Dubitatur ſecundo: nam certum eſt oſſa, carnem, neruos &c. eſſe corpora ethærogenea & tamèn hæc vnita, & congregata continentur vi caloris naturalis. ergò calor congregat ætherogenea.

Reſpondetur oſſa, neruos, &c. in cadauere eſſe ethærogenea: in viuente eſſe homogenea, quatenùs vna forma informantur: vndè dicitur conuenire magìs per hanc formam carnem hominis cùm oſſe hominis; quàm carnem leonis cum carne hominis; quarè per has definitiones, quomodò calor definiatur ab Hippocrate, omnia facere, manifeſtum eſt.

Pari ratione dubitare contingit de definitione humiditatis, & ſiccitatis: namquè humidum dicitur, quod facilè alieno termino terminatur, difficilè proprio. Siccum, quod difficilè alieno. Circà definitionem humidi dubitatur, nàm bilis, & vinum eſt ſiccum, & aqua, quæ ex eo vi ignis extrahitur, ſiccior; & tamèn non ſecùs, ac aqua alieno termino terminantur, & difficilè proprio. Ergò hæc definitio non eſt propria humidi. maior de bile patet ex communi medicorum conſen-

ſenſu, quo bilis dicitur humor calidus, & ſiccus: de vino ſuadetur, quià ex Hippocrate vlcus ſiccum ſimile ſano eſt, humidum ægro; at ex eodem vlcera non niſi vino madefacere oportet, ergò vinum exiccat, quod non faceret, niſi ipſum eſſet ſiccum. Circà appoſitionem ſicci hæc eadem opponuntur: nàm, quæ ſicca ſunt, alieno termino terminantur facilè, vt de vino, bile, puluere, cinere, & ſimilibus patet, ergò ſiccum malè definitur, quod terminatur proprio termino. At licet oppoſitio eiuſdem rationis ſit, non quadrat eiuſdem rationis reſponſio; ſed diſtinguere oportet id quod humidum eſt ab eo, quod in humido eſt, & craſſum, & tenuè diſcernere à ſicco, & humido. Itaque vinum, & bilis ſunt ex his, quæ apparent homogenea, ſed ſunt etherogenea. nam in vino eſt ſpiritus, & aqueum, ſupèr quo fertur ſpiritus. Spiritus eſt igneæ naturæ calidus, & ſiccus: aqueum eſt frigidum, & humidum: ſpiritus calidus, & ſiccus fluit in humido non ratione ſui, ſed ratione aquæ, in quo ſubiectatur: ità puluis, ſeù cinis qùm particulas habeat diſiunctas, vt ſpiritus, fluit non ratione propria, ſed ratione aeris intermixti: & eandem proportionem habet cinis in aereo, quam habet ſpiritus in aqueo. Quod igitùr ſiccum faciat vinum, ſpiritus eſt, a quo vulcera exiccantur, & quorum vi præualet aqueo intermixto, quod aqueum vlcus iuuat abſtergendo, & ſpiritus exiccando: vndè præceptum adductum ab Hipp. *vlcera non, niſi vino madefacere oportet*. Bilis quoque igneum habet in aqueo, cuius actio eſt ab igneo, quo hic humor aliis præcellit.

Reſpondetur itàque ambobus argumentis, quæ contrà definitionem ſicci, & humidi referuntur; conuenire definitionem humidi bili, & vino ratione aquei, ſupèr quod fertur ſpiritus; conuenit cineri ratione aeris intermixti: qùm certum ſit, & aquam, & aerem eſſe corpora humida; actio autèm exiccandi eſt à ſpiritu incluſo, qui ſpiritus in aqua, & cinis in aere intermixta admittunt corpora humida propter partium tenuitatem, & diſcontinuationem.

Cui reſponſioni poſſet aliquis obiicere, petendo, cùr ſpiritus in vino, & bile non expirent, ſi corpora diſcontinuata ſunt, & in ſubiecto oppoſitæ facultatis, a quo aut extingui, aut fugari eſſet rationabile. Reſpondetur hæc eſſe mixta à natura facta, ideò proptèr habitum, quem vnionem vocant, ſimùl continentur; ità tamèn, vt aliquid ſempèr expiret minùs valido habitu retenti, quo vinum & odorem amittit, & euaneſcit ſeneſcendo.

Sed rursùs quis poſſet inſtare, quandò aqueum in vino adeò potens eſt, vt illi tradat definitionem humidi, cur non etiàm eius actionem extinguit, qua dicitur exiccare; &, veluti plùs poteſt humidùm, quod eſt in vino, ad excludendum proprium terminum, non etiàm æquè valet, vlcera reddendo humida?

Reſpondetur in determinandis medicamentis ex ſententia Gal: in meth: med. attendi priùs naturalem temperiem partis curandæ, & ſubindè in morbo conſiderari receſſum à naturali ſtatu. Itaquè temperies carnis vlceratæ in paſſiuis eſt humida, & aqua parùm recedit à naturali ſtatu illius; ideò vlceri affuſa nec iuuamento eſt, nec detrimento; at aqueum, admiſſo ſpiritu, recipit etiàm receſſum à naturali ſtatu, & vim medendi. præterquàm quòd etiàm aqueum, abſtergendo, diximus iuuamento eſſe, ſaltèm ex accidenti, &, quià non peruadit ſubſtantiam carnis, nocere non poteſt.

Ratio traditarum definitionum non eſt tantùm extendenda circà veritatem enunciatorum in definitione, ſed circà conſtructionem, & cohęrentiam. nàm bona definitio, ſi naturalis eſt, debet comprehendere omne genus cauſæ; ſi eſt dialectica, ſaltèm debet amplecti ea, quibus, res diſtinguatur ab alijs iuxtà exigentiã diſciplinæ, in qua traditur definitio. ita vt definitio conſtructa ex genere, & differentia: genus accipiat, quantùm fieri poteſt, proximum: & differentia, ſi non poteſt haberi à priori per naturalem connexionem cauſæ cùm effectu, ſaltèm habeatur à poſteriori per effectum immediatum, quæ conditiones non videntur diligentèr obſeruatæ in definitionibus caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis. Exemplum ſumamus in definitione caloris. *Calor*, inquit Ariſt., *eſt quod diſgregat etheorgenea, & congregat homogenea*. In hac definitione primò genus nimis remotum ſumit per relatiuum, quod relatum ad tranſcendens eſt, nempè ad ens, poterat enim magis congruè aſſignari pro genere qualitas; quod genus vlteriùs contrahitur per effectum; &, quod incongruentiùs eſt, per effectum longinquum, & mediatum; nam effectus caloris formalis, & immediatus eſt calefacere; congregare autèm, aut diſgregare eſt magis remotum. imò, quandoquidèm congregare, & diſgregare ſunt contraria, ne quidèm mediatè poſſunt ambo per ſe procedere à calore, & alterum ſaltèm neceſſariò ſequitur per accidens, quod maximè abſurdum eſt in definitionibus.

Reſpondetur has qualitates duplici ſub ratione poſſe conſiderari. primò, vt competunt corpori ſimplici elementari; ſecundò, vt competunt corpori mixto, vt hoc loco conuenit. Ideò in hoc loco non definiuntur, vt qualitates ſimplices, ſed vt inſtrumenta mixti agentis per eas. proptereà non definiuntur in abſtracto, ſed in concreto; cuius concreti ſumitur genus indefinitum, & quasi tranſcendens; qùm in ratione mixti ſit illius ratio indeterminata; effectus verò non ſumitur primarius, qui caloris eſt; quià calor in mixto operatur ſecundùm exigentiam formæ illius, in cuius obſequium etiàm refrigerare, oſtenſum ſuperiùs eſt. Qùm igitùr hæc differentia, ſumenda ab effectu, ſit ſumenda in genere mixti, vt ſic; in quo genere nulla eſt determinata, ſed potentia omnigena; Ideò neceſſè fuit ſumere effectum communiſſimum in quocumque genere mixti, hoc eſt omnia agere, vt retulit Hipp. competere ei, quod calidum appellamus lib. de carnibus. cuius auctoritati in pluribus Ariſt. ſubſcripſit: atquè, vt oſtendat, calorem omnia poſſe, æquiuocam facultatem, & eminentem illi tribuit, etiam ad appoſita, vt eſt congregare, & diſgregare; vt paritèr oſtendat cùm Hipp. hoc calidum in mixtis non eſſe prorsùs naturale, quo mouet etiam ad oppoſita, diſgregando ea, quæ eiuſdem naturæ non ſunt, & congregando ea, quæ ſunt eiuſdem naturæ: quæ intelligere oportet eandem naturam, & rationem habentia.

An

An cuilibet elemento ex propria natura competant duæ qualitates primæ ab Ariſt. ſtatutæ.

ARiſt. lib.2. degen. T.16. videtur diſtribuere qualitates intèr elementa, non quià abſolutè ità ſint; ſed, vt ipſe ait, vt rationabilitèr diſtribuantur differentiæ primis corporibus, & multitudo eorum ſit ſecundùm rationem. ac T. 19. replicat, qui vnum faciunt elementum, & qui quatuor eſſe afferunt; vndè videtur concurrere primum fundamentum Ariſt. pro conſtituendis, & diſtribuendis qualitatibus elementorum: itaut duæ qualitates competant vnicuique, qua de re difficultates proponendæ ſunt, & diluendæ.

An ignis ſit calidus, & ſiccus & primò calidus.

ET primo dubitatur de igne, qui dicitur calidus, & ſiccus: an ſit talis ex ſui natura. De calore dubitandum; nàm ex ſui natura competere cuicumque dicitur, & ab intrinſeco, quod, nullo dato impedimento, & omnibus concurrentibus ad actionem ſuppoſitum exercet. Sed ignis, omni remoto impedimento, & omnibus concurrentibus ad actionem non calefacit: ergò non eſt ex ſui natura calidus. Maior ſuadetur, quia quælibet forma, remoto impedimento, & concurrentibus concurrendis, producit ſuum effectum formalem. Minor probatur, quià ignis in propria ſphæra non calefacit. Sed ibi nullum habet impedimentum &c. ergò ignis omni remoto etiàm impedimento non calefaciti. Maior probatur, quià ignis in propria ſphęra à parte ſuperiori non calefacit cælum Lunæ: à parte inferna non calefacit aerem; ergò nihil calefacit. Probatur antecedens de parte inferna; de qua veritas patere poteſt: experimento enìm patet aerem apud nos, quò magìs ad ſphæram ignis accedit, eò eſſe frigidiorem, ergò non incaleſcit ab igne, experimentum autèm deducitur ex generatione aquæ, niuis, & grandinis, quæ in ea regione ſecunda fiunt, qui effectus omnes ſequuntur frigiditatem, vti omnes concedunt.

Reſponſio paſsìm tradita in ſcholis, & probata, hanc frigiditatem fieri per circumobſiſtenliam, ſeù antiparistaſim, ſupponit caliditatem aeris ſupremæ regionis, & ignis ſuprapoſiti. & hoc eſt, quod probandum eſt, & eſt mera petitio principii. qui adducunt cauſam ipſam aeris naturalem frigiditatem, confirmant hanc ſententiam; quoniam Ariſt. autoritatem infirmant. Qui Solis illuminationem cauſam eſſe referunt: neceſsè habent explicare, cùr ea ſecunda regio non ſit æquè capax illuminationis, ac tertia. Qui Deo id tribuunt à prima generatione: cauſam nimis longinquam ſinè neceſſitate quærunt, & proponunt.

Deinde, ſi ignis eſſet calidus, vt dicitur à philoſophis, eius caliditas ſenſu depræhenderetur; ſed non diſtinguitur ſenſu; ergò &c. Probatur minor experimento. nàm ſi pars viuens validæ ſenſationis aut ex natura vt oculus, aut ex accidenti, vt pars alterata, eandem ſenſationem patitur, ſi ex improuiſo glacie tangatur, quàm ſi igne: neque ſenſus illicò deprændit, an ab igne, an à glacie patiatur: aut ſi depræhendit, non diſtinguit ex ratione ſenſationis, ſed aut ex vehementia,

aut ex effectu. at magis, & minùs non facit differre ſpecie, & effectus idem aduerſa, & contraria cauſa poteſt producere, vt eſt ambuſtio plantarum, quæ & ab æſtiua caliditate, & à rigore hiberno conſueuit procedere, ergò ſenſatio caloris ex ipſa ſola ſenſatione non depræhenditur.

Tertio ſenſatio illa, quæ dicitur vſtionis, non eſt à qualitate ignis, ſed a ſubſtantia: ergò ex illa ſenſatione non poſſumus arguere calorem illius, aut vllam aliam qualitatem. probatur conſequentia; quià, dùm progredimur à poſteriori ab effectu ad cauſam, intellectus debet inniti in naturali connexione, quæ eſt intèr cauſam, & effectum, vt ad veram notitiam deueniat per reflexionem, quæ poſt modùm dicitur à priori, ergò ſi illa ſenſatio non cauſatur à qualitate, non poteſt intellectus determinare eam qualitatem poſſe parere illum effectum. antecedens probatur; quià dolor procedit à ſolutione continui partis aut homogeneæ, aut etherogeneæ, dùm pars remouetur a naturali ſtatu, vt ſententia Platonis eſt in Timeo, quam refert, & probat Gal: 1. de ſympt.cauſis Cap. 6. quod etiam probatur, quià eandem ſenſationem inducit etiàm ferrum ſecans partem viuentem, ac nerueam.

Quarto probatur ſaltèm, ignem non eſſe ſiccum per ea, quibus probamus, facilè alieno termino terminari in fornace.

Quinto, eſſe ignem maximè humidum, patet, quià ab aere ipſo terminatur; &, quò magis elongatur à fonte,& baſi, eò magis ab aere compellitur, & reſtringitur: donèc in conum tenuiſſimum redigatur, ergo eſt aere ipſo humidior, à quo terminatur.

Sexto ignis eſt tenuiſſimarum partium, ſed ex ſententia Ariſt: tenue ſequitur conditionem humidi; ergò ignis eſt humidus.

Neque ex effectu, quo lutum exiccat, poteſt conuinci eius ſiccitas, quia hoc procedit ex accidenti, quatenùs attenuat partes mollientes lutum, quæ propterea expirantes deſerunt lutum aridum: attenuare autem eſt humidius reddere, & magis terminabile; ſed quælibet forma producit effectum formalem ſimilem ſibi, ergò humor ille redditur humidius ab humiditate ignis, qua per ſe fit attenuatio, & ex accidenti exiccatio luti.

Septimò ſaltèm probatur, ignem eſſe primò ſiccum, & non primò calidum, vt aſſerit Ariſt. deducitur hoc aſſertum ex definitione calidi, & ſicci, & vtriuſque experimento. vt, ſi ponatur puluis tormentarius incluſus valido aliquo corpore homogeneo, vt lapideo, aut tartareo; ac incendatur puluis: tunc experimur,ignis vi ſibi viam parantis diſrumpi corpus illud homogeneum; quod non ſuccedit ab igne vi caloris: nàm calor congregat homogenea, non diſgregat; procedit igitùr ex vi ſiccitatis, per quam ignis non poteſt alieno termino terminari. ſed calor huiuſmodi ignis leui aeris ſuppoſitione ſuperatur, ſiccitas non poteſt ſuperari, nec vlla ratione terminari alieno termino. ergo ſiccitas in igne erit validior, & dicendus erit primo ſiccus.

Pro dilucidatione huius difficultatis, & aliarum proponendarum circa alia elementa; præaccipere oportet. primò difficultatem eſſe de elementis in naturali diſpoſitione exiſtentibus, ſed ordinatis ad conſtitutionem mixti, qua conſideratione ad examen veniunt in his libris.

Quo præſuppoſito dicendum eùm Ariſt. ignem eſſe calidum, & ſiccum; & primò calidum: non tamèn remiſſæ ſiccitatis per admixtionem humiditatis, ſed per naturam igneæ ſiccitatis, quæ proptèr partium raritatem non poteſt habere ſiccitatem

in

in ſummo: de ea loquendo, quæ ad conſtitutionem mixti directa, eſt, quæ in corpore tenui minùs eſt efficax, veluti minus eſt efficax humiditas in corpore craſſo exiſtens.

Probatur hoc aſſertum, quià ignis proptèr calorem eſt maximè actiuitatis, quam propterea tribuit Hipp. lib. de carnibus ei, quod calidum appellamus. Si igitùr ignis per ſuas qualitates debet eſſe maximè actiuus: non poteſt habere paſſiuam qualitatem in ſummo. In vnoquoque genere vno debet aſſignari vnum primum, & maximum, quod cæteris ſui rationem participet. propterea in generatione, in ordine ad quam conſideramus in præſenti elementa, debet dari perfectiſſimum agens, & patiens perfectiſſimum, & perfectiſſimo agenti debet aſſignari inſtrumentum ad agendum ſummi gradus, vt calor creditur ab Hipp. in lib. de carnibus.

His ſuppoſitis. Reſpondetur ad argumenta, ignis qualitates ab Ariſt: aſſignatas redarguentia; & ad primum negatur minor & ad probationem maioris. reſpondetur, primò gratis nos affirmare a parte ſuperiore, qua cælum ſpectat, cælum non calefacere. quià id prorsùs ignoramus, & qui cælum inalterabile credunt, tenentur ponere pro impedimento cæli inalterabilitatem, quod verò non calefaciat partem inferuam; non adeò certum eſt; vt pro certo recipitur in ſcholis: quo ad offeruata, quibus depræhendi arbitramur, non calefieri; vt potè ex generatione aquæ, niuis, grandinis in libris meteorologicorum oſtendam, hæc non generari in certo gradu frigitatis abſolutè, ſed reſpectiuè: non enim ſempèr gradus frigoris idem aquam generat, ſed quando fit tranſitus a tali gradu caloris ad talem frigoris: ad cuius exigentiam corpus calidum non poſſit ſub eadem forma illicò condenſari; vndè neceſsè habet ad euitanda alia incommoda vacui, & penetrationis corporum, aut diſcompaginationis vniuerſi, tranſire ad nouam formam, & aliud compoſitum conſtituere, quod eandem materiam in minori molè admittat. vt eſt aqua reſpectu aeris, vt explicatum eſt, vbì de raro, & denſo loquuti ſumus; vndè, etiàm ſi aer calidior fuerit in ſecunda regione aeris, quàm in prima, non ſequitur, ideò, quia pluuia, & niues, & grandines generentur, qùm reſpectus graduum, qui requiruntur ad generationem aquæ &c. poſſit intercidere proptèr vaporem in pluuiam vertendum, & proptèr loca, vndè ille vapor tranſierit, & varios gradus caloris admiſceri. nihil enim intereſt, vbi nàm ſubiectetur gradus caloris, & frigoris, qui requiratur ad generationem aquæ; & tàm generatur aqua, & nubes, quandò vapor calidus accedit ad regionem aeris frigidam; quàm, quandò vapor frigidus offendit regionem aeris calidam. Sed, quod magìs pertinet ad præſentem difficultatem, animaduertere oportet aliud eſſe, non eſſe calidum, aliud non calefieri. nàmque fieri poteſt, ſecundam regionem aeris proptèr proximitatem, vt par eſt, magis calefieri ab igne, aut cælorum motu, quàm prima, quæ magìs remota eſt; & tamèn ob alias cauſas non concurrentes in ea fit minùs calida: intèr quas rationabilis admodùm eſt quies illius regionis; qùm enim infima regio aeris moueatur aſſiduò proptèr rarefactionem, & condenſationem, quæ frequenter intercidit in ea ob terræ inæqualitatem, & vmbras interpoſitas; & ſuprema regio raptu moueatur à cœli motu, & ignis. iſta media regio ab vtroque motu eſt magis immunis, & propterea frigidior ex Ariſt. 2. de ortu,

ortu, & interitu cap. 4. & meteorolog. cap. 4. vnde hanc frigiditatem non debemus ex toto tribuere caloris defectui ab igne, quem non communicet ſaltèm vniformitèr difformitèr vſque ad vltimam regionem, quæ vltrà hanc calefactionem habet, & motum, & exhalationes calidas à terræ viſceribus, quas magis efficaces cenſeo, quàm decantatos, & adeò facilè receptos reflexus radiorum, & circum obſiſtentiam. qùm quies cauſa ſufficiens poſſit aſſignari in ſecunda regione aeris intenſioris gradus frigiditatis.

Ad Secundum conceditur continui ſectione, & glaciei tactu fieri triſtem & vehementem ſenſationem, vt ab igne, & illicò non diſtingui proptèr ſenſus communis indiſtinctionem; at negatur ſuccedentibus animaduerſionibus, non diſtingui ſenſactionem caloris à frigoris ſenſatione: licèt idem effectus ab vtraque procedat diſſolutionis continui, a qua tiſtis ſenſatio prouenit indiſtincta;ità ſegetes exiccantur à calore æſtiuo, & à frigore vehementi proptèr ſiccitatem vtriquè iunctam calori ab ignea Solis vi, & frigori à terreis exalationibus à vento boreali inductis, vel emoriuntur ſegetes proptèr extinctam, aut interceptam à frigore, aut abſumptam à calore, & euocatam vitalem eorum humiditatem.

Ad tertium, concedendo, ſolutionem continui etiàm in inuſtione eſſe à ſubſtantia ignis tenui peruadente partes neruoſas; negatur tamèn hanc igneam ſubſtantiam alias ſenſationes per qualitates ſibi proprias non inducere, quibus poſſit diſtingui vſtio à ſectione.

Ad quartum Reſpondetur, negando experimentum, quo dicitur ignis in fornace terminari facilè alieno termino; nàm, quòd ibi terminatur eſt aer ignitus, non ignis, qui aeris ſequitur conditionem, in quo eſt, veluti ſequitur cinis, & puluis, ac ſpiritus in vino, in quo ſequitur conditionem aquei, vt ſuprà oſtenſum eſt, veluti ignis in terreo, vt in carbone eius naturam ſequitur, & alieno termino non terminatur.

Ad quintum Reſpondetur, negando ignem ab aere terminari; quod ſi in figuram piramidalem redigitur, ſuccedit quià longè a baſi, & fonte ignis, vniformitèr difformitèr extinguitur pars ignis erumpentis, donèc in acutiſſimum conum redigatur.

Ad Sextum Reſpondetur, nullum corpus per attenuationem propriam naturam amittere: nàm eadem eſt ratio totius, & partis: ſed dicitur tenuè ſequi conditionem humidi, quià partium tenuitas, ſi hæ diſiunctæ fuerint, & non continuæ, admittunt humidum intermedium, vt aqua ſpiritus, & cinis aerem, quorum humidorum conditionem videntur ſequi, vt ait Ariſt. quarè in ſicco corpore vel conſiderantur partes in humido: vel quælibet pars ſeorsim. quælibet pars ſeorsim ſequitur naturam totius, & difficilè terminatur termino alieno, vt totum. partes verò in humido diffluente humido, neceſsè eſt illæ quoquè diffluant, vt, quæ in eo ſunt. Ad id verò, quod ſubiungitur ignem attenuare, & proptereà reddere partes magis humidas, conceditur in eodem ſenſu; quod videlicet pars, quò tenuior eſt, eò latiùs diffundatur, & plùs humidi admittat, in quo ſit, non cuius qualitatem recipiat, ita vt, ſi corpus tandèm in lucem attenuetur, qua nil tenuius dari poſſe apparet: tamèn conditio partis cuiuslibet ſequitur naturam totius; & ſi id poſſemus experiri exercitè, vt ratione poſſumus conſiderare, æquè quælibet pars cùm difficultate alienum terminum reciperet, vt facit puluis ex adaman-

mante ; & ſimilibus durioribus corporibus.

Ad ſeptimum. Reſpondetur, negando comparationem intèr calorem, & ſiccitatem, quo ad actionem diſrumpendi corpus includens ignem; quod nequè à calore, nequè à ſiccitate procedit, ſed ab alia cauſa. Qùm enim puluis tormentarius adeò proximam habeat diſpoſitionem ad formam ignis, ad moto igne, non poteſt impediri illius effectus formalis, qui eſt generandi ſibi ſimile; qùm igitùr noua forma introducitur in puluerem, eam formam conſequuntur omnia conſequentia formam; vt eſt raritas igni debita, & ex hac quantitas auctior, & maior loci, ac ſpatij occupantis: proptèr quam neceſſariò debet extendi corpus igneum; vndè proptèr incompoſſibilitatem duorum corporum in eodem ſpatio, & proptèr impenetrabilitatem aqquiſitam per nouam quantitatem corpus continens diſrumpitur; non igitùr diſrumpitur à ſiccitate, qùm ſiccitas non ſit qualitas actiua vllo modo; ſed à corpore neceſſariò conſequente quantitatem debitam formæ recentèr introductæ. patet autèm, hoc non fieri à ſiccitate, neque à calore; quià etiam aer compulſus penè eandem vim facit, vt experimur in arcu perforato, in quo non ſecùs ab igne glandes exploduntur, ac ab aere, ſi aer vehementèr compellatur.

An aer ſit calidus, & humidus, & primò humidus.

VAlidiores rationes videntur afferri contrà aeris caliditatem, & humiditatem, & humiditatis prerogatiuam; & primò aerem eſſe frigidum ſenſit Gal. de ſimpl. med. fac. cap. 20., & 8. de vſu partium cap. 3. quod aſſertum præſertìm deducitur, quià quodlibet ſuppoſitum proprias qualitates prodit vbicumquè, & quandocumquè nullam patitur alterationem, ſed aer vbi nullam, aut minimam patitur alterationem, eſt frigidiſſimus. ergò aer ſui natura eſt frigidius. probatur minor quia in media regione aer nec incaleſcit ab igne ſuperpoſito, nec ſuſcipit exhalationes, aut radios reflexos à Sole, nec refrigerationem ab aqua, aut terra; ſed in media regione aer eſt frigidiſſimus. ergò hoc habet ab intrinſeco, non ab extrinſeco per alterationem, aut antipariſteſim, quam vocant.

Præterea illa frigiditas aeris in media regione eſt perpetua; ſed nullum violentum eſt perpetuum, ergò illa frigiditas eſt aeri naturalis, & ab intrinſeco, non ab extrinſeco per antipariſteſim, & circum obſiſtentiam; quià, ſi frigiditas illa compelleretur ad mediam regionem aeris proptèr circumobſiſtentiam caloris ignis ſuprà, & infrà reflexorum radiorum, tandèm iſta obſiſtentia ſuperaretur, vt patet in omni antipariſtaſi, & præſertim in ea, quæ fit in manu niues tractante, in qua compellitur primò calor à niue, ſed poſtmodùm calor redit ad manus vehementiùs, qùm per antipariſteſim innatæ qualitates potiùs augeantur. ità in media regione aeris calor,

lor, ſi illi eſſet naturalis, per antipariſteſim frigoris compulſus augeretur, fieret enim antipariſtaſis, ſi aer priùs eſſet frigidus ex ſui naturà, & non ſi eſſet calidus.

Tertio aqua, quandò congelatur, cõgelatur priùs ex parte, qua ab aere clauditur, quàm qua à terra, aut in medio ſui. vndè patet, non ſolùm aerem non eſſe calidum, ſed eſſe frigidiorem aqua, & terra; eſſe frigidiorem aqua patet, quia aqua, ſi eſſet frigidior, congelaretur priùs in medio, vbi nullam recipit alterationem, & mixtionem à corpore inferno terræ, aut ſuperno aeris. eſſe aerem frigidiorem terra patet; quia aliàs aqua congelaretur, vbi eſt contermina terræ, & non vbi eſt contermina aeri. Nec ſufficit recurrere ad temperiem loci, per quem aer tranſit, à quo dicatur recipere ſummam frigiditatem, quià, ſi eſſet aer calidus intrinſecè, nunquàm poſſet tantam recipere frigiditatem, qua aquam poſſet congelare: præſertim qùm aer ſit corpus rarum, in quo non poſſunt imprimi adeò intenſæ qualitates, quibus agere poſſit in corpus denſius; &, ſi dicatur aeris frigiditatem non eſſe cauſam glaciei poſitiuam, ſed priuatiuam: quatenùs videlicèt non calefacit aquam, ſed ſinit excipere propriam frigiditatem. obſtat, quod ſuperiùs dictum eſt, nam aqua in glaciem conuerteretur aut in medio, aut vbi eſt terræ contermina.

Quarto aer aut non videtur humidus, aut non primò humidus; non humidus, quià, quandò à vaporibus liber eſt, & vacuus, in eo corpora humida exiccantur etiàm noctu, Sole abſente, aut ſaltèm non eſt primò humidus, quià aquæ modica portio plùs corrumpit, & humectat ſalem, quàm multa aeris.

Pro componenda hac difficili quæſtione, aliqua ſunt præaccipienda non minùs difficilia in ſchola peripatetica.

Primò præaccipiendum, ſummam actionem, & omnigenam dari ab Hipp. calori lib. de carnibus ſuprà citato; quod aſſertum non repugnat Ariſt. ſi calor accipiatur tanquàm agens inſtrumentale ſupponens principale æquiuocum, & omnipotens, quod aſſimilat Ariſt. artifici.

Secundò ad generationem vnius ſubſequi corruptionem alterius, atquè, vt detur iſta continuatio generationis, neceſſariam etiam eſſe corruptionem, & diſſolutionem, ſeù miſtionem procedere ab eodem principio æquiuoco, ſecundùm exigentiam ordinis ſempiterni componente, & diſſoluente; vndè ſequitur eodem inſtrumento caloris vario modo vti, dùm diſſoluit, aut dùm componit, veluti artifex igne vtitur & elementari, & eo, quem vocant ignem mortuum, ſub diuerſis gradibus appoſitè, ſecundùm exigentiam operis edendi. vnde ſequitur notandum

Tertium, vt ignis, ità caloris dari duplicem rationem; altera, quæ percipitur ad tactum, altera, quæ tantùm manifeſtatur per operationem: vt in pueris euenit, & in ſeminibus, quæ dicuntur frigida: pueri enim, quò magis abundant calore componente, qui dicitur innatus, eo frigidiores apparent ad tactum, vis tamèn caloris eorum depræhenditur, quià plurimo opus habent alimento, & augentur. ſeminum verò, quæ dicuntur frigida, vt cucumeris, anguriæ, peponis, cucurbitæ apparet vis eorum caloris non ad tactum, ſed ex operatione; namque ex his ſeminibus citiſſimi et latè emergunt fructus, cuius fœcundi motus, & amplitudinis fœtus nil, niſi ſumma actiuitas, & abundantia caloris poteſt aſſignari pro cauſa.

Quarto ex his Iure ſequitur, vt ſeruetur ad vniuerſi ornatum, aut in quæmcunque alium finem a ſummo opifice ordinatum, calorem illum exoluentem, quique ad tactum maxi-

xi-

xime manifeſtatur, longè debere abeſſe à terræ ſuperficie, vbi perpetua exigitur generatio: in cuius finem tantummodò admittitur ſegregatio, ſeu corruptio. calorem verò componentem, qui ad tactum non apparet, ſed tantùm ex operatione depræhenditur, debere eſſe propè terram, & ſuprà aquas ferri, vt omnia quæcumque in terris, & in aquis naſcuntur, vitam, & habitum, vnionemque accipiant.

Dicendum itàque calorem illum corrumpentem tributum eſſe a ſummo opifice igni, & ignem comitari apertè, & hunc calorem iurè manifeſtum eſſe ad tactum, vt, tanquàm diſſoluens animaduertatur, & euitetur modum ab eo proueniens corruptionis. Alium verò calorem componentem traditum eſſe aeri, qui propter eà ab Hipp. dicitur ſpiritus, & ſuperficiem terrarum, & aquarum peruadit; &, vbicumquè ineſt, ſuccedit rerum generatio, & iſte calor non neceſsè habet manifeſtari ad tactum.

Iurè igitur Ariſt. calorem tribuit igni, & aeri, igni diſſoluentem, aeri componentem; & aeris calorem, ait, eſſe magis remiſſum, quia non manifeſtatur ad tactum; & tantummodò ex operatione depræhenditur. vtriuſque tamèn caloris eadem eſt ratio, vt eadem eſt ratio ignis, qua artifex fabrefacta diſſoluit, & qua vnit. in naturalibus calor diſſoluens dicitur elementaris, & eſt manifeſtus ad tactum; calor componens dicitur calor iniunctus, ſeù naturalis, & ad tactum non percipitur, & inuicèm actum habent, & potentiam; ità vt calor elementaris ſit potentia naturalis: & naturalis actu ſit potentia elementaris. dùm ènim naturalia corpora diſſoluuntur, in elementa diſſoluuntur; & dùm eadem corpora componuntur, componuntur ex elementis; quæ tamèn per nouum actum mixti, & ad exigentiam nouæ formæ eiuſdem, diuerſam ædunt operationem, permanente tamèn virtute, & ratione diſſolubili, vt tradidit Ariſt.

Idem aer remiſſo calore temperatus, hoc eſt calore non manifeſto ad tactum; ſed depræhenſo per operationem, qùm ſupremam vim habeat, non in diſſolutione, ſed in generatione mixti, vt par pari detur, qùm habeat ſummam vim miſcendi, ſeù agendi, in compoſitione mixti proptèr iſtum calorem requirit etiam ſummam vim patiendi, & in hunc finem exigit humiditatem in ſummo: perquam alieno termino, hoc eſt forma mixti adueniente ipſum ſuppoſitum terminetur, ſic aer vt ſenſit Ariſt. eſt calidus calore tamèn remiſſo, & eſt primò humidus.

Ad Argumenta in contrarium adducta, quæ aliàs ſummam vim habere videntur, & efficacitèr concludere. Reſpondetur ad primum, aerem in media regione eſto ſit frigidus (vt fertur ex generatione aquæ, niuis, & grandinis conuinci) & abundare plurimo frigore, eo quòd manifeſtatur ad tactum, cùm quo ſtare ſimùl poteſt calor innatus, ſeù naturalis generationi deſtinatus; veluti ſimùl permanet frigus in puero, & iuuene benè diſpoſito cum calore plurimo innato. & in corpore viuentis ſunt quædam partes, vt cerebrum, quæ ad tactum apparent frigidæ, vt patet in pituita à cerebro delabente, & tamèn cerebrum calidius eſt quocumque aere extrinſeco etiàm æſtiuo, & dicitur pars corporis frigidiſſima.

Ad ſecundum Reſpondetur concludendo, illud perpetuum frigus non eſſe per circumobſiſtentiam, vt efficacitèr probatur. Nihilominùs aer in ea regione calore proprio, qui dicitur generationi inſeruire, non eſt deſtitutus; imò ibidem eo plurimum valet, vt probat argumentum, & proptereà, qùm proptèr defectum materiæ non poſſit ibidèm in medio

ſui, & abſens ab omni alteratione, qùm, inquam, non poſſit generare, & producere mixta perfecta, ſaltèm mixta imperfecta producit, vt aquam, niuem, & grandinem.

Ad Tertium Reſpondetur, eam frigiditatem, qua operatur aer congelationem aquæ in glaciem, eſſe qualitatem ad tactum manifeſtam, quam, diximus, poſſe ſtare cùm caliditate propria, & innata, quam Ariſt. fortaſſe 2. de gen. T. 48. dicit actu frigidam, potentia calidam, qua, relatum eſt, concurrere ad generationem. Ad confirmationem, qua dicitur, glaciem generari magis in parte aquæ aeri conterminæ, quàm in parte contermina terræ, aut in media aquæ: vbi, rationabile eſt, propria frigiditate magis pollere. Reſpondetur glaciem quidèm ſupponere ſummum frigus ad tactum manifeſtum, vt ſenſit Ariſt. tamèn, quià eſt generatio quædam mixti imperfecti, requiritur ad eius productionem vis etiam aliqua caloris componentis, qualem diximus eſſe in aere: ideoquè iurè glacies magìs generatur in parte contermina aeri, quàm in parte media aquæ, aut contermina terræ. quod verò calor aeris componens, ſeù naturalis concurrat, patet, quià aqua duratur nulla ſiccitate ſuperraddita; namquè, ſi ſiccitas aquam duraret in glaciem, fieret potiùs iuxtà terram, quæ ſicciſſima eſt; duratur itàque, quià recipit aliquam formam mixti imperfecti.

Validum eſt etiàm argumentum contrà humiditatem aeris, qui aut non videtur humidus, aut non ſummè humidus: vt probat adductum experimentum; ad quod Reſpondetur, quandò in aere corpora humida exiccantur, non ſuccedere ex vi ſiccitatis aeris, nec directè; ſed ex calore per accidens, & calore non ſolùm ad tactum perceptibili, quem ſuſcipit aer ex radiorum Solis reflexione: quo calore ſubiectato in exhalationibus aeri permiſtis humor in vdo corpore attenuatur, & attenuatus emergit, ſic ex accidenti derelictum corpus dicitur exiccare, quià illud deſerit in priſtino, & naturali ſtatu, & concurrit etiàm humiditas propria aeris, quià vaporis eſt quædam generatio tanquàm mixti imperfecti vt niuis, & grandinis.

An Aqua ſit frigida, & humida, & primò frigida.

Magìs expeditæ ſunt quæſtiones de qualitatibus aſſignatis aquæ, & terræ proptèr ea, quæ dicta ſunt. nam aqua creditur, non eſſe ſummè frigida, quià exceſſum frigoris, quo concreuit in glaciem, non recipit in centro ſui, vbi ab alterationibus circumſtantium corporum maximè diſtat.

Secundò, quià hieme in parte valde repoſta calidior eſt, quàm in expoſita, quòd, ſi ab intrinſeco eſſet frigida, & ſummè frigida, ab aere extrinſeco remota, & inalterata propriam temperiem poſſet reſumere.

Tertiò, ſi aqua ab intrinſeco eſſet frigida, & in gradu intenſo, non poſſet fieri calida etiàm in gradu intenſo, quin amitteret propriam formam, & abiret in aerem. Manente enim forma, debent manere omnia conſequentia formam, aut intendi tantùmmodò, & remitti ſecundùm gradus limitatos cùm perſiſtentia formæ. ſed non ſolùm remitti, ſed recipere etiam qualitatem contrariam in ſummo ei, quæ illi tribuitur in ſummo, & adeò eius formam conſequitur, vt multi arbitrentur, has qualitates eſſe formas elemen-

to-

torum, hoc videtur admodùm arduum, & difficile.

Quarto, eſto aerem eſſe calidum calore naturali, & ſimùl aſcititio refrigerari: vt exemplo pueri ſuprà oſtenſum eſt, tamèn in aqua, concurrente aſcititio cùm naturali, & extrinſeco, & intrinſeco in ſummo, maiorem refrigerationem deberet recipere aqua, quàm aer: addita etiam maiori capacitate corporis denſioris, ex quo frigus debet vehementius effundi, & magis radicari calorem probatum eſt. Sed hoc apparet contrarium. ergò aqua non eſt primò frigida. Maior probatur exemplo glaciei, in qua ſumma vis frigoris exercetur, & nihil aliud eſſe dicitur, niſi aqua intensè frigida; & tamèn hyeme, quandò perſlant ſeptentriones, aut in Italia Ormithiæ, magis refrigeratur quilibet humor ab aere, quàm ab ipſa niue, & glacie, ergò aqua ne quidèm congelata eſt ſummè frigida, tantùm ab eſt, vt ſit ſummè frigida aqua non congelata.

Quæ argumenta per ea, quæ dicta ſunt, facilè diluuntur. Et primùm repetendo niuem, & glaciem eſſe quædam mixta imperfecta, & ideò prætèr qualitatem ſupradictam aeris, opus habere etiàm concurſu alterius ſimplicis corporis ad conſtitutionem mixti, vt eſt aer, qui maiori cùm difficultate peruadere poteſt ipſam aquam vſquè ad centrum ad conſtituendum mixtum; quod ideò faciliùs producit in ſuperficie, vbi plura concurrunt elementa. Quod autèm aliquid aeri vaporis, aut exhalationis concurrat ad generationem glaciei, ſuaderi poteſt, quià ſi in vaſe aqua pleno, aqua in glaciem conuertatur. qùm aliàs frigore corpora compellantur, & denſentur, vt patet in termoſcopijs: tamèn, dum aqua in glaciem conuertitur in maiorem molem attollitur, quàm fuerat, antequàm in glaciem conuerteretur; quod, qùm fieri non poſſit per compulſionem à frigore, neceſsè eſt, fiat per admixtionem noui corporis concurrentis ad generationem glaciei.

Ad ſecundum reſpondetur, etiàm non admittendo antiperiſteſim paſsìm in ſcholis decantatam, dicendum verè hyeme terræ intima eſſe calidiora, quam ſint æſtate, non proptèr compulſionem, aut circumobſiſtentiam, ſed quià calor in intimas terræ partes proptèr denſitatem terræ, & ſpatium eius alterandum, nec facilè admittitur, nec facilè dimittitur; vndè in aliquas terræ partes ſex menſium ſpatio opus habet, vt calor introducatur, plùs minùs iuxtà minorem diſtantiam, & magìs, aut minùs obuiam, ac peruiam aeris, & caloris penetrationem; vndè ea pars terræ, ſi incipiat menſe Martio calefieri, quandò Solis radii incipiunt ſuperare, & ſuprà terram perſiſtere, non, niſi menſe Septembri erit penetratus in eas cauernas calor, vbì aqua ſupponitur eſſe. vndè vbique ad menſem Martii perſeueret calor, neceſsè eſt, ſi par ſpatium dandum eſt, acceſſioni caloris, atque deceſſioni; & frigoris paritèr introductioni in hyeme, & eiuſdem expulſioni in æſtate plùs, minùs iuxtà cauernarum profunditatem, & meatus earum copiam, & latitudinem, & proſpectum, ac terræ denſitatem, nàm, vt longiorè temporis ſpatio in profundum defertur frigus, & diutiùs continetur; ità cauernæ minùs patentes magìs reſiſtent aduenientibus alterationibus aeris: ſi aditus ſpectat Septentriones, & faciliùs, ac profundiùs inducitur frigus, & diutius continetur. Et, licèt cauerna profunda non ſit, tamèn longiùs frigus continet, & intenſiùs ſi lapidea eſt, & Septentrionibus peruia. quare, ſi aqua ibi egelida eſt hyeme, eſt propter impreſſionem æſtate factam in loco eam continente, a qua in ea temperie ſer-

uatur, & impeditur:ne in ſibi naturalem frigiditatem reuertatur.

Maximi momenti eſt tertia difficultas. nàm qualitates elementorum poſſe intendi, & remitti ſecundùm gradus aliquos ſinè ſpeciei, & formæ diſpendio, concedi fortaſsè poteſt; ſed poſſe contrariam qualitatem induci in elementa, & eam talem, quæ intentione ſuperet gradus quoſcumque alteri elemento tributos ſecundùm naturam; vt quòd aqua, quæ primò frigida caliditatem contrahat, qualis nuſquàm in aere depræhenditur: etiàm data eadem cauſa efficiente, hoc mihi videtur inintelligibile, fieri poſſe ſinè ſpeciei, & formæ mutatione, data enim diſtantia aeris, & aquæ ab igne, poterit manus ſuſtineri in aere, æquè diſtanti, & non in aqua, & aer dicitur ex natura calidus, & aqua frigida. Dicendum itaque videtur, vt ſuprà relatum eſt, calorem, qui percipitur in aqua, non ſubiectari in aqua, ſed in vapore, in quem aqua ignis vi conuertitur. ſic qualitatis intentio, & contrariæ admiſſio non fit, ſinè nouæ formæ, & ſpeciei acceſſione. Videtur autèm calor ſubiectari in aqua, quià vapor ille in fundo lebetis genitus vniuerſam peruadit aquam; itàut, veluti atramenti gutta in aquæ puræ, & perſpicuæ phialam infuſa totam aquam nigrore perfundit, & tanquàm atram ad ſenſum viſus manifeſtat; ità modicus vapor intensè calidus in vniuerſam aquam expanſum ità ſeſe offert ad ſenſum tactus, vt tota aqua eo calore ſuffuſa appareat; &, tamèn, vt aqua illa ad ſenſum viſus opaca in ſe pellucida eſt; &, decedente, aut in fundum dimiſſo atramento, talis apparet, ità ad ſenſum tactus ea aqua apparet calida ob calorem vaporis ſuffuſi; quo vapore expirante, reducitur ad priſtinam frigiditatem, quam nunquàm amiſerat; veluti illa atramento infecta non amiſerat intrinſicam perſpicuitatem; ad quam reſtituitur ſimplici deceſſione atramenti: ità, veluti illa ſimplici deceſſione vaporis calidi denuò prodit in innatam frigiditatem. re vera tamèn, veluti ignis non poteſt refrigerari abſquè deperditione propriæ formæ: imò ne quidèm poteſt eius calor remitti, ità non poteſt introduci calor in aquam, manente adhuc forma illius, quæ intenſionem, & remiſſionem non admittit, & hæc reſponſio magis mihi videtur philoſophia digna, licèt ad ſenſum ardua admodùm ſit, & non niſi ab acri ingenio recipienda. Aliàs diſparitas intèr ignem, & aquam; quòd videlicèt ignis alienam qualitatē, vt frigus eſt, non recipiat, & aqua tàm facilè recipiat calorem vtriuſque, forma adhuc integra, poteſt aſſignari paſſiuis qualitatibus vtriuſque. qùm enim ignis ſiccus ſit, & aqua humida, aqua facilè alieno termino, & forma valet terminari, quod eſt alienas formas accidentales recipere. ignis verò propter ſiccitatem non valet, ſic *alieno termino terminari* non arctatur, ad vltimam ſpeciem qualitatis quæ eſt figuræ, ſed ad quancumque formam, & terminum extenditur habitus, & diſpoſitionis paſſibilis qualitatis: ſed terra eſt primo ſicca, & tamen frigiditatem facilè dimittit, &, licèt non ſit primò frigida; exceſſus ſiccitatis deberet impedire alienos terminos.

Ad quartum reſpondetur glaciem eſſe ex Ariſt. per exceſſum frigoris, ſed in proprio genere. diximus enim niuem, glaciem; grandinem eſſe mixta quædam imperfecta, in quibus qualitates elementorum ſimplicium oſtenduntur, ideò flante Septentrione vinum, & aqua intenſius refrigeratur ab aere, quàm à glacie. imò ſi per æſtatem quis velit aquam in glaciem conuertere, non ſufficit vas aqua plenum niue operire, ſed neceſsè eſt ſalem niui

ui inſuper fundere, quo omnia mixta concreſcunt, vt aquà etiam ſalis calore alterata mixti illius imperfecti formam reicipiat.

An terra ſit frigida, & ſicca, & primò ſicca.

TErram non eſſe frigidam probatur experimento. nàm vbi eſt ſimplex, aut ſaltèm ſimplex, quantum haberi poteſt, non apparet frigida, vt eſt arena.

Secundò in ea nutriuntur arbores, & herbæ, & ſata quæcumque, quæ calore viuunt, & nemo dat, quod non habet. non igitur terra poſſet impertiri viribus calorem, niſi ipſa haberet in ſe. ait enim Hipp. omnigenum eſſe in terra.

Tertio pluribus in locis terra ardet vt in Etna, & ea quædam nationes tanquàm ligno vtuntur ad nutriendum ignem, & producit ſulphur, & nitrum. ergò terra non eſt frigida.

Quarto, vt ſuprà propoſitum eſt, quandò aqua conuertitur in glaciem, conuertitur priùs, vbi eſt aeri contermina, quàm vbi eſt contermina terræ; ergò terra non eſt frigida, ſi refrigerando præualet illi aer, qui dicitur calidus.

Quinto, ſi experimento credere non licèt, & ratione eius frigiditas eſt probanda, erit dicenda frigida in ſummo, & non, vt ait Ariſt.; erit hoc aquæ tribuendum; quod ſic probatur. Calor motu, & lumine inducitur, ſed terra ab his omnium maximè abeſt, ergò terra omnium elementorum maximè ab eſt à calore, quod eſt eſſe frigidum in ſummo. Probatur minor, quià terra omnium maxime abeſt à Cæli motu, omnium maximè quieſcit, omnium eſt minimè lumini peruia. ergò à motu, & lumine maxime abeſt. & aqua ſaltèm fluctuando mouetur, & motu calet.

Sexto Probatur, ſaltèm non eſſe ſiccam in ſummo: quià humidum eſt, quod alieno termino facilè terminatur, difficile proprio; ſiccum facilè proprio, & difficilè alieno. Sed cætera omnia elementa, & corpora cæleſtia terminantur termino proprio, & ſola terra terminatur termino alieno, ergo ſola terra eſt humida, aut ſaltem non eſt ſicca in ſummo. Probatur minor ex Ariſt: cuiuſcumque elementi propria figura eſt circularis, & ſecundùm proprium terminum circulo terminantur tanquàm figura perfectiſſima, ſed ignis, aer, & aqua ſunt corpora circulari termino terminata, ſaltèm à parte conuexa, terra autèm anguloſa eſt, & montibus ſcabra. ergò ſola terra terminatur termino alieno.

Sed hæc argumenta partìm in ſuperioribus euerſa ſunt, partìm poſſunt facilè euerti; & ad primum reſpondetur frigus magìs, & minùs intenſum apparere contigentèr, aut per ſe, aut per accidens; quarè arena, & quæcumque terræ ratio videtur minus frigida, hoc eſt ex accidenti, vel quià corpus minùs denſum conſtituit, vel quià aerem habet admixtum, & interiectum; metalla autèm, & quædam lapidum genera, quamquàm mixta, apparent frigidiora, quàm appareat terra, vel proptèr aquæ mixtionem, quæ intensè frigida eſt, vel proptèr denſitatem, proptèr quam maior datur frigiditatis radicatio.

Ad Secundum reſpondetur, terram in ſuperficie eſſe maxime mixtam, & ſcatere plurimo calore naturali in eam fuſo, & radicato ex aſſiduo cælorum fluxu; vndè dicendum eſt, calorem à terra plantis, & ſatis participatum non eſſe proprium ipſius terræ, ſed a cælo dedu-

ductum, vt dum dicitur *fertur Prometeus addere principi limo* &c.

Ad Tertium eodem modo reſpondetur: ignem à cælo deductum terræ ſuperficiei eſſe inſitum, quo ſulphura, & bitumen, & ſalnitrum, & alia ignis pabula naſcuntur, quæ non ſunt immediata terræ ſoboles, ſed confuſæ molis elementorum; vndè etiam, ex lapidibus ſiliceis attritis ignes euocantur immixti.

Quartum Argumentum ſolutum eſt per ea, quæ ſuprà relata ſunt ad probandam aeris ſummam frigiditatem, & indè petenda eſt ſolutio.

Ad Quintum reſpondetur argumentum probare de extrinſeca frigiditate, & priuatiua, quam in ſummo habere fortaſſe concedi poteſt, proptèr quam ſumma ratione ſtatutum à ſummo rerum artifice, ne terra in ſummo habeat etiam intrinſecam, & poſitiuam frigiditatem; ne, ambabus concurrentibus, ad generationem mixtorum inepta fieret, quæ adeò rigorosè, & amplè exornant terræ ſuperficiem in vniuerſi proſpectum.

Ad Sextum Reſpondetur, negando terram non eſſe circulari figura præditam, vt cætera elementa: ſcabroſitas autèm, quæ montium eleuatione naſcitur, ad vniuerſam ſphęram comparata eſt penè inſenſibilis, & ex accidenti proptèr terræ ſiccitatem: qua adeò tardè iuga montium diffluunt, & in aqua, & aere eadem ſcabrities eſt in parte concaua, & hæc alieno termino terræ in maris cauitatibus, & terræ eminentiis perpetuo innouatur; ea verò, quæ terræ eſt proptèr ſiccitatem diutius permanet, & ſeruatur immobilis.

De cauſis primarum qualitatum elementorum.

NOn dubitatur hoc loco, quæ nam ſit cauſa efficiens harum primarum qualitatum in elementis: quià tam apertè 1. meteor. cap. 4. Ariſt. pronunciauit, has prouenire à cælo, ne ſit in hac re dubitationi locus: præſertim, qùm hæc pars ſublunaris, qua elementa continentur, nullam aliam poſſit habere cauſam efficientem extra ſe, quæ ſit aſſignabilis, & intelligibilis. Sed difficultas eſt, quomodò hæ qualitates primæ dicantur ſequi formas elementorum, ſi illis ab extrinſeco partiuntur à Cælo. quæ difficultas non poteſt remoueri, niſi per explicationem verborum Ariſt. dum ait, hanc inferioris mundi molem eſſe poteſtate calidam, & frigidam, & humidam, & ſiccam, talem autèm fieri extrà, & eſſe a motu, & immobilitate; & a motu creditur cauſari caliditas, ab immobilitate frigiditas: & eſt aliqua conſonantia in rationibus iſtis; nàm, velutì immobilitas eſt tanquàm priuatio motus, ità frigiditas eſt priuatio caloris. ſed hoc etiàm acria ingenia torſit, & torquet, quomodò motus cauſet calorem, & quomodò immobilitas habeat rationem poſitiuam, qua poſſit cauſare frigiditatem: & quomodò ex his etiàm humiditas, & ſiccitas ſit, & fiat. Multa ex his paſsim feruntur, ſed omnes obſcuris vera inuoluere videntur. ità vt eorum explicatio negligi quidèm poſſit, non tamèn, niſi longo, & inutili ſermone oppugnari; ſi quid igitùr relatis addi poteſt, id repetam, quod a philoſophis pleriſque conceditur: motu ſuperiorum orbium inferiores rapi, & raptum primi mobilis omnes alios circum-

du-

ducere ; ità tamèn, vt inferiorum quoquè orbium motus vbiquè in terræ ſuperficiem ſentiatur ; ideò non prima latio cauſa generationis eſt, & corruptionis ; ſed quæ ſecundùm obliquum circulum : ex hoc enìm, & continuum vnum eſt, & moueri duobus motibus Ariſt. 2. de gen. T. 56. quo nauigatio in orientem tàm in mediterraneo, quàm in oceano expeditior ſit obſeruata, & decantata ſententia Ariſt. *hæc inferiora ſuperioribus lationibus regi*. Ex quibus ità liceat philoſophari. Quandoquidèm motu hæc inferiora rapiuntur, qùm adeò varij ſint motus cælorum modò conſenſientes, modò diſſenſientes : *oportet autèm multos eſſe, & contrarios motus aut latione, aut inæqualitate. contrariorum enim contraria cauſæ* Ariſt. 2. de gen., & corrupt. T. 56. prout per epicyclos, aut eccentricos velociùs, aut tardiùs ; ſecundo, aut diuerſo motu orbes cælorum & in his fixa corpora mouentur, ſequitur ex motu aliqua corporum diſcompaginatio, ſeù diſſolutio, & huius diſcompaginationis ſenſus dicitur à nobis calor. *latio enim fouet generationem inceſſantèr, quià adducit, & abducit generatiuum &c. & latio prior eſt generatione* Ariſt. de gen., & corrupt: T. 50. in motu verò conſentiente, & vniformi fit rerum compulſio, cuius ſenſatio apud n s dicitur frigus ; quod duobus modis contingit, & dùm conſentiunt motus cælorum, & dùm oppoſitò motu mouentur alterum ab oriente ex. g. alterum ab occidente ; primo modo dicitur frigus priuatio caloris, qùm enim motu vniformi corpora cæleſtia moueantur, ſimile quid habent, atque ſi quieſcant, & nullam cauſant diſcompaginationem in ſublunaribus, & ex conſequenti nullum calorem. dùm vnus motus rapiens ſuperat, calor ſequitur : dum verò corpora compelluntur, eſt frigus non abſolutè ens priuatiuum caloris, ſed aliquid poſitiuum, & non prorsùs procedens ab immobilitate, aut ab vniformitate motus, vt prior ratio frigoris. Quandò itàquè ait Ariſt. à motu cauſari calorem, poteſt intelligere, quatenùs, cauſat hanc diſcompaginationem : ab immobilitate frigus modo explicato; &, quià motu participato etiàm attrahuntur corpora aliquo pacto admouens, nàm, vt Ariſt. annuit 2. de gen. T. 41. dùm ait, elementa congregat non lis, ſed amicitia : ſimilitudine enìm aliqua naturæ trahuntur; &, qùm mouens ſit ſursùm, dicitur motu non ſolùm calorem cauſari, ſed etiam leuitatem. nihil enìm aliud eſt eſſe leue, quàm ſursùm rapi, ideò protulit Auerrh. in lib. de Cælo. comm. 94. remotionem à motu circulari dare quietem, frigiditatem, & grauitatem ; propinquitatem verò dare motum, caliditatem, & leuitatem : motum videlicèt per taptum participatum, caliditatem per diſcompaginationem motum inſequentem ; læuitatem per tractionem ad ſe; dùm enim res diſcompaginantur, etiàm rarefieri neceſsè eſt ; &, dùm rarefiunt, neceſſariò ampliorem circulum quærant propriæ raritati proportionatum : amplior autèm circulus eſt, qui longiùs abeſt à centro, ideò, quæ rarefiunt, ſimùl leuia fiunt. quapropter qùm terra, & aqua maxime diſtent á Cælo, & eius motus minùs ſentiant, dicuntur elementa frigida, quieta, & grauia ; ità quolibet motu, fricatione, tractione etiàm vehementi, & percuſſione res incaleſcunt, & incenduntur : vt patet in curſu, rota, nauium, ac magnorum ponderum translatione : in qua funes incenduntur, niſi aſſiduò aqua perfundantur ; & in clauis dirigendis : qui aſſidua, ac valida percuſſione ità incaleſcunt, vt etiam rubeſcant. Compulſione autèm corporum, & reditu oritur ſenſus, qui dicitur frigus. in viuente autem

quan-

quandoquè, glacie ad moto, tàm vehemens ſequitur ſpirituum compulſio, vt procedat ad aliquam diſcompaginationem. vndè illicò non diſtinguitur ſenſatio à glacie facta, an caloris, an frigoris ſit. Quomodò autèm à motu, & immobilitate ſequatur humiditas, & ſiccitas, nec exemplo vllo Ariſt. patefacit, nec interpretes ſunt vſque adhuc aggreſſi explicare; ſed, quoniàm Ariſt. omnium harum qualitatum eandem cauſam tradit motum, & immobilitatem, neceſsè eſt ſaltèm perſcruptari, qua ratione id fieri poſſit. in quo determinando, non videtur recedendum à præhabita ſpeculatione, animaduertendo motum ſequi diſcompaginationem, diſſolutionem, & raritatem; vndè qum res aliqua ex parte ſint diſſolutæ per motum, amittunt in hac diſſolutione proprios terminos; &, quoniàm quæcumque materia forma denudata, càque priuata formam aliquam appetit, ita corpora quæcumque proprijs terminis deſtituta alienum terminum quærunt, & facilè recipiunt, *forma autèm, & ſpecies omnium in terminis* ex Ariſt. 2. de gen. & corrupt. T. 50.: & hoc idem eſt humidum eſſe ex ſententia Ariſt. motum itàque ſequitur hac ratione humiditas; & conſequenter immobilitatem, quoniàm res proprijs terminis conſiſtunt, difficilè admittunt alienos; & hoc eſt eſſe ſiccum, vt retulit Ariſt. & ex immobilitate ſiccitas oritur.

Contrà quam determinationem validæ admodùm inſurgunt difficultates. primò, quomodò, ſi hæ qualitates inducunt elementis ab extrinſeco; & motu, & immobilitate cælorum, dicuntur ſequi formas ipſorum elementorum, ſi tribuuntur à cælo.

Reſpondetur ea ratione ſequi formas elementorum, quià nulla eſt elementorum natura, quàm, quæ eis perpetua motione participatur à Cælo, a quo omne eſſe horum inferiorum pendere, protulit Ariſt. his quidem clariùs, illis verò obſcuriùs. quarè cælum non ſolùm tradit, & participat gr. e. igni calorem, ſed etiàm, eſſe ignem, & in ea forma conſeruat. ideò, quod tribuit formam, tribuit omnia conſequentia formam. nec propterea, quòd hæc omnia eminentèr, & a cauſa æquiuoca aliundè pendent, poſſunt dici formam non conſequi. veluti, non propterea, quòd à vento mouetur tota nauis, dici debet, remos non moueri à nauta, qui in eadem naui cùm remo mouetur.

Sed vltrò dubitatur. nàm, ſi qualitates iſtæ dicuntur pendere à motu, & immobilitate: proptèr motum, eſto, dicantur pendere à cælo; at non paritèr poſsunt dici pendere ab immobilitate, quià nulla ratione cælum eſt immobile.

Reſpondetur pro eodem haberi in cælis non moueri, atque vniformiter moueri. Veluti enim in mari, ſi claſſis moueatur vniformi motu, videtur quieſcere, & quælibet nauis ad alteram ſempèr eodem modo ſe habens, & æquali diſtantia diſtans, non differt à quieſcente: ità cæli, dùm motu vniformi mouentur, dicuntur quieſcere; & effectus in his inferioribus paritèr adeò vniformes pariunt, vt dicantur immobilitatem cauſare. ſic terra diceretur etiam ſtare in eorum opinione, qui arbitrantur circulari motu cieri; ſi quidèm motus vniformitas ſimillima quieti eſt, ita vt valida mentis coniectura poſſimus exiſtimare, non minori vi opus habere & æquali difficultate diſcontinuari poſſe paruulas glandulas à puluere tormentario actas, dùm vniformitèr, & eodem impetu contracto mouentur; ac ſi quis quodcumque ſolidum corpus lapideum, aut ferreum tentaret diſſoluere; quasì nihil aliud ſit durities, quàm impetus vniformitas à motu cæleſtium corporum inducta,

ꝯta, & temporum ſpatio radicata: quarum velocitatem, & raptum nulla poſſit capere coniectura mentis; ideoque creditur Ariſt. tradidiſſe hanc immobilitatem elementis, & illam in illis conſideraſſe tanquàm motus priuationem: non vniformitatem, per quam motus non diſtinguitur ab immobilitate.

Tertio dubitatur, & efficacitèr. ſi à motu ſingulari, dixi, procedere calorem, & humiditatem: ab immobilitate frigus, & ſiccitatem, quomodò fieri poteſt, idem elementum eſſe poſſe calidum, & ſiccum, vt ignis: aut frigidum, & humidum, vt aqua. Quùm enim elementum ſit corpus ſimplex, dùm ſuſcipit à motu cæli, aut immobilitate ſuperiùs declarata, vniformitèr debet ſuſcipere; quarè vel per motus vniformitatem, & acceſſionem corporum vnitur, & compellitur; vel per difformitatem, & diſgregationem ſoluitur; ſi hoc accidit, diximus, ſequi calorem ob ſenſum diſgreſſionis, & humiditatem per termini deperditionem; ſi illud accidit eadem immobilitate, qua frigus ſuccedit, debet etiàm ſuccedere ſiccitas; ſic dabitur tantùm corpus calidum, & humidum; & frigidum, & ſiccum; & nullum erit calidum, & ſiccum: aut frigidum, & humidum, quandoquidèm hæ qualitates a contraria cauſa fiunt, & conſeruantur. aut etiam dabitur calidum, & frigidum; & humidum, & ſiccum.

Pro difficultatis ſolutione animaduertendum Ariſt: priùs agere de his qualitatibus, tanquàm de formis elementorum, & eas conſiderat abſtrahendo à conſideratione corporum; indè, conſtituere corpora aptando combinationes harum qualitatum, quæ poſſunt ſimùl permanere in eodem ſubiecto, & non habent contrarietatem, quæ fuerunt calidùm, & frigidum, & humidum, & ſiccum; hæ enim qualitates ſimùl eſſe non poſſunt; non ſolùm quià a diuerſa cauſa procedunt, ſed etiam, quià ſub diuerſa ratione conſiderantur; nàm primæ dicuntur ab Ariſt: actiuæ qualitates, & iſtæ paſſiuæ. Ex eodem motu ſuccedere poteſt calidum, & ſiccum, ſi diuerſa conſideretur ratio harum qualitatum, non conſiderata eadem cauſa efficiente. licèt enim idem motus ſoluat, & rarefaciat corpus, quod rapit; non tamèn terminos illicò ſoluit: quoniàm dantur gradus rarefactionis, cùm quibus ſtare poſſunt ijdem termini conſtituti. ſic non inconuenit, ſolui corpus, quod conſideratur abſtractum ab his traditis qualitatibus, ſed terminos non amittere; & talis erit ignis, à quo per rarefactionem propriam circà tamèn proprios terminos conſtitutam poteſt trahi in conſenſum ſpiritus viuentis; vndè eſt ſenſatio caloris: non tamèn deſtituatur proprijs terminis ignis, nec priuetur, itàut appetat terminum alienum, patiatur tamèn aliquid proprij termini, & ideo ſiccitas aliqua eſt in igne, ſed non in ſummo, quemadmodùm eſt in terra, quæ longiſſimè abeſt à motu, & ei competit ſiccitas in ſummo proptèr maximam compulſionem ad proprium terminum, vt quæ exiſtit in centro. frigiditas eſt qualitas ipſius participata a Cælo, quam tanquàm alienum terminum non facilè recipit ob ſummam ſiccitatem, & naturalem rerum omnium inclinationem ad conſeruandum ſe in propriis terminis, quod præſertim exercent in propris locis, qualis terra eſt. Aqua verò qùm ea quoquè ex natura ſua vt corpus denſum centrum petat; non tamèn conſequitur ob impedimentum illi à terra obiectum, vndè longè abſens à motu frigiditatem priuatiuè obtinuit, & poſitiuè proptèr humiditatem, quam habet, duplici titulo illi conuenit frigiditas, & quià longè abeſt a cælorum motu, & quià alienum terminum facilè recipit,

cipit : humiditatem verò habet, quià non eſt in proprio loco nempè in centro, a quà ratione loci res plurimum conſeruari, & proprijs terminis ſuſtineri, aliàs diximus. tamèn humiditatem non habet in ſummo, quià eadem cauſa frigiditatis compellens eius humiditatem remittit; In aere eſt caliditas, quià eſt cælo magis proximus, quàm ſit terra, aut aqua, & eius motu magis cietur: quià tamèn non motui cæli adeò proximus eſt, vt ignis, hanc caliditatem habet remiſſam. habet tamèn in ſummo humiditatem, quià duplici de cauſa illi competit, & proptèr motum caliditatem inducentem, & proptereà quòd extrà proprium locum eſt ab igne impeditus (duas enim tantum loci differentias poſuit Ariſt: ſursùm, & deorsùm, ad centrum, & à centro; ad centrum tendunt terra, & aqua, à centro mouentur aer, & ignis. aqua, & aer non ſunt in proprio loco, quià hic impeditur ab igne, & illa ab aqua) In igne eſt ſumma caliditas, eo quià maximè proximus eſt motui cælorum. Habet ſiccitatem, quià eſt in proprio loco ſursùm; à qua natura loci res maximè conſeruari, relatum eſt. à calore tamèn, & cauſa illius ſiccitas in eo remiſſa eſt. termini enim etiàm raritatis, & caliditatis in igne ſunt conſtituti, nec adeò mouentur partes ſursùm, & deorsùm vt in medijs elementis, ſed in gyrum rapitur: qui motus reſpectu ad motum ſursùm, & deorsùm habet rationem quietis, ideoquè proprios terminos ſeruat ratione loci, & nō recipit alienos, & hoc idem eſt, eſſe ſiccum. Extrema elementa itaquè, quià in loco ſunt, alienos terminos non quærunt. media, quia nec omninò ſursùm, nec omninò deorsùm manent, aſſidua fluctuatione exercentur, nec propriis terminis continentur. indè aeris regiones variæ conſtituuntur, nec vna ratio eius eſſe videtur, quià ſummè humidus eſt. At calidum, & frigidum ſimùl nullum eſſe poteſt elementum: quià repugnat idem propè, & longè eſſe à motu orbium cæleſtium, nequè humidum, & ſiccum: quià paritèr repugnat eſſe in proprio loco ſursùm, aut in proprio loco deorsùm.

Ex his conſtitutis multæ diluuntur difficultates, & ſoluuntur dubitationes circà hæc emergentes. Prima eſt, non poſſe in eodem elemento eſſe duas qualitates ei competentes ambas in ſummo ob adductas rationes. Secunda has qualitates remiſſas non eſſe per admixtionem contrariæ. Tertia. qualitates ſymbolicas, licèt recipiant aliquam diſtantiam in gradu, non tamèn differre ſpecie, & patet, quomodò in ſymbolicis ſit facilior tranſitus. Quartò patet, quomodò quodcumque elementum poſſit à quocumque immediatè generari, & vnum producere aliud ſpecie diuerſum, vt ignis ex aqua aerem generat, & terra ex aere aquam, vt in meteorologicis manifeſtabitur. Quinto patet, aſtra non ideò calefacere, quià ignea ſint, ſed quià mouentur, & motu rapiunt, & diſgregant ætherogenea, quæ in reſpectiuè homogeneis, vt ſunt quæque ſublunaria, reperiuntur ignis &c. ex Ariſt. 2. de gen. &c. T. 20., & quomodò cælum per motum, & lumen calefaciat, & quæ ſit cælorum quies. Sextò patet, vndè tot, & tam controuerſæ aeris regiones ſtatuantur proptèr ſummam ipſius humiditatem, & inconſtantiam. Septimo patere poteſt, quo differat calor, qui dicitur cæleſtis ab elementari, innatus ab influente, naturalis ab aſcititio, vitalis à febrili, de quibus ſuo loco aliàs recurret ſermo: hùc tamèn ſempèr reuocandus. Demùm patere poteſt ſummi opificis prudentia, & conſilium, quo maximè humidum elementum in medio conſtituit, vt perpetua fluctuatione, & agi-

agitatione præſertìm ſursùm, & deorsùm ad varias eius regiones, ac aſſiduo recurſu à Septentrionibus ad Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentriones participatum calorem, quantùm ſatis eſt, deferat etiàm ſub polos, vbi nullus motus, aut modica illius vis inuenitur.

De Generatione elementorum inuicèm, & eorundem concurſu ad generationem mixti.

ARiſt. 2. de generat.; & corrupt. T. 46. refert ſententiam Empedoclis, elementa miſceri, & integra manere, vt lapides, & calx in pariete, dùm mixta corpora generantur: repetendo aliàs allatam ſententiam Empedoclis, elementorum ſubſtantiam eſſe perpetuam, nec inuicèm tranſmutari, ità vt ex aqua fiat aer, nec ignis ex aere, nec terra ex igne, nec aqua ex terra; ſed hæc eadem ſeruentur deſtinata ad generationem mixtorum, quibus diſſolutis reuertantur ad propriam naturam, velutì diſſoluto pariete lapides, & lateres ad nouum opus parati redeunt. quam ſententiam non prorsùs repulit Ariſt. dùm dixit, perſeuerare virtutes elementorum in mixto integras, licèt elementa proprium actum amittant, & alium recipiant. ſic eam ex parte probat. at inuicèm non tranſmutari elementa, & ſeruari tanquàm materiam omnium, quæ fiunt; hoc omninò negauit, & eius opinionem omnis peripateticorum ſchola conſequitur, eo experimento præſertìm ſuaſa, quo aqua in vaporem conuerti videtur, qui vapor aut aer eſt, aut ſenſu ab aere non diſtinguitur, neqnè de hac re ampliùs intereſt hominum dubitare; ſed quærendum; quomodò ex his elementis ſiuè perpetuis, ſiuè inuicèm tranſmutatis, mixta generentur.

Primò ait Ariſt. non poſſe mixta generari, manentibus prorsùs integris elementis, vt ſenſit Emdedocles: quià mixtum non eſſet verè mixtum, ſed quædam elementorum congeries, apparens mixtum ad ſenſum: re vera autèm non habens rationem mixti; quod probat, quià mixti debet eſſe vna tantùm ratio, & eadem debet eſſe ratio totius, & partis. ſic quælibet pars mixti debet eſſe mixta; at, ſi elementa concurrerent ad generationem mixti eo modo, quo tulit Empedocles, elementa eſſent partes mixti, ſic partes mixti eſſent ſimplicia corpora, neque quælibet pars poſſet reſolui in miſcibilia elementa. Sed, ait, nec poſſe generari mixtum per omnimodam tranſmutationem elementorum ſubſtantialem; quia hæc non eſſet mixtio, ſed generatio. Vt igitùr oſtendat, quæ ſit vera ratio mixtionis, ſupponit primùm primas qualitates elementorum, quæ ſunt eorum præcipua inſtrumenta ad agendum, & dicuntur eorum virtutes, intendi, & remitti, & habere gradualem latitudinem: intrà quam latitudinem conſeruatis qualitatibus conſeruetur, & forma, cuius ſunt virtutes. Supponit deinde has qualitates appræhendi debere, & actu, & potentia; actu, & ſimplicitèr dicitur qualitas, quandò ſubiectum ab ea denominatum eam continet ſecundùm omnem latitudinem graduum ſibi debitorum, vt ignis dicitur actu calidus, & ſimplicitèr, quià continet gradus omnes caloris, qui in ſummo haberi poſſunt, ſic caloris nullum gradum habet in potentia: habet tamèn in potentia omnem gradum frigoris. Sic aqua in propria naturæ ſuæ temperie; conſtituta dicitur

frigida ſimplicitèr, quià nullum continet gradum caloris actu, ſed omnes potentia. Quandò verò ſubiectum habet gradus aliquot qualitatis, vt g. e. caloris: non tamèn omnes, hoc dicitur partim actu calidum, & partim potentia; & partim actu frigidum, & partim potentia. quià non creduntur poſſe remitti gradus caloris in nullo ſubiecto, nisi per admiſtionem frigoris. His ſuppoſitis, ait, veram rationem mixtionis eſſe, quandò qualitates miſcibilium ſeruant in mixto aliquem actum; namquè, ſi vniuerſa latitudo qualitatum miſcibilium ſuperetur, tunc non dicitur mixtio, ſed generatio vnius, & corruptio alterius. At, dùm ſeruantur ex parte qualitates miſcibilium, etiàm contrariæ, & refranguntur in mixto, non vt inuicèm ſe deſtruant, ſed vt altera alteram perficiat, & altera alteri proportionem tradat formæ mixti conuenientem, ea dicitur mixtio. & hoc modo verè mixtum dicitur fieri ex elementis tanquàm ex materia, & elementa dicuntur fieri ex mixto, dùm iſtud corrumpitur: &; qùm generatio debeat fieri ex contrariis, neceſsariò in qualibet mixtione debent concurrere aqua, & terra, vt experimur, nec ex aqua quicquam generari, niſi aliquo modo fuerit admixta terra, nequè ex terra, nisì hæc fuerit irrigata. qùm terra, & aqua non ſint prorsùs contrariæ, & generatio ſit ex contrariis, debent concurrere ea elementa, quæ his ſunt contraria, vt contraria terræ eſt aer, & contrarius aquæ eſt ignis. ideò non ſolùm terra, & aqua vt experimur, debent concurrere ad generationem mixti, ſed etiàm aer, & ignis. de quo, quod addit Ariſt. T. 50. ex elementis omnibus ſolum ignem nutriri, intelligere oportet, de impropriè dicta nutritione, nam propriè ignis non nutritur, nec quicquam conſumit, vt immerito accuſatur, ſed, quià maximæ actiuitatis eſt, & ad proprium locum velociſsimè reuertitur euocando à mixto propriæ rationis elementum, mixtum diſſoluit: propterea creditur eo nutriri; diſſoluitur autèm, quià mixti ratio conſiſtit in proportione primarum qualitatum. euocata igitùr ignis qualitate propria, deſtruitur ipſa proportio, & quodlibet elementum priorem recipit actum, non autèm tranſmutatur in ſubſtantiam ignis, vt nutritio propriè expoſceret; nec nouum actum recipit idem ignis, ſed reuocatur ad priorē; ad cuius habitum non dicitur redire a priuatione, quià nunquàm omnimodum actum amiſerat, ſed tantùm nouæ formæ ſeruitio obtulit in gradu remiſſo ad exigentiam dictæ formæ, quæ agit per gradum excedentem, & ſuperantem. Ideòque, quandò nullus gradus qualitatis ſuperat, vt euenit in eo temperamento, quod a medicis dicitur æquale ad pondus, nulla poteſt ſequi actio. propterea tale temperamentum dari non poteſt, non quià in qualitatibus non poſſit dari medium rigorosè: quippè ex parte formæ temperamenti nihil repugnat dari hoc æquale ad pondus, qùm detur medium intèr contraria; repugnat tamèn reſpectu ad cauſam finalem, quià omne temperamentum directum eſt ad actionem, hoc autem ad pondus, qùm nullam poſſit habere actionem, eſſet fruſtrà, quod in natura dari non poteſt, vt aliàs explicatum eſt, dando cauſam cur non poſſint dari formæ poſtulantes temperamentum in gradu æquali; nempè, quia nil poſſent operari, ſic non eſſet temperamentum perfectiſſimum, vt ait Ruuius; ſed imperfectiſſimum. at data cauſa finali, vt euenire poteſt, & exercitè euenit in animali non ad agendum, ſed ad patiendum per quoddam pati perfectiuum, in percipiendo quocumque exceſſu qualitatum, poteſt dari, & datur hoc temperamentum æquale ad

ad pondus, vt ſuo loco manifeſtabitur luculentiùs. Poteſt etiàm dari in homine, quatenùs non operatur per temperamentum, ſed per animam, & temperamentum conſtituit tantùm corpus organicum potentia viuens, & aptum ad recipiendam formam informantem; quod tamèn hominis temperamentum, non ſimplicitèr ad pondus eſt, ſed in æquilibrio, vt diutiùs ſeruetur per vices ſuperando modò ad vnius qualitatis exceſſum, modò ad alteriùs, qùm in medio ſimplicitèr conſiſtere nequeat; veluti ne quidèm per rectam lineam ſimplicitèr poteſt fieri nauigatio, ſed modò ad vnam, modò ad aliam pendente naui media linea nauigationis cum aliqua latitudine ſerpens continetur, & nauis poteſt habere conſtitutionem æqualem ad pondus in motu, & locus eius naturalis eſſet medius intèr aquam, & aerem, ſic vt pars media aqua mergeretur, pars altera media eſſet ſupèr aquam. qùm enim tantùm deorſùm ferretur, quod ſuprà aquæ ſuperficiem eſt, quantùm ſursùm, quod infrà eſt, in medio conſiſteret: & hic eſſet illius locus naturalis, quantùm haberi poteſt in ſolidis, quòd ſi hoc idem corpus liquaretur in medio prorsùs conſiſteret, ſinè vlla vi, vt oleum.

De cauſis generationis, & corruptionis.

Aſſignando cauſas generationis, ſatisfacere credidere antiquiores, sì ponerent tantum modò internas cauſas, nempè materiam, & formam; dato enim quod participatur, vt forma, & quod participat, vt materia, nihil aliud requiri arbitrabantur. aut in his cauſis intrinſecis, & eorum ratione etiàm extrinſecas contineri putabant, quas ambas ad vnam reducebant, nempè ad cauſam efficientem: quas omnes ſomniabant, inquit Ariſt. T.52. nemo autèm, aſſignabat, ſed videbantur cauſæ efficientis rationem includere, in ſuſceptiuo formarum, ſeu materia, dicendo per ſuſceptionem res generari, & per abiectionem corrumpi. rationem verò cauſæ finalis, & cuius gratia in forma, & in ſpecie. Sed non ſatis eſt, ait Ariſt., aſſignare tantùm cauſas intrinſecas, ſed oportet etiàm extrinſecas numerare. vndè ſubdit Ariſt. T. 53. quis dicat materiam generare proptèr motum, magis ex natura loquitur. nàm, ſi eſt motus, erit etiam, quod mouet, vt patet in corporibus cæleſtibus, in quibus ad motum non ſatis eſt materia, & forma; ſed requiritur etiàm mouens, qualis eſt intelligentia, ad quam reducere omnem actionem oportet; nàm motus cælorum ſempèr eſt, & corpora cæleſtia ſempèr mouentur: at in ſublunaribus quandoquè eſt, & quandoque non eſt. ſaltèm proptèr frequentiorem, & magis apparentem rerum tranſmutationem à non ente, ad ens per generationem; & ab ente, ad non ens per corruptionem. &, qùm rationabilius ſit, ens eſſe cauſam non entis, quàm non ens entis, rationabilius etiàm erit dicere, horum ſublunarium motus, qui ſunt ad generationem, & corruptionem, ſuperioribus lationibus regi, quæ perpetuæ ſunt; & quod fertur, ibi ſemper eſt. atque; ſi quod fertur, & quod generatur non eſt; formalis cauſa, quæ non eſt, non poteſt inducere cauſam efficientem, quæ eſt ante generationem; quin aliquo fine moueatur ad producendum compoſitum, & introducendam formam. Qùm igitùr ſuperiorum corporum latio ſtatuatur cauſa efficiens generationis, & corruptionis, quærendum,

dum, an prima latio ſit cauſa vtriuſque. quod reprobat Ariſt. quià prima latio eſt vna, & vniformis, & generatio, & corruptio ſunt motus contrarii: hæc enim ſequitur ſegregationem elementorum, illa congregationem. at vnum, vt vnum eſt, ſemper aptum facere idem; igitùr prima latio non poteſt eſſe cauſa, & generationis, & corruptionis. Cauſa igitùr amborum, & generationis, & corruptionis erit latio, quæ in obliquum fit; in ea enim inueniuntur contrarii motus, per quos contrarii poſſunt produci effectus: vt eſt generatio, & corruptio; quod apparet etiàm manifeſtum in Solis acceſſione, & deceſſione: quippè, dùm Sol accedit ad nos, magna ex parte rerum generatio contingit, aut ſaltèm inchoatio rerum, quæ poſtmodùm perficiuntur: decedente verò Sole, ceſſat generatio. æſtate enim plurima producuntur, hyeme admodùm pauca, & ea ex ſeminibus æſtate confectis. aut ex vi, terræ inſita per æſtatem. ſeruari enim hoc modo videtur in ſublunaribus circulatio, a qua omnia pendent, & quam ſequuntur per generationem continuatam tàm ſimplicium corporum, quàm mixtorum; quibus omnibus etiàm tributa eſt determinata duratio iuxtà influxus, ex circulationibus receptos, & iuxtà diſpoſitiones ſingulares cuiuſcumque rei genitæ.

An res eadem reproduci iterùm poſſit, poſtquàm corrupta erat.

Quoniam Ariſt. motu cæleſtium corporum regulari generationem, & corruptionem ſublunarium, & acceſſum, & receſſum Solis manifeſtiùs ſequi res accedentes, & recedentes, dubitant an, quæ accedunt, & recedunt, ſint eadem numero, an tantùm ſpecie eadem, quod aſſertum T. 70, & vltimo lib. 2. de gen. prolatum curioſam excitat dubitationem, an eadem res numero poſſit regenerari, ità vt à priuatione ad habitum detur regreſſus.

Nonnulli affirmatiuam ſequuti narrantur ex antiquis philoſophis; & hoc præſertim tribuunt Platoni qui id ſaltèm referat, poſt longam cæleſtium corporum reuolutionem, omnia corpora eadem reditura ad eoſdem motus, & eaſdem intèr ſe diſtantias, & viciſſitudines. vndè, concurrentibus non ſolum iiſdem motibus, & influxibus, ſed etiàm præcedentibus ex his diſpoſitionibus materiæ, eoſdem quoquè numero effectus eſſe ſequturos, & eadem ſerie, res, & nos in minimorum etiàm, ac contigentium paſſionibus reuerſuros. Hoc autèm diuerſo modo conſtituunt philoſophantes. alij enim animaduertentes Aplanes motum, qui à Timocharis temporibus vbſquè ad noſtra proceſſit quaſi per integrum ſignum, id futurum fore prædixere, poſt ſpatium 30000. annorum, quo tempore, qùm ſequatur integra reſolutio cæli ſydera inerrantia continentis, & nouus illius motus debeat incipere; futurum etiam fore exiſtimant, eoſdem ſequuturos errantium aſpectus, &

ex

ex his eoſdem prorsùs, & numeri-cos effectus. verùm acriora ingenia hæc eadem perpendentes; licèt concedant aplanes motum poſt tale ſpatium temporis reuerſurum, non tamèn proptereà eoſdem redituros errantium aſpectus, à quibus inexplicabilis rerum variatio poteſt ſuccedere; præſertim concurrentibus antecedentibus diſpoſitionibus, quæ proportionalitèr diuerſæ erunt in longis acceſſionibus, atque in breuibus in dies obſeruentur. *tranſit per meridiem, & flectitur ad Aquilonem*. Vndè alij cum Erodoto, & Pomponio Mela aliam longè maiorem circuitionem produnt, quam dicunt eſſe Solis per polos, & viam, quam lacteam vocant, per quam ferri Solem gradu incompræhenſibili tarditate procedentem, ità pererrans per eandem viam lacteam, & per polos tranſiens vnam circuitionem non compleat, niſi annorum 1296000. Obſeruarunt enim aſtrologi, Solem appellere ad æquinoctium annis 3600. gradu vno, & quo magìs ad æquinoctium accedit, eò maiorem dierum æqualitatem, & ſiccitates in dies maiores oriri, & exarſiones. qum verò ad polos reuertatur, eluuiones produci: &, ſi quandò per polum ad partem huic, vbi nunc eſt, deuenerit Sol, diuerſum iter tenere, & contrà raptum non duci; & hoc tempus eſſe, ſomniant nonnulli, quo Plato refert inuertendas eſſe rerum vices: &, qui mares modò ſunt, fœminas reuerſuros; &, ne ex toto facienda ſit ſexus mutatio, ſeruari etiàm in viris mammas, & propenſionem ad patiendam Venerem: donèc, redeunte iterùm hoc oppoſito Solis curſui primi mobilis, ipſi quoquè iidem numero reuertamur, & omnia, quæ in hoc vniuerſo nos conſequuntur aſtra, cæli, flumina, vrbes, arbores, folia, & ſi quid aliud obſeruari poteſt ipſiſſimum. Quod commentum prorsùs temerarium, & ſcholæ omnes ducunt, & cum riſu prætereunt, ne quidem attenta animaduerſione dignum iudicantes. Dubitat enìm Ariſt. de ſæculis notis, in quibus, quæ inciderint, capiat humanæ conjectura mentis. an, quandò deceſſerint, redeant eædem; & diſtinguit duplicem rationem identitatis, nempè numericam, & ſpecificam, & ea, inquit, quorum ſubſtantia integra remanet, eadem numero redeunt; & quorum ſubſtantia non remanet integra, redeunt eadem ſpecie. Inueſtigare igitùr oportet de qua nàm ſubſtantia intelligat reditura; certum eſt intelligere de ea, quæ propriè, principalitèr, & maximè dicitur, hoc eſt de compoſita, qùm ſupponat redire, quod redit, idem numero, ſic ſecundùm omnes partes eſſentiales, hoc eſt materiam, & formam. Sunt qui credidere, idem numero ſuppoſitum poſſe redire, ſi eadem materia numero eidem agenti proponatur; vt, ſi eadem materia ſeminis ſubijciatur actioni eiuſdem agentis naturalis. quod probant exemplo formæ accidentalis, dicendo, ſi idem numero ignis admoueatur eidem aquæ, rediturum eundem numero calorem, qui extinctus fuerit. Sed hæc ſententia ex hypoteſi poſſet concedi; ſed id, quod ſupponitur, impoſſibile eſt, ergò neganda eſt hypoteſis, qua negata, corruit argumentum, namquè eadem materia abſolutè non poteſt redire; & ſaltèm ea priuatio, quæ ſupponitur, antequàm prima forma educeretur, receſſit ea forma adueniente; &, hac forma pereunte, non poteſt redire eadem numero priuatio, quæ non eſt ſimplex negatio ex Ariſt. ſed forma quædam. materia igitùr erit alia etiàm in ſententia, quæ tenet in corruptione ſequi reſolutionem vſquè ad materiam primam; quia noua forma non educitur de materia prima, ſed de materia benè diſpoſita, quæ diſpoſitio pendet ex va-

varijs formis introducendis ad ipſam diſpoſitionem perficiendam: quas formas omnes videtur ſupponere ſuperſtites Ariſt., vt idem numero dicatur redire; vt, pro exemplo videtur rediturum tantùm ſupponere eundem Solem, quando receſſerit, & hoc intelligere, dùm ait, *ſi integra maneat ſubſtantia*, ad quam ſi accedat noua actio, noua quantitas, noua relatio &c. credat non manere ſubſtantiam, nam ait, *ſi aqua ex aere fiat, & ex aere aqua* redire idem ſpecie, & non numero, quamquàm aliàs diſtinxerit generationem ab augumento; quià in generatione totum tranſmutetur in totum, in augmento maneat eadem res, ſed per additionem eiuſdem rei fiat maior; quod ſequi videtur in aquæ, aut aeris generatione; nunquàm enim tota aqua corrumpitur, neque totus aer, ſed partes eorum corrumpuntur, & generantur; quarè hæc non videtur mutatio ſubſtantiæ, ſed quantitatis, & augmentum, & decrementum; at hoc loco ait, redire aquam, & aerem eandem ſpecie: non numero; quod ſi negat in corporibus ſimplicibus, quæ certè, dùm corrumpuntur, reſoluuntur in materiam primam, aut, ſi quid ſimbolicum remanet in illis; ad identitatem numericam facit, & ex eadem materia prima, aut ſimbolica redeunt; ſic agens eſt idem, materia eadem, & tamen non redit ex Ariſt. eadem numero aqua, & aer. Concludere oportet ex Ariſt. idem numero compoſitum, quod perierit, nunquàm poſſe redire. præſertim de compoſitis diſſerendo, quorum formæ educun-tur de potentia materiæ, quæ autem vſque adhùc prolata ſunt intelligere oportet de rebus compoſitis ex forma corruptibili. non de homine, cuius in præſenti non eſt ſermo.

METEOROLOGICORVM.

ABſoluta tractatione de generatione, & corruptione, & de quacumque transmutatione rerum in communi, aggreditur Ariſt. ſingularitèr dicere de his, quæ inuicèm trãſmutantur; &, vt procedat ab imperfectis ad perfecta, vt ordo dotrinæ poſtulat, loquitur de meteoris: hoc eſt de his, quæ in ſublimi fiunt. quippè perfecta rerum generatio ex eius ſententia procedit per mixtionem omnium elementorum concurrentium ad mixtionem; hæc autèm non concurrunt, niſi ad terræ ſuperficiem, quò aer deuenit, & aſſiduò permanet, aqua interdùm deſcendit, & ignis in intimas terræ cauernas cælorum motu circumlatus emergit; & aſcendit. ſic in terræ ſuperficie omnia elementa concurrunt ad generationem aer, terra, ignis, & aqua. propterea ibidem perfecta generatio fieri contingit. In ſublimi autèm, quò nec terra, nec aqua aſcendit: ſed tantùm quædam aquea, & terrea deueniunt, non fit perfecta cuiuſquam rei generatio, ſed imperfecta. &, qùm procedere velit ab imperfectis ad perfecta, priùs de his, quæ in ſublimi fiunt, loquitur. Et primò de eorum cauſis, præſertim de efficiente, vt cælum eſt, & aſtra; & materiali, vt ſunt elementa, & aliquid elementare. Dein aggreditur, de his dicere, quæ aut minùs perfecta ſunt, aut proptèr diſtantiam minùs perfectè dignoſcuntur: vt ſunt flammarum accenſiones, ſydera labentia, trabes, capreæ, imagines nocturnæ, cometæ, & lacteus circulus. mox de his, quæ magis proximè intuemur: vt vapor, nubes, caligo, pluuia, nix, grando, ros, pruina. Poſtmodùm de

de his, quæ ex his pluuijs præſertim, & niuibus oriri creduntur, vt fontes, & flumina; & ex his mare. Deìn quæ à terra produci, vt venti, & terremotus; & quæ his ſimilia in ſublimi apparent, vt coruſcatio, & tonitrus, procellæ, vortices, fulmina. Poſt hæc loquitur de his, quæ noſtros oculos decipiunt per refractiones &c. vt areæ, iris, parælia. Atque, relatis his, quæ in ſublimi fiunt imperfecta, ad ea procedit, quæ paritèr naſci contingit imperfecta extrà terræ ſuperficiem, ſed eius partibus reconditis, vbi foſſilia, & metalla generantur. Et, quoniam generatio, & corruptio mixtorum imperfectorum videtur habere quandam diuerſam rationem à generatione, & corruptione mixtorum perfectorum, in quibus etiàm, & ex quibus; & ex natura, & ex arte dantur quædam imperfectæ generationes & corruptiones, quæ videntur pendere ex qualitatibus, & habere mixtam quandam naturam intèr alterationem, & veram corruptionem: ideò iterùm agit in quarto libro Ariſt. de qualitatibus actiuis, & paſſiuis. repetit, quid ſit generatio ſimplex, & corruptio, & ſuperaddit ſermonem de his, quæ generationi, & corruptioni aliqua ratione aſſimilantur: vt eſt putrefactio, concoctio & inconcoctio, & ſpecies earum, vt maturatio, cruditas ex natura; elixatio, inquinatio, aſſatio, toſtio ex arte. Repetit de ſpeciebus à paſſiuis qualitatibus, & de ſiccitate, humiditate, duritie, & mollitie: & de cauſis concretionis, liquefactionis, & incraſſationis; & de his, quæ procedunt à paſſiuis qualitatibus in ſimilaribus corporibus, eorundemque paſſionibus, differentijs, dignotionibus, explicationibus; ac demùm de cognitione temperamentorum corporum ſimilarium; & quo cognoſcantur corpora conſtare humido, ſicco, calido, aut frigido, concludendo fruſtrà repeti tractationem de qualitatibus, à quibus pendent operationes, quià operationes magis innoteſcere poſſunt, quàm ſubſtantiæ, de quibus eſt quæſtio communis difficillima: vt primo de anima repetit T. 4. & 5. Et in hoc proemio hoc ſingulare animaduertunt interpretes Ariſt. omnium, de quibus anteà ſermones inſtituerant, accuratam repentionem facit: & eorum, quæ in his libris dicenda veniunt, ſeriem diligentèr proponit. ex quibus inferunt, ſententias in his libris habitas maximè faciendas eſſe, quandoquidèm attenta animaduerſione compoſita oſtenduntur.

De cauſa efficiente, & materiali Sublunarium.

STatuit Ariſt. primùm, cælum ſtatuendum eſſe cauſam efficientem omnium, quæ apùd nos, & in ſublimi fieri animaduertimus. qùm enim perpetua, & irrequieta ſit motio, perpetuum etiàm, ſtatutum eſt, habere motorem; non igitùr poteſt eſſe ſubiectum motor harum mutationum, ſed cauſa efficiens; ſubiectum autèm erunt corpora, quæ dicuntur elementa; hæc enìm ſunt tranſmutationibus obnoxia, quià mouentur motu recto, aut ſursùm, aut deorsùm; quarè, qùm motus eorum naturalis ſit terminabilis, vt, quantùm fieri poteſt, perpetuitatem primi entis imitentur, nouis formis ſubiiciantur neceſsè eſt; vt. ſecundùm earum variam propenſionem à ſublimi loco ad medium, a medio ad infimum, ab infimo rursùs ad medium, & à medio denuò ad ſupremum ferantur; ſic perpetua viciſſitudine, peren-

renni, & continuato motu agitentur. & eſt ſuperioribus lationibus ſublunaris mundus continuus, vt eius virtute gubernetur; & ſubeat has mutationes, quibus elementa, & ſimplicia inuicèm tranſmutentur; & hoc modo motus perennitate fruantur, & inuicèm commixta perfectæ generationi in ſublimi præludant.

De Aere.

SVpponit Ariſt. tanquàm ſenſu manifeſtum, qui nam ſit ordo terræ, & aquarum: harum enim magnitudo, & diſpoſitio ſatis nota habetur per coſmographos, qui terrarum, & aquarum menſuram ſunt diligentèr, & efficacitèr aggreſſi. Dubitatio autèm primò incipit ab aere, de qua per ſenſum non adeò perſpicuum eſt, an certo loci ſpatio menſuretur, & conſtet: an verò per omne ſpatium extendatur, quod intèr nos, & vltimum cælum depræhenditur; ità vt nullum ſit aliud corpus medium inter nos, & vltima aſtra prætèr aerem, ſiuè vltima ad nos vt Luna, ſiuè a nobis, vt primum mobile. Circà quam dubitationem, à ſe prius determinatum eſſe, ait, vniuerſum explere omne corpus vnum, quod dicitur materia, & potentia; & hoc omnium naturis ſubijci; & hanc opinionem non à ſe primùm, & vndequaquè eſſe promulgatam, ait, ſed alios ità exiſtimaſſe, licèt alio nomine nempè ætheris huiuſmodi corpus ſignificarent, quod accipiebant pro materia. Anaxagoras aſſerebat, hoc omne interſtitium ab igne occupatum eſſe, & quod ignem appellabat, & æthera, & dicebat eſſe potentiam, tanquàm nulli eorum, quæ ſunt apud nos, exiſtens idem: ſed, quod continuata motione agitaretur. Diſſentio itaquè in nomine eſt, non in re; ex quo ſit, vt eædem opiniones variis nominibus, & diuerſis nominum acceptionibus, centiès, & infinitiès renouentur. Si enim intelligatur hoc omne interſtitium repleri materia prima, quæ ſit omnia potētia, & ex cuius potentia formæ omnes educantur; nihil intereſt, ſi quis hanc potētiam, vocet, an æthera, an aerem, dummodò tanquàm primum ſubiectum per ſimilitudinem accipiatur, ex quo omnia fiunt, & in quod omnia reſoluuntur. Si verò non accipiatur hoc corpus intermedium pro potentia, & materia, ſed determinetur ad vnam naturam ignis, aut aeris, oſtendit non poſſe eſſe nequè ſolum aerem, nequè ſolum ignem. non ſolum ignem, quià, qùm ſit elementum tantæ actiuitatis, breui tempore abſumpſiſſet aquam, & terram, conuertiſſetque in ſui naturam, non ſolum aerem, quià; ſi ex his elementis debent generari mixta, debet eſſe aliqua proportio intèr eadem elementa; at ſi hoc interſtitium à terræ ſuperficie vbiquè ad Lunæ concauum cælum ſolus aer occuparet, multo excederet quantitàte cætera elementa, quæ cùm eo debent concurrere ad conſtitutionem mixtorum. Quòd enim conſeruentur elementa æterno tempore, nec per mutuas tranſmutationes abſumantur, cauſa eſt potentia æquilibrata ſingulorum à ſummo Opifice. Qùm igitùr ſtatutum ſit, medium ſpatium inter nos, & Lunam repleri ab aere, & ab igne; rurſùs dubitare contingebat, an hæc duo elementa poſſent omne ſpatium replere, quod eſt intèr terram, & primum mobile; aſtra enim, & calore, quem emittunt, & lumine, & micatione ipſiſſimum ignem referunt. ideò videtur totum cælum igneum in ſublunari verò vniuerſo aerem locari; ſed hanc redarguit opinionem

nem Ariſt., quia nulla ſeruaretur proportio intèr elementa; eſto enim in denſo corpore, vt eſt terra, & aqua, minore admodùm mole contineri eandem materiam, ſeù ſubſtantiam; ità vt, ſi terra in ignem reſoluatur, prout ignis contractus eſſe videtur, & aqua reſoluatur in aerem, vt paritèr videtur aer contractus; tamèn nunquam in tam magnam molem reſolui poteſt, qua cælorum ſpatia poſſint occupari; quod ex eo præſertìm deducit, quo ſydera ferè cunta inerrantia nobis intuentibus apparent quaſì punctum in cælis; & tamèn aſtronomicis obſeruationibus menſurata ſingula magnitudine longè terræ magnitudinem ſuperare traduntur. quomodò igitùr in tam magnam molem reſolui poteſt terra, etiàm ſi tota reſolueretur in ignem, aut aqua in aerem ex quibus concludit aerem, & ignem replere ſpatium intèr terram, & cælum Lunæ: in cælis verò peculiaria corpora aſtris eſſe tradita, & perpetuis circuitionibus obligata. In loco verò, qui ſub Luna eſt, aer in tres partes diuiditur, tanquàm in tres regiones. Prima regio eſt calida, & humida quia vaporibus plena eſt, qui vapores humidi ſunt, quià ab aqua eleuantur, nihil enìm aliud eſt vapor, nisì aqua reſoluta; ſunt calidi, quià calore aqua reſoluitur, & quia aer in hac prima regione etiam admixtas habet exhalationes;& eſt exhalatio calida, & ſicca, & velutì vapor ab aqua, ità exhalatio à terra eleuatur. Secunda regio eſt frigida, & humida, & proptereà exhalationes, & vapores qui ad eam peruenerint, frigore denſati in nubes, & aquam conuertuntur: aut per circumobſiſtentiam in ignem, qui vel ſtatìm extinguitur, vel ad tertiam aeris regionem velociſſimè fertur, eamque veluti igneam reddit. quaproptèr, & proptèr calorem ex his exhalationibus procedentem, & proptèr ignis viciniam in eâ regione nubes non generantur, & conſequentèr, nequè pluuiæ, aut grandines; quæ prohibentur etiam eidem, quia ab igne circumlato aliqua ex parte etiam aer ſublimis circumfertur, & idcircò cogi ibidem nubes non poſſunt, nec pluuiæ generari.

De igne, & igneis apparentibus.

MVltoties Ariſt. in his libris pronunciauit, ſub Luna ignem propriè dictum non eſſe, hoc repetit Cap. 5. dicendo eſſe quid innominatum ibi calidum, & ſiccum commune in omni fumoſa diſgregatione, ex quo fiunt multa in cælo apparentia pendentia ab eadem cauſa; ſed prout magìs, aut minùs incenduntur, prout maiori, aut minori mole ſe oſtendunt, & pro vario motu varia etiam ſortiantur nomina. Interdùm enim communi vocabulo flammæ accenſæ dicuntur, dùm fixæ videntur, & pyramidali figura conſpiciuntur. ſi ignem oblongo corpore conſtituant dicuntur trabes, aut lanceæ. ſi inæqualitèr diſcurrunt, & modò deprimant ſe, modò attollant, vocantur capreæ, aut ignis fatuus; & draco: &, ſi latum corpus efficiant æquale, & immobile appellantur areæ. Qùm verò non vndæquaquè accenduntur ea corpora, ſed, prout ætherogenea ſunt, & exhalatione tenuiore, & craſſiore conſtituta, proptèr quod in vna tantùm parte contingat accendi, & ex parte accenſa extrema tantùm illuminata nobis in conſpectum dari, medium verò obſcurum permanere, ea corpora appellantur hyatus, ſi magna ſint, ſi minora foueæ. ferè etiàm pars accenſa in

conſpectu non eſt. ideò varii colores componuntur, ſed præſertim purpurei, & ſanguinei, aut punicei. propè nos etiàm fiunt per circumobſiſtentiam à frigido, & ſunt præſertim fulmina, ignes fatui, & dracones, ac ſydera diſcurrentia, quæ promiſcuè mouentur aut ſursùm, aut deorsùm, aut ad latera. licèt enim ignis ex ſui natura ſursùm feratur, tamèn, qui generatur per circumobſiſtentiam, non dicitur moueri, ſed proiici; ideoquè, quocumque proiiciatur, fertur ſiuè ſursùm, ſiuè deorsùm. Ignis, qui dicitur lambens, ferè ad terræ ſuperficiem iuxtà ſepulchra, & vbi fimus multus ſeruatur, aut circùm corpora viuentium noctù apparet: veluti ex frictione alacris equi, aut felis interdùm experimur; lambit autèm, & circumuertitu r, prout pabulum inuenit: cæterum euolat, nec omen aliquod, vt vulgò fertur, portendit.

De Cometis.

Ariſtotelis fuit ſententia cometas fieri in ſuprema aeris regione, vbi exhalationes concurrentes motu ſuperiorum orbium accendantur, & ità accenſæ vel per cælum diſcurrant, & orbium motum ſequantur; vel, ſi extrà conſuetum motum orbium ferantur, vt ferè accidit, non moueantur circularitèr, ſed, vbicumquè accenſæ, ſequantur pabulum: vt ignis in ſtipulam accenſus per eam fertur, donèc pabulum inuenerit. huiuſmodi autèm ignis, ſi fuerit vniformis, ait, appellari communi vocabulo cometam, ſi oblongus dici barbatum. Sed quoniam aſtrologorum magis accurata obſeruatione compertum eſt, cometam etiam ſupra extremam regionem aeris accendi, & cælum permeare, ad ſuſtinendam Ariſt. doctrinam de cæli incorruptibilitate, plurimos modos ſibi finxerunt interpretes, quibus aliquo modo poſſent huiuſmodi ſententiæ conciliari, ideò de cometa luculentiùs à nobis agendum eſt.

Ariſt. tres præſertim opiniones antiquorum recenſet; quas, antequàm ſuam proferat, refellit. Primam tribuit Anaxagoræ, & Democrito, qui exiſtimarent nullam in cælis fieri generationem, qùm cometa apparet, & nullam corruptionem, dùm deperditur; ſed tantùm contingere videri à nobis, aut non videri. Videri quidem quandò ſtellæ plures coniunguntur, quæ enim ſingulæ videri non poſſent, dùm vniuntur, coniuncta ſimùl luce conſpiciuntur: eſſe autèm oportet ſtellas errantes, quæ vel plures inuicèm iungantur, vel vna, vel duæ ſimul inerranti ſtellæ proximæ fiant viſibiles, qùm verò aut inuicèm, aut à ſtella fixa oblongentur, viſum noſtrum effugere. Hanc opinionem refellit Ariſt. exemplo deſumpto à ſtella Iouis, quæ qùm in Geminis quondàm ad ſtellam inerrantem accederet, eam inerrantem occultauit; nec propterea propriam lucem auxit. Ità, etiam ſi huiuſmodi planetæ coniungantur, niſi miſceantur ità vt vnum corpus conſtituant auctius, non videntur magis poſſe viſum mouere, quàm anteà.

Secundam opinionem refert Pithagoreorum: qui dixerant, cometam eſſe vnum ex ſyderibus errantibus, quod rarò videatur, quià rarò contingat in apogæo eſſe, & in loco, ac diſpoſitione, qua poſſit videri: & exemplum tradunt de Mercurio, qui, qùm certos motus habeat, & ſtatutas obſeruataſque reciprocationes: tamen plurimi ſunt, qui etiàm diligentia adhibita vt ipſum conſpiciant, non contigiſſe tamèn eum videre ob multa, quæ

concurrentia requiruntur ad ipſius conſpectum. Hanc opinionem pariter refellit Ariſt., ſupponendo legem planetarum eſſe moueri in Zodiaco, non autèm extrà. At cometa ferè viſus extrà planetarum curſum extrà Zodiacum. Similitudinem autèm, ſeù exemplum Mercurij non vigere in cometa oſtendit, quià Mercurius ideò non conſpicitur, quià à Sole non elongatur, niſì ad ſummum per gradus 28., quod etiam raro contingit; &, quandòcumquè contingat, non ſemper aere ſereno contingit: & breuiſſimo tempore in ea longinquitate perſiſtit. ità vt, quò magis in ſuo epicyclo ad nos accedit, eò magis ſub Solem feratur, & partem luminoſam à noſtro conſpectu diuertit. At Cometæ non eſt eadem ratio, quia non ſemper circà Solem voluitur, nec illum conſequitur; quandoquè enim apparuit cometa in parte auſtrali, dùm Sol in parte ſeptentrionali exiſteret, & ab eo longè admodùm; prætereà etiàm exiſtentibus pænè omnibus planetis ſuprà terram, viſi ſunt duo cometæ in diuerſis admodùm regionibus cæli.

Tertiam opinionem refert Hippocratis Chij, & Aeſchili eius diſcipuli, qui ſimili modo arbitrati ſunt: cometam eſſe vnum ex planetis, qui tamèn caudam non habeat ex proprio, & congenito corpore, ſed ex aſcititio, concurrentibus ad eum vaporibus loci, vndè tranſit. Cauſam autèm, cùr non videatur, niſì admodùm rarò, non reddit exemplo Mercurij, vt faciunt Pithagorei; ſed quià mouetur tardè in epicyclo vt cæteri planetæ, nec poteſt conſpici, niſì, qùm propè nos fuerit in imo epicycli, & retrogradus; nec ſempèr, atquè eſt in imo epicycli conſpici, ſed tantùm, quandò fuerit in declinatione maxima, & ad tropicos: aut extrà longè à Solis curſu, quod rariſſimè contingere poteſt; &, non niſì poſt plurimas circuitiones in proprio epicyclo. In medio autèm loco, à maximis elongationibus diſtans, & in Zodiaco; licèt in imò epicycli reperiatur, tamèn non inuenit pabulum incenſioni ità aptum, vt poſſit flammam excitare viſibilem; quandoquidèm ibidèm à Sole exhalationes, & vapores, quibus ali poteſt, aut abſumuntur, aut imminuuntur, & conficiuntur adeò, vt non ſint idoneum ipſius alimentum.

Certum eſt igitùr, cometam, & ſuperna aeris regione, & in cæleſti concedendum eſſe: & interdùm fieri per incenſionem materiæ craſſæ, & caliginoſæ, quod ferè infrà cælum accidere poteſt, interdùm à Solis illuminatione in proſpectum venire notum ob nouam ad viſum directionem, & interdùm fieri poteſt, aliquid paſſum in cælis ipſum planetam, lucem intenſiorem reddat, ità vt conſpiciatur, qui antè non conſpiceretur.

Sententia Anaxagoræ, & Democrito impoſita impoſſibilis non eſt, nec temeraria: nàm plura corpora nobis inconſpicua per cælum ferri, irrationabile non eſt; & multa etiàm lucida, aut luci reddendæ apta; experimur enim noua in dies ſydera tubi ophtici miniſterio conſpici, quæ priùs erant inconſpicua; & per certas temporum conſtitutiones plura ſydera apparent per ſolam aeris mutationem, quando craſſior fiat; ità fieri poteſt, in ſublunaribus aliquam contingere mutationem, per quam oculo repreſentetur; quod aliàs non repreſentabatur: aut etiàm circà eoſdem cometas: veluti enim hæ mutationes circà terram fiunt, per quas Sol, & Luna ampliori diſco ſeſe offerunt: ità poteſt contingere, circà hos cometas alterari ea lambentia corpora; ſuppoſito ſempèr, eaſdem poſſe contingere alterationes in cælis, quæ apud nos contingunt, vt in libris de cælo probatum eſt; ità pariter non incon-

conuenit, cometas per inuicèm concurſum has alterationes ſuſcipere, & conſpectiores reddi, vt Anaxagoras, & Democritus protulere; præſertìm ſi motu aduerſo moueantur; velutì enim duorum corporum attritu corpora apud nos incenduntur: ità poſſunt accendi, & coruſcare in cælis. Nec per hæc Ariſtotelis reprobatio minus firma habenda eſt, aut parui facienda. nàm per concurſum ſyderum, quæ ſecundùm conſpectum, non re conueniunt, adueniens ſydus potiùs alterius ſyderis lucem intercipit, quàm expandat, vt obſeruauit Ariſt. de Ioue in Geminis, vbi ſtellam occultaſſe obſeruauit, non autem auxiſſe. Maior enim eſt diſtantia intèr ſtellam Iouis, & Geminorum, quàm ſit intèr nos, & Iouem. tam longè igitùr ſunt, quandò coniuncta huiuſmodi corpora nobis videntur, quàm dùm diſiuncta: propterea nullam pati poſſunt alterationem inuicèm, per quam conſpectiora fiant. At, ſi in eodem plano conuenirent, vt fortaſſe putauit Anaxagoras: non repugnat hæc ſententia ſententiæ Ariſt. & eius exemplo tradito de Ioue ob diſtantiam Iouis ab aplanes cælo. Quod addit Ariſt. planetas intrà Zodiaci circulum moueri, ac cometam etiam extrà, concludit quidèm non eſſe vnum ex his notis planetis; non autèm negat eſſe de eorum natura ſyderis errantis: ità vt, velutì in his notis planetis datur maior, & minor declinatio ab æquinoctiali: ità maxima poteſt dari in his, qui cometas conſtituunt. Ità plures vno conſpici cometas eodem tempore, negat paritèr eſſe vnum ex quinque notis planetis, ſed confirmat Anaxagoræ ſententiam, poſſe ſimùl plures conuenire: ità vt, qui priùs diſiuncti non conſpiciebantur, coniuncti videri poſſint: aut in hoc tantùm eam infirmat, quo cometæ videantur etiam diſiuncti; & ideò non opus habere coniunctione; vt appareant, ſi plures diſiuncti viſui aliquandò ſe offerunt. At, quod vni poteſt accidere, etiàm pluribus accidere poſſe, negandum non eſt. plura corpora de genere planetarum poſſunt concurrere in vno loco, & adhùc plura in alio, & vtroque in loco cometam conſtituere; quod tanquàm difficile quidèm credi poteſt proponi ab Ariſt. non autèm tanquàm prorsùs impoſſibile. ità vt, etiàm non attento molis augmento, ex concurſu tamèn poſſunt inuicèm ità excitari, vt ſplendeant; velutì experimur in roboreis carbonibus, qui diſiuncti luce priuantur, & velutì extincti videntur: coniuncti roborantur, & lucem, caloremque recipiunt, quod non poſſunt præſtare ſydera inerrantia, ſi his errantibus accedant. namquè longiſſimè diſtant, & proptèr diſtantiam nobis oſtenduntur tanquàm corpora indiuiſibilia etiàm ſydera, quæ ſcimus multò maiora eſſe aliis. ità igitur arguit validè Ariſt. Sunt in cælo aplanes ſtellæ ſecundæ magnitudinis ad terram, vt 28. ad vnum: ita vt maiores terra ſint vicies, & octies. ſtellæ tertiæ magnitudinis ſunt, vt 11. ad 1. quarè ſtellæ ſecundæ magnitudinis maiores ſunt, quàm ſtellæ tertiæ magnitudinis, quantum eſt inter 11. & 28. & tamèn, qùm ſtellæ ſecundæ magnitudinis ſuperent ſtellas tertiæ tantùm, quantùm, ſi terræ globi lucidi accederent 17. & tamèn ad ſensùm tàm indiuiſibiles apparent ſtellæ ſecundæ magnitudinis, quam tertiæ: nec notabile augmentum in his apparet. Ità (ratiocinatur Ariſt.) ſi addatur aliquod corpus priùs inuiſibile alio inuiſibili, non conſtituent quicquàm viſibile; namquè vtrumque corpus, ſi eſt inuiſibile, erit infrà magnitudinem ſtellæ ſextæ magnitudinis: ſed magnitudo ſtellæ ſextæ magnitudinis addita cuicumque ſtellæ vix conſpicuum efficit aug-

augmentum; ideò nequè ſi coniungantur ea corpora priùs præ magnitudine inuiſibilia, fient per coniunctionem viſibilia; ità ſaltèm, vt animaduertantur ab aſtronomis, à quibus obſeruatum eſt, ſtellam nouam, quæ apparuit in Caſſiopea habere proportionem ad ſtellam ſextæ magnitudinis, quæ eſt 1. ad 360. quarè, vt iſtud ſydus in Caſſiopæa viſum conſtitueretur, neceſsè erat concurrere huiuſmodi corpora inuiſibilia ad minùs 720. quod videtur inrationabile, & hac ratiocinatione validè concludit argumentum Ariſt.

Secunda opinio Pithagoreorum impugnatur etiam efficacitèr ab Ariſt. circà comparationem factam ab eis ad ſtellam Mercurij: namquè Ariſt. oſtendit diſparitatem intèr Mercurium, & cometas. tamèn fortaſsè non eſt credibile Pithagoricos exemplum Mercurij tradidiſſe pro aſſignanda cauſa, cur raro appareant cometæ; ſed pro comparando effectu, cuius tamèn poſſint aſſignari diſſimiles cauſæ: veluti enim Mercurius raro videtur, quià parùm elongatur à Sole, & ferè in occaſu æliaco eſt; &, quandò ad iuſtam diſtantiam eſt, qua videri poſſet, raro concurrit cæli ſerenitas. ità fieri poteſt, dari corpus motum per elices, quod raro contingat moueri in antabſide magni circuli, & vnà proprii epicycli. qùm enim, ex obſeruatione facta per aſtronomos in Marte, multi opinentur cælos peruios eſſe, & penetrari. poteſt contingere dari hanc apparentiam raro contingentem: præſertim qùm motus cometarum omnium enormis ſit ferè extrà Zodiacum, & quoquò versùs ferantur. veluti ſit terra A ſit cometa B. antabſis C. ſi cometa fuerit paruus B. cerni non poterit, niſi, qùm fuerit in antabſide C. propè terram A. & eo etiàm loco poterit videri, ſi Solem habeat oppoſitum, a quo ità illuſtretur, vt lumen poſſit integrum tranſmittere in terram. vndè, licèt aliquandò contingat eſſe in antabſide, non propterea ſempèr videri poterit: idcircò raro admodùm contingere poteſt, videri. Et in hanc ſententiam videntur cecidiſſe Seneca, Mindius, & Fracaſtorius, dùm aſſerunt, cometas moueri ſursùm motu recto, & deorsùm certo tempore. moueri enim longè à terra, moueri ſursùm intelligunt, & ferri ad terram, moueri deorsùm, licèt circumducatur, vel per elices, vel in epicyclo corpus, vt cæteri faciunt Planetæ. quo motu, modò proximi terræ fiunt: modò elongantur à terra: quam ſententiam, iurè damnat Ariſt. quià, etiam ſi id aliquandò, & in aliquo cometa poſſit contingere: non poteſt tamèn ſtatui cauſa communis omnibus cometis, ſed in aliquibus, per quam vniuerſalem cauſam etiam rectè ab Ariſt. redarguitur opinio Hyppocratis Chii, & Aeſchili eius diſcipuli de qua dictum eſt. In hanc ſententiam quoque inclinaſſe videtur Pererius, dùm arbitratur cometam eſſe accenſam exhalationem in ſublunaribus, & indè in cælum ferri. Qùm enim fieri poſſit, aliquandò terræ proximum fieri, & mox elongari, hanc facilè ſuſcitare potuit opinionem, quam refellit Licetus, aſſerendo, hanc ſublunarem exhalationem in cælum recipi non poſſe, nec ſursùm ferri ſuprà ignem; namquè exhalatio, ſi terræ portionem admixtam habet, igne grauiorem eſſe credendum eſt. addit nè quidèm exhalationem tantæ molis educi poſſe ex ſublunaribus, quæ conſpici tàm longo poſſit interſtitio. Motus autem ille cometarum inregularis ferendus eſt etiàm ab aſtronomis dici, vt qui non potuerint eius reciprocationes, & ratos motus obſeruare, vt talem putent. veluti aſtrologiæ ignari, & ruſtici Lunæ motus, & incidentes æclipſes inregulares, & nulla lege ſibi

ſibi nota extrauagentes credunt. Ideò nulla certa regula ſtatui apparitionis cometæ; & tàm variæ de hac opiniones, & ſententiæ de hac re feruntur. Galleſius, & Colunb. ferunt: noua ſydera in cælis videri ob cæli ſubterlabentis incidentem denſitatem, ob refractionem ab ea, cuius ob raritatem. Quæ opinio parùm firma eſt: nàm breui tempore incidere denſitas iſta, aut raritas poteſt; nec perdurare per annos etiam 60., vt de ea fertur quæ in collo Cigni apparuit anno 1600, & adhùc conſpectior perſeuerat. prætereà ea raritas, aut denſitas ſtatuto tempore vniuerſum cælum permeare credi poteſt; & quià in cælo tubi ophtici auxilio innumera corpora ſyderea apparent, quæ aliàs non conſpiciuntur: per hanc incidentiam corporis rarioris, aut denſioris vbiquè detegerentur. Reiſacharus ait, videri cometas remoto impedimento, qui tamèn ſempèr ſint, & viſibiles ſint; ſed hoc idem impedimentum per cælum perreptans numeratas ſtellas tegeret, quæ in conſpectu ſunt, qùm ad eas perueniret. Tyco ait cometam eſſe partem viæ lacteæ condenſatam; quod aſſertum de omni cometa verificari non poteſt; quià ſtellæ, & partes viæ lacteæ non habent varietatem aſpectus, quam vocant paralaxem, cometa autèm ſepè ſæpius habet; nec videtur prætereà, quam ſenſibilem mutationem pati poſſit via lactea, ob quam condenſari poſſit. Fromondus ait æter frigore condenſari, & indè cometas in conſpectum hominum venire, aut pluribus ſtellis coniunctis. De frigore negant peripatetici, cælum poſſe hoc pati, quià ſit inalterabile, quam ſententiam aliàs confutauimus; concedendo tamèn frigus non poſſe cælum pati, vt nos patimur, quia ſenſu caret: at non eſt inuerisſimile ea perpeti: quæ à frigore apud nos procedunt, vt eſt condenſari, quod poteſt incidere proptèr motus luminarium, quæ accedendo, & recedendo à parte aliqua ætheris poſſunt condenſationem, & rarefactionem cauſare. vbì enìm eſt rarum, & denſum, vt in cælo concedit Ariſt. poteſt facilè concedi etiam rarefactio, & condenſatio, quorum termini ſunt rarum, & denſum. & tale quiddam paſſum eſſe corpus in æthere circumuagum credi poteſt anno 1652. in cometa, qui apparuit die 19. Decembris, & perſtitit vſque ad diem tertiam Ianuarij ſensìm deficiens vbſque ad eam diem. Hic enìm cometa non erat lucens, vndè credi poteſt corpus æthereum aliàs in cælo exiſtens, ſed inuiſibile paſſum aliquid, & condenſatū eſſe; cui ſimilem alterationem terra quoquè paſſa eſt, ita vt vniuerſa pruina quadam tanquàm niueo candore mutata ſit. & facilè noctu per hanc mutationem videri potuiſſe, credibile eſt ex parte: vndè aliàs non videretur, & hac ex parte Fromondi ſententia rationabilis admodùm habenda eſt; quòd verò, quandocumquè lucet cometa, ſit ex ſtellulis coeuntibus. quam difficultatem patiatur hoc aſſertùm, ſatìs ſuprà explicatum eſt. Snellius ait, fieri ex halitibus à Solis globo; ſed quomodò hi halitus tàm copioſi emitti poſſint, vt ferè Solis magnitudinem excedant, & in eas longinquas à Sole regiones ferantur, & vniantur, difficilè eſt coniectura aliqua determinare. faciliùs eſt credere quod Puteanus, & Ericius referunt, ex æthere eſse, & à Sole gigni, præſertìm ſi per Solem intelligamus quamcumque vim Soli proportionalem. vt eſt Iouis, Saturni, Martis, & ſyderum in aplane: lux intrà proprias attiuitatis ſphæras: nec etiam deſpicienda eſt ſimilitudo macularum, quæ circà Solem ſunt, quæ ex ſe inuiſibiles ſunt; at, ſi longè abiſsent à Sole, & ab eo lucem reciperent, quam ad nos reflecterent, noctu præſertìm vi-

videri profectò poſsent, & illuſtrari .

Concludi igitùr ex his omnibus poteſt, *Cometam eſſe corpus ex ſubſtantia cæleſti, aut ſublunari conſtitutum nouitèr exhalatum, aut nouo lumine conſpicuum*. Hoc interdùm augetur, & imminnitur; & perſiſtit; interdùm perſiſtit tantùm magnitudo, & moles: lumen verò intenditur, & remittitur. Moles incerta eſt. ideò non eſt veriſimile idem corpus in conſpectum per interualla redire. Nam Seneca fert quondàm totam viæ lacteæ latitudinem occupaſſe: ex Montano ad 50. gradus extenſus fertur: a Keplero ſola cauda ad 70. gradus extenſa narratur; quam caudam Cardanus, & Scaligerus aſſerunt eſſe purum lumen Solis, aut Veneris per cometam tranſmiſſum, & eodem anno etiam tres cometæ viſi ſunt. figura eius ferè rotunda eſt, interdùm conica, aut crinita, aut barbata, aut caudata, enſem referens, aut pennam, aut aſtam, tibiam, tubam, columnam, lanceam, palmæ folium, iubam æqui, vellus, diſcum, dolium, cornu, facem, clypeum, belluam, hominem. Cuius cauda modò continua, modò ſpiralis, aut intercila, cuneata, nebuloſa. Idem cometa colore feruido, & flammeo, modò albo, aut flaueſcente, puniceo, aliquando viridi, pallido, plumbeo, variegato, & etiam nigro, quo etiam conſpicuus fit cometa in cæleſti. Motus ferè in orbem eſt, diurno ſimilis, proprium tamèn ferè habet indeterminatum celeritate, loco, & via: in ſe modò ſcintillans, modò fluctuans, ferè quieſcens. ac permutatus interdùm ex tuba in aſtam: ex ſcintilla in lunam, aut in lampadem: rotundus in caudatum: rectus in falcatum: denſus in rarum: opacus in diafanum. ità vt anno 1652. dies quindecim poſt eius apparitionem in medio eius ſtella firmamenti videretur, & ferretur cum ea. locus quoquè indeterminatus eſt. Compertus eſt in ſuprema aeris regione, & in infima; ferè tamèn in regione cæleſti ex mente eiuſdem Ariſt., dùm ait, eadem latione ferri, qua fertur ſtella. modò in oriente apparuit, modò in occaſu; interdùm in meridie, interdùm in regione boreali, in æquinoctiali extrà tropicos, in cane, in zona orionis: ex Meſſala Arabe in ſcorpione, ex Leouitio plures in Caſſiopea; ex Fabricio in ventre ceti: ex Keplero in Piſce, in Scorpione, & ſuprà Saturnum, ex Proculo ſuprà Iouem: ex Teleſio ſuprà Solem: ex Cardano ſupra Venerem: Ex Albumazarre ſuprà Mercurium, in ipſa Veneris orbita. ac tandèm nulla eſt cæli regio, vbi cometæ non oriantur, & non occidant, veluti & cætera ſydera; nam ſeptima Pleiadum extincta credenda eſt. quia ſi per imminutionem eſſet deperdita, cubi ophtici auxilio oculis reſtitueretur; veluti innumera ſidera alia deteguntur, quæ olim prorsùs ignota, & modò aliàs inuiſibilia ſunt. Duratio vnius diei cometam non nominat, ſed ignem volantem, vt anno 1649. ſub Solis occaſum apparuit magna fax, vt Cometa rotundus ab occidente procedens in oriens cùm cauda oblonga, & in fine caudæ plures radioli, qui in ipſo aere fractus eſt, & poſt diruptionem auditus eſt tanquàm tonitrus; qui ignis in ſuprema regione aeris credi poteſt, quià eodem modo obſeruatus eſt Senis, Piſis, & Romæ, & ad oras maritimas Senarum. Per dies ſeptem durauit Cometa ex Plinio lib. 2. cap. 25. Per tres menſes ex Martino Polono: per quatuor menſes ex Nycephoro: per menſes 12. ex Flauio Ioſepho: per menſes 14. & 16. ex Ticone; & in Cygni collo, ſi noua ſtella ea eſt, adhuc perdurat ab anno 1600. quo primo obſeruata traditur, & in dies maior fertur: ex Senec. 7. not. hiſt. C. 12. Tempus quo-

Ccc

quoquè, quo appareat nullum determinatum eſt. ex Keplero menſe Auguſti. Ex Nicephoro 1606. a ſolſtitio ad æquinoctium: Autumno, omni hiſtoria. Hyeme Ariſteo imperante ex Ariſt. & anno 1652. Vere ex Keplero, cuius origo fuit a Cane procedens ad Orionem, ita vt die 21. Decembris 1652. hora 2. noctis cometa triangulum conſtitueret cum capite, & pede Orionis iſocælem: ita vt latus conſtitutum a Cometa, & pede orionis eſſet aliquantò breuior, quàm latera à dicto pede Orionis, & à cometa ducta ad caput orionis hoc modo; die verò 22. proceſſit cometa versùs Septentriones pænè per integrum ſignum. nàm peruenit propè tropicum, & hora prima noctis obſeruatus eſt ad curuaturam cornu ſiniſtri Tauri ſcalenum conſtituens cùm oculo Tauri, & eiuſdem cornu dextero; ſed hic motus ad Septentriones quotidiè imminutus eſt, ſicuti nec ab initio adeò velox fuerit. itaut vltima die Decembris hora tertia noctis ad caput Meduſæ peruenerit, vbi tandem die tertia Ianuarij extinctus eſt. Vndè Pitagoreorum ſententia non diſſentit ab obſeruatione facta in hoc cometa. Namquè dato epicyclo iſtius cometæ à Cane ad Perſeum, cuius antabſis ſit ad æquinoctiale, fieri poteſt die 21. Decembris cometam fuiſſe in antabſide; vndè, & conſpectior, & velociſſimus videretur, qum rectus in antabſide gradiretur. A. Antea vero cum eſſet in parte epicycli Auſtrali B. primùm non conſpiciebatur ob diſtantiam, inde tardior gradiebatur, quià non recta moueretur, ſed deorsùm ad nos, veluti etiam ſurſùm poſt diem 21. vnde ſegnior moueretur & vnà imminueretur; ſegnior nobis appareret, quià ſurſùm per epicyclum ferretur, & imminueretur: quia in dies elongaretur a nobis ſurſùm procedens per proprium epicyclum; cuius tamèn motus nulla certa coniectura tradi poteſt, nàm, ſi in tali motu perſiſteret huiuſmodi cometa, data proportione motus in antabſide, ex cuius latitudine ſæpè idem cometa rediret in conſpectum noſtrum.

De lacteo circulo.

Eodem modo progreditur Ariſt. loquens de lacteo circulo; atquè proceſſit loquens de cometis, qùm vtriuſque eandem cauſam crederet: priùs enim refert aliorum opiniones, ex quibus propriam ſtatuit. Primò refert opinionem Pytagoreorum qui fabulabantur Phætontem per hunc circulum lacteum olim Solis currum duxiſſe: &, qùm equos regere non poſſet, cælum, & terram incendiſſe; & aliorum ex his, qui dicerent, Solem olìm per huiuſmodi circulum latum eſſe; vnde propriæ lucis ramenta reliquiſſet per totam reuolutionem. Quam opinionem redarguit Ariſt., dicendo ſimilem effectùm ſequi debere ex motu Solis in zodiaco, per quem circulum manifeſtè Sol fertur; imò multò magis deberet huiuſmodi circulus lacteus fieri: quià per huiuſmodi circulum non tantùm Sol, ſed etiàm cæteri omnes planetæ feruntur.

Secundam opinionem recenſet Democriti, & Anaxagoræ, qui aſſerebant lactis circulum conſtitui per concurſum quorundam aſtrorum, quæ proptèr interpoſitionem terræ à Sole non illuſtrantur; & qùm cætera ſydera ſplendeant duplici lumine, nempè proprio, & Solis reflexione, hæ ſtellæ tantùm luce propria conſpicuæ, non diſtinguuntur, ſed tanquàm per albedinem quandam lucem ſuam oſtendunt.

Hanc

Hanc quoque opinionem redarguit Ariſt. primò, quia lactis circulus, ſeu potius ſydera inerrantia, quæ conſtituere hunc circulum feruntur, tanto interſtitio diſtant à Terra, ne poſsit vllo modo terræ vmbra illùc peruenire: ne quidèm conus vltimus ipſius: quarè inanitèr dicitur per terræ interpoſitionem deficere in his aſtris Solis reflexum. Prætereà, qùm Sol circumferatur proprio motu in Zodiaco, nec sempèr è directo eandem cæli regionem ſpectet, ſi terra interdiceret illius lumen per vmbram à ſe iactam, eam ſempèr iaceret ad oppoſitum Solis: quarè, veluti Sol locum mutat in Zodiaco, ſic locum mutaret pars cæli, ad quam ſubindè vmbra terræ deueniret. ſed via iſta, quæ dicitur lactea, ſempèr in eadem cæli regione manet, ergo non fit à terræ vmbra.

Tertiam opinionem refert Ariſt. eorum, qui dicunt lacteum circulum eſſe fractionem noſtri viſus ad Solem: veluti credunt etiam de cometa. Sed hanc quoquè ſententiam à veritate multùm aberrare demonſtrat oſtenſione ſpeculi, in quo aliquid refrangatur ad oculos noſtros; ſi, inquit, ſpeculum ſemper manet in eodem loco, & oculus, qui videt, & id, quod refrangitur in ſpeculo, & videtur: nulla varietas oritur in loco refractionis: ſed, ſi loco moueatur, vel ſpeculum, vel id, quod videtur in ſpeculo, vel qui videt, neceſsariò etiàm debet loco moueri refractio in ſpeculo apparens: vt experimento poteſt fieri manifeſtum, aut certa demonſtratione poteſt oſtendi. Sed id; quod videtur, nempè Sol in cælo mutat locum: quià modò eſt in Geminis, modò in Capricorno, ideò neceſsè eſt illius refractione ad noſtrum oculum perſiſtentem in eodem loco variare regionem in cælis; ſed via lactea ſempèr in eadem regione cæli eſt, ergò ea non eſt refractio Solis ad noſtrum viſum.

Notandum autèm eſt in ſ verbis Ariſt. hanc opinionem Ariſt. vocare tertiam, vt nos poſuimus: licèt, ſi recte ratio habeatur, quatuor recenſentur opiniones, duæ Pitagoreorum prima à Phetonte, & ſecunda de Solis curſu, Tertia Democriti, & Anaxagoræ, & quarta hæc poſtrema, tertia dicta, de refractione Solis; quod ideò factum credibile eſt quia Phœtontis fabula, qua fertur Solis equos malè habenis rexiſſe, vt propterea ipſi prolabentes, & ſecum Solis currum, & Solem ipſum ducentes vniuerſum incendiſſe, ex ea veritate ortum duceret, quæ poſteà narratur. nempè Solem per hanc viam lacteam iter habuiſſe: vndè qùm quondàm deuenerit ad æquinoctiale, propè Antinoi cubitum, tunc propter æquinoctium in vniuerſo terrarum orbem per multa annorum millia attuliſſet, & etiam qum ex eo penè perpetuò æquinoctio perpetuum quoquè ver afferretur ſinè æſtate, hyeme, & autumno, factum eſt aquas, & pluuias omninò defeciſſe. vt quæ ſolent ex temporum varietate ortum ducere, & ex hoc ipſo terram abſque aqua aruiſſe, & flumina eſſe ſiccata. quod naturale ſucceſſum alij ſcientificè proponebant; alij, quoniàm tàm longa temporis conſtitutio humanæ mentis captum effugit, per fabulam tradiderunt poſteritati. At Ariſt. qùm fabulam, & hiſtoricam, ſeù ſcientificam notitiam pro eodem reciperet, tanquàm vnicam opinionem tradit, quæ tamèn duobus modis à Pitagoricis circumferretur.

Ariſtotelis opinio de lacteo circulo,

ANtequàm proponat Ariſt. propriam opinionem de lacteo circulo, ſupponit primò, quod ſuprà protulit, ſupremam aeris regionem eſſe exhalationem calidam, & ſiccam, cuius ſint duæ ſpecies: vna tenuior, ex qua capreæ, ſtellæ cadentes &c. oriuntur: & altera craſſior; ex qua cometæ, & via lactea. Secundò ſupponit ſicuti vna ſtella efficit cometam, attrahendo hanc exhalationem: ità plures ſtellæ firmamenti, poſſunt attrahere plures exhalationes, ex quibus conſtituatur via lactea, quasi via lactea ſit concurſus innumerorum cometarum. & hanc opinionem tradunt interpretes Ariſt., quòd ſcilicèt via lactea ſit cõſtituta ex exhalationibus attractis à ſyderibus in eo circulo, cui è regione reſpondet via lactea; &, quià difficile poterat videri, quomodò illa ſydera tàm longè exiſtentia ſecùm trahere poſſint, & circumducere has diſiunctas exhalationes, hoc probat Ariſt. exemplo halonum, qui circà Solem, & Lunam exiſtentes cùm his feruntur. & tamèn certum eſt, in aeris regione hos eſſe. Et vlteriùs dubitantibus cùr, ſi ità eſt, iſte lacteus circulus non fiat in vniuerſo cælo, vbicumquè eſt copia ſyderum: aut ſaltem in zodiaco, vbi certum eſt non ſolùm eſſe magna, & valentia ſydera, quibus ixtæ exhalationes attrahi poſſent; ſed per huiuſmodi circulum etiàm feruntur cæteri planetæ. Cui obiectioni reſpondere dicitur, quià in zodiaco has exhalationes Solis vis, & aliorum planetarum, licèt attrahat, tamèn etiàm diſſoluit. Et huic circulo tres conditiones concurrere, quæ non concurrunt in reliquo cælo ad generationem, & attractionem harum exhalationum, prima conditio eſt, quià lacteus circulus eſt maximus in ſphæra. Secunda conditio; quià in hoc circulo aſtra plura maiora concurrunt, quibus poſſunt attrahi iſtæ exhalationes, & ex his multæ diſperſæ, & non determinatæ ad aliquam figuram cæleſtem. Tertia conditio, quià huiuſmodi circulus lacteus plurimus eſt extrà tropicos: vbi cometas maximè gigni, ſuprà relatum eſt, & reddita ratio, ac tandèm, aiunt concludere, hunc circulum eſſe in ſuprema regione aeris, & non per apparentiam. In cuius ſententiæ euerſione non videtur philoſophia dignum vltrò immorari; nàm certum eſt ex ſententia Ptolomei hunc circulum lacteum eſſe paſſionem cæleſtem, & non ſublunarem: cui ſubſcribunt omnes Aſtrologi, & certam demonſtrationem tradit, quòd non recipit aſpectus varietatem, quam vocant paralaxen, vt Auerrhoes adnotauit, & Iohannes Gram. & omnes confirmant. Item exemplum traditum ab Ariſt. de halonibus corruit ex fundamento, quià halones non circumferuntur, nec aſſidua generatione protrahuntur, ſed ſubeſt vapor per vniuerſam regionem aeris, nequè halonem conſtituit: niſi vbi Solis, aut Lunæ radijs hi vapores viſibiles fiunt. Conditiones relatæ ab Ariſt. nihil concludunt: quià circulus magnus in ſpæra vbiquè poteſt conſtitui: quandocumquè ſphæra diuidatur in duas partes æquales. quòd in hoc circulo ſint plura ſydera maiora: in reliqua etiàm ſphæra diſperſa ſunt hæc magna ſydera, ſub quibus ſaltem tanquam halones deberent fieri diſperſi, & portiones huius viæ lacteæ. ſic, ſaltèm ex parte, hæ tres conditiones alibi etiàm concurrunt. &, ſi Solis ardore exhalationes in zodiaco, & intrà tropicos diſſoluuntur; cùr lactea via apparet e-

ti. m

viàm intrà tropicos, & in ipſo Zodiaco? Non eſt igitùr in re manifeſta laborandum; ſed potiùs explorandum, quomodò ſit intelligendus Ariſt. qui non eſt credendus adeò abſurdis rationibus propriam opinionem vallaſſe.

Replicantes igitùr, quæ moris peripatetici eſſe retulimus, eligendi ex aliorum opinionibus id, in quo conueniunt; & ex his, in quibus non conueniunt, id, quod veroſimilius eſt, & magis rationi conſonum determinandi, &, quod frequentiùs accidit. Tres igitùr opiniones referens antiquorum vnam pithagoreorum, quæ eſt lacteam talem factam eſſe, ac dealbatam à Sole per eam olìm lato. Alteram Democriti, eſſe per concurſum Aſtrorum. Tertiam aliorum, eſſe ſolis refractionem, qui omnes conueniunt in hoc, lacteum circulum eſſe paſſionem cæleſtem, & non ſublunarem; non eſt itaquè credibile Ariſt. ab hoc omnium concurſu receſſiſſe, ferendo eſſe paſſionem ſublunarium. At, quandò ſupponit in ſuprema regione aeris incendi exhalationes calidas, & ſiccas; hoc ſupponit, vt inferat, quemadmodùm in ſublimi huius orbis terrarum dantur huiuſmodi exhalationes, ità poſſe dari circà celeſtia corpora; circà quæ cùm his ferantur illæ vocatæ exhalationes; veluti feruntur vapores, ex quibus halones fiunt. Hæc ſententia hoc recipit ex prima opinione Pitagoreorum: ſi Sol per viam lacteam olim latus eſt, potuiſſe eas exhalationes attrahere à celeſtibus globulis ad eorum periferiam: quemadmodùm modò attrahit à terræ globo. Elicit ex ſecunda opinione Democriti. ſi ex concurſu aſtrorum fiat, non fieri poſſe, vt ipſe ferebat, quià Sol illa ac lumine nō perueniat, ob rationes, à ſe adductas, ſed quià intèr aſtrum, & aſtrum intercidant huiuſmodi exhalationes, quæ poſſint recipere ſolis radios, & refractam reddere illorum lucem; veluti Solis lux recipitur, & transfunditur in halonibus. Et ex tertia opinione recipit lacteum circulum hoc modo eſſe poſſe refractionem noſtri viſus ad Solem: neque in hac ſignificatione obſtat exemplum ſpeculi; quià ea cæli pars non reddit, & reflectit ad nos Solis radios: niſi per eas exhalationes circà globos ſtellarum perſiſtentes, & à Sole extractas eo modo, quo retulit prima opinio: quod in alia cæli parte contingere non poteſt. ideoque, etiam ſi Sol locum mutet: dummodò ſpeculum ſempèr eodem perſiſtat loco, & nos paritèr: & reflexio ſit per concurſum aſtrorum, nulla poteſt naſci, aut tantùm inſenſibilis loci variatio in via lactea; ſic, licèt ſingularitèr omnes opiniones refellat, peripateticè recipit ex omnibus, quid veri trahi poſſit inueſtigando. Dùm autèm refert diſparitatem, quà hic circulus lacteus fiat in hac parte cæli, & non in alia: nec in toto cælo per tres illas conditiones à ſe relatas. ſunt iſtæ conditiones ità intelligendæ, vt aliquid concludant; prima conditio, quæ eſt hunc eſſe circulum maximum; quoniàm clarum eſt, circulum maximum vbique poſſe eſſe in ſphæra: debet intelligi hic anconomaſticè maximus; vel, quià latitudinem maximè conſpicuam habeat, vel quia per primam opinionem Pithagoreorum per hunc circulum fiat annus maximus: de quo Plato in Timæo, Ariſt. in his libris meteororum; *Lucretius* lib. 5. Cicero de ſomnio Scipionis, Seneca, Macrobius, & alij mentionem faciunt. Secunda conditio in hoc circulo eſſe plura aſtra, & maiora diſperſa; id poteſt intelligi de his, quæ modò tubo ophtico ſunt patefacta: ex his enim pænè innumera conſpiciuntur, & maiora proptèr reſolutum corpus circùm ea. quo etiàm quaſi ampliora ſunt, & quaſi ſoluta. ſparſa autèm vocat;

quià,

quià, qùm conſpicua, & indiſtincta ſint, non concurrunt ad conſtitutionem ſyderis alicuius. quæ aſtra *ecpeſonton* dicebantur à quibuſdam Pytagoricis; hoc eſt exciſorum, vt vertunt Ariſtotelis interpretes. Tertia conditio, hunc circulum eſſe maximè extrà tropicos; licèt quilibet circulus maximus per polos tranſiens æquè extrà tropicos ſit: tamèn hic plurimus eſt latitudine extrà tropicos, & magis conſpicuus, vel dicitur plurimus extrà tropicos, quia per motum Solis in eo, præſertim, dùm Sol accedit ad æquinoctiale, tropici conſtringuntur ex mente Pythagoræorum: vndè aliquandò totus hic circulus eſſe poteſt extrà tropicos; vel dicitur maximus, quia in parte maximè ſublimi cæli ſit; circuli autèm, quò magìs à centro elongantur, eò maiores ſunt; & dicitur ita ſitus, vt multum tropicos excedat: per tropicos intelligendo, Solis ſtationes, quibus circuli conſtituantur in ſphæra: non ſupra Solis altitudinem, circuli autèm, qui ſuprà has Solis ſtationes ponantur, tropicos excedere dicantur; qui ſenſus eſſe etiàm poteſt ad excludendam Solis actionem diſſoluentem; quam diſſolutionem, dixit, contingere in Zodiaco: hoc eſt, vbi Sol proximus incedit, ob Solis actionem. quæ igitùr aſtra longè abſunt à Sole: ſiue hoc ſit ſecundùm latitudinem, ſiuè ſecundùm profunditatem, nihil intereſt. Itaque Sol corpora ſyderea cominùs exoluit, & diſſipat; eminùs neque reſoluit, neque diſſipat; quandò verò directus quidèm eſt, ſed corpora, quæ directus aſpicit, longè abſunt, eadem reſoluit, ſed non diſſipat: vt in lacteo circulo euenire rationabile fatetur, dicendo rationabile, quià eius rei certa determinatio haberi non poſſit.

Dubitationes circà explicationem textus.

OMnes pænè concedunt, lacteum circulum, & cometas eſſe paſſiones cæli; & propterea damnant Ariſtotelem, & aſſerunt, eius ſententiam non poſſe ſuſtineri vlla ratione; quià credit lacteum circulum eſſe paſſionem in poſtrema aeris regione; & hi poſſent has obiectiones contrà noſtram explicationem ponere, dùm aſſerimus, eum tradidiſſe, lacteum circulum eſſe paſſionem cæleſtis corporis.

Et primo obijcere poſſunt partitionem traditam ab Ariſt. in primo capite primi libri; vbi, proponens ea, de quibus agendum eſt, numerat lac, & cometas, & ignita, & motas imagines, & quæcumque ponuntur aeris communes paſſiones, & aquæ; quæ fieri, dixerat, in loco maximè propinquo lationi aſtrorum. Itaquè manifeſtè lactis circulus ponitur ab Ariſt. aeris paſſio, & non in loco aſtrorum; ſed in proximo lationi aſtrorum; & in fine ait. *De factis in eo, qui eſt circà terram, mundo &c.*

Reſpondetur Ariſt. pronunciaſſe in Dialecticis, & confirmaſſe in libris de cælo: quæſtionem de cæli æternitate eſſe problematicam. ideò noluiſſe hoc loco apertè aſſerere, quicquam generari, aut corrumpi, neque ſecundùm totum, neque ſecundùm partem: qùm nulla mutatio facta narraretur eius temporibus. Non tamen concludi poteſt ex hac partitione, ipſum poſuiſſe lactis circulum intèr aeris paſſiones; nam, dùm ait; *& quæcumque ponuntur aeris paſſiones*: ponit tanquàm additamentum: non autem tanquàm ante dicta includens. Et poteſt eſſe ſen-

ſenſus, ſe velle loqui de lacte, de cometis, de ignitis, & motis imaginibus, & etiam de his, quæ ponuntur aeris paſſiones; quod verò certè non includat lacteum circulum, patet, dùm ait, *comunes aeris paſſiones, & aquæ*, nemo enim vnquàm, vt arbitror, recipit lactis circulum tradi ab Ariſt. paſſionem aquæ, quòd, ſi aeris aliàs dicat: ſcire etiàm oportet, per aerem interdùm accipere vniuerſum æther, & cælum pro aere. In fine autèm id clariùs explicat: dùm ait. *De factis autèm in eo, qui eſt circà terram, mundo &c.* nàm addendo: *adhuc autèm & de vocato lacte &c.* quas tractatio de lacte, & cometis non ſit eiuſdem materiæ, ſed tamèn de his loquutum eſſe, quià ferè ſunt tot apparentes paſſiones circà hunc locum: dicendo enìm *apparentes*, oſtendit, non omnes ibi exiſtere.

Secundo. ſub finem capitis quinti reprobans Ariſt. eorum opinionem, qui dicerent lacteum circulum eſſe refractionem noſtri viſus ad Solem, ait, hunc circulum noctu in aqua refulgere, ſeù repreſentari, vt verbum ſonat *èmphàneta*. quod ducens ad impoſſibile ſubdit, *quomodò autem viſum refrangi ad Solem eſt poſſibile*? quod argumentum eſſet prorsùs inane, ſi ad hoc impoſſibile duceret, quod nullo modo eſt impoſſibile: nàm noctu etiàm, quæ propriam lucem non habent, in ſpeculo reflectuntur. vt Luna. certum eſt, ipſam lumen omne mutuari à Sole, & tamèn in ſpeculo noctu apparet; vt igitùr concludat argumentum, neceſsè eſt ipſum ſupponere circulum lacteum eſſe in ſuprema regione aeris: non, quòd ibi appareat, ſed quòd verè ſit, quò noctu non poſſunt pertingere radii ſolares ob terræ interpoſitionem, & vmbram peruenientem vltrà fines aeris, & non vſquè ad aſtra.

Reſpondetur. negando argumentum Ariſt. inane eſſe, vt interpretes plurimi vociferant. Scire enim oportet. hoc argumentum eſſe ad hominem: nàm conſueuit Ariſt., quandocumquè refert aliquam opinionem Platonis, quià fuit illius Magiſter, niſì neceſſitas vrgeat, & velit eam opinionem redarguere, non meminit auctoris; ſed ſententiam tantùm proponit. vt hoc loco, quandò ait. *Dicunt enim quidam*, intelligit Platonem, & argumentatur ad hominem: quià ipſe arbitrabatur viſum fieri per extramiſſionem radiorum ab oculo ad obiectum, vt in Timæo apertis verbis profitetur. vbì etiàm addit *ſimulachrorum, quæ vel in ſpeculis oboriuntur, vel in perſpicua, lenique cernuntur ſuperficie, facilis aſſequutio eſt; nàm ex vtriuſquè ignis tàm intimi, quàm extrapoſiti communione, eiuſque rursùs concurſu, & congruentia: qui paſsìm terſo, lænique corpori accomodatus eſt, neceſſario hæc omnia oriuntur &c.* quòd autèm ſit ad hominem argumentum, elicitur, quià non ait, lactis circulum credi refractionem Solis ad noſtrum viſum, ſed refractionem viſus ad Solem: quomodò poſsibile eſt, ſpiritus ab oculo erumpentes mitti ad ſpeculum: à ſpeculo reflecti in cælum ad lactis circulum; ab eo iterùm retrocedere ad Solem? & hoc argumento non ſolùm carpit hanc opinionem de lactis circulo, ſed etiàm ſimùl irridet eam de viſu per extramiſſionem. Aliàs enim conſueuit Ariſt., nomine occultato, Platonis ſententias irridere, aut cauillis redarguere. vt primo de cælo: quià Plato dixerat, cælum eſſe corruptioni obnoxium, quia eſt corporeum; ipſe Ariſtoteles diffunditur, vt oſtendat, ſi quà ratione cælum eſt æternum, ex eo eſſe, quià eſt corporeum; vt aliàs in libris de naturali auditione explicauimus, & explicabimus in libris de Anima.

Euer-

Euerſis obiectionibus, quibus probari poſſet, lacteum circulum ex mente Ariſt. eſſe paſſionem ſupremæ regionis aeris, & ſublunarem, poſſumus etiàm aliqua adducere, per quæ poſſimus ſuſpicari, Ariſt. magìs inclinaſſe ad credendum, hunc circulum paſſionem cæleſtem, quàm ſublunarem; quam opinionem apertam prorsùs non ponit; quià quæſtionem de cæli æternitate contrà Platonem tradiderat problematicam; tamèn in hanc magìs inclinare deducitur primò: dum ait libro primo meteor. cap. 4. partem lactei circuli copulari Zodiaco. Sed Zodiacus ponitur ab ipſo in parte cæleſti, ergò etiam quod illi dicit copulari. ſi quis replicet Zodiacum duobus modis accipi, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm apparentiam. oſtendi poteſt intelligere Ariſt. ſecundùm eſſe, dùm ait Zodiaci ſemicirculum ſempèr videri in nocte, at, ſi per Zodiacum intelligeret partem circuli in ſuprema regione aeris exiſtentem. qùm iſte circulus circundet vniuerſam terram, de eo noctu non poteſt videri media pars, vt patere poteſt per matematicam demonſtrationem. Sit lacteus circulus A. in ſuprema aeris regione: ſit terra B. oculus vbì C. licèt circulus A. ſit admodùm eleuatus ſuprà terræ ſuperficiem, tamèn linea viſualis à puncto C. non poteſt extendi niſi ad punctum D. B. proptèr terræ impedimentum, &, ſi etiàm linea poſſet extendi vſquè ad E. E. neque tamen totius circuli videretur media pars, vt patet intuenti.

Prætereà in eodem cap. 4. ait Ariſt. lac ſempèr idem in ijſdem aſtris eſſe: non autèm dicit apparere: veluti aliàs aſſerit, dùm ait, eſſe paſſionem aeris; quarè hoc modo loquendi oſtendit, ſecundùm eſſe ipſum ſentire habendam paſſionem cæleſtem, ſecundùm verò apparentiàm habendam ſublunarem; quod confirmatur, quià infrà inquit, *quæ autèm in lactis circulo feruntur aſtra.* proprietas enim ſermonis expoſceret dicere: quæ autèm lactis in circulo dicuntur ferri, aut videntur ferri.

Tertio Refellens Ariſt. ſententiam Democriti &c. dicentium, lacteum circulum eſſe concurſum aſtrorum ſimplici, & propria luce tantùm viſibilium: quià eorum lux occultari non poſſit, & auferri ob terræ vmbram; adducit terræ vmbræ conum non poſſe peruenire ad lacteum circulum. qùm igitùr terræ conus ex Eclipſi Lunæ depræhendatur peruenire vbſquè ad Lunam, ſuademur ex Ariſt. lactis circulum multò ſuprà Lunam eſſe, & in cæleſti regione.

De Pluuia.

LOquens Ariſt. de pluuia multa connectit, quæ pluuiam conſequuntur, vt vapor, nubes, caligo, ros, pruina, nix & grando. horum omnium cauſa traditur rarefactio, & condenſatio; concretio, & diſcretio, horum verò calor, & frigus; & calidi, & frigidi Solis acceſſus, & receſſus; ideò cauſæ omnes ad Solis acceſſum, & receſſum reducuntur; aut quid acceſſui, & receſſui reſpondens; quo ſit quædam circuitio in aere, & perpetua reciprocatio, vt ſit planetarum in Zodiaco, a quibus impreſſiones variæ in terram, in aerem, in aquam fiunt: & ratione loci, & incidentium, contingunt hæ viciſſitudines. Sole enim accedente ad nos ſequitur calefactio, ex hac, aut in hac rarefactio: pro varia natura au-

autèm eius, quod incaleſcit, & loci, vbi incaleſcit, varia mixta imperfecta: ſiquidèm aqua incaleſcit, emergit vapor: ſi terra, emergit exhalatio; ſi terra madefactum, aliquid ex his mixtum fit. Vapor iſte leuitèr concreſcens ex frigore incidente vertitur in caliginem, aut in nebulam: exhalatio in ignes, de quibus ſuprà dictum eſt: id, quod mixtum dicimus, in nubes. Ex Vapore vehementiùs concreto propè terram, & antequàm alterius mixti formam accipiat, oritur ros; &, ſi in eodem loco ex vehementiore frigore concreſcat caligo, oritur pruina; hæc enìm eſt differentia intèr rorem, & pruinam, quo vapor impurus leui frigore exceptus concreſcit in caliginem, purus in rorem; quod, ſi vehementiore frigore excipiatur, purus quidèm in glaciem, impurus in caliginem priùs, & indè in pruinam conuertitur. & eſt illa glacies, quæ reſpondet grandini in ſublimi ortæ; &, ſi Ariſt. dixit non haberi in infimis, quod reſpondeat grandini, id pronunciauit, quià hoc paucis contingit in locis. contingit tamèn in aliquibus. Nubes autèm in ſublimi frigore excepta, aut quià ipſa ad frigidam regionem aeris feratur, aut quià aliàs frigidus aer ad eam peruenerit, concreſcit in pluuiam, &, ſi frigus fuerit vehementius, & illicò accedens nix oritur; &, ſi frigus gradatim intendatur breui tamèn, primo nubem in aquam conuertit, & intenſius factum guttas aquæ in grandinem firmat. reſpondet itàque ros pluuiæ, nix pruinæ, grandini dicta glacies; veluti enim aqua ſtatim genita magno frigore excepta in grandinem conuertitur, ſic ros magno frigore exceptus in hanc glaciem firmatur.

Hinc quid hæc pronunciet, & quid ex his pronunciari poſſit conſideranti fieri manifeſtum poteſt

> Luna reuertentes qùm primùm colligit ignes:
> Si nigrum obſcuro compræhenderit aera cornu,
> Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber. Virg. 1. Geor.

Ratio eſt, quià Luna; qùm reuertitur ad meridiem vergit, quoniàm à Solis occaſu elongatur; & ſignificat ad lybicum denſas caligines volui, & aerem impuros vapores iam colligere; vndè pelago paratur imber, quoniàm ex ea parte vapores denſi conſpiciuntur; & agircolis, qui ferè oras maritimas tanquàm vberiores colunt, ad eam enìm partem Luna vergit noua.

> At, ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem:
> Ventus erit, vento ſempèr rubet aurea plæbe.

Exhalationes enim ad aridum potiùs vergere ſignificat, aut longè exiſtentibus craſſioribus vaporibus pluuias alibì fundi, per quas venti mouéntur; vt in capite de ventis patefiet.

> Sin ortu in quarto (namquè is certiſſimus auctor)
> Pura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit:
> Totus, & ille dies, & qui naſcetur ab illo.
> Exactum ad menſem pluuia, ventiſque carebunt:
> Votaque ſeruati ſoluent in litore nautæ

Luna ortu in quarto ad Auſtrum vergit, quòd, ſi ea regio pura omninò eſt, longa ſerenitas expectanda; quandoquidèm ſi nulli vapores eleuantur à mari, in quo materia ampliſſima eſt, nec aliundè eleuari credibile eſt per plures dies.

> Sol quoquè, & exoriens, & qùm ſe condet in vndas,
> Signa dabit &c.

His enim temporibus quæ nàm à terra eleuantur maximè oſtendit, quæ non poteſt patefacere, vbi iam à terra eleuatus eſt Sol longè ab

ortu, & occaſu. præterea ab hora, qua oritur Sol ad eam, qua occidit, oras ſemper luſtratur meridionales: vnde plerumque tempeſtates procedunt: Sol autem vapores, & caligines detegit ibidem exiſtens, quas diximus pluuiæ materialem cauſam, & indicia efficientis

Ille, vbi naſcentem maculis
varia venit ortum
Conditus in nubem, medioque
refulſerit orbe,
Suſpecti tibi ſint imbres, namque vrget ab alto
Arboribusque, ſatisque Notus,
pecorique ſiniſter.

Quippe Sol naſcens ad Notum vergit; &, ſi ipſe nube tegitur, ea parte impuros vapores adeſſe manifeſtum eſt, & radiis diffuſis reliquas cæli partes aperit. cùr autem maculis potiùs, variegatoque cælo, ac non vniformi caligine Notum futurum ſignificet, eſt: quia vniformis caligo impurum quidem cælum ſignificat, ſed quietum. vbi verò illud ventis agitatur, non vnam ſeruat ſpeciem, quandoquidem vapores, & caligines hàc illàc volutantur, & augentur varia ratione.

Aſt vbi ſub lucem denſa inter
nubila ſe ſe
Diuerſi erumpent radij, aut vbi
pallida ſurget
Titani croceum tingens Aurora cubile,
Eù malè tum mites defendit
pampinus vuas:
Tam multa in tectis crepitans
ſalit horrida grando.

Diximus ſuper, grandinem fieri, qùm priùs à mediocri frigore nubes in pluuiam fuerit conuerſa; ſed ſtatim; dùm deſcendit pluuia, ſi vehementi frigore excipiatur: vt eſt in aura ab Aquilone procedente: frigus enim grandinem generans non eſt aeris à regione; namque vbi nubes ad mediam aeris regionem perueniunt; ſtatim ac tantum frigoris conceperint, quantum ad generandam pluuiam ſatis eſt, in pluuiam conuertuntur; pluuia autem genita ſtatim deſcendit, nec fertur ſursùm ad frigidiorem aeris regionem; ſed deſcendens aerem offendit tempeſtiuo frigore alteratum, à quo in grandinem conuertitur; ſi enim aer hoc modo frigidus fuiſſet, quandò nubes ſursùm ferebantur; dùm ferrentur aut in aquam, aut in niuem fuiſſent conuerſæ, ſed aerem, quem frigidum offendit pluuia deſcendens; nubes aſcendentes offenderant temperatum; ideò ea varietas tempeſtiuè orta eſt; quod cauſari non poteſt: niſi à perflactu percurrente, & perflactus illicò refrigerans erit vel montanus, vel à Septentrionibus; aer autem montanus plerumque cæteris paribus clarior, & tenuior eſt; ac pariter, qui à Septentrione procedit. A longè itaque proſpectus aer partim denſas nubes continens, & partim ſerenus exiſtens hanc tempeſtatis varietatem prædicit; vapores enim denſi, & nubes: vbi ad frigidam aeris regionem perueniunt, cauſa data, in pluuiam vertuntur, flantibus autem Septentrionibus, eadem pluuia in glaciem conuertitur, quæ dicitur grando. Idem quoque ſignificat, vbi Aurora pallida hac eminentiori regione pluribus vaporibus repleto aere, partem inferiorem croceam habet, hoc eſt non adeò plenam vaporibus.

Hoc etiam emenſo quum iam decedet olimpo,
Profuerit meminiſſe magis &c.

Qùm enim Sol plurimum cæli ſuperauerit, duplici de cauſa certiora ſigna futuræ tempeſtatis tradit. primò, quià magis vergit ad partem meridionalem: vndè tempeſtates plerumque procedunt; ſecundò, quià eſt in parte aeris magis eleuata, & à terra longè; ſi igitùr tanta copia vaporum eſt, vt etiam aeris partem à terra remotam repleant, qùm vapor

por fit traditus materia nubium, caliginum, & pluuiarum, ideò certiora indè ſigna poſſunt recipi.

Cæruleus pluuiam denunciat,
igneus Euros
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni:
Omnia tùnc paritèr vento, nimbiſque videbis
Feruere &c.

Cæruleus pluuiam denunciat, quià vniformi aeris craſſitie talis fit: vbi pluribus vaporibus, & in altum dimiſsis aer plenus eſt. *Igneus Euros*, quia exhalationibus potiùs repletum eſſe aerem ſignificat color ille. *Sin maculæ incipient &c.* ſi verò igneo iſto colori maculæ quoquè miſceantur, exhalationibus immixtos eſſe etiàm plurimos vapores, & eos in caliginem conuerti, vndè cùm vento, etiam pluuia expectanda eſt.

Poſſumus has omnes mutationes arte parare, & experiri, ferendo in hypocauſtum vas amplum, aut vitreum, aut argenteum niue plenum. vbicumquè enim circumferatur, caliginem, & nubes facit. nullo tamèn modò poteſt per artē parari nix, aut grando, aut pruina: quia hæc ſupponunt aliam actionem frigoris ſuperuenientis, & ſubſequentèr erumpentis. vndè æſtate maximè grando generatur, nec fit grando in montibus eminentiſſimis, vt nix; deindè Autumno, & Verè, omnium minimè Hyeme; quià hieme frigus magis vniforme eſt, & in regione montana, & in maritima; & in parte inferiore aeris æquè, ac in ſuperiore. fit autèm æſtate potiſſimùm grando, quià caloris vi in ſublime magis feruntur vapores in aquam vertendi, vndè pluuia ab alto cadens, plùs etiàm frigoris recipere poteſt. Grando maior non eſt rotunda, quià fit per aggregationem plurium guttarum, & cælo maximè proceloſo, & agitato. proptèr quam agitationem figura perfectior non poteſt recipi.

Dubitatur autèm circà ea, quæ dicta ſunt ab Ariſt. quomodò *manifeſtè* (vt ipſe ait ſumma tertia Cap. primo) Solis latio diſgregans, & congregans ex eo, quià propè fit, aut longiùs, cauſa generationis, & corruptionis ſit; namquè ſi loquamur de corruptione genericè, ea contingit maximè æſtate, quandò Sol propè eſt. caro enim, & quodcumque aliud mixtum potiſſimùm, & celeriùs corrumpitur æſtate, quàm hyeme.

Reſpondetur diſtinguendo generationem viuentium, & non viuentium; & non viuentis perfecti, vel non perfecti, de quibus modò agit. Sol accedens eſt cauſa generationis viuentium, & corruptionis non viuentium; quià Solis calor tanquàm cæleſtis ad quæcumque ſemina, & ſata, aut quaſi ſemina habet eamdem rationem, quam calor incubantis ad ouum, in quo dicitur calor quidam proportione reſpondens elemento ſtellarum; & hoc rationabilitèr, quià generatio vnius eſt corruptio alterius; vt veluti typographus eodem conſilio premenda componit, & preſſa diſſoluit; ſic Solis vis viſſura componit, & diſſoluit, quæ vixere: vt ea circulario perpetua ſeruetur in rebus, quam hoc loco proponit Ariſt. & eadem eſt ratio mixti perfecti. nàm mixti o eſt via ad generationem; quò ver ò ad mixta imperfecta hoc loco dicuntur ab Ariſt. circulo ſeruari per diſgregationem, & congregationem: quæ non contingit per formam ſubſtantialem, ſed per qualitates calorem, & frigus: calorem diſgregantem, & frigus congregans. ideò, quæ fiunt per congregationem, vt aqua ex nube: nubes ex caligine: caligo ex vapore, expoſcunt Solis receſſum, &, quæ ab eo ſuccedunt; quæ verò naſcuntur per ſegregatio-

 nem

nem, & calorem: vt vapor ex aqua: & exhalatio ex terra, fiunt per Solis acceſſum: aut à cauſa conſequente Solis acceſſum. Ideò caligo, nubes, aqua, nix, grando, pruina, ros fiunt Sole recedente, aut aliàs abſente ſiuè per interpoſitionem terræ totius noctu, & hyeme: ſiuè montium, & nubium, ſiuè ratione locorum, & incidentium. Diſſolutio verò in vaporem fit maximè per Solis acceſſum, præſertim quotidianum, nàm in annuo acceſſu æſtate, licèt plures vapores diſſoluantur ab aquis, & exhalationes à terra, tamèn altiùs etiàm eleuantur, quàm poſſint adeò facilè concreſcere.

Sed rursùs dubitatur: ſi accedente Sole fit reſolutio, & ros propè terram reſpondet aquæ in ſublimi: quomodò ros generatur manè Sole accedente, & aperto cælo, ac ſereno.

Reſpondetur, Sole manè accedente priùs attingi, & incaleſcere partes aeris ſuperiores, & montium cacumina: vbi aer calefactus exoluitur, & propterea aura ſemper mouetur ab Aurora, per quam auram motam, tanquam flabello terræ partes depreſſiores refrigerantur; vndè recens eleuatus vapor, & pronus denſari, facillimè concreſcit in rorem, aut in mannam, ſi locus admodùm caliginoſus fuerit: adiuuante etiàm herbarum, & frondium frigore aliquo à radicibus ſub terram degentibus comunicato. proptereà rarò fit ros in montanis, & apricis locis, vbi pauciores contingunt euaporationes, & acceſſus Solis immediatus eſt; neque etiam fit nubilo cælo, quandò Sol non poteſt hanc auram leuem mouere, interceptus à nubibus: neque fit, dùm ventus perflat vehementior: quià vapores illi diſſipantur. fit etiam maximè, ait Ariſt. ros ad partes Auſtrales, aut quomodocumquè ad mare; quià primo mane Sole accedente aura mouetur à montibus ad mare frigidior: vndè vapores non eleuatos ad planicies inueniens hos facit concreſcere in rorem, aut pruinam, ſi aura fuerit vehementiùs frigida.

De fluminibus, & fontibus.

Ex Sententia Ariſt. videtur potiſſima cauſa fontium pluuia, quæ in terram recepta transfluat per terræ meatus, & colligatur in vnum, quod dicitur flumen; tamèn iurè ſuperaddit, non ſufficere aquam deſcendentem per pluuiam ad magnorum fluminum perennitatem, ſed veriſimile eſt in terræ cauitates vapores ferri, & gigni etiam à mari ſubterfluente, qui vapores ad montium regiones peruenientes pluuiali aqua madefacti, & loci altitudine, frigore concreſcere in aquam, & fluere. Pluuiam autèm non ſufficere, ea coniectura deprehenditur, nàm neque quotidiè, neque tota die pluit; &, quandocumquè longè, & latè pluit animaduertimus, quam in magnitudinem flumina augeantur, ex quo patet aquam ex pluuia fluere, & non colligi in terræ cauitates: niſi modica colligatur, & ſenſim extillanda. In magnis montibus tamèn, vndè fluuij maiores fontes habent, plurima nix ſeruatur, quæ non prolabitur niſi ſenſim, & penetrans per terræ meatus; &, quandocumquè nix calore æſtiuo ſoluitur, tunc magna flumina augentur admodùm, vt in Padò patet, & Nilo, quæ flumina quotannis augentur Solſtitio. Quod verò ex vaporibus eleuatis à tota periferia maris per vniuerſam terram penetrent aquæ, patere poteſt: quia vbi flumina magna ſunt,

ſi quis aridam fodiat, ſempèr ad fluminis libellam aqua inuenitur; &, quià vniuerſa terra ſulphuris aliquid in ſe continet, ex hoc vapores eleuantur. & in magnorum montium cacumina per terræ ſpongioſæ cauitates. &, quùm deuenerint hi vâpores ad frigidas montium cauitates, in aquam concreſcunt: veluti faciunt hi vapores, qui per eandem terram permeantes in nubes conuertuntur: ſi hæ nubes ad frigidam aeris regionem eleuantur.

De permutatione, & viciſſitudine aquarum, & continentis.

PRoptèr humanæ mentis anguſtiam, quod profert Ariſt. in hoc capite, inane quoddam figmentum creditur, quòd videlicèt non ſempèr eadem loca terræ ſubiecta aquis futura ſint, nec ſempèr, quæ prominet, & arida apparet, ſit in eodem ſtatu permanſura. licèt omne experimentum, & quælibet ratio ſaltèm in futura tempora ſuadeat manifeſtè. experimentum quidem, quià iuga montium diluunt, & flumina omnia, quæ feruntur in mare, terræ aliquid ferunt, quod in mari ſubſidet, nec ampliùs ſurſùm reuertitur: vndè neceſsè eſt mare contrahi, & aridam dilatari. omnem vallem impleri, & colles humiliari. & Ariſt. refert, Aegipti regionem, quæ olim Thebe diceretur, vniuerſam à flumine factam apparere: quod tamen non ſemper fluxiſſe, profert. ſed aliquandò aut exiccatum eſſe, aut exiccandum. Ratio etiàm conſentit, quià nullum violentum eſt perpetuum: terra autèm ex natura, quià grauior eſt, aquæ ſubeſt, & vi quadam ſuprà euecta eſt: vndè neceſsè eſt poſt æuum huic reciprocationi fixum: aquam ſubeat terra; quod futurum fore, rationabile eſt, per curſum anni magni ſuprà traditi, in quo, proptèr appulſum Solis ad æquinoctiale, quò, vt animaduertunt Aſtrologi, modò tendimus ad exarſionem, quam rurſùs olim factam tradidit Lucretius.

> Qùm ſemèl in terra fuerit ſuperantior ignis.
>
> Et ſemèl, vt fama eſt, humor regnauit in aruis.

qua de eluuione, non tamèn ſupèr vniuerſam terram, fama aliqua eſt apud hiſtoricos: & de Deucalione apud poetas; de arſione verò tantùm poetas meminiſſe, conſtat, per fabulam Phaetontis; de quo in hoc libro loquitur Ariſt. Nos verò tendere modò ad exiccationem terræ, fluminum imminutionem, & maris decrementum in vniuerſo hoc capite innuit Ariſt., quod etiàm rationi conſonum eſt, ſi montes decreſcunt, etiam flumina imminui. qum magna flumina vbiquè ortum ducere ferantur à magnis montibus, ità vt, data tempeſtatum æqualitate, qùm Sol in anno magno acceſſerit ad æquinoctiale, pluuias ceſſare neceſsè eſt, à quibus flumina originem ducunt: &, data depreſſione montium, neceſsè quoquè eſt. aquarum generationem in terræ cauitatibus ſiſti. Si verò olìm contingere, fingatur, ceſſare fluminum curſum ad mare. & Solis actionem adurentem augeri: fingi etiam poteſt vniuerſum mare primùm contrahi; ac pòſt modùm in ſalem concurrere ex natura. Ariſt. lib. 2. meth. cap. primo ait, & tandèm forè totum ſiccum, vt modo ex arte concreſcit. *Terra enim*, inquit Ariſt., *vt corpora plantarum, & animalium ſtatum habet, & ſenectutem*; & neceſsè eſt, qùm loca fiant ſicciora, fontes deleri. his autèm accidentibus, fluuios pri-

mò

mò quidèm ex magnis paruos: deindè tandèm fieri ſiccos. Nullam tamèn harum mutationum extare memoriam, aut, ſi quæ eſt, eam inanem, & fabulam cenſeri; quià, proportione habita ad durationem humanæ vitæ, penè infinita duratio eſt, & incomprehenſibilis, qua iſtæ mutationes contingant; quod ſuadet Ariſt., quià nè quidèm vrbium incrementum, & decrementum depræhendimus, quandò ex natura ſensim contingat: nisi id in prælijs eueniat; multò igitùr minùs poteſt perſiſtere alicuius minimæ mutationis memoria, quæ contingat in vniuerſo, cùm quo omnem menſuram atque coniecturæ rationem tranſmutari, credibile eſt. In hoc tamen differt ſententia Ariſt. à ſententia Platonis, Senecæ, Macrabij &c. quià, hi tradunt, per acceſſionem Solis ad æquinoctialem, & ob eius directionem, & ob dierum æqualitatem, imminuta Zodiaci faſcia, aquas imminui, & aridam fieri; & continentèr magis, ac magis exiccari. At verò iterùm, recedente Sole ab æquinoctiali tardiſſima pariter acceſſione, pluuias ſensim redituras, & flumina ab his promanantia: donèc ad polum Sole accedente, iterùm terra obruatur ab aquis. vt olìm obruta traditur. Ariſt. autèm hæc quidem per æui circuitum fieri profert, eumque tardiſſimum, ſed eodem tempore videtur credere, in vno loco fieri has viciſſitudines ab ariditate in eluuionem, & eodem tempore in alio loco fieri ab eluuione ad ariditatem. ſic in partibus terræ id fieri refert, quod illi in vniuerſo terrarum orbe accidere ratiocinantur, ob acceſſum Solis ad circulum æquinoctialem, & receſſum ab eo cum tota ſphæra Solem ſequente, vt in ſyſtemate Pythagorico, ſeu Italico traditur.

De Mari.

Ex his; quæ ſuprà narrata ſunt de viciſſitudine aquarum, & continentis, dubitare contingit: an aqua ſit vnum ex elementis cæteris coæuum: an hoc ſolùm aliquandò deficiat: &, tanquàm ſit aer concretus, in aerem reſoluatur. dùm enim ait Ariſt. flumina olim imminuenda eſſe. & lib. 2. meth. cap. 2. fore totum ſiccum: videtur aſſerere, deficere debere etiàm mare, quod non eſt, niſi aquarum collectio, & fluminum quies; &, ſi modò tot fluminibus concurrentibus ad eum non augetur, ſignum eſt, tantum exolui per Solis ardorem, quantum affluit fluminum concurſu. quod ſi flumina deſinant, vt fatetur Ariſt., & Solis actio augeatur; neceſſariò olim mare deficiet; nullos enim alios fontes habere mare depræhenditur pratèr flumina ad illud manantia; quæ nonnulli credunt à mari ortum ducere, tanquàm maris ſalſedo per terræ denſitatem tranſfuſa deponatur; &, quæ aqua ſalſa erat; fiat potabilis; ſic aquam vnum ex elementis ſtatuens perpetuum, vt cætera; ex quo, quod graue eſt, ob ſalis mixtionem deſcendat in mare vocatam collectionem aquarum, quod verò leuius, aſcendat, vt iterum fluat. eodemque modo contingere in magno mundo, quo contingit in paruo. ex alimento enim recepto, quod ſalſum eſt, non tantùm proptèr ipſius grauitatem, ſed etiàm naturæ miniſterio tanquàm inutile deponitur in aluum, quod verò dulce, & vtile sùs, deque fertur, vbi oportuerit, ad totius animantis nutritionem. Ità naturæ miniſterio, tradunt non ſinè ratione naturales philoſophi duce Ariſt. 2. meth. cap. 2. per terræ meatus ferri hu-

humorem; & à maris planitie eleuari ſursùm ad alenda omnia, quæ in terræ ſuperficie generantur. licèt ab hac opinione differre videatur; quod Platoni imponit Ariſt., in hunc recedit, & nullum ſequitur abſurdum: ſi rectè percipiantur, quæ in Phædone proferuntur ab eo. Cùr autèm non augeatur mare tot fluminum affluxu, ratio euidens admodùm eſt, nàm credi poteſt tantum auctum eſſe, donèc plùs afflueret, quàm Solis ardore diſſiparetur, & in aerem, & per terræ meatus digereretur; qùm autèm par pari accidit, vt tantum exolueretur, quantum influit; deſijſſe increſcere. imò ex ſententia Ariſt. ſuperiùs relata: modò creditur imminui imperceptibili tamèn deceſſione aquarum, donec ex toto deficiat, vt refert Ariſt. lib. 2. cap. 3. ſenſiſſe nonnullos, & fabulis eorum ſententiam inuoluiſſe. Salſedo autèm maris indè procedit, nàm Solis calore exoluitur dulce, & leue; graue, & ſalſum remanet, & hoc in terra eſſe ſalſedinem, patet ex mixtis omnibus; quæ ex terra naſcuntur, ex quibus ſal extrahitur; quòd autèm aſſerit Ariſt. in fontibus, & fluminibus hanc ſalſedinem non deprehendi, nec perpetuum eſt, nec irrationabile: non perpetuum, quià riuuli in aliqua terræ regione inueniuntur, & aquarum collectiones longè à mari ſale multo ſcatentes: non eſt tamen irrationabile, ſi non percipitur in magno flumine modicum ſalis admixtum, vt in mari aliqua ſemper ſalis portione accedente, & nulla decedente, quod remanet, ſale multo ſenſibile neceſſe eſt eſſe; & tandèm in ſalem firmandum. Empedocles enim poeticè loquitur dicens, eſſe ſudorem terræ. propterea illum irridet tanquàm grauis philoſophus Ariſt. non tamèn ſinè aliqua analogia eſt maris ſalſedo ad ſudoris ſalſedinem: namquè vapor erumpens, à venis ad cutem deueniens externo aeris frigore veluti concreſcit in ſudorem: ſic vapores per terræ poros emergentes terreum aliquid ſecum ferentes ab aeris montani frigiditate excepti concreſcunt in aquam, quæ, imperceptibili quidem ad ſenſum, ſale aliquo tamèn ſuffuſa ad mare fertur; vndè iterùm fluens ſalem deſerit; veluti quicumque alius humor, vt exemplificat Ariſt. de vino: ſi ſuppoſito igne euaporet; niſi quod exhalat per tubum, tubo immerſo in aquam, concreſcat, in aquam ſolui videtur, ità, quod remanet, ſalſum; aut ſapore aliquo præditum percipitur; & in mari ſi vas cereum ponatur, aſſerit Ariſt. quicquid in illud per corpus cereum ingreditur, potabile eſt, nàm ſalſum non permeat ceram.

De Ventis.

Loquutus eſt Ariſt. de Ventis lib. primo meteor: ſumma quarta cap. primo: vbi refert primò opinionem Hipp. qui lib. de flat. T. 5. ait *Ventum eſſe aeris fluctuationem*, quam Hipp. definitionem approbat, & explicat Ariſt. 4. topic. cap. 5. loc. 69. Vbi ponitur paſſio loco differentiæ, & id, cuius eſt paſſio, loco generis. Aer enim intranſmutatus manet, & per motum recipit denominationem venti, & rationem. Ariſt. pollicetur tractationem de vento, & ſpiritu intendens loqui de ratione formali, & materiali. ratio enim materialis venti eſt ſpiritus, formalis eſt motus, ſeu motio. Quo autèm differant aer, ſpiritus, & flatus, qui ſunt ſubiectum eius motionis, à qua denominantur ventus, explicat Hipp. loco citato: nàm ſpiritus eſt nomen genericum cuiuſcumque corporis in-

inconſpicui, & nullo ſenſu perceptibilis. itaquè ſpiritus, ſi intrà corpus viuentis fuerit, inquit Hipp. dicitur flatus, extrà dicitur aer; ſi verò fiat perceptibilis ſaltèm ad ſenſum tactus per motum, dicitur ventus. Benè igitùr dicitur ab Hipp. Ventus aeris fluctuatio. quam definitionem approbat Ariſt. 4. topicâ. nequè eam reprobat primo meteor. At hoc 2. lib. meteor: ſum. 2. Cap. 1. videtur eam reprobare: quià non loquitur hoc loco de cauſa formali: ſed de materiali etiàm: non loquitur tanquàm de re intranſmutata ſecundùm ſubſtantiam, ſed de tranſmutata. ait enim, ventum eſſe exhalationem calidam, & ſiccam aſſignando ſubiectum cauſæ formalis venti, & eius generationem: formalem autèm diximus eſſe motum; vndè ipſe aer, ſi moueatur, fit ventus: etiam ſi nullam aliam tranſmutationem omninò patiatur; ſi enìm aer eſt calidus, & humidus: vt fiat ventus, non eſt neceſsè fieri calidum; & patet, ſi quis aerem aut folle impellat, aut flabello moueat, ipſum aerem in ventum mutat. Vndè pueriliter errant, inquit Ariſt., qui omnes ventos vnum ventum eſſe aiunt; quia aſſignant, & conſiderant tantùm ſubiectum, & cauſam materialem: at differentiæ debent ſumi à forma; &, ſi forma eſt motus, & motus diſtinguuntur formalitèr per terminos: in ventorum diſtinctione, & ad aſſignandas eorum ſpecies debent attendi terminus à quo, & terminus ad quem. Cauſa efficiens remota cauſæ materialis, nempè exhalationis eſt Solis calor ex Ariſt. hanc exhalationem generans. ſed tota difficultas eſt in inueniendа cauſa efficiente cauſæ formalis venti: nempè illius fluctuationis. Non enim exhalatio calida, & ſicca, quatenùs talis, cauſa eſt iſtius motus, & fluctuationis; namquè, quatenùs talis, mouetur ſursùm, non ad latera; & in hac aſſignanda cauſa efficiente, & impetum dante aeri, ſeù exhalationi laborant plurimi philoſophantes. fuit opinio Theofraſti, hanc exhalationem calidam, & ſiccam ex ſui natura ſursùm moueri; ſed, quoniàm à terra detracta eſt, aliquid etiàm terrei in ea permanſiſſe rationabile eſt, à quo feratur deorsùm; vndè ex hac principiorum oppoſita propenſione ſursùm, & deorsùm naſcatur fluctuatio, & motus ad latera. Refellitur hæc opinio Theophraſti, quià mixtum mouetur à prædominante: ideò vel dominatur exhalatio, vel terra: ſi exhalatio, mouetur ſursùm, ſi terra, deorsùm. nec recepta eſt eius ſolutio diſtinguens mixtionem veram à non vera; quià idem accidit in mixtione arteſacta, quæ certè non poteſt eſſe vera. Vndè Ariſt. magis probabilem rationem reddit iſtius impetus ad latera; quòd videlicèt exhalatio, vt natura eius refert, tendit ſursùm, & eò mouetur impetu quodam; qùm autèm deuenerit ad ſupremam aeris regionem, aerem offendit motu diurno, & raptus circumuolutum; vndè ipſa quoquè circumuoluitur, & deorsùm eo motu repellitur, ſaltèm reprimendo eius impetum motus ſursùm incœpti, a quo motu impulſa exhalatio mouetur ad latera. vt exemplo tradunt, ſi quis fumum ab extincta candela recipiat operculo; licèt motus ipſius fumi ſit ſursùm, tamèn propter impedimentum, & interceptum motum fumus mouetur ad latera. Procedere autèm ab alto ventum, & hanc aeris fluctuationem, ſuadetur, quià nautæ ventos prædicant à nubium motu: & in apertis, altisque montibus frequentiores ſunt venti, & vehementiores: vtpote magis proximi ſui principio. Verùm non prorsùs hæc opinio Ariſt. quæſtioni ſatisfacit: nā m in monte Olympo nulla motio aeris dicitur eſſe, & tamen, ſi ab aeris ſuprema regione pelleretur exhalatio,

tio, ibì maximus motus eſſe deberet: Vnde concludendum ſententiam Hipp. *Ventum eſſe aeris fluctuationem*, eſſe maximè philoſophia dignam & ad mentem Ariſt., & Platonis, quam approbat in topicis: nequè hoc loco reprobat; ſed, cauſam materialem referens, profert eſſe exhalationem calidam, & ſiccam; non quià exiſtimaret ſubiectum huius motus, qui dicitur cauſa formalis venti, ſolam exhalationem eſſe poſſe: namquè optimè norat Ariſt., aerem genericè ſubiectum eſſe, & ſpiritum iſtius motus; ſed quoniàm hæc exhalatio potiſſimùm eſt ſubiectum cœterarum paſſionum, per quas concipitur iſte motus, quùm enim hæc exhalatio ſit mixtum facilè tranſmutabile, & imperfectum, vt aſſerit Theophraſtus, nec diù durans: ideò facillimè quacumque alteratione mouetur; & præſertim calore, & frigore intercedente, quo celerrime incaleſcit, & refrigeratur: vt de aqua leuiſſima profert Hipp., &, qùm facilè has alterationes recipiat, facilè etiàm condenſatur, & rarefit; qua rarefactione, & condenſatione contingente latè, & profundè ad terræ ſuperficiem fieri neceſſe eſt; & ſi plurima pars aeris condenſetur, ad ſeptentriones ab auſtro plurimam quoque partem moueri aeris, ſeù exhalationis ad replendum vacuum per eam condenſationem contingentem. Ità, ſi condenſatio contingat à parte orientali, neceſſe eſt in parte occidentali, aut alia magis proxima, & illi alterationi magis prompta, ferri pariter ad replendum vacuum; &, quoniàm aer vi quadam trahitur ad huiuſmodi vacuum replendum; proptereà, idem aer, & quicquid aer immixtum habeat, venti rationem ſumit. Cauſa itàque efficiens immediata venti eſt naturæ ordo, & vis mouens ad replendum vacuum. Vacui cauſa aeris condenſatio: ſiuè hæc contingat integrà ſubſtantià ipſius, ſiue per tranſmutationem ipſius, aut vaporis in eo in aquam. Cauſa huius condenſationis eſt frigus. Cauſa frigefaciens eſt Solis receſſus, & caloris ab eo procedens deriuatio: ſiue hic receſſus fiat per magnam & conſuetam annuam elongationem: dùm declinat ad auſtrum; ſiue per intercedentes nubium interpoſitiones; ſiue per concurſum planetarum, vnius, aut plurium; dum cum eo recedunt, vel ab eo remouentur; ità vt in aere aliqua accidat ſenſibilis mutatio: quà data, ad motum aeris vix perceptibilem poteſt dari etiàm ſenſibilis motus in mari; & inde fluxus, & refluxus varietatem ſumere: per quam, maris planicie aliquantò ſumente; poteſt mare per terræ meatus in aridam ferri; a qua tanquam per calcis madefactionem, multæ exhalationes, & variæ pro diſpoſitione varia terrarum, quæ eleuentur, & ſursùm: vt vbì ſulphuris, aut bituminis mineræ ſubeunt; indè enim planamquè, antequàm ventus debaccetur, eleuantur craſsi vapores, qui in nubes abire conſpiciuntur; & concurrentibus etiàm iis, qui inſenſibilitèr exhalant, generantur nubes denſæ, & latæ quæ poſſint Solem opportunè interdicere, & propter hoc ipſum per magnum terrarum ſpatium aerem frigidiorem reddere; &, ſi ferantur ad ſecundam aeris regionem, dùm ibì in aquam vertuntur frigore concreſcentes, in minorem molem aerem, & vapores coarctant, quam coarctationem neceſſariò vacuum ſequitur; ac paritèr, dùm aqua deſcendit frigida totum aerem, quem permaneat, paritèr refrigerat, & ſubſequentèr condenſat. Vndè fit, multitudinem aquarum maximè ventos mouere; ac maximos quidam, & vehementiſſimos quandocumquè niues deſcendunt: proptereà quòd nix non ſolùm aerem intenſiùs refrigerat, ſed etiàm diutiùs per-

perſeuerat. Hanc vniuerſam generationis ſeriem proponit Ariſt. licèt obſcuro admodùm ſermone lib. 2. meteor. ſum. 2. cap. 1. dicens. *Qùm itaque fertur Sol circulaitèr, & qùm quidèm appropinquauerit per caliditatem ſursùm ducit humidum: longiùs autèm qùm ſiat propter infrigidationem conſiſtit iterùm ſurſùm ductus vaper in aquam; qua proptèr hyeme magis ſiunt aqua, & nocte. deſcendens autèm aqua diſtribuitur tota in terram*, dùm autèm ſubdit. *Mouebitur vtiquè magna multitudo aeris ab aliquo magno caſu non habens principium; neque fontem*. Intelligere oportet non habere principium manifeſtum, & aſſignabile: qùm multa debeant concurrere, & ſubſequentèr fieri, vt venti aliqua fiat generatio, aut aeris motio.

Dubitationes circà ventorum generationem.

VErùm per ſolutionem quorundam, quæ occurrunt, problematum clarior reddi poterit propoſita doctrina de ventis. Et primò dubitare contingit circà traditam definitionem venti ex Hipp., qua dicitur *Ventus fluctuatio aeris*: nàm Ariſt. lib. 2. meteor. ſum. 2. cap. 1. Inconueniens eſſe dicit ſi, qui circà ſingulos confuſus eſt aer, iſte fiat, qùm mouetur, flatus, & vndecumquè motus fuerit, ventus ſit. Quibus verbis apertè videtur reprobare Hippocratis definitionem.

Reſpondetur. Ariſt. ibì reprobare ſimilitudinem, non ſententiam, dicebant enim nonnulli, eandem eſſe rationem fluuii, & ventorum, ità vt, quemadmodùm aqua quieta dicitur aqua, & eadem, quandò mouetur dicitur fluuius; ità aer, dum quieſcit, dicitur aer, dum mouetur, dicitur ventus. Similitudinem, ait Ariſt., in hoc deficere, quià fluuius quilibet habet fontem, à quo perpetuò emanat: ventus autèm non habet principium ſui motus determinatum; quod protulit, oportunè carpens ſententiam Platonis opinantis ipſum mare per terræ meatus ferri ad radices montium, & iterùm fluere nulla intercidente tranſmutatione, quod ſuprà oſtenſum eſt, quomodò abſurdum ſit, & quomodò per intercidentem conuerſionem in vaporem id poſſit accidere ideò fluminum eſt ferè eadem magnitudo: aut tantùm ex accidenti variabilis: ſempèr idem alueus: ſempèr idem curſus; ventorum autèm maxima eſt variatio loci, impetus, durationis, & terminorum; nàm ferè in eodem loco eſt terminus à quo, in quo aliàs fuerit terminus ad quem; & ex eodem, vt ità dicam, fonte conuertitur, & fluit ventus ad ſeptentriones, & ad auſtrum, ad orientem, & ad occidentem.

Secundò dubitatur: quia ſuprà dictum eſt, ventos plerumquè promoueri a pluuia condenſante aerem, in quem fertur deorsùm, & coartante nubes, & aerem, ex quibus ortum habet tanquàm ex materia. Vndè ventus ſemper, hoc principio dato, deberet ferri ad regionem, vbi pluuia fit, & deſcendit. Nos autèm contrarium experimur, & id teſtatur etiam Ariſt. Experimur enìm, ventum ab ea regione moueri, vbi pluuia deſcendit; & deberet ferri ad eam; at ventus præcedit, & ab ea regione, vndè ventus trahitur, pluuiæ ad nos feruntur, & tempeſtates.

Tertiò dictum eſt, ventos ſequi aeris concretionem, & aeris concretionem eſſe à frigore; ſed nos experimur, plerumque à vento auſtrali pluuias moueri; ſed ventus auſtralis eſt ventus calidus, non frigidus, ergò ventus, & pluuia non

eſt ex concretione aeris.

Quartò,ſi ventus fieret ex concretione aeris, & hæc à frigore, deberet magis hyeme dominari; ſed venti magis, & vehementiores mouentur vere, & autumno, quàm hyeme, ergò non fiunt ex concretione. præſertim qum Ariſt. aſſerat ad Vrſas maximè fieri tranquillitatem: vbi plurimum frigoris eſt, & cap. 2. ait Ariſt. Aetheſias ſpirare poſt æſtiuales verſiones.

Ad Secundum reſpondetur: certè experimentum ſequi niſi perpetuò, ſaltèm frequentiùs, vt proponitur: cuius rei ratio altiùs repetenda eſt: animaduertendo pluuias frequentiores, & latiores fieri in montanis, quàm in maritimis oris; ſiquidèm oræ maritimæ ſempèr ma is æſtuoſæ, & aridiores ſunt; & obſeruatum eſt, quandocumque poſt æſtatem pluuiæ deſcendunt, priùs in montanis deſcendere incipiunt, vndè flumina turgent, quàm in maritimis: quandoquè tamèn in vtraque regione fieri. Scire etiam oportet ab oris maritimis non procedere, niſi exhalationes magis ſiccas, & quæ minùs aptæ ſint, vt conuertantur in pluuiam. Quibus poſitis fundamentis præſupponere oportet, vim maiorem ſempèr minorem ſuperare; quandocumquè igitùr ventus ab auſtro perflat: ſupponere debemus eſſe maiorem vim attrahentem a ſeptentrione, vbi aer condenſatur, & condenſari à pluuia ibidèm deſcendente. Qùm autèm ventus ab auſtro fluit ad ſeptentriones, a regione fluit calida, & ex mari vaporoſa ad frigidum: vndè aer ille, & vapores procedentes ad regionem frigidam neceſsè eſt condenſari, & inde nubes fieri, ab auſtrali igitùr plaga procedit materialis, in magis ſeptentrionali eſt cauſa efficiens nubium, & pluuiarum: quæ pluuiæ generantur, quandò vapor concretus in nubem ad eam denſitatem frigore coactus deuènerit, intrà cuius gradus, & limites forma aeri, & vaporis perſiſtere non poſſit: vndè concreſcit in pluuiam, aliam formam ſuſcipiendo illi denſitati contractæ magis idoneam. Ventus igitùr, qui ad nos defert nubes, & pluuiam, non mouetur à vi contracta per pluuias, quæ à vento deferuntur, ſed ab alia vi alibì in oppoſita regione mouente per vim maiorem, & prædominantem. quarè nubes pluuioſæ, quæ videntur ad nos ventum propellere, non propellunt, ſed trahuntur ab eo; vndè huiuſmodi tempeſtates vento agitatæ ab alia vi mouentur ingentium pluuiarum, quæ plerumque in montanis deſcendunt, ad quas regiones qùm deuenerint, ventus quieſcere conſueuit, etiàm ſi pluuia perſeuerauerit: vt animaduertit Ariſt., & experimento in dies probatur: magno vento dominante pluuias non deſcendere, niſì poſtquàm ventus ceſſauerit furere.

Per eadem Reſpondetur etiam ad tertium argumentum. nàm ventus auſtralis defert cauſam materialem pluuiæ: in ſeptentrionalibus hæc offendit cauſam efficientem, quam diximus eſſe frigus.

Ad quartum argumentum reſpondetur. Ventos moueri à frigore tanquàm à cauſa efficiente, ſed cauſam efficientem ſupponere materialem. Itaquè hyeme, licèt ſit cauſa efficiens, non adeſt materialis, quam diximus deferri ab auſtro. Si quis verò inſtet, hyeme plures vapores exiſtere, quàm autumno: vndè videtur etiam exiſtens cauſa materialis. Diſtinguenda erit cauſa efficiens mediata, & immediata. cauſa mouens aerem mediata eſt frigus, immediata eſt vacuum ſubſequens concretionem aeris. Hyeme itàquè, licèt ſit cauſa mediata nempè frigus, non eſt immediata, quæ magis vrget, nempè vacui ratio: quià vapores omne ſpatium replent, nec mouetur aer frigore,

niſi hoc inſolitum incidat . vt eſt aliquandò , dùm niues media hyeme deſcendunt , quæ, ſi copioſæ deſcendant , & longè fiant aerem etiam hyemæ mouent , & ventos pariunt ; & hæc eſt cauſa , quarè venti vehementiores contingant , & diuturni autumno ; quià videlicèt montanæ regiones latè , & diu niuibus grauantur , vt ad Alpes, & Appenninos . Vere autèm niues ſolutæ frigus deferunt .

De Ventorum differentiis.

LIcèt ventus ſit eiuſdem aeris fluctuatio , & omnium ſit eadem materia, nempè aer halituoſus , & vna forma , nempè motus , aut fluctuatio ; recipit tamèn differentias accidentales , per quas differt ventus à vento per terminos variabiles in motu ad locum , ad quantitatem , & ad qualitatem ; per terminum ad locum alij dicuntur venti Septentrionales , alij Auſtrales , Orientales , & Occidentales , contrarij dicti propter contrarios terminos , à quo , & ad quem . per terminum ad quantitatem , licèt non adeò propriè hic motus obſeruetur , ventus alius dicitur lenis , alius impetuoſus , breuis , & diuturnus ; latus , & anguſtus . Per terminos ad qualitatem alter dicitur frigidus , alter calidus, alter humidus , alter ſiccus ; aut per combinationem frigidus , & humidus , aut frigidus , & ſiccus , calidus , & humidus , aut calidus , & ſiccus . quos terminos aut formas accidentales aer tanquàm humidus facilè recipit . facilè enim terminari termino alieno, & difficilè proprio humido competit , non tantùm ratione figuræ , ſed etiam aliorum terminorum ; vnde aqua leuiſſima dicitur , quæ facilè incaleſcit , & refrigeratur : quia ea magis humida eſt ; & metalla licèt dura , tamèn , quià aquei quid habent , facilè incaleſcunt , & refrigerantur : pumices verò difficilè , quia ſiccæ: facilè enim terminabile dicitur eo quòd patitur aliquid natura ipſius ex Ariſt. præſertim 4. meth. cap. primo ; genericè venti qui à ſeptentrionalibus directè perflant , frigidi ſunt , & ſicci : ab auſtro calidi , & humidi . Directi vt Auſter , & Boreas lenes , & latè flantes . obliqui vt à Septentrionibus Aquilo , & Caurus impetuoſi, & anguſti . ab Auſtro Eurus , & Lyps . Qùm enim dixerimus aerem vti humidum eſſe facilè terminabilem , facilè recipit qualitates à loco , vndè perflat ; quarè , ſi per paludes , & lacus , aut loca alias aſſiduis pluuiis madentia feratur, frigidus , & humidus fit ; & ab aridis regionibus vt in Lybia fit calidus , & ſiccus .

De Terræ Motu.

TRes opiniones recenſet & Ariſt. de terræmotu. vna eſt Anaxagoræ. Secunda Democriti . Tertia Anaximenis. Anaxagoras , inquit Ariſt. , arbitratur moueri terram ab aere incluſo nitente ſurſùm ferri, vt eius natura fertur , & , non valente proptèr cauitates terræ impedientes , indè, terram concutit. Quam ſententiam tanquàm leuem præterit Ariſt. redarguere . imponendo Anaxagoræ, eum arbitrari , partes terræ infernas eundem locum habere ſurſùm, quem nos habemus , quaſi antipodæ non ſint. Verùm ſi exactiori animaduerſione indignā credebat Ariſt. Anaxagoræ ſententiā, magis pium erat præterire ex toto , quàm proponere , vt ſtul-

ſtultitiæ damnaret. Verùm Seneca, qui fortaſſe ex alio fonte ſententiam Anaxagoræ auſit, alio modo proponit, ait enim ex ſententia Anaxagoræ, ignem cauſam eſſe terremotus, qui in terræ cauitatibus incendatur: velutì enim genitus ignis in aere, ex nubium concurſù coactus eas impetu quodam diſrumpit: ità, dùm in terræ cauitatibus ignis accenditur: vbi ſulphure multo, aut nitro, aut bitumine ſcatent; ſi accenſus ignis ſubitum aditum non habeat, neceſsè eſt ſibi viam paret, & terram diſrumpat: vndè oritur terræ tremor; quæ ſententia ad mentem Senecæ relata non adeò ridiculoſa apparet, vt profert Ariſt. namquè id in dies experimur puluere tormentario montes ipſos diſrumpi, & concuti; quod verò incidentèr ait Anaxagoras terram aere ſuſtineri, non vndequaquè inane eſt ad propriam ſententiam elucidandam: dummodò intelligatur, terram non ſuſtineri ab aere, ſed librari in ipſo. vndè hac ratione librata tellus: qùm non grauitet, nequè leuitet, faciliùs poteſt impetum recipere, & tremere: vt teſtatur Anaxagoras. quæ Senecæ explicatio ſubſiſtere etiam poteſt ex relatis ab Ariſt. qui aliàs ait, ab antiquis philoſophis aerem æthera appellari, & ignem. Democriti ſententia fuit ex Ariſt. terremotus procedere ob aquarum copiam; quam ſententiam non refellit, quià videtur explicari ab Anaximene; vnde ex eius ſententiæ euerſione euerſio eius, quæ Democriti eſt, ſequitur. Anaximenes autèm opinabatur ex vehementi terrarum humectatione, aut exiccatione terræ motus fieri. humectatione, quoni m aqua multa repleta terra vrgeretur, & impulſa caderet; aut mollita. ſiccitatibus verò vel ſoluta, vel deiſcens ad recipiendas aquas ſubſequentes, vt Lucretius etiàm ſenſiſſe, aut recepiſſe videtur.

Terra ſuperna tremit, magnis concuſſa ruinis:
Subter vbi ingentes ſpeluncas ſubruit ætas.
Quippè cadunt toti mentes, magnoque repente
Concuſſu latè diſcerpunt indè tremores.

quod etiam exemplo manifeſtum facit Lucretius ſubdens

Et meritò, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcant
Tecta viàm proptèr non magno pondere tota.

infert igitur Lucretius; ſi proptèr currus prætereuntes in via tremunt edificia, & concutitur terra, etiàm credi poteſt, contingentibus internis ruinis in terræ maximis cauitatibus, quibus penè omnes ſcatent, terram latè tremere, & concuti iuxta molis magnitudinem terræ proruentis. Hanc Anaximenis opinionem refellit Ariſt. ſed refellit ſub condictione, qua poſſit ſaluari, data ea conditione. Ait enim primò, *ſi ſententia Anaximenis vera eſſet, terram alicubi contractam videri*; & non replicat; *ſed non videtur*, vt poſita conditione euertat ſententiam. vndè, ſi detur iſta terræ contractio, prout manifeſtè datur, ab Ariſt. Anaximenis, ſententia probatur. manifeſte datur, vt experti ſumus nuperrimè anno 1646, quandò in Regno Neapolitano integræ cauitates ſub ſiderunt. Alia verò reprobatio tradita eſt ab Ariſt., quòd terremotus inciderint in regionibus aliquandò, in quibus propoſita humectatio, aut ſiccitas non præceſſerit, maiori ſaltèm exuberantia, quàm in alijs regionibus: ſi igitùr ſiccitas, & humiditas data eſt pari gradu in alijs regionibus, in quibus terremotus non ſucceſſere; ſequitur non procedere ex humectatione, & ſiccitate. Quod argumentum non reprobat vndequaquè Anaximenis ſententiam, ſed oſtendit, cùm ea debere etiam concurrere alias cauſas, vt certè debent concur-

currere; namquè, ſi imbres perpetui, aut ſiccitas continuata contingat, aut in oris maritimis depreſſis ad maris æquor, aut in monte ſiliceo, certè non contingent terremotus; quià in depreſſa planicie nulla eſt cauitas, nec ſubiectus locus, in quem poſſit terra decidere; & mons ſiliceus nec imbres concipit, nec deiſcit ſiccitate. At ſi contingant huiuſmodi ſiccitates, aut imbres præſertìm ſucceſiuè in montibus, intrà quorum viſcera terra ſulphurata, aut bituminoſa, aut creta conſiſtat: poſſunt ibi cauſari terremotus; vt ſenſit Anaximenes, & conſentit Ariſt.. Alia ratio Ariſt. tradita contrà Anaxim: condictionalis quoquè eſt. ait enim, ſi ex ruinis procederent terremotus: tandèm ruinæ terminarentur, & ſiſterentur terremotus; quià, quod conſtipatum eſt, nec imbres poteſt excipere, nec ſiccitatibus deiſere, nec quoquò versùs cadere. vndè infert, cauſam terremotus non eſſe eam, quam ponit Anaximenes, ſi huiuſmodi conſtipatio fieri non poteſt. Itaquè, remota hac conditione, Anaximenis ſententiam approbat. Et fieri poſſe, ac exercitè ſuccedere hanc conſtipationem patet in oris maritimis: vbi terra vltrò deprimi non poteſt, nec vllas cauitates intùs habet. aut, ſi terremotus contingant etiàm in maritimis oris, & concuſſio ædificiorum ad mare extentium, vel planicies non erit omninò depreſſa ad maris æquor; vel contingent terremotus ex alia intrà proximos montes ruina interna, per quam etiàm contermina planities concutiatur. veluti anno 1653. in conflictu maritimo ad Liburnum, qùm magna nauis eſſet incenſa, & plurimo puluere tormentario diſrupta, licèt nauis eſſet in mari: tamèn impetus in conſenſum traxit etiàm terram per plura ſtadia, quæ latè, & manifeſtè tremuit. Et hæc tradita ab Anaximene, confirmata à Lucretio, Seneca, Plutarco &c. videtur potiſſima cauſa terræ motus; nempè interna terrarum ruina: At, dùm Ariſt. ait cap. 2. *Non igitur aqua, neque terra cauſa vtique erit motus, ſed ſpiritus*: intelligere oportet de ſpiritu reſiliente: nàm vis terræ cadentis excipitur in imo terræ, & interdùm in aquam. vnde ex hoc ipſo tremorem ſuperficiei non pareret: niſi magno impetu aer ſursùm exploderetur ex ictu, quo terra deſupèr concutitur: præſertìm, niſi viam inuenerit; vnde exeat. *quapreptèr*, inquit Ariſt., *fiunt tranquillitate plurimi, & maximi terræ motus*, quia, veluti menſe Aprili deiſcit tellus in ſuperficie ob calorem ſuperuenientem; ſic quieſcentibus interioribus terræ partibus, calorem contrahunt, quo partes diſrumpuntur, & procidunt; & quoniàm motus intùs aer, & terram concutiens ferè eodem tempore impetuosè effunditur, ex quo Ariſt., fieri terremotus flatu inexiſtente non duxit inrationabile: tamèn videtur potiùs ad ſententiam Lucretii accedere, dùm ait *adhuc autèm circà loca talia fortiſſimi fiunt terremotuum, vbi mare fluxibile eſt, aut regio laxa, & ſubantroſa. Qua proptèr, & circà Helleſpontum & circà Achaiam, & Siciliam &c.* non quià mare excipiat, ſed quià ſubantroſa terra eſt, & diſiunctionibus apta ſulphure; aut bitumine abundans. ideò dicuntur ab Ariſt. *calidæ balneæ circà Adepſum a tali cauſa factæ*; factæ enìm creduntur, quæ detectæ ſunt. De impetu concepto in hoc valido terrarum caſu ab aere, ſeù ſpiritu intelligendus Ariſt. dùm ait, *ſicut in corpore noſtro, & tremorum, & pulſuum cauſa ſit ſpiritus, quià intercipitur virtus; ſic, & in terra ſpiritum ſimilia facere* ſub intelligere oportet. ſi ruina aliqua terrarum in anguſtijs poſitus ſpiritus moueatur, & exitum paret, vndè *non priùs terremotus deſijt in quibuſdam locis factus,*

ctus, quàm, qùm *erupit in eum, qui eſt ſuper terram locum, manifeſtè tanquàm procella exierit, qui mouit, ventus*. vt Ariſt. adnotauit; qui etiàm aliàs protulit, omne mouens moueri ab alio. ſi igitùr ſpiritus eſt, qui mouet, dicendum ipſum ab alio moueri: non tamen immediatè à calore rarefaciente, quià ſpiritus intrà terræ cauitates contentus nunquàm talem poteſt vim ſuſcipere alterationis inſolitæ, quà ità poſſit dilatari, vt terram moueat; niſi fortaſsè in ignem conuertatur; quandò enim in ignem conuertitur adeò amplè, & repentinè dilatatur; vt vi mente inextimabili poſſit terram concutere, & diſrumpere; aliàs autèm, niſi in ignem conuerſus fuerit aer in terræ cauitates concluſus, non poteſt a Sole vllam ſubitam recipere alterationem. iam enim ſuprà oſtenſum eſt, Solis radios non, niſi poſt longum tempus, terræ viſcera penetrare: itàut etiàm per plurimam æſtatem frigus incluſum conſeruetur; ſi igitùr ſenſim penetrat Solis calor: ſenſim etiàm ſpiritum rarefacit, ità vt ſpatium habeat ad ſibi parandum exitum. terra enim poroſa eſt, quam ſi penetrat aqua ex pluuia deſcendens, etiam penetrare poterit ſpiritus, qui aqua longè tenuior eſt. Item ſpiritus, qui creditur hos magnos motus cauſare, vel ingenitus eſt incluſus: vel ab externo acceſſit, ſi ingenitus ad loci capacitatem eſt, latè condenſatur, & rareſcit impunè. ſi ab exteris procedit, eadem via, qua acceſſit, poteſt recedere. Secùs autèm accidere credendum ſit. ſi terra antroſa ex ingenito ſulphure, & bitumine ignem contraxerit, aut affluentes ſulphuris, aut bituminis inundationes receperit; tunc enim rationi conſonum eſt quacumque vi, & impetu terram concuti, diſrumpi, & eleuari: vt circa Heracleam, & Soteram Inſulas &c., quæ Aeoli dicitur, eueniſſe teſtatur Ariſt. *vbi aliquid prius terræ intumuit, & aſcendit velùt collis moles cum ſono, tandem autèm rapta exiuit ſpiritus multus*. qui tamèn abſquè igne tantùm potuiſſe non traditur, dùm dicitur fauillam, & cinerem eleuaſſe. ſic intelligendus Ariſt. de ſpiritu igneo, dùm ſpiritu, àut æthere tanquam principio immediatè tales motus faciente loquitur. vt patet dum dicit. *Vbicumque factus fuerit terræ motus egreditur multitudo lapidum, ſicùt ebullientium in cribris.*

De coruſcatione, & tonitru

Ex ſermone, quem habet Ariſt. in ſequentibus declarari manifeſtiùs poteſt terræ motus cauſa efficiens: nam ait Ariſt., quod in aperto ventus eſt: quod intrà terram terremotus, concluſum nubibus coruſcationes parere, & tonitrus; ſiquidem exhalationes in terræ cauitatibus incenſæ eodem impetu mouentur in terremotu, quo in coruſcatione, & tonitru. quorum eſt eadem origo, & principium; ſed diuerſa ratio obiectiua; coruſcatio enim eſt obiectum, viſus, tonitrus auditus, fulmen tactus. coruſcatio excitat: tonitrus terret, fulmen interficit. cauſa materialis omnium eſt exhalatio calida, & ſicca; cauſa efficiens eſt motus, & attritio nubium, per quam incenduntur vt ſulphureæ, prout in fulmine ictis ipſe ſulphuris odor, & bituminis percipitur. In vulgus opinio radices egit fulmen lapide, aut offe, aut duro quodam corpore conſtarè; tanto enim impetu fertur extruſus vapor: vt, licèt tenuis admodùm ſit, gerat vicem ſolidi; quòd autèm extrà naturam ignis deorſùm plerumquè feratur, non eſt terrea vis, aut natura-

ralis propenſio; ſed vis protrudentis: veluti enim, inquit Ariſt., nuclei, & alia dura digitis compreſſa ſursùm feruntur, ità, quod tenue eſt, & leue eadem ratione protruſum fertur deorsùm. quamuis credi poſſit excluſus ignis ruere, quoquò via detur, & ſursùm, & deorsùm, & ad latera. nos autèm omnia fulmina terram petere, ex terrore credimus. &, ſi vnum ex milleſimo fulmine, ad nos peruenerit omnia eòdem emitti putamus. Sola laurus fulmine non tangi creditur: qùm enim duro, & leui cortice impetum fulminis præterlabentis effugiat, fabula orta eſt puellam à Sole adamatam, & in laurum conuerſam hoc obtinuiſſe priuilegium, ne fulmine tangeretur. At ſcire oportet, fulmina non nocere, niſi obſtantibus, obſtaculo duplicata vi; ceterùm, quo impetu etiàm inextimabili ruit, eodem labitur; quæ obſtant, euertit, quærcus præſertìm, & robora, quià lato trunco, & aſpero cortice obſiſtunt; & puncto aliquo ruentem ignem remorantur. Cætera, quæ mirabilia de fulmine narrantur: intacto dolio, & loculis aurum, & vinum auſiſſe, nec ſinè temeritate poſſunt negari, nec ſinè mentis leuitate concedi. bibiſſe enim poterant vinum familiares, & ſubripuiſse aurum; at, capta occaſione fulminis præterlabentis, illud accuſaſſe, hoc enim rationabilius indicarem; niſi tot ſæculorum eandem accuſationem recipientium conſenſu traherer in communem opinionem. Coruſcationem non eſſe luminis refractionem certo creditur, & exemplum remi æquor percutientis in nocte, & ſcintillantem aquam mouere, non æquat coruſcationis cauſam; nàm leuis admodùm fulgur eſt, quod ex fracta vnda reſilit; & poteſt credi ſyderis alicuius ſpectrum præterlabens, non enim inconuenit, ex innumeris guttis ex percuſſo mari proſilientibus aliquam ità fortuitò figurari, vt longè auctam lucem ſyderis reddat: vt ex arte in quibuſdam ſpeculis quælibet ſpecies aucta redditur. At fulmen tortuoſum ruere; & oculus teſtis eſt in fulgore, & coruſcatione; & viæ in muro factæ à cadente fulmine aliquando teſtantur: tamèn non ſinè ratione ſuſpicati ſunt nonnulli, tortuoſam videri coruſcationem: non, quià fulmen ità feratur; ſed quià illicò nubes illuminatæ limbum illius coruſcantem ità habeant conſtitutum, vt non, niſi tortuoſus videri poſſit. qùm enim intrà nubes coruſcatio fiat, incendium vniuerſum nobis à nube interdicitur, ſummæ tamèn oræ nubium etiàm exaduerſo ſplendentium conſpiciuntur, &, quanquàm momento nubes omnes ex eodem lumine ſplendeant, tamèn corpus lucidùm in coruſcatione ruens non eſt vbiquè in eodem inſtanti: ideoquè nubes ſucceſſiuè illuminantur, vt quæ in globos diſtinctos diſperſæ ſunt: licèt oculos eas non diſtinguat; ſed ſingulas tanquàm vnam, nubes denſas recipiat; coruſcatione tamen diſtinguuntur. Tonitrus verò ſtrepitus eſt ex nubium diſruptione procedens, non tanquàm ignis in nube extincti; quià ſæpè tonitrus ſinè pluuia auditi ſunt; nequè ex nubium attritione ob ventorum agitationem: namquè ſepè ventorum impetu nubes in montes pelluntur, nec propterea ſonus vllus æditur; & tamèn, ſi ſonus ex colliſione corporum eſſet, magìs collidi ad montem, quàm ad alteram nubem nubes credi poteſt; rumoris tamèn conſequutio ventorum impetu murmurantium ſeruari credibile eſt; namquè in aperto, & in aere denſo, & nebuloſo fragor conſeruatur; & murmur, qui in flamma dicitur *bronti* eſt ex aere circumfuſo, non autèm ex ipſa flamma; nàm flamma interdùm in fornace, ſinè ſtipula, & alimento tacita in ſe ipſa volutatur. poteſt etiàm longo tem-

tempore conſeruari murmur intrà nubes ſinè noua corporum colliſione; ſed tantùm ex reflexu primi ſoni ex æcho, vt ex tormentis bellicis arctiſſima ſimilitudine conuincitur. in his enim, erumpente intus concepto igne, ſiuè glandes euomantur, ſiuè nudus ignis, bombus vehemens oritur, quo circumtremit vniuerſa terra, & terrentur animalia. qui ſonus æcho pluriès reddito diù perſeuerat. ſic fieri poteſt ab incenſa nube illicò igne concepto ſonum ædi, qui tonitrus dicitur, quique per denſum nubibus cælum delatus hinc indè aſſiduo reddatur, & ſonum edat ſecundarium.

Hoc etiam pacto tonitru concuſſa videntur
Omnia ſepè graui tremere, & diuulſa repente
Maxima diſſiluiſſe capacis mœnia mundi

Procellarum cauſam diuerſam tradit Lucretius: non tamèn alienam à ſententia Ariſt. qui duplicem ſupponit exhalationem; vnam humidam, quæ dicitur vapor; alteram aridam, quæ nomen exhalationis genericum retinet. per primam procellas gigni recenſet hoc modo

Qùm ſubitò validi venti collecta procella.
Nubibus intorſit ſeſe, concluſaque ibidem
Turbine verſanti magis, & magis vndiquè nubem,
Cogit vti fiat ſpiſſo caua corpore circum:
Poſt, vbi commouit vis eius, & impetus acer;
Tùm præterricrepo ſonitu dat miſſa fragorem

per ſecundam, quæ dicitur exhalatio, deſcribit fulminis generationem, & diuerſam rationem tonitrus vehementioris.

Aridior porrhò ſi nubes accipit ignem,
Vritur ingenti ſonitu ſuccenſa repente,
Lauricomos vt ſi per montes flamma vagetur
Turbine ventorum comburens impete magno

hac ratione Lucretius non deſcribit ſonum ex fulminis generatione tantùm erumpentem, ſed ſubſequentèr per nubes continuatum, & crepitu procedentem, quem alii credunt eſſe ignis per nudas nubes tranſeuntis; ſimili enim modo ignis ſtridet, ſi aqua in eum ſpargatur, ac ſi ignitum metallum aqua mergatur, qui ſonus, ſi leuior eſt, dicitur Vulcani riſus, ſi grauior, minæ; & ex hoc ignis tumultu per nubes ruentis fulgur oritur, quod dicitur ab Ariſt. fieri poſt ſonitum, ſed præcedere, quià ſegniùs ad aures deferantur ſpecies aurium obiectum, quàm, quæ ſunt obiectum oculi; quod oſtendit Ariſt. exemplo remi, cuius motus priùs videtur; quàm ſonus ab ictu percipiatur, & hoc idem ſecuris ictu clariùs oſtendit Lucretius

Id licet hunc etiàm cognoſcere; cædere ſi quem
Ancipiti videns ferro procùl arboris ictum.
Ante fit, vt cernas ictum, quàm plaga per aures
Det ſonitum; ſic fulgorem quoquè cernimus antè
Quàm tonitrum accipimus

At, quandò exhalatio accenditur, ea diſruptione ſonum edit, fulgur etiam in eſſe præcedit. vt in tormentis bellicis etiàm propè exiſtentibus priùs flamma, quàm ſonus percipitur, primam rationem tonitrus ità deſcribit Lucretius

Fit quoquè vbi, e nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis; hæc multo ſi fortè humore recepit
Ignem, continuo magno clamore trucidet

Vis, calidis eadem ferrum e fornacibus olim
Stridet, vbi in gelidum propere demiſimus imbrem.

Secundam verò rationem ob ictum nubis ad nubem, & inuicèm contritionem fieri arbitratur

Fulget itèm nubes, ignis qùm ſemina multa
Excuſſere ſuo concurſu, ceù lapidem ſi
Percutiat lapis, aut ferrum: nàm tùm quoquè lumen
Exilit, & claras ſcintillas diſſipat ignis.

Sed in hoc ſimilitudo non ſequitur: nàm aliud eſt durum duro allidi: aliud molle molli; niſi contractus impetus vtrique rationem ſolidi præſtet quod ſi eſſet, aliquandò etiàm montibus alliſæ nubes incenderentur; quod nunquàm eſt obſeruatum: vel quia talis incenſio non fit, vel quià montes non mouentur, & præſtat contramotio alterius nubis duritiei montium.

De turbine præſtera.

INcenſiones, & procellas fieri, quandò inuicèm oppoſiti venti præliantur, nubeſque agitant. at, quandò iuxtà inuicèm venti alter alteri occurrit, ne poſſit alium alius ſuperare: ambo tanquàm luctantes circumuoluuntur, & turbines, ſeù vortices faciunt: ac talem obſiſtentia alterius ad alterum vim contrahunt; vt in mari magna nauigia euertere, in terra annoſas quærcus, & ædificia euellere valeant. alij appellant tiphona, nautæ *ſiphona*, hoc eſt tubas ad auriendas aquas: quià nautæ arbitrantur his vorticibus aquam auriri à mari: cui opinioni occaſionem præbuit magna vis, quà venti circumuoluuntur: qua vi aquam in mari elidunt, & dimouent, depelluntque, itaut, vbi circumferuntur, quandam cauitatem faciant, aquam propellendo. qùm igitùr nautæ eam cauitatem videant, opinantur aquam ab his auriri, & non propelli.

De Area, ſiuè Corona.

QVm loquutus fuerit Ariſt. de his, quæ fiunt in nubibus, proſequitur dicere de his, quæ in iiſdem apparent ſinè vlla tranſmutatione ſubſtantiæ; & primùm loquitur de area, quæ vt iris, paraelia, & virga, radiorum aſpectus refractione generatur, & *halos* à græcis dicitur, quoniam areæ ſimile quid eſt, quæ ità appellatur; à latinis autèm dicitur corona, quia Solem, Lunam, aut aliam ex lucidioribus ſtellis, quam ſequitur, coronare videtur. licèt non ſemper integrò circulo, plerumque tamen ità apparet: & magis circà Lunam, quàm circà Solem, & noctu aliàs magis, quàm interdiù: non abſolutè, quià Solis radijs diſſipetur nubes, in qua apparet. nàm ſi nubem Sol diſſiparet interdiù: non ità facilè regeneraretur, vt videtur in nocte; ſed hæc accidunt, quià Solis clarus fulgor ſuperat, & vincit obiectum iſtius nubis; nec ſenſibilitèr obtenebratur; & ità intelligendus Ariſt., dùm ait, Solem calore aeris concretiones diſſoluere; ſignificat enim ſuperare, & vincere. Solem pro luce accipiendo; noctù autèm, ad lucem Lunæ non par eſt eius obiectio, vt refrangat illius fulgorem. Imò quandò apparet inter-

terdiù, & circà Solem, in meridie potiùs apparet, quàm Sole oriente, aut occidente. ratio autèm eſſe videtur, quià in meridie minùs craſſum eſt interpoſitum corpus: quarè ſic poſſunt obtundi radii ſolares, non autèm eiuſdem dyſcus. at propè orizontem tam lato corpore, & tali craſſitie ſe ſe hoc corpus opponit, vt prorsùs radios interdicat, & ſoli diſco, eò tamen admodum obtuſo, tranſitum permittat. Eſt enim aer vniuerſus tali nubecula ſuffuſus tanquàm vaporibus craſſionibus; non enim, veluti plurimi immaginantur male accipientes ſententias Ariſt. corona Solem ſequitur, & trahitur: nàm tanta eſt diſtantia intèr Solem, & locum, vbi corona apparet, vt clarum ſit, trahi non poſſe motu Solis; & neque calore, quò potiùs ſursùm traheretur, quàm in gyrum. ea igitùr aeris craſſities vbiquè eſt, ſed procedente Sole, aut Luna, aut ſtella lucida directo radio detegitur. & ideò corona, licet in aere ſit, & prope nos, non patitur paralaxem, quia procedente corpore lucido, noua ſemper corona producitur, dum aeris craſſities; quæ ſubiectum coronæ eſt, non ſequitur corpus lucidum, ſed vbiquè exiſtens, tantùm a corpore lucido detegitur, vt relatum eſt.

De Iride.

AD notitiam Iridis ſupponit Ariſt. rerum imagines ruere per aerem, & quodcumque corpus perſpicuum; & à corpore apaco reflecti; ita vt, ſi eius ſuperficies aſpera eſt, ſpecies reflexa fracta intèr illas aſperitates ad oculum ferri non poſſit; ſi verò ſuperficies lenis eſt; vel fuſam ſpeciem in ſumma ſuperficie reddit, vel magis in intimo conceptam. ſi reddit in ſumma ſuperficie fuſam, figuram conceptæ ſpeciei non reſtituit; ſed confuſatum partium imaginem, quæ dicitur color; ſi verò reddat magis in intimo conceptam ſpeciem, cùm figura, & partium delineamentis reſtituit. &, ſi corpus illud prorsùs ſinè colore eſt, vt omne perſpicuum: colores immaginis acceptæ intactos reſtituit. ſi verò ipſum quoque corpus recipiens colore aliquo præditum fuit, eo etiàm ſuffundit imaginem, & ità ſuffuſam reddit; ità, ſi aliundè imagines, aut vmbræ aliæ intrudantur, quibus inficitur imago, talem prodit, & ſpeculum fit; quòd, ſi capax fuerit receptæ imaginis totius, totam reddit: ſin minùs partem eius. Itaque Sol in nube receptus, qùm nubes aſpera, & vmbris diſperſa ſit: ſolum colorem Solis reddit, & illum obtuſum, vt in halonibus, ſeù coronis. Qùm verò nubes in aquam conuerſa fuerit: iam leue corpus factum eſt, & perſpicuum; ità vt reddere non ſolum colorem poſſit, ſed etiam figuram: ſi illius capax fuerit. Talis in Iride eſt. Iam enim nubes conuerſa eſt in aquam, ſed in guttas diſperſam, & ſingulæ guttæ recipiunt, & reddunt Solis lucem, & figuram, ſed in omnibus, & ab omni-

nibus confuſam . imò , & gutta figuram in alteram guttam traducit , & vmbras iacit : ne ad oculos poſſit ſpecies vlla diſtincta , neque figurata , neque lucida , vt eſt, pertingere ; vnde confuſa lux , & vmbra in perſpicuis innumeris corpuſculis omnimoda poſitura conſtitutis colorem conſtituunt varium : vt in Iride manifeſtè cernitur . Vbi lux Solis magis ſplendore vmbræ mixtos directa reddit , color puniceus eſt, & igneus. vbi magis lux fumo atriore mixta eſt, viridis ; vbi mixtum quid flauus , ſeu luteus , qui medius eſt inter viridem, & puniceum. Ita lux validior traditur in puniceo, debilior in viridi : adhùc debilior in purpureo , accipiendo tamen purpureum pro violaceo , & obtuſo

> Recta , aut obliqua percuſſus luce refulget:
> Pluma columbarum quo pacto in Sole videtur:
> Quæ ſita ceruicem intèr , collumque coronat ;
> Namque aliàs fit , vti claro ſit rubra pyropo :
> Interdùm quodam ſenſu fit , vti videatur .
> Inter ceruleum virides miſcere ſmaragdos

quod enim diſtantiam Ariſt. vocat , intelligere oportet reflexum ; quià ſpecies reflexa ſemper magis diſtat, quòd autem non intelligat de abſoluta diſtantia Ariſt. patet, quià ponit modum , quo Iris factitia habeatur ; in qua nulla pars diſtantior ab oculo eſt , neque à Sole : & tamen eadem colorum varietas , & diſpoſitio habetur . modum autem faciendæ Iridis hoc ſtatuit . Aduerſum Solem quis accipiat per feneſtram & os aqua plenum ad vmbram vertat , ac aquam ex ore effundat : ità vt in minutiſſimas guttulas aqua diſſipetur : ea tamèn ratione , vt Sol eaſdem guttulas feriat. tunc enim quiſque poteſt ipſiſſimam Iridem intueri: vbi nulla nubes eſt . quem, modum quum ponat Ariſt. , & aſſerat , etiam remigantibus interdùm Soli oppoſitis Iridem repræſentari : patet , eam varietatem colorum non arbitrari procedere ex diſtantia, aut propinquitate Solis , aut oculi : niſi modo propoſito ; ſed ex varia receptione ſplendoris , & vmbræ directæ , & reflexæ ; & non vlla viſus imbecillitate . quippè omnibus eodem modo repreſentatur . id exploratum eſt, Iridem non fieri , niſi vbi Sol , & nubes eſt , & nubes caua , vmbrata , & roſcida ; & oculus medius intèr nubem , & Solem eſſe debet . fit ergò dùm nubes Solis radios reflectit, & non dùm ſimpliciter reflectit : ſed reflectit inæqualiter , & multis concurrentibus confuſis Solis imaginibus ; vnde fit : ſi Sol propè nubem ſit , Solem in nube non rorida reflexum , non conſpicimus : niſi candidum ; nubes enim proximè à Sole illuſtrata candida apparet . at , ſi eadem nubes ità à Sole illuſtrata in aqua reflexa conſpiciatur, Iridis reddit imaginem, quià ex vmbroſo corpore reflectitur , & criſpante , non vndequaque plano . quippè ex ſpeculo cryſtallino non æque Iridis redditur imago , vt ex aqua ; quià ſpeculum cryſtallinum vndequaque planum eſt , nec varietatem recipit ; vt aqua, cuius ſuperficies leui etiam aura mouetur , & imperceptibilitèr agitatur , vndè varietas repercuſſionis oritur .

> Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris ,
> Lumine qui mutatur in ipſo ; propterea quòd
> Recta , aut obliqua percuſſus luce refulget ,

nulla enim regula dari poteſt certa de coloris varietate , quæ ex ipſa alterius colorati corporis iuxtà poſitione variatur : vt animaduertit Ariſt. in arte fullonia , & *florum in coronis*, gemmarumque diſtributione ,

quo-

quorum exemplo patet , intereſſe non ſolùm , quì color cui iuxtà ponatur ; ſed etiàm quo ſpatio diſtent inter ſe ; qua poſitione ſint ſita corpora ; quo loco. oſteduntque ſe alio , atque alio colore,ſi tanto ſpatio diſtent, aut tanto

De Paræliis.

PArælia dicuntur quædam Solis ſpectra : quià quasi Sol videantur ; & eaſdem cauſas habere , fatetur Ariſt. quas habet Iris , & corona quòd videlicèt oriantur ex reflectione aſpectus à nube ad Solem. ità vt ortus paræliorum ab ortu virgæ differat tantùm ; quià virgæ fiant in nube partim rara , partim denſa , & aquoſa : parelii verò fiunt in nube quidem denſa , ſed maxime æquabili aere . ſubdit autem parælios magìs pluuiam indicare , quâm virgam ; quia virga ſupponit nubium , & cæli inæqualitatem , & agitationem , quæ ab Aquilonaribus potiùs ventis oriuntur , vnde ſerenitas fertur , aut pluuia ſerenitate terminanda. Parelii verò aeris craſſitiem portendunt , & non niſi ab Auſtro conſpiciuntur, vndè imbres plerumque procedunt. Parelios prætereà fieri , ait in ortu , & occaſu , vt Iris : nec fieri , ait , ſuprà Solem , nec infrà , ſed ad latera ; cuius rei probabiles oſtenſiones refert, non autèm demonſtratiuè concludentes. quippe Soli proximus eſt parelius , & nubes in qua ille apparet aut pari , aut imperceptibiliter diſpari diſtamia , vbicumque ſit. non ergò , ſi propè appareat , diſſolui rationabiliùs eſt , quàm ſi longe ; ſed cauſa credi etiàm poteſt , quià ſi propè iſta reflexio fiat , non ſit noſtris oculis peruia , nec longiùs abeſſe poſſe , quàm circulus extendatur ad iridis ſimilitudinem in nubibus genitus. Vndè numerus pareliorum , qui trium ferè traditur , apùd Regem Poloniæ olim etiam ſex: ſi recte numerus habetur , non poteſt accipi , nisi ex decuſſationibus plurium circulorum : vt Romæ obſeruatum eſt anno 1625. vbi duo parelii apparuere , qui qũm non bene diſtinguerentur à Sole , tria credebantur. Sol tamen medius in eorum reſolutione apparuit ; qui quaſi formans in nube candida , & rara duas coronas in coronarum decuſſationibns parelii videbantur. vndè patet parelios, aut tria , aut quinque, aut ſeptem videri poſse . non plures ſic Irides tribus plures nunquàm apparuere. intelligere autem oportet tres , quinque , aut ſeptem ; qũm non dùm compertum ſit, quænam ſit Solis veri ſpecies. nam veri parelii, aut duo , aut quatuor , aut ſex ad ſummum Regi Pollloniæ apparuiſse. tres tamen fere traduntur hoc modo. nouem licet dari poſse credi poſſit ex datis figuris : tamen nunquam relatum eſt tot apparuiſse. Ponatur e. g. Sol , A. & corona ab eo conſtituta P. quæ corona ab eo conſtituta ſit ad nos directa : non tamen nobis conſpicua ſed reflexa ad Solem. Sit alia corona à Sole pariter conſtituta L quæ etiàm a nobis conſpici non poſſit , tanquàm reflectens ad Solem. & corona reflectens ad Solem, vbi incidit in aliam coronam, in ambarum decuſſatione lumen auctum oſtendit , vt eſt in prima figura B. & C. quæ illuminationes , quoniàm videntur referre ſub nube duos alios Soles , dicuntur parelii. ſi verò tres coronæ conſtituantur à Sole , vt in ſecunda figura , quinque apparebunt Soles. nempe verus Sol A. , & quatuor parelii in decuſationibus B.C.D.E.

At-

Atque, vt in tertia figura ſeptem Soles apparent; & ſex parelii quod fertur factum tempore Regis Pollonię. In quarta figura nouem Soles, & octo parelii cernuntur, quod tamen nunquàm narratur incidiſſe. Cauſa autèm, quarè nequè magis prope Solem, nequè longiùs apparent parelii, eſſe poteſt; quià, qùm in decuſſatione coronarum fieri contingat, hæc non poteſt contingere, niſi in determinata diſtantia iuxtà coronæ periferiam hac lege, nè poſſit fieri pareliùs, niſi incidente Sole in centro vnius coronæ, & in periferia alterius. vt ad nos valeat validè reflectere; nec reflesſionem nubes interdicat. ex omnibus concludendum. lucem in nube rorida, ac denſa virgas facere, quæ circuli partem non repreſentent, quià à recto corpore lucido fiant ea ratione, qua Iris à Sole. concludendum reflectionem Solis ſuprà nubes areas efficere, ſeù coronas. Si hæ plures ſint, in earum decuſſatione fieri parelios. Et infrà nubes ex aere rorido Solis radios recipiente: ſi radij ſuppoſita nube denſa terminentur, fieri Iridem, quæ veluti dicitur fieri poſſe etiam noctu à Lunæ lumine: itá, & parelij fieri creduntur; ſeù potiùs paraſelina: vt refert Pontanus

> Sæpè etiam duplicem in tenebris eſt cernere Lunam
> Nube noua referente alia ſub imagine formam.

De terra incluſorum generatione.

QVoniam hi libri inſcribuntur de his, quæ in ſublimi fiunt: non videbantur pertinere ad hanc tractationem ea, quæ terra includuntur. propterea Ariſt. vt huic obiectioni occurreret oſtendit generationem eorum, quæ terra includuntur, ſimilem quændam progreſſum & proportionalem habere materiam; & ideò pertinere ad hos libros: ſaltèm per ſimilitudinem generationis. Quippè: veluti intèr ea, quæ in ſublime rapiuntur, ex calidi, & humidi concretione à frigore generatur aqua; & ros, & ex concretione paritèr a frigore calidi, & ſicci (calido prorsùs extincto) fit pruina, & nix. aut eodem calido compulſo fiunt fulgura, trabes, cometæ &c. itá in terræ viſceribus, concreſcente aqua, ſeu humido, generantur metalla: vt æs, aurum, argentum, plumbum, ſtannum, cryſtallum, & alia his reſpondentia; &, concreſcente terreo, ſiuè ſicco, generantur foſſilia, vt lapides, pulueres, ſandaraca, ochra, rubrica, ſulphur, cynnabaris &c. quæ omnia variam naturam, & pondus habent, prout mixtionem recipiunt intrà terram eorum, quæ in ſublimi generantur. licèt enim gypſum, & bitumen, & ſulphur foſſilia ſint, & intrà terram naſcantur, aliquid tamèn habent admixtum eorum, quæ in ſublimi fiunt, vt manifeſtum eſt in fulmine, quod ipſiſimum redolet ſulphur, ideò dicuntur mixta imperfecta; & æquantur his, quæ in ſublimi fiunt, quoniàm non ſunt ex aqua, ex qua ab aliquo agen-

agente naturali generentur tanquam à termino; ſed ſunt mixta prius imperfecta talia, ac tali mixtione prædita, quæ per ſolam concretionem à frigore, aut exiccatione à calore actum recipiant, quem habent non ad aliud mixtum perfectius ordinatum, veluti ex aqua recipiunt humores. Reſpondent autem terræ incluſa his quæ in ſublimi fiunt, vt alia mixtam naturam habent, quæ vel arte humana, vel plantarum, & animalium, vt oleum, ſaccaron, mel ex ficubus, lac, vinum &c. hæc enim reſpondent attenta proportione cauſæ efficientis, & materialis. calor enim,& frigus in corpore denſo efficaciùs multò agit, quam in raro. & vapor& exhalatio intrà terrę viſcera, materiam multo denſiorem prebent, vt mixta quoquè proportionalia generentur, ſaltem ex parte. Nomina autem eorum; quæ terra includuntur non natura aliqua, vt credibile eſt, ſunt indita. ſed conſuetudine loquentium, quià videlicèt foſſilia inueniantur ſola terræ foſſione, metalla verò maiori diligentia opus habeant. vnde non ſimpliciter a fodiendo, ſed ab inquirendo nomen accepere. proportio, quam videntur habere ea, quæ in ſublimi fiunt, cum foſſibibus, hæc fingi poteſt. vt dicatur reſpondere nubes ſali: caligo bitumini: phulgur ſulphuri: aqua argento: nix chryſtallo foſſili: grando lapidibus: ros ſtanno, pruina alumini; mel auro, cera plumbo.

DE

METEOROLOGICORVM LIBER QVARTVS.

De Qualitatum actione, & paſſione.

CAP. I.

DIctum eſt de his, quæ in ſublimi fiunt: & de his quæ intrà terræ viſcera generantur, quæ fieri, relatum eſt, per concretionem, & ſolutionem: rarefactionem, & condenſationem, & hæc à calore, & frigore contingere, humiditate, & ſiccitate concurrentibus; &, quoniàm ab initio naturalis tractationis obſeruatum eſt, priores philoſophantes principia rerum naturalium alios tradidiſſe rarum, & denſum: alios durum, & molle: alios calidum, & frigidum: modò, hac ſumpta occaſione de generatione eorum, quæ in ſublimi fiunt, & intrà terræ viſcera: inueſtigantes eorum cauſas partim per ea, quæ manifeſtiora ſunt in plantis, & in artificialibus: dùm in illis fructus mites fiunt, & acerbi manent: in his, dùm alimenta coquuntur, & alia artis miniſteria obſeruantur; poſſumus quoquè cauſas ſcruptari, & prodere. cùr philoſophi quondàm rarum, & denſum: calidum, & frigidum &c. poſuerint pro principijs rerum naturalium confundentes cauſas cùm principijs: vnde cauſas efficientes appellarunt principia; omne enim principium appellabant, quod concurreret ad alicuius rei generationem; vt Ariſt. vocauit cauſas etiam inſtrumenta ſuppoſitorum concurrentia ad alicuius rei conſtitutionem per mutuam actionem, & paſſionem; hac tantùm differentia, quo diceret efficere, quod eſt concurrere ad actionem calorem, & frigus: ad paſſionem verò humiditatem, & ſiccitatem; vndè caliditatem, & frigiditatem dixit qualitates actiuas, humiditatem, & ſiccitatem qualitates paſſiuas, quià per calorem, & frigus terminatur actio, per ſiccitatem, & humiditatem terminatur paſſio in ſuppoſitis; vt patet ex eorum definitionibus inductione comprobatis: quæ mutua actio, & paſſio requiritur in quacumque mutatione ſubſtantiali. meritò autem dubitant philoſophi, an frigus

ſit qualitas adnumeranda inter actiuas per ſe: nàm ex Hipp. id, quod calidum appellamus, omnia facit, ſed, quià eſt agens valdè vniuerſale, & æquiuocum, ideò opus habet frigore, quo modificetur, reddaturque idoneum ad operationes ſingulares. at non propterea frigus debet dici qualitas reſpectiua, & concurrens per accidens, ſed prorsùs actiua per ſe: aliàs non poſſet calorem modificare, & operari per aduerſum motum. Dubitant quoque rationabilitèr de humiditate, & ſiccitate, an aliquam habeant actionem; quià, licet ſint qualitates paſſiuæ, ſunt tamen inſtrumenta formæ, ſed formæ, quæ dicitur paſſio. Ideò dicuntur paſſibiles qualitates. nàm terminari, & non terminari ab alieno termino (terminus, & forma idem eſt) eſt pati: at, quatenùs inſtrumenta iſtius formæ, licèt hæc dicatur paſſio, tamèn aliquo modo agunt: quià potentia quæque ad agendum eſt formæ, quamuìs actio ſit ſuppoſiti. forma itàque actionis primò competit calori: quippè id, quod calidum appellamus omnia agit ex Hipp. ſed hæc generica forma, & æquiuoca ſpecificatur, & modificatur a frigore, ſic calor, & frigus ſunt qualitates actiuæ: calor primariò, ſecundariò frigus. forma paſſionis primo competit humido, ſed hæc forma generica, & æquiuoca ſpecificatur a ſiccitate, & modificatur: ſic humiditas, & ſiccitas ſunt qualitates paſſiuæ; humiditas primariò: ſecundariò ſiccitas. omnes tamèn agunt tàm actiuæ qualitates, quàm paſſiuæ, ſed iuxtà proprias formas, nempè illæ per formam actionis, iſtæ per formam paſſionis, per quas naturæ ſuppoſitorum mutantur hac lege, vt actiuæ qualitates non tranſmutent, nisi agendo, & paſſiuæ non, nisì patiendo. propterea humiditas humiditatem non parit, nec ſiccitas ſiccitatem; veluti parit caliditas caliditatem, & frigiditas frigiditatem per ſimplicem qualitatem. vndè calidum, & frigidum calefacit &c. aerem etiam chriſtallo incluſum, at humidum, & ſiccum non pariter humectat, & exiccat; ita vt ſalis modica quantitas ſicca permaneat etiam ſub vndas merſa, ſi chriſtallo includatur, & humor intùs non penetret, nec ſpongia madefacta arena cooperta exiccatur. non enìm agunt hæ, vt diximus, niſi patiendo, & concurrendo ad actionem, & tranſmutationem rerum naturalium; quæ tranſmutatio a principio per naturale opus harum facultatum dicitur ortus: ac paritèr per nataralem tranſmutationem ad finem dicitur interitus; cuilibet enim ſuppoſito etiàm ea forma conſtituta eſt, quæ dicitur *duratio*, quæ completur ab ortu ad interitum per naturalem circuitum: vt patet manifeſtè in ſtirpibus, animalibus, & partibus eorum proptèr vitam; viuere enim dicuntur, quæ in ſe ipſis habent alitionem, & augmentum, atque diminutionem. Simplex, & naturalis ortus eſt mutatio ab his facultatibus cum proportionem intèr ſe agentes, & patientes habuerint, & materiam ſortiuntur benè diſpoſitam, & agentes qualitates ſuperent omnem ſubiectæ materiæ reſiſtentiam, & eiuſdem procliuitatem in bonum proſequantur; quòd ſi ſubiectam materiam regulare nequeant, fit inconcoctio, ſeù eruditas. ac, ſi ſuperant, & quam diximus alitionem, ſiuè indiuidui per nutritionem, ſiuè ſpeciei per generationem conſequantur, augentur; & poſtmodùm poſt naturalem durationem, poſtquàm ſuppoſitum, aut partes ipſius finem ſortiantur, in quem genitæ ſunt, minuuntur; quæ imminutio dicitur incremento, & alitioni contraria: vt etiàm generationi interitus, ad quam per putredinem in mixtis inanimatis; per ſenectutem in animatis; per ariditatem in plantis naturali circuitu

tu tendunt, vt in libris de ortu, & interitu explicatum eſt.

De Putredine.

CAP. II.

VEra, & propria generatio eſt viuentium ſubſtantiarum; ſiquidèm *ſubſtantiæ maximè videntur corpora, & horum naturalia* 2. de anima Cap. primo atque *omnia corpora naturalia ſunt animæ inſtrumenta* Ariſt. 2. de anima T. 37. itàquè omnia corpora naturalia ſunt pro animæ miniſterio: aut ad hoc ordinata. Quapropter cæterorum omnium corporum generatio eſt generatio imperfecta, & ad generationem viuentium ordinata, & ad eorum vſum, & miniſterium. talia ſunt ea, quæ in ſublimi fiunt; & quæ intrà terræ viſcera concluſa, emergunt: quæ, quià in aliorum gratiam ſunt, & ſubordinatè aut per nouam formam, aut per nouum vſum perficiuntur: non ex toto pereunt, ſed pars aliqua naturæ eorum permanet ad eundem finem perſeuerans, ad quem ab initio deſtincta eſt. ideò non dicuntur prorsùs interire, ſed concoqui, aut putreſcere. concoqui quæ perfectionem ſortiuntur. putreſcere, quæ deteri. & ſic eſt intelligendus Ariſt. 4. meteor. T. 5. dùm ait, autredo in iis propriè dicitur, quæ ex parte intereunt: non autèm prorsùs, & vndequaquè corrumpuntur. quare eſt putredo veluti corruptio quædam partialis oppoſita generationi paritèr partiali. Qùm enim calor omnia agat, & forma omnis calore regatur, *putredo eſt proprij, & naturalis caloris in humido exiſtentis eductio ab alieno calore*: hoc eſt ambiente. Dicitur eductio, ſiuè interitus: quià, licèt non ſit perfecta rei corruptio, niſi partialitèr, & ſimplicitèr accepta; eſt tamèn tendens ad rei deſtructionem per mutationem, quam voco eductionem, dicitur autèm ab Ariſt. interitus, non eductio: quià non conſiderat huiuſmodi calidum, vt ſubſtantiam; ſed ſub ratione qualitatis, ideò appellat calorem, non calidum: & etiam, quià accipit proprium, & naturalem calorem ad determinatam conſtitutionem ſtatutum; non autèm cauſam æquiuocam & vniuerſalem. ideò ait proprij, & naturalis, intelligendo proprium hoc eſt determinatum ad ſingulare compoſitum; & naturale, hoc eſt pertinens ad rei naturam, & ſuppoſitam formam, quæ primò dicitur natura. Dicitur extinctio calidi, quæ eſt in vnoquoque humido: quià, vt calor eſt agens, & regens, ſic humidum patitur, & regitur. ſic rectore deficiente, aut abeunte alienæ ſubijcitur actioni, & ab incepta formatione deflectitur. Dicitur calor iſte extingui ab alieno calore, qui eſt aeris ambientis, quià ab eodem calore ambientis ingenitus calor educitur ſimilitudine naturæ. propterea melius duxi appellare hunc caloris receſſum eductionem, quam interitum: qùm non ſit rationabile, quicquam à ſibi ſimile corrumpi, quando omnis corruptio eſt à contrario; & calor non eſt calori contrarius, ſed ſimilitudine naturæ calor calorem attrahit, & hoc modo datur naturalis interitus, quandò enim calor in humido agit, & operatur ſecundùm exigentiam mixti per formam, quæ dicitur habitus: continetur in mixto, nequè obſequitur ambientis calorem trahentem: qùm ab eo habitu detineatur ratio formalis rei genitæ, & ſuppoſiti formati etiàm auxilio, & concurſu naturæ communis, & regentis omnia ſingularitèr etiàm in finem, & rationem boni, in quoſt ſuppoſitum for-

formatum eſt. ſic ordo, & ratio naturæ communis modificat calorem ambientis, nè attrahat efficacitèr; & proprium, & naturalem ſuppoſiti, ne trahenti obſequatur. qùm verò ſuppoſitum naturale, aut pars ipſius finem conſequuta ſit, ad quem à natura communi dirigebatur, & expleta fuerit forma ea, quæ dicitur duratio naturalis, ille calor auxilio deſtituitur naturæ communitèr regentis, & æquiuocæ, & cedit ambienti euocanti; ſic ſequitur putredo à nobis definita: naturalis tamèn dicitur deſitio, ſiuè interitus, & euocatio: ſi eſt poſt conſequutionem finis, ad quem à natura pars illa deſtinata fuerit. vt eſt ſenectus, & ariditas, quæ ſunt viæ ad corruptionem: ſed naturalitèr procedentes. namquè, ſi homini e.g. data ab initio ſpirituum copia, & caloris vigor, vt poſſit in pueritia non ſolùm corpus reſumere, & renutrire, ſed etiam augere ad naturalem magnitudinem, quæ perfectioni, & generationi ſibi ſimilis conueniens erat: meritò, poſtquàm creſcere deſierit, per conſequutionem finis, caloris abundantia remittitur. ideoque dicunt, *qui creſcunt plurimum habere calidi innati*: qui aſſiduò ab ambiente in iuuentute educitur; ſic iuuenes plurimum habent caloris erumpentis, non autem innati vt adoleſcentes. &, ſi etiàm à natura datus eſt conſiſtentibus calor exuberans, vt poſſint generari ſpiritus in nouos fœtus pro ſpeciei conſeruatione. meritò, poſtquàm homo plures filios generauerit, aut genera di tempus, & alendi tranſierit: amittit calorem illum regentem, & ſeneſcit. ac paritèr plantæ, quando in magnitudinem excreuerint ſibi à natura, & communi bono, & ordine deſtinatam, deſtituuntur eo calore debito ad incrementum per conſequutionem finis, & areſcunt: & hæc ariditas, illa ſenectus dicitur naturalis. Non ità accidit, quandò calor ille ab humido ſecernitur vi aliqua, & antequàm ſuppoſitum conſequatur finem à natura deſtinatum. tunc enìm putredo, & corruptio, quæ aduenit, dicitur violenta, nec verè dicitur illa tranſmutatio putredo, quam nos definimus. vt, ſi homo antè pubertatem, aut antè tempus gignendi, & alendis, dirigendiſque filiis debito aut morbo, aut vulnere intereat, & planta comburatur: non erit illius finis, & interitus naturalis. Vndè quandò naturalitèr corpora tendunt ad interitum, primò humida ſunt, vt pueri, inde ſenſim areſcunt vt ſeneſcentes. in quibus, quià regens ille calor educitur, derelicta humiditas in illis, & calore proprio deſtituta remanet, & ſuffunditur: nec fertur in partium alimentum: iccircò excrementitia, & aliena fit, non naturalis. quæ exiccatio in animalibus ſenectus, in plantis ariditas dicitur. quòd autèm plantæ, dùm areſcunt, non ſolùm humiditatem, ſed etiàm caliditatem amittant, patet quià ligna plantarum vetuſtate aridarum minimum ignis concipiunt pro plantæ natura, & conditione; vt experimento notum eſt. Quod autèm ait Ariſt. T. 5. putredinem in iis propriè dici, quæ ex parte intereunt, qùm à natura diſceſserint, ita intelligendus eſt, *qùm à natura diſceſſerint*: hoc eſt, qùm finem conſequuta fuerint, ad quem à natura directa fuerint, ſi intelligantur de putredine naturali. Veluti etiàm putredo naturalis dicitur aliquo modo ea, quæ contingit ſuppoſitis quibuſcumque, qùm a natura diſceſſerint, quandò per huiuſmodi caloris euocationem redeunt ad naturalem ſtatum: vt terra, aqua, & aer, quæ elementa ſunt non vndequaque pura, & ſincera, ideò habent rationem mixti: quam rationem mixti ſi exuerint per eductionem caloris continentis, dicuntur putreſcere per caloris ambientis vim, qui ab Ariſt. dicitur ignis, &

hæc omnia dicuntur huius ignis materia, quià ſunt ſubiectum, in quod ignis agit, qùm ipſe ſit plurimæ actiuitatis, & omnium maximæ. ipſe autem ignis, quià non habet quicquam ambiens validioris actiuitatis, nec mixtionem recepit aliorum elementorum, non putreſcit, hoc eſt eius calor non educitur ab alio, nec contingit ſegregari: qùm non admittat mixtionem. Sic duplici hac ratione putredinem renuit ignis. putredo enìm communis eſt affectio tùm frigoris proprii, tùm alieni caloris T.6., & item, quæ putreſcunt, per exhalationem natiuæ humiditatis areſcunt, at ignis aridus ex ſui natura non poteſt amplius areſcere, & ſic nequè putreſcere, nec etiàm poteſt ex accidenti humorem contrahere, vt facit terra. quià naturalis calor eſt, qui humorem attrahit, non elementaris. Naturalis autèm dicitur in mixto, dùm ſequitur naturam, hoc eſt formam mixti ſeù perfecti, ſeù imperfecti; quod poteſt contingere in terra, aqua, & aere; non autèm in igne. terra, & aqua, vt elementa non habent calorem, quo poſſint euocare calorem mixti, & in aere præualet paſſibilis qualitas: & propè terram vrget elementorum concurſus ad mixtionem aptus: & proptereà mixtorum generationem admittit, & putredinem. non enim credere oportet Ariſt. dixiſſe terram, & aquam, & aerem putreſcere prout elementa ſimplicia ſunt; ſed prout mixtionem recipiunt, & mixtorum generationem, quam non admittit ignis. aliàs ſi de ſimplici generatione crederetur loqui, non eſſet diuerſa ratio corruptionis in igne, atque eſt in cæteris elementis; nàm ſimplici tranſmutatione corrumpitur ignis eodem modo, quo elementa cætera. Quam ſententiam intellectus indè etiam coniectari poſſumus, quià illa ſimplex tranſmutatio, & viciſſitudo generationis, & corruptionis in aere, aqua, & terra magìs contingit in hyeme, quandò Solis receſſus eſt cauſa corruptionis: vt acceſſus generationis quæ ex aquarum copia manifeſtantur, & tamèn iſta putredo, quam definit Ariſt. hyeme minùs contingit, proptèr ambientis frigiditatem, vt ipſe refert. Item aqua, dùm feruet, maximè in aerem, aut quid aeri ſimile tranſmutatur, nec tamèn putreſcit ea ratione putredinis, quam definit Ariſt. per caloris diſtractionem, quià aqua non habet propriam, & innatam caliditatem, quæ poſſit ab ambiente attrahi: niſi ſit mixta, ſaltèm imperfectè vt vapor. imò, etiàm ſi mixta fuerit, & aliquid caliditatis contraxerit à calore ignis intruſo: mixtio illa ſoluitur, & caliditas diſſipatur eadem ratione, qua per putredinem. nàm ignis calefaciens gerit vicem ambientis, prætèr quàm quòd vehementius agit. At regula tradita ab Ariſt. de eo, quod feruet, non eſt applicanda aquæ ſimplici, ſed humori alii mixto, vt eſt ius, aut ſuccus herbarum, in quibus calor proprius ab ambiente educitur, ſi quieſcunt: at, ſi feruent, & motu, & calore ignis ſuppoſiti calor ab ambiente euocatus retrahitur, & renouatur; & hoc modo impeditur in illis putredo; agitatione enim etiàm corpora agitata, & diſtracta ambientis euocationi non obediunt, neque corrumpuntur. Maris autem aqua in vniuerſo pelago permanens defenditur à putredine integra aſſidua commixtione, & agitatione perpetua. quæ verò ſegregatur ab alia, agitationis beneficio non gaudet: ideòque faciliùs putreſcit. in lacubus autèm: vbi multum fuerit aquæ, meliùs à putredine defenditur, quià id, quod miſcetur ex terra, reſidet, & longius abeſt à ſuperficie aquæ, in quam ambiens agit: ideòque non corrumpitur. Vndè regula Ariſt. non ſequeretur, ſi lacus altioris aqua æquè eſſet mixta: æquè

enim

enim corrumperetur ; ac modica, veluti æquè multa caro corrumpitur æſtatis calore, & pauca, imò pauca interdum Solis actione exiccata à putredine defenditur, vt etiam defenditur modica aquæ portio, ſi ſimplex fuerit, & immixta; quarè mixtio, eaque maxime imperfecta, inutilis, & finis cauſalitate non roborata eſt, quæ corruptioni, & putredini materiam ſuggerit. quapropter, vbi mixtio calore plurimo continetur, etiam ſi imperfecta fuerit, & inutilis ambientis euocationi non paret, ſed calor ille ab ambiente euocatus in mixto ipſo aliquam rationem boni ſibi parat, ſi materiam habet diſpoſitam, vt animal componat, in quo conſeruetur, & aliquid operetur. vndè eſt in his, quæ putreſcunt, vermium frequens generatio, & teredinis. licèt enim ſegregetur ab aliena caliditate caliditas propria, & innata: non tamèn ſempèr educitur, ſed permanet in mixto putrefacto abiens in nouam ſubſtantiam; ad quod reſpiciens Gal. 11. meth. cap. 8. dixit putredinem eſſe interitum totius ſubſtantiæ putreſcentis, & non caloris tantùm, vt Ariſt. qui tamèn caloris vnientis, & regulantis deſtructione vniuerſam ſubſtantiam deſtrui intellexit, & mixtum putreſcens dixit abire in fimum, & puluerem: ne ſubſtantia fruſtrà perſiſtat ſinè inſtrumento ad agendam, quale eſt calor, & qualitas. putredo enim, quæ definitur ab Ariſt., eſt via ad interitum, non autèm interitus.

De Coctione.

CAP. III.

Contraria putredini eſt coctio, contrariam dico ratione termini. nàm putredinis terminus eſt corruptio: coctionis verò eſt perfectio, & generatio. putredo eſt caloris extinctio, & ceſſatio ab opere: coctio eſt caloris opus, ac veluti putredo alia eſt naturalis, vt ſenectus, & ariditas: alia prætèr naturam, vt morbus, & combuſtio (naturalem voco, quæ naturam alicuius ſequitur ſuppoſiti ſingularis: nàm in rerum natura nihil eſt prorsùs prætèr naturam) ità coctio alia directa ad ſingularis ſuppoſiti perfectionem; alia in ordinem vniuerſi, quæ ratione ſuppoſiti dicitur imperfecta coctio ob impedimentum intercidens calori operanti; quod dicitur oriri à frigore, vel alia interceptione operationis à calore procedentis. Iſta concoctio in naturalibus viuentibus dicitur maturatio: in artefactis dicitur elixatio, vel aſſatio: & in his operationibus ſpecialibus, quibus nomen ſingulare loquendi conſuetudo non dedit, aptatur genus, & genericum nomen coctionis, ſeù concoctionis.

Concoctio eſt perfectio à naturali, & proprio calore ex oppoſitis paſſiuis. Dicitur perfectio, quæ eſt qualitas directa ad formam ſubſtantiæ; quæ, veluti per putredinem deſtruitur, ſic per coctionem perficitur. Ideò hæc perfectio in eius definitione ponitur loco generis; loco differentiæ ponitur cauſa efficiens, &c. quæ eſt naturalis, & proprius calor, qui accipi poteſt & tanquàm inſtrumentum ad agendum, & tanquàm agens principale; addit ex oppoſitis

tis paſſiuis: denotando vtranque qualitatem paſſiuam: nempè humiditatem, & ſiccitatem; quià, licèt actio videatur tantùm recipi in humido, tamèn ad perfectionem ſingularis ſuppoſiti hoc humidum debet eſſe a ſicco modificatum; vt iuxtà exigentiam formæ ſuppoſiti ab hoc proprio, & naturali calore poſſit ad perfectionem redigi; quæ perfectio in viuentibus eſt, quandò genitum valet ſibi ſimile generare. ſic animal perfectum tale dicitur: in hoc enìm differt coctio à generatione, quòd generatio habet pro termino formam; coctio habet formæ propagationem; &, quià ſpecies coctionis eſt maturatio: hæc dicitur de plantis, in quibus perfectio attenditur penès hanc potentiam ſibi ſimile generandi; quod faciunt ſemine, ideò fructus in arboribus maturi dicuntur, quando ſemina ſunt apta ſibi ſimile generare. antè enìm immites fructus ſunt, & acerbi: qùm verò ſemen perficitur, miteſcunt, & animalium alimento ſunt. poſtquàm videlicet poma g. E. finem ſuum fuerint conſequuta, ſemen perficiendi: in alimentum ſe dedunt, & miteſcunt, cuius perfectionis principium a calore proprio proficiſcitur: licèt aliquandò huiuſmodi proprius calor ab extrinſeco foueatur: vt ventris calor fomento, & catuli calore; horum enim calor extrinſecùs internum non euocat, ſed fouet: vt cibum meliùs conficere valeat. A cuius naturalis coctionis ſimilitudine nominantur aliæ coctiones, quæ arte fiunt: aut a natura extrà ordinem; arte vt elixatio, & aſſatio, quæ dicuntur ſpecies coctionis, licèt à proprio calore non fiant, quià iſta diſponunt alimenta calore artificiali, vt animali meliùs, & faciliùs confici poſſint; quo pacto aliquo modo præueniunt, & præparant calori proprio, & naturali alimentum, & ad hunc finem reſpicientes elixam carnem tunc coctam dicimus, quandò ab elementari calore in humidum ad eam conſtitutionem redacta eſt, qua poſſit concoqui à ventre viuentis. aliàs enìm extrà hanc conſiderationem perfecta eſſet coctio; ſeù (vt meliùs feram) concoctio carnis E. g. quandò caro ità caloris vi fuerit comminuta, & aqua, in qua coquitur, ità incraſſata, vt ex vtriſque vna facta fuerit conſiſtentia media. Paritèr aſſationis terminus in carne eſt, quandò caloris ignei vi carnis fibræ ità fuerint comminutæ, vt caro facile mandi, & confici poſſit à calore. quandò autèm in hunc finem coctio dirigatur, ex eo patere poteſt, quoniàm elixa caro, quantum vis progrediatur actio ignis ad eam coquendam, ſempèr nomen coctionis ſeruat, & dicitur cocta, quià ſempèr apta perſiſtit ad nutritionem, & recipiendam perfectionem in viuente corpore. at in aſſatione non eodem modo procedit. nàmque, ſi vltrò procedat vis ignis, aſſando, torretur caro, & non ampliùs dicitur cocta, ſed aduſta; quià non eſt apta perfectionem recipere in corpore viuente. Qua ratione etiàm nonnulla alimenta concocta dicuntur, licèt putrefacta fuerint, & quædam potionum ſpecies non, niſi mediante putredine conficiuntur. tùnc enim concoctum dicimus quodcumque, qùm vtile factum fuerit: veluti muſtum concoctum diximus, qùm deferbuerit, & potioni idoneum fuerit redditum; & in tuberculis concoctum, quod ità concreuerit, vt ex pulſioni paratum ſit; ità in ophtalmia, ſeù lippitudine pituitæ curſus concoctæ dicitur, quandò pituita craſſior fuerit reddita, vtì ſanitati magis proxima; ſic alui deiectiones apud medicos, & vrinæ, & quælibet excrementa, aut excernenda tunc concocta dicenda ſunt, quandò expulſioni apta fuerint; quod accidere poteſt, & ratione conſiſtentiæ excrementi, vt in tuſſi, quandò

dò materia craſſior reddita fuerit: vel ratione loci, vt in febribus, quandò in ſingularibus acceſſionibus materia morbifica tranſponitur ad loca expulſioni conſueta; quandò enim illàc peruenit materia, tunc concocta dicitur, & tùnc medicamentis expellenda; qua ratione morbi longiores contingunt, quò materia craſſitie, aut tenuitate minùs cædit expellenti; quò magìs fuerit in parte repoſta; quo copioſior; & ſigna coctionis adeſſe dicuntur, quandò diebus, qui dicuntur iudiciarii, vt quarta, ſeptima, vndecima &c. ramentum aliquod materiæ morbificæ in vrinis apparuerit; vt eſt ſuſpenſum album leue &c. tùnc enim rationabilitèr coniectamur, materiam morbificam à calore naturali ex parte vinci; & ideircò totidem conatibus, & impulſionibus euertendam eſſe, vbi iam cæperit deturbari. Ariſt. autèm aſſerit, quæ concoquuntur, craſſiora, & calidiora fieri: loquendo de ea coctione, quæ frequentiùs contingit; nam aliàs expulſioni poteſt etiàm reddi apta materia morbifica, dùm attenuatur. vt, ſi per vrinam, aut per ſudorem ſit expellenda. qua ratione attenuarè neceſse eſt, dum concoquitur.

Maturatio eſt perfectio relata, quæ in fructibus contingit. Elixatio ex arte eſt diſpoſitio alimenti ad coctionem in humido. Aſſatio eſt eadem diſpoſitio alimenti in arido, & oleoſo. Alia verò concocta, & matura dicuntur ex translatione. vt tempora dicuntur matura, & morbi concocti appellantur.

De cruditate.

CAP. IV.

VNo modo opponi coctioni putredinem diximus: nempè ratione habita ad terminum ad quem; alio modo opponitur cruditas habita ratione ad motum ipſum: quandò enim naturalis calor dirigitur ad perfectionem, ſed ob intercidens impedimentum non proſequitur; mora illa dicitur cruditas. Quam Gal. de diff. ſympt. diuidit in tres ſpecies, quas vocat *apepſiam*, *diſpepſiam*, & *bradipepſiam*. *apepſia* eſt, coctionis priuatio, quæ contingit, quandò materia morbifica in eodem ſtatu permaneat; nec à calore naturali; ſiuè deficiente, ſiuè aliàs diuerſo alteretur. *diſpepſia* eſt, quandò materia morbifica mouetur quidèm, ſed non mouetur ſecundùm naturæ exigentiam, nec in vtilitatem ſuppoſiti: vndè praua mutatio dicitur, vt ſi materia morbifica non moueretur ad loca expulſioni conſueta, aut ad conſiſtentiam expultrici commodam; nempè, ſi non ad veſſicam, aut aluum, aut ad cutem; ſed ad cauitates, & ventres deturbetur: aut, quæ ad cutem mouenda eſt, craſſior fiat, & quæ ad aluum fiat tenuior. *Bradipepſia* eſt tenuis, & inualida coctio, quandò materia lentè tranſmutatur. Hæc autèm cruditas aliquandò ex natura eſt, & ſecundùm naturæ leges pro vniuerſi ordine: aliquandò non ex natura. Ex natura præſertim cruditas eſt in fructibus, donèc perficiantur. perfectionem enim tunc attingere diximus, quandò eorum ſemina apta fuerit in ſimile conuerti, & ante eam perfectionem miro naturæ ordine, & conſilio fructus immites ſer-

ſeruentur, ne ab animantibus ea perfectio exturbetur; & vel acore, vt eruca: vel ponticitate, vt ſorba, vel duritie vt pynea &c. vel ſpina vt caſtanea arcent animalia, & ſic eſui inhabiles ſeruantur. vbi verò ſemen ſuam perfectionem fuerit conſequutum, tunc vua, & poma miteſcunt, caſtanea echinum ſpontè aperit, & fructus emittit. Cruditas non ex natura eſt, quandò tempeſtatum inſolentia maturationem fructus intrà conſuetum temporis ſpatium non recipiunt, aut durantur, aut torpent. quòd ferè euenit ficubus, & aliis fructibus, quandò ad initium hyemis maturationem differunt; ferè enim tùnc aquilonibus ſpirantibus maturatio iuterdicitur, & crudi permanent: vel decidunt: vel etiàm aliquandò tota hyeme ſeruantur crudi, & poſtmodùm verè nouo matnrationem recipiunt, & perfectionem. At impropriè cruditas dicitur in his, quæ ad maturationem non diriguntur, nequè ad coctionem; velutì lapides. & lignum non propterea benè crudum dicitur, ſi elixari non poſſit: quià aliàs inelixabile eſt, & inaſſabile, quià lapis humorem non habet, quem dimittat, & mixtionem recipiat cum aqueis; & lignū, licet humorem habeat, tamen ob denſitatem aqueum non admittit. quæ verò caloris opificio perfectionem aliquam, aut in ſe, aut reſpectu ad humanam commoditatem recipiunt, minùs impropriè dicuntur concoqui, elixari, aut aſſari: vt lac, & muſtum ſi caloris ambientis ope ſaporem, aut alimentum recipiant magis aptum; quod eſt aliquam perfectionem conſequi: ſaltem reſpectiuam, ad quam qùm tendunt, quæque dicuntur concoqui, aſſari, elixari ſiue in potionem, ſiue in eſum, ſiue in aliam commoditatem caloris ope aut naturalis, aut artificialis conſequantur, vt aliquo modo tranſmutentur; quæcumque enim potioni, aut alitioni idonea ſunt; ſed calore non tranſmutantur non dicuntur concocta, niſi impropriè, vt aqua, & oleum. vndè nec cruda dici debent, niſi pariter impropriè. Cruditas à frigore contingere dicitur: quoniàm coctio calore perficitur, & contrariorum contrariæ cenſentur cauſæ. Scire tamèn oportet cruditatem etiàm poſſe contingere ex nimio calore, quandò enim gradum excedit coctioni, aut maturationi, aut elixationi debitum, cruditas ſequitur. intelligendo cruditatem, vt refert Ariſt. perfectionis elongationem: namquè ex nimio calore interdùm fructus durantur, & perfectionem non recipiunt, & in artificialibus caro vaccina meliùs calore non exuperante coquitur, verueccina feruidiſſimo.

De Concretione, & Liquatione.

CAP. V.

Relatis mutationibus, quæ contingunt in mixtis à calore, & frigore, quæ ſunt actiuæ qualitates, dicendum de his, quæ contingunt ab humiditate, & ſiccitate, quæ ſunt qualitates paſſiuæ: nempè de concretione, liquatione, & his cognatis accidentibus. quam tractationem vtilem admodùm in medicina cenſeo; quià in articulis, in cauitatibus humani corporis concreſcunt lapides, & tophi: durantur viſcera: tenuantur partes: & ſoluuntur oſſa teredine; quarum affectionum cura rationabilitèr perfici non poteſt; niſi ex fonte philoſophico nouerimus, vndè iſtæ concretiones, & ſolutiones.

pro-

prouéniant, quæcumque enim duritiés, & mollities eueniunt, ſine concretione, aut liquatione eſſe non poſſunt. ideò de his dicendum.

Concreſcere quodammodò ſicceſcere eſt; nàm, quæ concreſcunt proprio termino terminantur: magìs ſaltèm quàm anteà. & concreſcunt pleraque frigore. alia tamèn etiàm calore ſicco frigore concreſcit vapor in aquam, & aqua in glaciem. concreſcunt calore nitrum, & ſal. concreſcit frigore, & vniuerſi caloris expiratione, quod plùs habet terræ, quàm aquæ; concreſcunt ex calore humorem ad vrente, quæ plùs habent aquæ, quàm terræ: frigore extrudente; & aere in aquam mutato. Differt autèm concretio à craſſitie; quià craſſities fit, quandò, humore recedente, id, quod ſiccum eſt, denſatur: vndè aqua ex liquidis concreſcit quidem in glaciem; ſed non fit craſſior: imò calore fit ſemper tenuior. concreſcit etiam oleum frigore: quod non craſſeſcit neque frigore, neque calore, licet mixtum ſit; hinc patent, quo decipiantur, qui verentur, aquam ignis vi craſſiorem reddere; attenuatur enim; quià, ſi quid in ea mixtum fuerit, aut deponitur, aut euaporat. Mollia verò, quæ paritèr ſunt liquida, craſſeſcunt humore exeunte aqueo, vt lac. Quæ autèm liquida non ſunt, humore exeunte, non craſſeſcunt: ſed potiùs concreſcunt: vt fictile, quod etiàm, dùm coquitur, primò vaporem emittit, & mollius redditur, poſteà eo abſumpto dureſcit. lac, & ſanguis terrea, & aquea ſunt. ferè tamèn magìs terrea concreſcunt à frigore, ſanguis preſertim, qui fibras habet, quas frigus cogit; qui verò fibras non habet vt ceruinus, non concreſcit: veluti neque etiàm concreſcit ſanguis vitiatus in animantibus, cuius vitio fibræ fuerint corruptæ; ideoque in morbis, ſi ſanguis eductus non concreſcit, malum morbi euentum prædicit. coguntur etiam lac, & ſanguis a ſucco floris cynaræ non frigore, ſed interdictione vnionis, quæ erat inter ſerum, & caſeum. ſic lac ex parte ſeri liquatur, ex parte caſei concreſcit. videtur etiam flos cynaræ vniuerſum ſanguinem cogere. quandoquidèm nonnulli ſanguinis fluxu correpti aſſumentes florem cynaræ narrantur a tali fluxu liberati. Quæ tamèn hoc modo coguntur, videlicèt per ſeparationem humidioris à ſicciori: non adeò propriè dicuntur concreſcere, ſed potiùs exiccari: aut abſumi.abſumi, quæ aquæ aquæ naturam habent, vinum, lotium, ſerum. exiccari verò, quæ aquam continent, ſiuè aduentitiam, vt lana humida, ſiuè natiuam, vt lac. velutì humectari dicuntur, quæ motus ſui diuerſum terminum ſortiuntur; dùm vel in aquam coguntur, vt vapor refrigeratus, vel liquantur. licet, dùm vapor refrigeratus in aquam cogitur, concreſcere potiùs dicitur, ea verò, quæ humore expreſſo coguntur craſſeſcere potiùs, quam concreſcere. Verùm mollia, quæ liquida non ſunt, humore exeunte, non craſſeſcunt, ſed concreſcunt; vt fictile, dum coquitur, qùm enim modicum admodùm ſit, quod euaporat, & inconſpicuum: non videtur ex eius deperditione durari, ſed potiùs per concretionem; nàm ignis calore obſumitur humor, & poſtquàm ab igne fictile remouetur, frigore concreſcit. quod patet in lateribus, dum coquutur, nam, ſi eorum pondus notetur, dùm in aere exiccati ſunt, & poſtquam coquuntur in fornace; poſtquàm in fornace cocti fuerint, ponderoſiores ſunt. quæ verò exiccantur humoris depulſione leuiora redduntur: concretione igitur durantur fictilia: quæ concretione aliquid intùs cogunt, quo pondus eorum augeatur, ſiuè, quòd intruditur, ignis ſit, ſiuè aliud: ſi ignem

ſemper leuitare quis opinetur. Quid verò interſit inter durari, exiccari, & concreſcere inde ſumi poteſt; quòd durum ſimplicitèr id eſt, quod per ſuperficiem in ſe non cedit tactui: molle eſt, quod cedit; ſed compreſſione vndique non confunditur. vnde fictile ignis vi exiccatur, frigore concreſcit, concretione duratur. & aqua mollis non eſt, ſed humida, quandoquidèm ea compreſſione circumfunditur; cera verò mollis dicitur, quià compreſſa cedit, ſed non circumfunditur. Hæ igitùr qualitates, ſeù magis dicere affectiones, vt formas, cauſam efficientem, aut vndè motus, habent calorem, & frigus: cauſam materialem, vt in quo motus, humiditatem, & ſiccitatem. per quas affectiones, ſeu formas dicitur ſuppoſitum concretile, vt gummi, & inconcrectile, vt mel: liquabile vt ſal aqua, æs igne; & incliquabile, vt lignum: emollibile, vt cera: inemollibile vt fictile: humectile vt lana, & terra, non humectile, vt ferrum, quod præduritiæ humorem non admittit; vel nitrum, ſal, qui humorem admittens liquatur: non humeſcit. Flexile, inflexile, flexile vt arundo, quæ rectam ſuperficiē eādem modò concauam: modò conuexam ſinè fractura admittit. inflexile, vt fictile, ac lapis, quorum ſuperficies è concaua in conuexam transmutari non poteſt: ſed ſemper eodem modo perſiſtit. ruptile: non ruptile. ruptile vt lignum, & fictile, quarum partes, priùs quàm flectantur diſiunguntur. non ruptile vt aurum purum, cuius virgæ inflectuntur, & mallei ſuſtinent ictus, abſquè eo, quòd diſiungantur. frangibile, & non frangibile; frangibile vt fictile, cuius partes ſinè flexione ſolo ictu diſiunguntur. non frangibile vt lignum, quod ictus ſuſtinet abſquè eo, quòd partes ipſius ſeiungantur. Impreſſile, non impreſſile. Impreſſile modica vi, vt cera, aut magna vi, vt aurum; non impreſſile; vel quia imprimenti non cedat, vt fictile, vel quià impreſſionem non contineat, & vndiquè confundatur, vt aqua. formabile, & non formabile pænè eadem ratione, qua impreſſibile, & non impreſſile: formabilis enim eſt cera, lutum; non formabile lapis, lignum lana, aut ſpongia. compreſſibilis non compreſſibilis, compreſſibilis eſt lana, ſpongia, cera, caro; non compreſſibile ferrum, & aqua, differt compreſſibile ab incompreſſibile: quià impreſſibile imprimentis ſpeciem retinet: in compreſſibile non eſt neceſſarium, vt retineat. tractibile, non tractibile. tractibile, vt neruus, paſta, viſcus; non tractibile vt lapis, aqua &c. ductile, non ductile; ductile, vt æs, non ductile vt lapis, lignum lana, aqua. differt tractile a ductili, quia. tractilis parte ſumpta abſquè diuiſione à toto ſequitur. ductile verò non, niſi magna vi, aut ignis liquantis, aut mallei comprimentis abſque partium diuiſione, ducitur. fiſſile, non fiſſile, fiſſile vt lignum, non fiſſile vt fictile. diuiduum, indiuiduum. diuiduum vt pomum, indiuiduum vt lapis, aut aqua. In hoc differt diuiduum à fiſſili. quo fiſſile ſempèr maiori ex parte diuiditur, & diuiſio producitur vltrà diuidentis voluntatem; diuiduum verò diſiungitur ad regulam, & modum diuidentis. lentum, friabile; lentum, quod in longum duci poteſt; friabile quod in partes minutas compreſſum diuiditur. ſubactile; & non ſubactile, ſubactile, quod ſubygi facilè poteſt, & cogi, vt in artificialibus lana, in naturalibus vapor, qui in aquam cogitur; inſubactile, quod cogi non poteſt, vt terra, & lapis. vſtile, non vſtile, vſtile vt lignum; non vſtile, vt glacies. Suffitu aptum, aut ineptum; aptum vt lignum, ineptum vt lapis. quæ formæ omnes, ſeù affectiones calore aut frigore, tanquàm agentibus: humi-

miditate. & ſiccitate tanquàm patientibus emanant. & à prædominante in mixto reguntur.

De corporum diſiunctione per affectiones ſenſibiles.

CAP. VI.

POſtquam enumeratæ ſunt affectiones corporum: eadem corpora diſtinguenda ſunt, & ſpecificanda per ſenſum enumeratarum affectionum: ex quibus varij emergunt odores, ſapores, colores &c. Hæ autèm affectiones recognoſci poterunt in corporibus ſimilaribus, & in diſſimilaribus. Similaria corpora ſunt ea, quorum pars eiuſdem rationis eſt cum toto; vt in his, quæ in ſublimi fiunt, ſunt aer, nubes, vapor, nix; in his, quæ terra includuntur aurum, æs, argentum, ſtannum, ferrum, lapis &c. in plantis lignum cortex, folia, radix. in animalibus caro, os, neruus, cutis, viſcus, fibra, pilus, vena &c. Diſſimilaria verò in ſublimi ſunt iris; in plantis ramus; in animantibus caput, pes, manus &c. Similaria enim corpora dicuntur ea, quorum eadem eſt ratio totius, & partis: vt aquæ forma tàm ſumitur in gutta aquæ, quàm in mari vniuerſo. Diſſimilaria ſunt, quorum non eſt eadem ratio totius, & partis; vt pars capitis non benè dicitur caput, nec pars manus benè dicitur manus. Tamèn in ſimilaribus directè ſunt recognoſcendæ iſtæ affectiones, & per eas diſtinguendæ corporum naturæ. ex his enim differentiæ diſſimilarium indè conſequentèr comprehenduntur.

Dictum eſt ſuperiùs, harum affectionum cauſam efficientem eſſe calorem, & frigus. hoc enim concreſcunt, & denſantur: illo ſoluuntur, & rareſiunt. cauſam verò materialem eſſe humidum, & ſiccum, quæ paſſiuæ qualitates; quià omnium manifeſtiſſimè recognoſcuntur in terra, & aqua: videlicèt ſiccitas in terra: humiditas in aqua, & in vtriſque frigiditas. ideò ea mixta corpora examinanda ſunt: & inquirendum, quinam modus aquæ, aut terræ in ſingulis habeatur; ac ſimilitèr aeris, & ignis, in quibus & ſumma caliditas, & ſumma humiditas quidèm eſt: ſed eorum qualitates tam actiua in igne, quàm paſſiua in aere non ità manifeſtè agunt, & patiuntur: vt in aqua, & terra; licèt enim in igne ſit ſumma caliditas, & maximæ actiuitatis; ea tamèn in operationibus naturalibus, & in generatione mixtorum non eſt manifeſta: quemad modùm eſt in deſtructione. deſtruit enim manifeſtè comburendo; ſed, quandò operatur ignis generando, pœnè inconſpicuam habet operationem; ex qua operatione potiùs, quàm ex ſenſibili qualitate; ea elementaris ignis forma in mixtis recognitur. propterea ad terram potiùs, aut aquam referuntur; aut ad mixtum ex vtriſque. omne enim corpus aut liquidum, aut durum eſt, aut molle. liquidum refertur ad aquam: durum ad terram: molle ad communem vtriuſque naturam; & præſertìm referuntur prorsùs ad aquam liquida, quæ tota in vaporem caloris vi, abeunt. vt ſunt vinum. ſerum &c. hi enim liquores, dum calore ſoluuntur, nullum relinquunt ſedimentum, & ideò aquei dicuntur. lac dicitur conſtare ex aqua, & terra, & ad vtrumque referri; quià, licèt caloris vi in vaporem ſoluatur, tamèn totum non ſoluitur; ſed pars eius remanet; mel verò in vaporem non abit, calore tamèn contrahitur, quià ad terram refertur, & aerem: oleum ad aerem, & aquam; ideò

totum ſoluitur; vinum nouum magis terreum eſt, quàm vetus: id circò plus terræ continet, & igne craſſeſcit, & frigore non concreſcit proptèr ſpiritum, & ignis mixtionem, quo reſiſtit frigori; niſi frigus fuerit maximè intenſum, & vino aliquid aquæ fuerit admixtum. Mixta, quæ frigore concreſcunt; aquea ſunt vt glacies, nix, grando, pruina, & nil niſi frigore propriè concreſcit; quod enim ait Ariſt. caſeum, nitrum, ſalem, fictile, calore concreſcere, exiccationis loco concretionem habet; quæ enim calore ità priùs fuerit exiccata, faciliùs, & modico frigore concreſcunt, ſeù potiùs durantur, & coguntur ſolius humoris expiratione. Sententia verò ab Ariſt. de ſuccino prolata, cautè eſt admittenda: dum ſuccinum fictili comparat. nam fictile totum verè ad terram refertur, at ſuccinum, thus, gummi non ità facilè, quandoquidèm thus igne totum abſumitur, nec cinerem deſerit, quam deberet deſerere, ſi terra cũ eo eſſet: gummi aqua ſoluitur, ſed non abſumitur, vndè aqua illi congeneris, natura potiùs credenda, & illud concreſcere non à frigore prorsùs; ſed à frigore in arido, quo lentor augetur. at ſuccinum aqua non ſoluitur, quià denſius eſt, quàm quod aquam poſſit admittere. aliàs Solis calore ſuccum arborum euocari cambio, & glutini reſpondentem in animalibus; nec tàm frigore concreſcere, & durari, quàm ingenito lentore viuentibus ſuccis dato, vt in ramos, & folia ducantur.

> Indè fluunt lachrymæ, ſtillataque Sole rigeſcunt
> De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
> Excipit, & nuribus mittit geſtanda latinis.

quòd verò animalia incluſa habeat electrum: non indè credendum eſt, quià concreſcat dum continerentur, quià muſcæ &c. etiàm oleo, & aquæ inſident; nec tamèn merguntur, ſed credendum potiùs dum electum, primò ſtillat & funditur, lentore ſuo tanquàm viſco hæc animalia implicare, & aggeſtione indè nouæ lachryme includere, & faciliùs etiam formicas.

> Quàm phetontea formica vagatur in vmbra,
> Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

eſt autèm lentor qualitas potiùs ex habitu, & magnetica vi contracta, quàm elementorum natura participatá; nihil enim terrei in ſuccino, aut parum dignoſcitur. regula ergò Ariſt., quæ igne liquantur magìs eſſe aquea ſtatuens, quæ liquantur aqua ea eſſe terrea, coniecturalis accipienda non ſtabilis; namquè, ſi cera quid commune eſt, tàm ab igne, quàm ab aqua liquaretur, modò ab igne facillimè, ab aqua minimè liqueſcit: quæ verò nec igne, nec aqua ſoluuntur, non, quià terrea ſunt, id illis accidit; ſed quià denſa, quæque calore exiccata aquam exoluentem non admittunt, plurima autèm vi caloris; qui concoxit, concreta ſunt; quæ itaquè non concreſcunt frigore, ſed calore, qui omnia agere ab Hipp. dicitur, & concreta alii frigida, alij calida eſſe dicunt, inquit Ariſt., quippè videant ea, quandò in natura ſua permaneant, calida eſſe; qùm verò fuerint ſeparata, coagulari: quaſi coagulatio non niſi frigore contingat ex eorum opinione; quod Hipp. etiàm calori tribuit; de quibus aliàs recurret ſermo, ac paritèr de partibus diſſimilaribus animalium habenda magis apta tractatio: quandò de animalium natura, generatione, & partibus agendum erit.

DE ANIMA

LIBER PRIMVS.

POſtquàm egit Ariſt. de corporibus naturalibus mobilibus ad vbi, ad formam, ad quantitatem, ad qualitatem: & retulit omnia genera eorum, quæ in ſublimi fiunt, & intrà terræ viſcera; ac de ſimplicibus corporibus, mixtis imperfectis, & de eorum defferentijs, & affectionibus: progreditur ad vlteriorem perfectionem corporum naturalium explicandam, quæ videlicèt habetur ab anima. Vndè non videtur ambigendum includere hanc tractationem in tractatione de natura; qùm in eius gratiam primùm agendum de anima referat, quià *confert ad omnem veritatem, maximè autèm ad naturam, quià eſt tanquàm principium animalium* primo de anima T. 2. Et ex inſcriptione librorum, & ex T. 3. vbi ait *quærimus contemplari, & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam*, planè colligitur ſubiectum horum librorum eſſe animam, & non corpus animatum. non tamèn promittit Ariſt. hanc tractationem proſequi ſtilo ſcientifico, ſed hiſtorico, referendo aliorum opiniones, & ex his potiſſimam eligendo: tùm quià T. 4. *difficillimum omninò, & vndequaquè* extimat *habere aliquam notitiam de ipſa*: tùm quià prohibitum erat Athenis quicquam certum determinare de anima. præſertim an ſit mortalis, vel immortalis: Vnumquodque enim Reipublicę pernitioſum iudicabatur. Si enim immortalis certò crederetur: arbitrabantur homines nimìs confidentes, & temerarios efficere; ſi mortalis deſperatos. Vndè Socrates, qui de animæ immortalitate nimìs liberè diſſerebat, & contrà Athenientium conſtitutiones, fertur capite damnatus. idcircò Ariſt. nihil certi determinans, hanc tractationem non ſcientiam vocat, ſed hiſtoriam; & de ea, pro his, quæ ab aliis tradita ſunt, diſſerit eatenùs tantùm, quantùs pertinet ad notitiam ſui ipſius; vt oraculo delphico præcipiebatur: vt clariùs ex aliquorum textuum explicatione pateſacere tentabimus.

Ariſt. de Anima Libri primi

Textus primus.

***B**Onorum, & honorabilium notiam opinantes, magìs autèm alteram altera vel ratione certitudinis, vel, quòd meliorum, & mirabiliorum ſit. proptèr vtraque hæc hanc de anima hiſtoriam rationabilitèr in primis ponemus.*

Quemadmodùm de ratione benè inſtitutæ tractationis eſt, intendit Ariſt. quædam præfari, quibus agenda proponit; & eorum dignitatem, & præſtantiam, modum tractationis, & rationem ipſius. Et in hoc primo textu præſertìm eius præſtantiam refert. Et, quià non intendit ſermonem ſcientificum tradere de anima; &, ne quis arbitraretur propterea ipſum ſcepticum eſſe, qui rerum notitiam affectatam crederet, & parui faceret: occurrit primò huic obiectioni, dicendo: ſe rerum notitiam habere intèr bona, & honorabilia, & magni pendere; hac tamèn attenta diſtinctione; quà non omnium rerum notitia in eodem cenſu ſit habenda, ſed præſtare alteram altera præſertìm triplici ratione, primò ratione certitudinis, ſecundò ex eo, quòd meliorum ſit, tertiò ex eo, quòd mirabiliorum. Quibus præhabitis concludit proptèr hæc duo poſtrema, videlicèt, quod animæ notitia ſit meliorum, & mirabiliorum, abſolutè in primis ponendam. Quod ſit meliorum, quià nil melius anima (ſubintellige in rebus naturalibus) poſſumus ne quidèm ſuſpicari ex primo de anima T. 82. imò, quod melius abſolutè eſt, vt abſolutè bonum, vt Deus, non poſſomus menti, dum in mortalibus eſt, obiicere: niſi ſub ratione præcipuæ potentiæ animæ, vt eſt intellectus, & eius conceptus, & boni inuicèm emergentis ex conceptu ſui ipſius, vt ipſe Ariſt. in Metaphiſicis mirabilitèr oſtendit. Quod verò ſit mirabiliorum notitia de anima, clarè patet, quià nil mirabile eſt in humanis artibus, nisi, quod animæ operationes imitetur. vndè, ſi ars orbes cæleſtes ab intelligentia motos imitetur, & columbas volare, aues cantare oſtendat; nil magìs admirabile narratur olìm patratum. Quod autèm tria ſint quæ proponit Ariſt. nempè certitudo, bonitas, & admiratio, patet ex eius diſtinctione; & quòd meliorum, & mirabiliorum diuerſa intelligere debeat, ſuaderi poteſt, quià melius eſt obiectum voluntatis, mirabile intellectus. duo igitùr diſtincta intelligit, quod ſi duo tantùm proponere arbitraretur ad rerum notitiam præſtantium conducentia, ſatìs erat concludere proptèr vtraque hanc animæ hiſtoriam eſſe in primis ponendam, non determinando *proptèr vtraque hæc*. dùm enim vtraque determinat, determinat, diſtinguendo ab aliquo, quod facit à ratione certitudinis, dicendo, proptèr vtraque hæc, hoc eſt, proptèr vtraque hæc vltimo loco poſita, vt eſt, quod meliorum, & mirabiliorum ſit, in primis ponendam eſſe animæ hiſtoriam.

Notandum Ariſt. bonorum, & honorabilium eſſe etiam notitiam credere, quià non omnium poſſe haberi ſcientiam noſſet, præſertìm, quæ habemus a priori, & per cauſas, non tamèn notitiam, quæ haberi poteſt, eſſe parui faciendam, & non honorandam.

Notandum ſecundò, hanc notitiam de anima appellare hiſtoriam: non quià confundere vellet nomen hiſtoriæ cum nomine ſcientiæ, quod omninò alienum eſt credere apud

præ-

præſtantiſſimum auctorem, & maxima elegantia ſcribente; ſed quià ex relatis intendit eius notitiam tradere, & non ſcientificè. ſed per hyſtoriam, & fidem.

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbræque ſilentes.
Et chaos, &, Phlegeton, loca nocte ſilentia latè.
Sit mihi fas audita loqui, ſit numine veſtro
Pandere res alta terra, & caligine merſas.

Diſcere quoquè, & admirari iucundum vt plurimum eſt, in admirando enim noſcendi cupiditas ineſt, quarè admirabile deſiderabile eſt. Ariſt. ad Theodectem libro primo cap. vndecimo.

Quanquàm enim excludatur notitia de anima ratione certitudinis, veluti teſtatur Galenus 15. De vſu partium cap. 7. de his, *quæ, quo pacto fiant ſuperat humanum ingenium, quæ mirari poſſumus; intelligere non poſſumus*; ſi in ea tractatione, habemus notitiam bonorum, & mirabilium, ſatis eſt. nanquè ex Platone De amatoribus, ſiue de Philoſophia *gloriam in philoſophia conſequitur, qui notitiam eorum habeat, quæ liberos homines decent.*

Textus Secundus.

Videtur autèm, & ad veritatem &c. oſtendendo Ariſt. in ſuperiori Cap. præſtantiam notitiæ de anima ex tribus, per quæ notitia præſtat notitiæ; duo protulit abſolutè competere hiſtoriæ de anima nempè ex eo, quod meliorum, & mirabiliorum ſit. Proſequitur in hoc Textu patefacere illius præſtantiam, pro tertia conditione certitudinis; quam licèt abſolutè non habeat hæc notitia; tamèn multum conferre ait, ad aliorum notitiam, & maximè ad notitiam rerum naturalium, & reddit rationem, quià anima eſt tanquàm principium, videlicèt principium formale animalium. ſic ex capite certitudinis confert notitia de anima, niſi ratione ſui, ſaltèm ratione alterius, & ſi non per ſe, ſaltèm ex accidenti, principiorum autèm non eſt neceſſaria certitudo, quid ſit; ſed ſatis eſt noſſe, quòd ſit, & quòd ſit tale principium, vt dicatur haberi notitia principiati. ſic notitia qualiſcumque de anima, qùm ſit principium animalium, poteſt conferre ad certitudinem eorundem animalium etiam: quo ad quid ſint, etiamſi non habeatur certitudo, quid ſit huiuſmodi principium ex Ariſt. 1. Top. cap. 9. *Pleraque enim ipſa quidèm per ſe non valemus cognoſcere, ſed aliorum gratia: vt per illa illud quippiam cognoſcamus*; quarè quùm eſſet Athenis prohibitum, ſcientiam animæ quærere: cauet in hoc T. Ariſt, ſe de anima quærere non ratione ſui, ſed, vt per eam ſcientia de natura meliùs innoteſceret.

Textus Tertius.

QVarimus autèm contemplari, & cognoſcere &c. proponi in hoc Textu Ariſt., quodnam ſit ſubiectum huius tractationis, & qua de re præcisè agendum ſit; & primo ait inueſtigandam naturam animæ, & ſubſtantiam, hoc eſt, totam eſſentiam, & rationem; accipiendo per naturam, quid genericum materiæ, & formæ; namquè materia eſt natura, & forma eſt natura: idcircò quærendo eius naturam, quærimus an habeat rationem formæ, vel materiæ; & indè an ſit forma accidentalis, vel ſubſtantialis. poſt cuius eſſentiæ inueſtigationem, ait, quærenda eſſe, quæ accidunt circà ipſam, quorum accidentium, quædam, inquit, ſunt propriæ paſſiones animæ, & aliqua contingunt quidèm corpori, ſed propter animam; itaut, ſi corpus non eſſet animatum, eſſet incapax talium accidentium. Et, quià in ſequenti textu profert de ipſius animæ natura, & ſubſtantia non poſſe haberi vllam notitiam, propterca duæ definitiones, quæ ab eo componuntur, diriguntur tantùm ad ea, quæ dicuntur propriæ paſſiones, & ad ea, quæ proptèr ipſam corpori contingunt. videlicet prima definitio qua dicitur anima eſſe quid rei inſtrumentalis, quæ habetur T. 8, lib. 2. dirigitur ad paſſiones, quæ proptèr ipſam corpori contingunt; altera verò definitio, quæ habetur T. 24. includit proprias animæ paſſiones. dùm dicitur *principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus*, vt latiùs ſuo loco manifeſtabitur. At de natura ipſius, & de ſubſtantia nulla habetur definitio in naturalibus: & nisì ambigua in lib. 3.

Textus Quartus.

VNdequaque autèm, & omninò eſt difficillimorum habere aliquam notitiam de illa &c. In confirmationem eorum, quæ in 1. Textu propoſuerat Ariſt. ratione certitudinis non eſſe animæ hiſtoriam ponendum intèr præſtantiores, aſſerit in præſenti ſermone, licèt eius notitia haberi non poſſit, tamèn, qualiſcumque haberi poſſit, confert ad omnem veritatem, & præſertìm ad naturam, quià eſt principium animalium. tamèn de ipſa, & de eius natura, & ſubſtantia habere aliquam notitiam, quo ad quæſtionem quid eſt, ait, ex difficillimis eſſe. Poſſumus enìm cognoſcere animam eſſe actum, & non potentiam; ſed, quænam ratio actus ſit, non poſſumus diſtinguere: poſſumus cognoſcere eſſe ſubſtantiam, non autem, quæ ratiò ſubſtantiæ: poſſumus determinare eſſe *principium, quo viuimus &c.* ſed non, quæ ratio principii; quærentes itàquè de anima, & de his, quæ accidunt circà ipſam, non erit arduum cognoſcere ea, quæ ad ipſam pertinent, & corpori aduenìunt propter ipſam, ſed, quid ipſa ſit, eſt apprimè reconditum, quapropter ex parte certitudinis non eſt hæc notitia ponenda intèr primas, ſed inter eas, quæ habentur non per ſcientiam; ſed per fidem, vt eſt hiſtoria. loquimur autem hic de anima quantum ad quæſtionem quid eſt, & an ſit ſeparabilis, vt nauta à naui.

Reddit rationem Ariſt. difficultatis, quæ habetur in ſcientia de anima, & primò ait, animæ notitiam ſortiri communiſſimam difficultatem, quæ habetur in tradenda propria eſſentia cuiuſcumque rei: referens

vei-

verba ad ſcepticorum doctrinam, dicens, quàm quæſtio communis ſit cunctis alijs. rerum enim vltimæ differentiæ genericè latent. ideò qui arbitratur eſſe vnam communem methodum ad definitionem in omni diſciplina formandam, vt eſſet per definitionem naturalem, quæ conſtat ex omni genere cauſæ, decipitur, quia ſunt quædam ex incauſatis, vt æterna, quorum non poteſt aſſignari cauſa efficiens; quædam non habent materiam, niſi per attributionem, & ſimilitudinem, vt accidentia, & hæc non poſſunt explicari per cauſam materialem: quædam, eaque plurima, reconditam habent cauſam finalem; ideò non poteſt dari iſta communis methodus, per quam conſtituatur definitio naturalis, quæquè ſit communis ad omnem notitiam; quod patere præſertìm poteſt, quià, licèt Ariſt. tradat modum, quomodò definire debeat naturalis philoſophus, & licèt de naturali auditione plures libros ædiderit, nunquàm tamèn quicquam definitione naturali determinauit: imò in hoc libro T. 15. tradens regulam, quomodò definiat naturalis philoſophus, & afferens exemplum talis definitionis, pro conſtruendo hoc exemplo definitionis, non affert rem idoneam, ſed tradit exemplum iræ, cuius incertas cauſas aſſignat, & indefinitas dicens *ab hoc*, *gratià huius*. non poteſt igitùr dari vna communis methodus pro ſubſtantiarum definitione inuenienda.

Textus Quintus.

QVod ſi non eſt vna communis methodos ad inueniendam definitionem ſubſtantiæ, erit adhuc difficilior inuentio: quià laborare priùs oportet pro inuenienda methodo cuicumque diſciplinæ, & tractationi conueniente: &, etiam ſi iſta methodus fuerit inuenta cuicumque materiæ idonea, ità vt ſciuerimus, huic ſcientiæ idoneam eſſe methodum diuiſiuam: illi compoſitiuam: alteri definitiuam, aut quæcumque alia poſſit excogitari, tamèn multæ adhùc ſuperſunt difficultates; quippè, ſi diuidendum eſt, arduum erit determinare, à quanam generica ratione ſit incipienda diuiſio, & quouſquè ſit proſequendum diuidendo, & quas, & quotas in partes ſit diuidendum. Item, ſi vtendum præſtet compoſitione, difficile eſt inuenire principia cuiuſcumque rei, ex quibus conſtet, & componatur, & eodem modo, ſi definiendum eſt, non ſunt in promptu genera, & differentiæ propriæ, ex quibus componi debeat definitio.

Textus Sextus.

PRoponit difficultatem; quæ eſſe poteſt in ordine, & methodo diuiſiua. incertum eſt inquit primò, vndè nàm ſit incipienda diuiſio pro inuenienda eſſentia animæ. quam incertitudinem denotat dicendo, *primùm fortaſſis neceſſarium eſt diuidere, in quo genere*, &

& quid ſit: incipiendo a ſupremo genere entis. & hoc aſſerit Ariſt., quià non eſſet adhuc apud illos clarum, & manifeſtum: an anima eſſet ſubſtantia, vel accidens; &, ſi ſit accidens, an ſit qualitas, an quantitas, aut aliud ex numeratis prædicamentis; & præſertim dubitari poteſt, an ſit actio, an habitus; alij enim dicebant eſſe calorem, vt Democritus T.20. ſic referebant ad prædicamentum qualitatis; alij numerum ſe ipſum mouentem vt Xenocrates lib.1. T.28. reducentes ad quantitatem; alij motum, & energiam, & ſic actionem; alij habitum intèr quos videtur numerandus etiam Ariſt., dùm eam appellat *endelechiam*, hoc eſt, vltimum habitum, vt ſuo loco explicabimus. Imò etiam tranſcendere oportet extrà ſeriem prædicamentalem, quærendo, an anima ſit actus, vel potentia: hoc eſt materia, vel forma, vt cap. primo libri ſecundi quærit Ariſt.

Textus Septimus.

CONſiderandum quoque eſſe ait Ariſt. an anima ſit diuiſibilis in partes: an ſit ex his, quæ diuidi non poſſunt; hoc eſt an habeat quantitatem, &, ſit ſubſtantia quanta, vel non ſit quanta. Definiunt omnes motu, ſenſu, incorporeo 1. de anima T. 33., &, poſtquàm notum fuerit, non eſſe ſubſtantiam quantam, loquendo de quantitate continua; quærendum an diuiſibilis ſit per quantitatem diſcretam. ità vt ſint plures partes ipſius, licèt vnaquæque indiuiſibilis; &, vbi notum fuerit diuiſam eſſe animam ſecundùm quantitatem numericam, ſupereſt inquirendum, an vnaquæque anima ſit eiuſdem ſpeciei, aut ſimilis; & ſi non fuerit vnaquæque ſimilis anima ſpecie, quęrendum an ſpecie tantùm differat anima ab anima, an etiam differat genere; qua de re dubitare contingit, quià, qui de anima quærunt, omnes de humana videntur quærere, & eius eſſentiam inueſtigare tantumodò; vndè videtur poſſe ſtatui eiuſdem ſpeciei omnis anima; aut ſaltèm ſimilis.

Textus Octauus.

CAuendum autem, ne nos lateat &c. Maximè attendenda eſt huius textus explicatio, quià varia eſt auctorum conſideratio in eo, & nemo huc vſque videtur Ariſt. ſententiam attigiſſe. Regitur enim hic Textus a calce ſuperioris: in quo, ait Ariſt. *qui loquuntur de anima, de humana ſolùm videntur intendere*. Quo poſito, ait, cauendum eſſe, ne nos lateat: an ipſius animæ humanæ ſit vna ratio communis omnibus hominibus, vt eſt vna ratio animalis communis omnibus animantibus; an verò quilibet homo habeat propriam animam, & diuerſæ ſpecie à quolibet alio: velutì eſt diuerſa ratio, equi, & canis intèr animalia irrationalia; & intèr animalia rationalia hominis, & Dæmonis (vt verbis Ariſtotilis vtar) & affert occaſionem dubitandi de hac re; quià animal vniuerſale, aut nihil eſt, ſi conſideretur, vt aliquid idæale ſeiunctum à materia, aut eſt quid poſterius, & abſtractum a ſingulis animantibus per operationem intellectus. Ità, ſi ſtatueretur vna ratio animæ humanæ in omnibus hominibus, vt eſt vna ratio animalis,

lis, vel nihil eſſet cenſenda, vel quid poſterius; hoc eſt abſtractum per operationem intellectus abſtrahentis a ſingularibus hominibus, veluti ſunt omnia, quæ communiter prædicantur. Quaſi inferat, ſed anima humana eſt aliquid, & non eſt per operationem intellectus, quià, quod eſt per operationem intellectus, eſt poſt intellectum, & ſic anima eſſet, poſt ipſius animæ operationem, quod eſt maximè abſurdum; nempè operationem eſſe anteà, quàm quod operatur, ergò non vna ratio ipſius animæ, ſed vnuſquiſque homo habet propriam animam, quæ ſit quid corpore poſterius à diuino Intellectu creata ex nihilo: veluti intellectus humanus ad diuini ſimilitudinem, abſtrahendo, conceptus format, qui dicuntur entia rationis, veluti entia realia ſunt: quæ à Deo ſunt, ſiuè olim, ſiuè indiès emergentia, vt animæ humanæ.

Animaduertendum eſt in textu verbum illud *cauendum*. quo ſignificat, nos facilè decipi poſſe in concipienda communi animæ natura, præſertìm proptèr prolatam ſententiam Platonis de Idæis, quæ credebantur vniuerſalia extrà ſingularia, tanquàm exiſtentia antè rem, ideò pronunciat Ariſt. *vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius*. videlicèt, ſi recipiatur vniuerſale tanquàm prædicatum: eſt quidem animal tale in omnibus animalibus, verum non eſt ſeparatum, quemadmodùm credebatur a Platone; aut ſeparatum eſt per intellectum abſtrahentem; & ſic eſt poſterius, hoc eſt non antè rem, ſed poſt operationem intellectus abſtrahentis.

Textus Nonus.

A*Mpliùs autèm: ſi non multa anima &c.* poſtquàm decreuit Ariſt., vt ſenſit Themiſtius, ſingulos homines habere propriam animam, per quam diſtinguitur Socrates à Platone, & non per accidentia tantùm: quià in eodem homine indiuiduo apparent diuerſæ operationes animaſticæ, vt vegetans, altrix, appetens, intelligens; dubitari rursùs poterat, an huiuſmodi operationes procedant ab eadem anima ità, vt illa artificem repræſentet, qui diuerſis inſtrumentis, diuerſa opera perficit; an potiùs ſint plures animæ in eodem ſuppoſito, ita vt homo vegetantem cum plantis communem habeat, & ſentientem cum brutis animantibus. an rursùs, ſi ſit vna anima indiuidua, illa tamen partes habeat, quibus has diuerſas operationes perficiat; quæ dubitatio difficilem omnino reddit conſtructionem definitionis ipſius, quià non facilè poſſumus diſcernere an anima tota ſit priùs definienda, & poſt eam ſint definiendæ partes; & quod nàm genus partibus iſtis ſtatui poſſit, & quæ differentia pro conſtruenda definitione; namquè, licèt vegetans videatur differre a ſentiente, ſentiens ab ea, qua loco mouemur, & hæc ab intelletrice, tamèn hæ omnes potentiæ videntur inuicem confuſæ, & non vndequaquè diſtinctæ. ſiquidèm vegetans, diſtribuendo vtile, renuendo inutile, videtur includere intellectum: parando vere ſibi folia contrà ſolis ardorem, & contrahendo ſe hyeme, ceſſansque ab omni opere, videtur habere frigoris, & caloris ſenſum. ad fæcunditatem laborans fructus alendo, & ſemina iam perfecta elicien-

ciendo, dubitari poteſt an prolis dulcedinem, & fœcunditatis delectationem concipiat: & quanquàm planta tota terræ fixa non loco moueatur, tamèn loco mouentur partes, & alimenta hàc, illàc deferuntur grauia ſursùm, & leuia deorsùm, ſic loco motricem includere, licet ſuſpicari; vndè maxima cum difficultate poteſt aſſignari ratio, qua hæ partes, ſi partes ſunt, inuicèm diſtinguantur, & definitio debet eſſe eadem cùm eſſentia rei; ideò ſi eſſentia eſt cognitu difficillima, erit quoquè conſtructio definitionis huiuſmodi.

Textus Decimus.

ET *vtrùm eorum partes &c.* Addit inſupèr Ariſt. ad oſtendendam difficultatem, quæ neceſſariò emergit in animæ quæſtionibus: etiam ſi determinatum ſit, & cognitum, non eſſe in eodem ſuppoſito plures animas, ſed eſſe partes ea ratione, qua inuicèm non diſtinguantur per partitionem animæ, ſed per diſtinctionem inſtrumentorum, quibus vtitur, & membrorum, quæ exercet; tamèn valdè dubium adhuc eſt, an priùs debeamus quærere de his partibus, an de operibus ab ipſis prodeuntibus; videlicèt an priùs debeamus quærere, & definire, quid ſit intelligere, an quid ſit intellectus; & an quid ſit ſentire priùs quàm, quid ſit ſenſus. arduum enìm ſummoperè eſſet compræhendere quid ſit intelligere ei, qui non nouerit, quid ſit intellectus, & pari ratione malè poſſumus capere, quid ſit intellectus, niſi priùs intellexerimus, quid ſit intelligere; ità enim videntur inuicèm reſpondere ſibi potentia, & opus: nè poſſit vnum ſinè altero intelligi, ſic ambiget ſempèr mens, quò priùs feratur, & quomodò ſit in horum notitia progrediendum. nequè in hoc tantùm conſiſtere poteſt difficultas pro inuenienda animæ definitione; ſed etiam, ſi eligamus definire priùs, gr. Ex. ſenſationem, vt ex eius notitia indè deueniamus in cognitionem, quid ſit ſenſus; tamèn ad hanc etiam eliciendam notitiam ſubeſt obſcuritas: quià anceps adhùc intellectus ſubſiſtit, incertusque an de ſenſatione quærat priùs, quàm de obiecto ſenſationis. quomodò enim poteſt determinare, quid ſit ſenſatio: niſi priùs nouerit, quid ſit ſenſibile; aut, quid ſit intellectio, niſi præſciuerit, quid nam ſit intelligibile? ſic inextricabilis penè ſuccurrit ſylua quærendorum ad animæ definitionem conſtruendam

tenent media omnia ſylua
Cocytusque ſinu labens circumfluit atro.

Textus Vndecimus.

V*Idetur autem non ſolùm quod eſt &c.* qùm in ſuperiori ſermone Ariſt. propoſuerit emergentes difficultates ad conſtruendam definitionem animæ, & vltimo loco: ex eo quòd non ſit in promptu electio, vndè nàm debeamus ordiri notitiam, & quæſtionem ipſius; videlicèt an ſenſus priùs, an ſentire; &, ſi ſentire, an ſentire, an ſenſibile ſit quærendum; modò rationem reddit, quarè hæc omnia ab ipſo propoſita cognoſcere debeamus, antequàm definitio animæ concludatur. Ratio autèm eſt, quià non ſolùm cognoſcere eſſentiam rei conducit ad cognoſcendas cauſas accidentium ſub-

ſubſtantijs, ſed etiàm ex aduerſo cognitio accidentium magna ex parte conducit ad inueſtigandam naturam ipſius ſubſtantiæ : qùm enim rectè nouerimus accidentia emergentia, ducimur ab his in notitiam ſubſtantiæ, a qua promanant. ſic neceſſarium eſt inueſtigare priùs, quid ſit ſenſibile, & ex hac notitia deuenire, & procedere, quid ſit ſentire ; & ex hoc quid ſit ſenſus, & nulla ex his poteſt haberi notitia, niſi formetur demonſtratio, cuius principium eſt ipſum quid eſt, & definitio cuiuſcumque accidentis. iurè igitùr ambigere debemus, an totam animam priùs debeamus definire, an partes; &, an partes, an opera ipſarum, &, an opera, an obiecta; quià vnum perfectè cognoſci non poteſt ſinè alteriùs cognitione. vt exemplum affert in mathematicis de definitione trianguli, cuius definitio eſt triangulum eſſe figuram planam habentem tres angulos æquales duobus rectis. hæc definitio intelligi non poteſt, niſi rectè innotuerint partes ipſius, nempè quid ſit figura, quid ſit planum, quid ſit rectum, quid obliquum. Ità, ſi definiatur anima *principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus* : huius definitionis intellectus pendet ex intellectu partium, nempè quid ſit viuere, quid ſentire, quid loco moueri, & quid intelligere. ſic procedentes reſoluendo, *viuere dicimus, quæ in ſe ipſis habent alitionem, & augmentum, atquè diminutionem*. oportet igitùr, vt ſciamus, quid ſit viuere, præſcire, quid ſit alitio, quid augeri, quid imminui; & procedentis a notitia ad notitiam, paruus error, qui contingere poteſt à principio, ſit maximus in fine; nam definitiones, vt ipſe concludit, per quas non contingit cognoſcere accidentia, aut ſaltèm coniecturam habere de ipſis, ſunt dialecticæ, & inanes; ideò ità conſtrui debent, vt conferant ad cognoſcendas cauſas accidentium ſubſtantijs; ſed cauſæ accidentium animæ non poſſunt cognoſci, aut ſaltèm difficillimè cognoſcuntur per eius definitiones; ergò concludendum, quod ab initio propoſitum eſt, notitiam de anima ratione certitudinis non eſſe in primis ponendam, & *vndequaquè, & omninò difficillimum eſſe aliquam habere fidem de ipſa*; quià primò patitur aliquam genericam difficultatem, quæ habetur in notitia cuiuſcumque eſſentiæ, & habet etiam peculiarem, quià in notitiam eſſentiæ debemus deuenire per accidentia propria, quæ vix animæ haberi poſſunt.

Ambigunt interpræetes, ſed fruſtrà, an accidentia conferant ad notitiam ſubſtantiæ; quod adeò certum eſt, vt nulla alia ratione notitia ſubſtantiæ haberi poſſit, niſi procedendo ab accidentibus, præſertim proprijs; quæ ſunt quaſi tenues ſubſtantiæ imagines, per quas intellectus, qui eſt tanquàm tabula raſa, diſponitur ad recipiendam eſſentiam rei; veluti diſponitur per accidentia materia ad recipiendam formam; nec enim ſubſtantia ſinè accidentibus, nec accidens ſinè ſubſtantia concipi poteſt; ſed ambo per modum vnius concipiuntur ab intellectu, ad quem nihil peruenit, quin fuerit in ſenſu, & per ſenſum nullum accidens nudum repræſentatur in abſtracto, ſed in concreto, & conſequentèr in ſubſtantia, quæ ratiocinatione diſtinguitur: non tamen abſolutè, quin connotet etiam accidens ſibi proprium, ad quem habet ordinem, vel plura communia, quæ ſimùl iuncta habent rationem proprij.

Maior difficultas, & rationabilior eſt, quo ſenſu Ariſt. aſſerat, definitiones rerum, quæ repræſentant ſubſtantiam, & quod quid rei, abſquè connotatione accidentium eſſe dialecticas, & vanas omnes, cauſa

dubitandi eſt primò, quià intellectus poteſt abſtrahere id, quod ordinatur ad accidens, ab ipſo ordine: ſic habere conceptum abſolutum eſſentiæ rei, qui conceptus præſtantior videtur, quàm ſit ille, qui eſt cum ordine ad accidentia. itàque definitio ita formata non erit inanis; deindè dubitatur, quarè dicat rei conceptus, ſeu definitiones eſſe dialecticas, & inanes; namquè Ariſt. infrà ponit duos definiendi modos, vnum dialecticum, alterum naturalem; naturalem proponit per omne genus cauſæ, vt ipſe exemplo oſtendit: ſed talis definitio naturalis, & per omne genus cauſæ nuſquàm inuenta eſt apud Ariſt., ergò omnes definitiones ſunt dialeticæ; &, ſi, veluti Democritus, & plurimi interpretes ab eo referunt, proptereà ſunt vanæ iſtæ definitiones, quià dialecticæ, omnes definitiones traditæ ab Ariſt., erunt vanæ, & inanes.

Ad primam difficultatem Reſpondetur primò conceptum abſolutum ſubſtantiæ in intellectu humano non poſſe dari; nam, licèt per abſtractionem ſeiungatur ſubſtantia ab accidentibus, tamen quià omnis noſtra cognitio ortum ducit a ſenſu, ſemper perſiſtit conceptus connotatiuus accidentium, a quibus abſolutè diſiungi non poteſt.

Ad ſecundam ſatis probabilitèr reſpondent, qui dicunt per dialecticas definitiones intelligere Ariſt. probabiles, de quibus in topicis actum eſt. Verùm hac reſponſione non tollitur omninò difficultas, quià etiàm demonſtratio probabilis eſt vera demonſtratio, & in ſuo genere non eſt inanis: quià rem demonſtrat; & definit eo modo, quo demonſtrari, & definiri poteſt. Vt alia ratione dirimatur hæc difficultas præaccipere oportet, Dialecticum ex Ariſt. primo reth. non habere definitam ſcientiam, ſed vagare per omnes. itaut etiàm in naturali philoſophia Ariſt. definitiones tradat non vt naturalis, ſed vt dialecticus. Differentia intèr definitionem naturalem, & dialecticam, ſeù metaphiſicam hæc eſt, qua naturalis definit per omne genus cauſæ, & ex his omnibus debet conſtare definitio naturalis; at dialectica definitio ſatis eſt, ſi conſtet ex genere, & differentia; tali tamèn differentia, vt per eam diſtinguatur res definita à quacumque alia; quæ diſtinctio non poteſt haberi, niſi per accidentia propria. Definitio itàque dialectica, qùm non circumſcribatur à cauſis, poteſt conſtrui, & per accidentia propria, & abſolutè diſtinguentia, & per accidentia communia non abſolutè diſtinguentia; definitiones, quæ traduntur per accidentia communia, vt refert Themiſtius de Cryſippo, qui Deum definiebat per templa, & ſacrificia, quæ de illius præſtantia aliquam coniecturam faciunt, at illius ineffabilem eſſentiam, ac potentiam, non attingunt: ideò hæ definitiones per communia accidentia dicuntur inanes. at, quæ habentur per accidentia *propria*, & quoquo modo diſtinguentia, non ſunt inanes; non igitùr omnes dialeticæ definitiones per communia accidentia ſunt inanes. Dicendum itaquè videtur ab Ariſt. non appellarè omnes definitiones dialeticas inanes, ſed eas tantùm, *in quibus non contingit cognoſcere accidentia, nequè de ipſis coniectare*. Aliæ enìm etiam definitiones, in quibus contingit cognoſcere accidentia, aut de ipſis coniectari, ſunt dialecticæ, ſed non inanes; illæ verò in quibus non contingit cognoſcere accidentia &c. ſunt ſimul, & dialeticæ & inanes; ſic inanitas non prædicatur de definitione dialectica abſolutè, ſed de dialectica tali, per quam non contingat cognoſcere accidentia.

Tex-

Textus Decimus ſecundus.

DVbitationem autèm habent, & paſſiones &c. Proſequitur Ariſt. reddere rationem, quarè animæ notitia ratione certitudinis non ſit ponenda intèr primas, & quarè difficillimum ſit habere aliquam notitiam de ipſa, & præhabitis his, quæ in calce Textus ſuperioris pronunciauerat: nempè definitiones dialeticas, in quibus non contingit cognoſcere accidentia propria, eſſe inanes, & non repræſentantes ipſam animæ eſſentiam; nec habere certitudinem; quià videlicèt traduntur per accidentia, & paſſiones, de quibus ambigitur: an ſint communes cum corpore: an verò ſit aliqua ipſius animæ propria, ad quæ definita eſſentia directè habeat ordinem: quod appræhendere, inquit, eſt neceſſarium, ſed non facilè. Eſt neceſſarium, quià definitiones, in quibus non contingit cognoſcere propria accidentia, ſunt inanes: non eſt facilè, quià nulla videtur animæ paſſio contingere ſinè corpore; &, ſi quæ paſſio illius propria videtur, erit intellectio; & tamèn iſta quoquè, ſi eſt imaginatio, aut non ſit ſinè imaginatione, erit communis cum corpore; ſic nulla erit propria ipſius operatio, ad quam dirigatur definitio, &, per quam diſtincta manifeſtetur eſſentia animæ. quià tamèn intellectio duplex eſt, alia pendens a phantaſmate, alia independens, & propria animæ, qua ſublimiùs operatur, vt in nutritione, & generatione manifeſtabitur. ideò Ariſt. non loquitur abſolutè, nec inquit intelligere eſſe imaginationem, aut non fieri ſinè imaginatione; ſed loquitur ſub conditione, *ſi ſit imaginatio, aut non ſit ſinè imaginatione*, dirigendo ſententiam ad intelligere, quod contingit mediante phantaſmate, de quo dicit *oportere ſpeculantem phantaſmata ſpeculari* 3. de an. Tex. 39. Intelligere enim anima intuitiuè ſinè corpore, & ſinè phantaſmate poteſt: licèt non poſſit ſpeculari, ad quod neceſſaria ſunt phantaſmata.

Textus decimi tertij noua explicatio.

SI igitùr aliqua eſt &c. multæ emergunt difficultates in explicatione huius Textus, quæ videntur inſolubiles, ſi ſeruetur Ariſt. elegantia in ſcribendo. Videtur autèm ſermo vniuerſus Ariſt. in hoc proemio contrà ſententiam Platonis, & Socratis, qui animæ immortalitatem, & ſeparabilitatem abſolutè prædicabant; quam tamèn non negat Ariſt. ſed negat id adeò apertè, & ſinè dubitatione poſſe affirmari. confirmans nullam eſſe de anima certitudinem; & præſertìm oppugnat opinionem Platonis, qui concludit animæ ſeparabilitatem ex eo, quòd habeat operationem propriam. Ideoquè, cùm in textu ſuperiori protuliſſet Ariſt. videri operationes, & paſſiones animæ eſſe cùm corpore; & ſi proprium quid ipſius eſt, præſertìm eſſe intelligere; & hoc etiàm, ſi eſt imaginatio, aut non ſinè immaginatione, non eſſe abſolutè proprium animæ. In hoc autèm textu, ſupponendo quoquè, eſſe aliquam animæ paſſionem, aut operationem propriam:

priam: oſtendere nititur, non proptereà potuiſſe Platonem pronuntiare abſolutè ipſam eſſe ſeparabilem; ſed tantùm poſſe deduci ipſam poſſe ſeparari, & redire, vt nauta ad nauim, ſi non naturalitèr, ſaltèm ſuprà naturæ ordinem. Differentia itaquè intèr ſententiam Platonis, & Ariſt. non eſt, intèr eſſe ſeparabile, aut non eſſe ſeparabile; ſed intèr eſſe ſeparabile neceſſariò, aut contingentèr. nàm Plato ait neceſſariò, Ariſt. probat contingentèr; quod vt clarius pateat, diſtinguendus textus in tres partes: prout omnes interpretes diuidunt; hoc eſt, in duas regulas, & exemplum directum ad probandam alteram ex his regulis; prima regula eſt; Si anima habet aliquam operationem, aut paſſionem propriam, contingit ſeparari: & non eſt neceſſarium, vt ſenſit Plato. Secunda regula eſt. Si anima non habet operationem propriam, vtiquè non eſt ſeparabilis, & per *contingit* in prima regula poſitum non intelligere neceſſarium; vt quidam ex primo Perihermenias deducunt, patet primò ex recta loquendi formula, per quam non eſt veriſimile Ariſt. accipere contingens pro neceſſario in re tanti momenti; nec exemplum deductum ex lib. perihem. quadrat huic loqutioni: quià Solem peruenire ad Arietem, neceſſarium eſt poſt certum tempus; at, abſolutè loquendo, *contingit*, quià per omnia ſigna tranſit, & etiàm per Arietem ſtatis temporibus, & hoc eſt contingere. Patet etiàm accipere contingentiam, & non neceſſitatem, quia, ponendo ſecundam regulam: *ſi non habeat operationem propriam*, ait *vtiquè non eſt ſeparabilis*, hoc enim verbo *vtiquè* videtur opponere hoc neceſſarium conſequens illi contingenti.

Et clariùs hoc manifeſtabitur: ſi conſideretur exemplum poſitum ab Ariſt. in 3. parte, quod exemplum omnes interpretes dirigunt ad ſecundam regulam, ad quam non poteſt rationabilitèr reduci: primò quià exemplum eſt quaſi inductio, qua vtimur in his, quæ ratiocinando non benè concluduntur; at hæc ſecunda regula. *Si anima non habet operationem propriam, vtiquè non eſt ſeparabilis*, eſt certiſſima, & nemo eſt, qui illi contradicat, nec rationabilitèr poſſit contradicere, namquè, ſi anima non habet operationem, aut paſſionem propriam, ſeparata eſſet fruſtrà, quod eſt maximum abſurdum. Prætereà hoc exemplum non aptatur huic ſecundæ regulæ; quià, ſi probandum eſt id, quod non habet operationem propriam, non eſſe ſeparabile: oportet afferre exemplum rei, quæ non habeat operationem propriam; & non aptare exemplum rei quæ habeat operationem propriam; vt eſt rectum, vt rectum ad rem, quæ ſupponitur non habere operationem propriam. Optimè tamèn aptatur hoc exemplum ad primam regulam, ſi ea, vt ſonat, accipiatur, & in finem poſita, ad quem dirigitur. Inquit enìm Ariſt. in ea prima regula. *Si anima habet operationem propriam contingit ſeparari*, hoc verbo *contingit* ſignificat, ſanè verbum accipiendo, poſſe ſeparari, & poſſe, non ſeparari, & hæc duo includit, quorum ſignatorum vnum nullam habet dubitationem; videlicèt. *Si anima habet operationem propriam, poſſe ſeparari*; alterum verò membrum contingentiæ habet maximam dubitationem; quomodò videlicèt, ſi anima habet operationem propriam, poſſit dici inſeparabilis. &, quoniàm hoc aſſertum admodùm à ratione alienum eſt, ideò ad illud probandum opus fuit exemplo, quod eſt quaſi inductio; quod facit Ariſt. oſtendendo, eſſe aliquid, quod habet operationem propriam, & tamèn non eſt ſeparabile; hoc autèm eſt

rectum, quod acceptum cùm hoc reduplicatione, vt rectum ſignificat proprietatem affectionis, habet hanc propriam affectionem tangendi æneam ſphæram ſecundùm punctum; & tamèn, licèt ſit paſſio propria recti, vt rectum tangere æneam ſphæram ſecundùm punctum; nunquam tamèn tanget: quià hoc rectum eſt inſeparabile, licèt habeat eam operationem propriam, & eſt ſemper cùm quodam corpore. ità refert Ariſt. poteſt contingere animam habere operationem propriam, nempè intelligere etiàm independentèr à corpore, & tamèn ſit ſempèr cum quodam corpore, aut ſeparetur contingentèr ex ſententia Pithagoræ, in qua, licèt ſeparetur ab hoc, & illo corpore, nunquàm tamèn eſt extrà corpus; ſed differtur tranſmigratione, qua ratione non ſolùm euertit Platonis ſententiam, ſed comprobat ſuperius poſitam incertitudinem animæ eſſentiæ. Temiſtius hanc eandem contingentiam probat animæ, etiàm ſi habeat operationem propriam exemplo oculi, & manus; nàm oculus habet operationem propriam, & tamèn non poteſt ſeparari ab oculato: aliàs, ſi ſepararetur, amitteret rationem oculi, quæ eſt facultas videndi, & non eſſet oculus, niſi vt lapideus, & depictus; oculi enim eſſentia eſt videre ex Ariſt. 2. de anima, ex quo, *ſi oculus eſſet animal, vtiquè eſſentia ipſius eſſet viſus*, at, quià non eſt animal, propria eſſentia illius conſtituitur per relationem eiuſdem; per quam totum eſſe ipſius eſt, ad aliud referri: nempè ad oculatum, ſic oculus habet operationem propriam, & tamèn non poteſt ſeparari, vt talis, ab oculato, & idem dicendum de manu.

Hinc ſoluitur Veſalii inſtantia dicentis, medium cerebri ventriculum non poſſe determinari, vt ferunt philoſophi, ad diſcurſum: quià huiuſmodi medius ventriculus eſt in omnibus animantibus, ac diſcurſus eſt in ſolò homine ex ſententia D. Thomæ, Scoti, D. Bonauenturæ, & pœnè omnium theologorum. igitùr in alijs animantibus, quibus diſcurſus non datur, fruſtrà eſſet huiuſmodi medius ventriculus. Soluitur inquàm dubitatio, quià, licèt in cœteris animantibus prætèr hominem non ſit vera, & propria ratio diſcurſus; eſt tamèn adumbrata; & ſimilis, vt patet in multis animantibus vt ſimia, cane &c. quæ videntur imitari diſcurſum, parando, & ſeruando alimenta, nidos conſtruendo &c. vndè dicendum, licèt ſit propria operatio animæ diſcurrere, tamèn contingit ſeparari; videlicèt anima hominis, quià non educitur de potentia materiæ, ſeparatur, & eſt actus corporis, vt nauta nauis, qui abire, & redire poteſt ad nauim, & eam reſumere, & reficere, modo explicando. in cœteris animantibus, quià eorum anima educitur de potentia materiæ, non poteſt ab eorum corpore ſeparari; & hoc proprium munus habet homo ſeparabilitatis, quià eius anima non educitur de potentia materiæ, ſed creatur à Deo, & deforis accedit, vt teſtatur Ariſt. 3. de anima T. 7. quod nulli alij formæ infirmanti conceditur. &, quandò dubitabat Ariſt. an anima ſit actus informans, vt nauta nauis non fruſtrà refert, *nondùm manifeſtum eſt*: quià fortaſsè præſagiebat, fore, vt id manifeſtaretur deincèps. vtque datum eſt, & receptum apud nos quodāmodò eſſe ſeparabilem, vt nauta à naui, licèt informans, quæque debeat redire ad nauim, nempè ad corpus, cuius eſt forma informans in eſſe naturali; veluti nauta eſt forma informans nauim in eſſe artificiali; nàm nauis ſinè nauta non eſt nauis, ſed congeries lignorum &c. & licèt reditus animæ in die Iudicij, vt nautæ ad nauim,

non

non ſit naturalis, ideò fortè videri poſſit Ariſt. eius notitiam aſſignare fidei, vt T. 4. profert. lib. 1. de anima dicens, *vndequaquè autèm, & omninò difficillimorum eſt, habere aliquam fidem de ipſa*, ideoque aſſimilaſſe animam nautæ, non quia ſit præciſè anima aſſiſtens corpori (quippè cum ſit verè actus intimè informans corpus) ſed dumtaxat, vt eiuſdem materialis exempli beneficio, animæ eiuſdem conuinceret à corpore ſeparabilitatem.

Textus XIV., & XV.

VIdentur autèm, & animæ paſſiones omnes &c. propoſuit in ſuperiori Textu Ariſt. *Si anima habeat operationem propriam, contingere eam ſeparari*; ſic nulla ratione hanc tractationem effugere naturalem conſiderationem; & eo magis, ſi hæc hypoteſis reguletur à ſenſu, ex eo, quod magis apparet. ſi enim quis quærat in hac ambiguitate mentis: an anima habeat operationem propriam, vel non habeat, quò magis inclinare debeat. ex his, quæ apparent inquit; magis credendum eſſe, non habere operationem propriam, quàm habere; quià *videntur animæ paſſiones omnes eſſe cùm corpore, vt ira, manſuetudo, timor, miſericordia, adhuc gaudium, & amare, & odiſſe: ſimùl enim cùm his patitur aliquid etiàm corpus*; quod clariùs oſtendit; quià, qùm anima ſit ſimilis naturæ in omnibus: tamèn animæ paſſiones recipiuntur in anima ad normam conſtitutionis corporis; & animi mores corporis temperaturam ſequntur ex Gal. Vndè corpora pinguia, & pituitoſa à validis, & manifeſtis paſſionibus accidentibus parùm, aut nihil exacerbantur: bilioſa verò, gracilia, & atrabiliaria à paucis, & debilibus vehementèr mouentur: & hoc etiàm manifeſtius eſt in his, qui atrabile correpti ſunt: in quibus, nullo terribili occurrente in paſſionibus, & ſinè manifeſta cauſa hærent, & timent. Vndè concludit ex his, paſſiones animæ eſſe rationes in materia, & definitionem earum cùm materiæ incluſione debere conſtrui. quod difficillimum eſt, vt ipſe oſtendit non in animæ definitione, ſed in paſſione eius maniſeſtiſſima, & maximè communi, vt eſt ira, in qua definienda formam ſtatuit incertam dicendo, *eſt motus quidam*, non determinando, quinàm motus ſit. cauſam materialem, ſeù ſubiectum poſuit indeterminatum, dicendo *corporis, aut partis, aut potentiæ*, cauſam efficientem indefinitam, *ab hoc*; & ſic cauſam finalem, *gratià huius*; vt indè coniectari poſſimus. ſi adeò difficile eſt naturali philoſopho, definire paſſionem animæ manifeſtam: quantò difficilius erit eidem, quærenti naturam ipſius animæ, & ſubſtantiam, rectam definitionem, & aptam conſtituere.

ARISTOTELIS

De Anima.

LIBER SECVNDVS.

MOre ſuo Ariſt. per doctrinam peripateticam: poſt relatas opiniones magis celebres philoſophantium, intendit eligere id, in quod omnes conueniunt: vt ſententiam de anima ferat magis plauſibilem, & minùs obſcuram. Duæ habentur ex opinionibus antiquorum conſiderationes animæ; vna communiſſima concipiebatur omnibus competens, quæ quocumque modo viuere crederentur; altera magis propria, & huic tractationi magis accommodata, qua dicentes, & loquentes de anima de humana videntur intendere ex primo lib. t. 7. In prima conſideratione concludit hanc definitionem animæ. *Anima eſt vltimus habitus princeps corporis naturalis habentis vitam in potentia, tale autèm quod vtiquè ſit iſtrumentale* T. 6. Altera definitio magis propria habetur T. 24. & dicitur *id, quo viuimus, ſentimus; mouemur, & intelligimus principalitèr*, vt ſuo loco explicabitur luculentiùs.

Qùm autèm, quæ à prioribus &c. T. 1. Ariſtotelem recipere à prioribus magis plauſibilem ſententiam, apertè declaratur in hoc textu; & primùm velle determinare communiſſimam rationem ipſius, patet maniſeſtè.

Dicimus autem vnum quoddam genus eorum, quæ ſunt, ſubſtantiam &c. t. 2. in hoc ſecundo textu elicitur primò communiſſimam definitionem quæri, quia recipit communiſſimum genus entium, quale eſt ſubſtantia, & primò intendit determinare, animam eſſe ſubſtantiam, & formam informantem: non autem aſſiſtentem, velutì plurimi non animaduertentes huius textus vim, & efficaciam fateri audent, ſi enim animatum corpus animatur ab anima tanquam à forma, anima erit for-

ſorma informans, nec poteſt dici forma, ſi non informat.

Subſtantia autèm maximè videntur corpora &c. T. 3. nititur declarare, quomodò anima ſit forma informans corpus; quod probat, quià ſubſtantiæ præſertìm videntur corpora, & præſertìm corpora naturalia, quæ ſunt aliorum corporum, vt artificialium &c. principia. Ex his corporibus naturalibus, inquit, *quædam vitam habent, quædam verò non habent*. &, quià ex Thalete etiam lapides credebantur habere animam, & viuere, quod tradebat in magnete ex eo, quòd ferrum traheret, ideò reſtringit ſententiam ad magìs plauſibilem, dicendo, viuere debere nos intelligere in his eſſe, quæ in ſe ipſis habent alitionem, & augmentum, atque diminutionem; vndè non videtur alienus credere etiam lapides viuere: non quià attrahant ferrum, ſed quià in ſe ipſis habent alitionem, vt patet in mineralibus, ſic omne corpus naturale viuens erit ſubſtantia compoſita ex anima, & corpore; & quià omnes philoſophi has proprietates tribuunt animæ: nempè. vt moueatur, ſentiat, & ſit quid incorporeum.

Quoniàm autèm eſt corpus huiuſmodi &c. T.4. quoniam omnes concedunt, eſſe quædam corpora viuentia diſtincta à non viuentibus: & à philoſophis anima determinatur aliquid incorporeum: eſſe corpus non habetur ab anima, nequè anima erit corpus; quià anima eſt in corpore, & corpus non eſt in ſubiecto, ſed potiùs eſt tanquàm ſubiectum; ideò neceſſariò ſequitur, animam eſſe tanquàm formam ſubſtantialem corporis, quod habet vitam in potentia.

Subſtantia autèm actus &c. T. 5. quià ſubſtantia diuiditur in actum, & potentiam, oſtendit animam eſſe actum; & non potentiam; & eſſe actum corporis, quod habeat vitam in potentia, actus dicitur græcè *endelechia*, quod verbum ex Budeo antè Ariſtotelis tempora vſu non erat apud grecos, ſed pro actu, & ad actum ſignificandum habebant verbum *energiam*, quod verbum energiæ ad ſignificandam animæ ſubſtantiam non videbatur Ariſt. proportionatum, quià energia potiùs ſignificat actionem, quàm ſubſtantiam, aut habitum ſubſtantiæ, ideò animaduertit in hoc textu Ariſt. habitum tanquàm vltimum entium intèr prædicamenta numeratum, quià eſt perfectio vniuſcumque prædicamenti tàm ſubſtantiæ, quàm accidentium; quà proptèr *energia* cum dicat animam in opus, ſiuè in actionem, non videbatur explicare, & competere animæ, quæ non eſt actio, ſed ſubſtantia, & actionis propriè principium, & cauſa; ideò ait hunc actum duplici modo eſſe intelligendum; vno modo ſicùt ſcientia, alio modo ſicùt ſpeculari. ſpeculari, vt agere, & ideò ſpeculamur, quià ſcientiam habemus ad ſpeculandum: ſic verbum *energia* magis aptum ſpeculationi, *endelechia* verò *ſcientiæ*; ſicuti igitùr ſpeculamur, quià habemus ſcientiam; ſic corpus agit, quià habet animam. Ex eo enim, quod animam habemus habemus etiam ſomnum, & vigiliam, & ſcientia eſt quid ſimile ſomno, in quo potentiæ animæ quieſcunt, & in actum non exeunt, ſpeculatio verò eſt quid ſimile vigiliæ.

Prior autem generatione &c. Textu 6. ex omnibus à ſe probatis, & conſideratis refert in hoc textu Ariſt. animæ communiſſimam definitionem. Et *ſi aliquid commune de omni anima oportet dicere*: vt ſuprà a nobis relatum eſt *anima, eſt vltimus habitus corporis naturalis habentis vitam potentia*. hæc eſt definitio ampliſſima animæ. quæ accuratè eſt conſideranda, vt Ariſtotelis ſen-

ſenſus benè recipiatur.

Diximus itaquè ab initio ex teſtu primo primi libri: de anima nullam haberi poſſe certitudinem, licèt enìm ſit meliorum, & mirabilium, excluditur eius notitia ratione certitudinis; vndè in huius rei confirmationem retulit T. 4. omni ex parte difficillimorum eſſe habere aliquam fidem de ipſa. At dixerat T. 3. nos quærere contemplari, & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam, cuius deſperata notitia, aggreditur eius eſſentiam patefacere per ea, quæ accidunt circà ipſam: *quorum quædam propria illius paſſiones ſunt: quædam verò proptèr ipſam corpori contingentes*. In hac igitur definitione concipit accidens corpori contingens proptèr animam. Hoc enim verbum *endelechia* compoſitum eſt ex *teles*, & *echia*, *telos* ſignificat vltimum, *echia* habere. ſic anima ex Ariſt. definitur per vltimum habitum. At, quià ſubſequitur *Protos*. hoc verbum non debemus interpretari primum, quià malè ſonaret ferendo vltimum habitum primum, ſed vertere debemus principem, ſeu præcipuum, & dicere *animam* eſſe *vltimum habitum principem corporis naturalis habentis vitam in potentia: hoc autèm eſt inſtrumentale*, & hæc erit communiſſima animæ definitio, quæ videlicèt competat vnicuique viuenti per vitam ſiuè conſpicuam, ſiuè inconſpicuam. conſpicua vita eſt in omnibus animantibus, quæ loco mouentur, & fortaſſe etiam in plantis: inconſpicua, (ſicut aliqui ſuſpicari poſſent) in magnete, & mineralibus. Hæc igitùr definitio communiſſima eſt exactè declaranda.

Dicitur *entelos* vltimus: quià hæc eſt communiſſima definitio, vt eam declarat Ariſt. T. 7. *ſi autèm commune aliquid in omni anima oportet dicere &c.* Vitæ enìm plures gradus obſeruantur in naturalibus, quorum principium eſt anima. & in quocumque ſuppoſito ſumenda eſt eius eſſentia in vltimo gradu. vt pro exemplo, dicitur homo priùs viuere vitam plantæ, poſteà animalis, & indè hominis; quod aſſerit Ariſt., quià gradus vitæ in planta vltimus terminatur ad facultatem vegetantem: propterea anima vegetans eſt vltimus gradus perfectiuus plantæ. dicitur indè viuere vitam animalis: quià vltimus gradus perfectiuus animalis eſt in facultate ſẽſitiua; ideò anima ſẽſitiua eſt vltimus gradus perfectiuus. & dicitur in homine vltimus gradus perfectiuus hominis anima intellectiua. ſi igitùr aliquid commune in omni anima dicere oportet, debet ſtatui anima vltimum perfectiuum in quocunque gradu: *vt habitus quidam* ex T. 18. lib. tertij.

Dicitur autèm vltimus habitus quià ex T. 4. primi de anima, *vndequaquè, & omninò difficillimum eſt habere aliquam notitiam ipſa*; proptereà loqui, & quærere tantum ſibi propoſuit Ariſt. de his quæ accidunt circà ipſam, quià ex T. 11. conducit cognoſcere accidentia ad cognitionem cuiuſcunque ſubſtantiæ: & omnes definitiones diffamat dialecticas, & inanes, quæ ſinè conſideratione accidentiũ componuntur. Nil mirum itaquè ſit, ſi Ariſt. nititur de anima proponere tantùm de his, quæ accidunt circà ipſam, quorũ præcipuũ accidẽs eſt *habitus*, quæ eſſentia prædicamentalis vltima ponitur intèr prædicamenta, quià eſt omnium entitatum perfectiua, nullum enim prædicamentum dici poteſt verè ineſſe ſubſtantiæ, niſi habetur: & per huiuſmodi eſſentiam dicatur ſubſtantia quanta, aut relata, aut qualis, aut agens, aut patiens, aut perſiſtens, aut locata, aut ſituata, ideò dicitur vniuſcumque entitatis perfectio, & eſt ea, entitas, quæ a modernioribus in ſcholis dicitur *vnio*.

Dicitur *vltimus habitus princeps*,

& non primus) quià, qùm varij habitus ſint in ſuppoſito, qui creduntur a nonnullis conſtituere formas partiales dictas, tamèn quodlibet ſuppoſitum denominatur à præcipuo. vt homo, dùm in vtero viuit vitam plantæ, dicitur vegetans; dùm viuit vitam animalis, dicitur ſentiens; dùm viuit vitam hominis, dicitur intelligens; & ſic intellectus tribuit denominationem homini intelligenti, quippè, licèt vegetantem etiam habeat, & ſentientem, tamèn princeps, & vltimus habitus hominis eſt, qui habetur ab anima rationali.

Dicitur *vltimus habitus princeps corporis naturalis*, quià de corpore naturali loquitur, & hoc loco intendit tradere definitionem vniuſcumque animæ, præſcindendo à quocumque corpore naturali ſiuè ſit metallicum, ſiuè plantæ ſiuè zeophitum, ſiue loco motiuum, ſiuè intellectiuum; ſic habitus vltimus princeps corporis naturalis conſtituit viuens, &, quià, non fit quodlibet ex quolibet: ſed determinatum ex determinato: declarat huiuſmodi habitum vltimum, ac præcipuum corporis naturalis ei vitam tribuere, ſi ad vitam accipiendam per præuias neceſſarias diſpoſitiones potentiam fuerit conſequutum; ideò dicitur *habitus corporis vitam habentis potentia*, pro vita animam intelligendo.

Et ſubdit. *hoc eſt inſtrumentale &c.*, quià ex eodem Ariſt lib. 2. de anima T. 37. *omnia corpora naturalia ſunt animæ inſtrumenta*; ſic anima rationalis, licet ſit forma informans; eſt vt nauta nauis, qui poteſt à naui diſiungi, & ſeparari, & iterùm redire, quod ſuis temporibus Ariſt. *nondùm manifeſtum fatetur* T. 11. lib. 2. quasi præſagiens futurum fore, vt manifeſtaretur, vt noſtris temporibus certum eſt animam eſſe a corpore ſeparabilem, atquè iterùm redituram in corpus, vt nauta ad nauim. Nequè id in doctrina Ariſtotelis abſurdum haberi debet ex eo, quià nullam ipſe formam ſeparabilem à ſubiecto ſtatuit, namquè id haberi poteſt indubitabile in peripatetica doctrina circà omnes formas, quæ educuntur de potentia materiæ; at non eſt inconueniens id aſſerere de anima humana, quæ præcipuæ conſiderationis eſt, quoniam anima humana non ſolùm ex infallibili notitia habetur peculiari conditione: non eſſe ex eductis de potentia materiæ, ſed etiam ex ſententia eiuſdem Ariſt. ex T. 7. tertii libri, & clarius T. 20. dicitur intellectus ab Ariſt. ſeparabilis, at quià hoc erat contrà Athenienſium decreta, quibus vetabant, quicquam de animæ ſeparabilitate terminare; qua de cauſa Socrates capite damnatus fuit. Ariſt. pro hac veritate ſuſtinenda coactus fuit in Chalcidem fugere, & mortem ciuilem pati; &, ſi non paſſus eſt etiàm mortem naturalem, ab ea optimo fine ſe ſubtraxit, vt refert Laertius, videlicèt; nè Athenienſes denuò peccarent in philoſophiam, quod patrarunt in morte Socratis. In bonum finem itàquè videtur Ariſtotelis morti naturali ſe ſubtrahere, quam fortaſſe ſuſtinuiſſet pro huius veritatis teſtificatione.

Quamuis enim probè nouerim, non potuiſſe Ariſtotelem ſolo luminis naturalis ductu attingere futuram corporum reſurrectionem, ac ſupernaturalem animæ rationalis ad corpus reditum; attamèn, intèr Gentiles Philoſophos nullus fortè fuit ſicut Ariſtoteles, qui magis, vt ita dicam, acceſſerit, optimaque principia tradiderit, quibus vti poſſent Theologi, ad huius arcani probationem. Quid ſi proptèr hoc, aliquis diceret, illum dixiſſe, *non dùm manifeſtum eſſe, & difficillimum eſſe habere aliquam fidem de anima?*

Du-

Dubitatur primò circà allatam definitionem ab Ariſt. quæ videtur varia: dùm eam colligit T. 7. ab ea quam proximè T. 6. propoſuit. Siquidem T. 6. ait animam eſſe *entelechiam principem corporis naturalis vitam habentis potentia*. & T. 7. deſerit huiuſmodi conditionem *potentia vitam habentis*, ac tantùm profert *corporis naturalis inſtrumentalis*.

Tollitur difficultas, ſi conſideretur ſententia Ariſt. 2. de anima T. 37. vbi ait, omnia corpora naturalia eſſe animæ inſtrumenta. vndè, dùm ait animam eſſe formam corporis naturalis inſtrumentalis includit etiam potentiam ad vitam, nàm pronunciauerat T. 3. quædam habere vitam, & quædam non habere: itàque, quæ non habent vitam, nihilominùs ſunt animæ inſtrumenta, ſed non dicuntur animata, & ideò anima non eſt eorum forma informans. Et quià dixerat T. 7. primi de anima, *qui de anima loquuntur de humana videntur intendere*, ideò, vt patefaciat animam humanam non eſſe eductam de potentia materiæ: *ſi aliquid de omni anima oportet dicere*, includendo animam humanam. concludit T. 7. huius ſecundi libri, eſſe quidem animam humanam formam informantem corpus naturale, ſed non eductam de potentia materiæ; propterea ſubiicet humanum corpus naturale in ſe ipſo potentia huiuſmodi vitam habere: deforis enim accedit vt ex T. 21. *videtur aliud genus animæ, & hoc ſolum poſſe ſeparari ſicùt perpetuum à corruptibili*. ſic vltimus gradus animæ informans hominem informat quidèm corpus naturale inſtrumentale, ſed quod non habeat potentia hoc genus vitæ intellectualis, quod deforis accedit; & poteſt eſſe forma informans, vt nauta nauis; nauta enim non educitur de potentia nauis; quod tamèn non admodùm clarè profert, quià de hac ſeparabilitate animæ, & reditu vetabant Athenienſes quicquam abſolutè pronunciari; & idem Ariſt. id *non dùm* ſuis temporibus manifeſtum eſſe protulit, ne capite damnaretur, vt Socrates damnatus fuerat. Quod autèm nauta in eſſe artificiali ſit forma informans nauim, patet ex Ariſt. lib. 4. meteorolog. ſũma 4. cap. 3. vbì ait, omnia enim ſũt determinata opere: omnia enim, quę poſsũt facere ſuum opus, verè ſunt; vt oculus ſi videt: quod autèm non poteſt, æquiuocè, vt mortuus, aut lapideus; *nequè enim ſerra lignea niſi, vt imago*. ſic nauis non eſt nauis ſinè nauta, quià, licèt habeat nauis figuram, non poteſt ſinè nauta ſuum opus perficere. ſic nauta eſt forma informans nauem, licèt poſſit à naui diſtingui; ſic anima eſt forma informans corpus humanum modo explicato. nequè de hac informatione dubitare contingit in doctrina Ariſt. non tamèn eius temporibus erat adhùc manifeſtum, an hæc forma informans eſſet à corpore ſeparabilis. Diſtinctio, quæ habetur in ſcholis formæ in formam informantem, & formam aſſiſtentem (ſaluo meliori iudicio) non multum mihi arridet: & ſi fas eſt meam proferre ſententiam, dicerem nihil poteſt dici forma, quod non informat, & quicquid aſſiſtit poteſt dici intelligentia, aut alio nomine entis ſignificari, non autèm poteſt dici forma propriè, ſi non informat. ſi igitùr nauta in eſſe artificiali eſt forma informans nauim, licèt ſit ſeparabilis. ità anima humana eſt forma informans in eſſe naturali, & ſeparabilis, vt ſuprà explicatum eſt etiam ad ſenſum Ariſtotelis.

Animæ definitio ſecunda

CAP. II.

POſt traditam communiſſimam rationem animæ his etiam recipiendam, qui elementa, qui cælos, qui mundum vniuerſum animatum credunt; quandoquidèm organicum non ſignificat multiplex, aut ætherogeneum, ſed quod habet rationem inſtrumenti; quapropter cælum, etiam ſi ſit corpus ſimplex, poteſt eſſe animæ inſtrumentum, ſimplicitas enim corporis hoc tantùm operatur, vt inſtrumentum vniforme vniformi motu, & vno ſemper cieatur, & in vnum finem. animal verò quum multiplex ſit, & ad ſui conſeruationem, ac vniuerſi perfectionem, & ordinem ſeruandum pluribus motibus opus habeat, ideò etiam ad contraria mouetur ab anima. Qùm inquam, hanc communiſſimam animæ definitionem propoſuerit, progreditur tanquam à confuſis ad diſtincta, ab obſcuris ad clariora ad aliam definitionem animæ humanæ magis determinatam; de qua, qui de anima, quærunt videntur intendere, vt ipſe alias protulit T.7. A confuſis inquam progreditur, quià ea communiſſima definitio animæ totum quoddam definit, quod totum notius quidem eſt; ſed, vt potè ſtatutum eſt, confuſum: & eſt ea definitio concluſio demonſtrationis, aut ſimilis concluſioni, & formalis ratio rei definiendæ, diciturque definitio: quià iuxta ea, quæ promiſit T.3. primi libri dicens *quærimus autèm contemplari, & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam, deindè quæcunque accidunt circà ipſam, quarum quædam propria paſſiones ſunt, quædam verò proptèr ipſam corpori contingentes* conſtruenda erat definitio propter quid, vt quæcunque accidunt circà ipſam innoteſcant, ſiuè propriæ paſſiones illius ſint, vt intelligere, ſiuè per eam corpori contingentes, vt viuere, ſentire, & loco moueri. Quorum accidentium non fertur cauſa in prima definitione, ſed tantùm in figura veræ propoſitio communiſſimæ rationis ipſius, diciturque proptereà definitio quià. at definitio quam venatur modò Ariſt. eſt per ſe nota, & eſt medium, diciturque principium tradendo cauſam accidentium definito: proptereà dicitur propter quid; prima tamèn non eſt fruſtrà tradita, ſed inſufficientèr pro cognitione generis, & ſpecierum animæ, quæ inueniendæ ſunt, & diſtinguendæ per operationes. non enìm ſufficit ex definitione noſse quid ſit definitum, ſed etiam proptèr quid. vt manifeſtat Ariſt. exemplo quadrati, in cuius declaratione, ſi quis petenti, quid ſit quadratum, reſpondeat eſſe figuram æquilateram æqualem ei figuræ, quæ ſit altera parte *longior*; eſſet hæc definitio ſimilis concluſioni, & formalis; at reſpondens quadratum eſſe mediæ inuentionem, quadrati, & prioris definitionis cauſam reddit, dicendo quadratum in magnitudine eſſe figuram conſtitutam ex media linea proportionali inuenta intèr maius latus altera parte longius, & latus minus. primæ huic definitioni quadrati aſſimilatur iam tradita de anima; ſecunda verò tradendæ, quam hìc modò venatur Ariſt.

Animatum ab inanimato differt, quià quædam corpora naturalia habent vitam, & quædam non habent, ſic ipſo viuere diſtinguntur. Viuere autèm, inquit, multiplicitèr dicitur, & manifeſtatur per motus corporum non ſimplicitèr contingentes

in

in elementis, neque ſecundùm prædominans, vt in mixtis, ſed ad diuerſas, & etiam contrarias lationes, quo deducitur: non ab ordine vniuerſi, aut à forma ſimplici ea corpora moueri: ſed cieri ab alia forma, quæ vtatur corpore naturali tanquam inſtrumento iuxtà exigentiam propoſiti boni, & finis, quo bonum omne qùm ſit communicabile. ſumma boni ratio, & communiſſima habetur ad fœcunditatem, & propagationem, per quas operationes res quærunt ſe ipſas conſeruare, aut ſibi ſimiles generare, vt, quæ conſeruatio haberi non poteſt in indiuiduo, habeatur propagatione in ſpecie; quod expletur nutritione, quæ pertinet ad indiuiduum, & generatione, quæ eſt quædam nutritio ſpeciei; &, quæ hæc habent, vegetabilia dicuntur, & videntur viuere, & habere in ſe ipſis potentiam, & principium ad hanc conſeruationem per propagationem, ad quam ſuſcipiunt augmentum, & decrementum; mouenturque non ſimplicitèr latis grauibus deorsùm, & leuibus ſursùm, ſed omnia in omnem partem, viuendo ſempèr donèc poſſunt recipere alimentum, & hæc potentia ineſt omnibus viuentibus; quòd verò hoc principium motus ad nutritionem ſiuè indiuidui, ſiuè ſpeciei poſſit ſeparari ab alijs, & alia ab hoc non poſſint vt profert Ariſt. T. 15. quomodò contingat, videtur opus habere declaratione. namquè in vegetabilibus non eſſe aliud principium vitę: de his, de quibus agendū eſt, quod ſit ipſarum formale principium, poteſt concedi; quòd autèm nullo modo ſit, valdè dubium eſt; nàm in plantis, dum eligunt nutritioni proportionatum, & expellunt improportionatum, videntur etiam habere principium eligendi, quod ſinè ratione, & intellectu præcipiente bonum non videtur contingere, vt infrà explicabitur.

Alia autèm viuentia ſunt, quæ ſentiendi principio opus habent, quià non ſit quodlibet ex quolibet, & per ſenſum opus habent eligere alimentum ſibi magìs proportionatum, & proptèr mollitiem vitare duriora, quæ poſſint occurrere. vndè hęc viuentia etiàm ſentiendi principium habent vt lapidibus affixa, quæ zeophita dicuntur.

At, qùm per organorum diuerſitatem, & ad parandam ſpirituum multitudinem multis non ſatis eſt quodcumque contigerit in terra alimentum, vt plantis ſufficit, his opus eſt progredi ad diuerſa loca, & varia alimenta ſcruptari propriæ formæ conferentia, ideò animal dicitur arbor euulſa, hoc eſt planta, quæ progreditur, & habet hoc principium præter vegetandi, & ſentiendi etiam loco ſe mouendi; &, vt vitentur, quæ ità motis incidere poſſunt, opus habent principio etiàm ſentiendi diſtincto, quæ occurrunt ex aere per ſonum, ex igne, & terra per tactum, & proptèr delicatam naturam neceſſe habent diſtinguere nocentia à ſolutaribus, quæ concipitur primò ex expiratione eorum, quæ in alimentum ſumuntur, quæ odore indicatur; aut, ſi quid in alimento nouum interiùs lateat, in ore ipſo ſapore deprehendatur.

Ac demùm, quià perfectiſſimo animantium vt homini, vt molliorem vitam, & ſpeculationi, Deique contemplationi magìs commodam viuere poſſit, cautela opus eſt magìs accurata, & prouida. ideò fuit illi neceſſaria animà rationalis, qua robur, & vim cæterorum animantium eludat, & ab illis ſe defendat; quam hominis animam definiens modò Ariſt., ait eſſe *principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus*: prima autèm definitio amplior etiam eſt.

Sic viuere ex Ariſt. multiplicitèr dicitur per relationem ad varios ani-

animæ gradus conſtituentes plures gradus viuentium. vita enim eſt quædam irradiatio ab anima, & ſequitur animam, vt irradiatio lumen. ac, veluti lumen eſt actus perſpicui terminati, & in corpore opaco receptum iuxtà varias diſpoſitiones corporis illuminati, varios conſtituit colores; ſic anima terminata ad inſtrumentum naturale iuxtà illius diſpoſitionem varios conſtituit animæ gradus,ſeù potiùs potentias,vt in plantis,& conſimilibus viuentibus ad paranda ſibi inſtrumẽta cõſtituit gradum vegetãtis,in ſtirpanimalibus ſentiẽtis, in propriè dictis animalibus locũ mouẽtis, in homine diſcurrẽtis;&, quoniàm conſtruere inſtrumenta ad agendũ priùs eſt,quàm ipſum agere; ideò anima nutriens origine anteit omnes alios animæ gradus,vt intelligens perfectione præſtat: & iſta potentia verè conſtituit viuens; vndè dicitur, *dà mihi intellectum, & vitam*. Ideò benè ait Ariſt. animæ nutrientis gradum poſſe ſeruari ſeorsìm à cœteris gradibus ſubſequentibus, vt oſtendit in plantis, in quibus anima nutriens ſeruatur ſinè aliis potentiis: non tamen intelligendus eſt Ariſt: plantas non operari per intelligentiam, à qua diriguntur,ſibi idoneum alimentum per ſpiritum artificem, a quo alimentum ſimile trahitur ad hoc, vt appetant, in quo ſenſu intelligendus eſt Hipp. 4. dem. T.3. vbi ait, etiam terram in ſeipſam habere omnigenas facultates: & vt etiàm in planta aliquid intellectionis rudimentum, quo ramos diſtribuit, folia ſtatutis temporibus eximit, ſemina perficit, & omnia ſecundùm rationem diſtribuit; & nutrientibus ea indiuiduis operantis munia dirigit, & perficit. Vndè plantæ hyeme viuunt etiam ſi non nutriantur. Et ſententia Ariſt., nos tandiù viuere, quamdiù nutrimur, eſt cùm modo accipienda; nàm nutritio eſt ad paranda inſtrumenta pro vitæ functionibus obeundis, & vtimur inſtrumentis, poſtquàm ea parata ſunt. viuit igitur corpus naturale ſinè nutritione, aut poſt eam, vt in libro de longit., & breuit. vitæ luculentiùs explicabitur, quomodò interdùm anima altrix ferietur etiam in corpore athlethico, cuius habitus ab Hipp. periculoſus dicitur: non autem lethalis. gradus itaquè vegetantis competit omnibus viuentibus in mortalibus, quià hæc opus habent reparatione inſtrumentorum, quod non eſt neceſſarium in æternis. vndè infertur per nutritionem ex accidenti viuere plantas, nam verà, & perfecta vita eſt tantùm per intellectum, cuius inſtrumenta per nutritionem parantur, per ſentientem conſeruantur. Vndè, veluti intèr operationes facultatum nutriens præit omnes, ſic in facultate ſentiente tactus alios ſenſus anteit: quià nulla ſenſatio poteſt ſinè tactu conſumari, & hæc ſenſatio poteſt ſeorsìm in ſtirpanimalibus conſeruari ſinè alijs ſenſationibus; Vndè per ſolum tactũm dicuntur animalia hæc loco, & 3. de an. T. 35. quià tamèn cæteris ſenſibus carent, vix nomen animalis mereri exiſtimauit Ariſt. vt 1. de part. an. Cap. 5. & 8. de hiſt. an. Cap. 1. dixit non eſſe animalia, ſed mediæ, & ancipitis naturæ animalis, & plantæ, & credibile eſt etiam habere, obſcurum ſaltèm, guſtus ſenſum: nàm initio de ſenſu, & ſenſili Ariſt. ait guſtum competere omnibus animalibus. ità 2. de an. T. 31. qui ſenſus guſtus imperfectus, & obſcurus ſaltèm diſtinguitur à tactu per rationem, aliàs fundamento eſt idem, qùm non habeat peculiare inſtrumentum, quo perficiatur hæc ſenſatio: vtì etiàm credi poteſt in homine antequàm viuat vitam animalis, & hominis. primò in vtero homo viuit vitam plantæ,dum radices extendit, quæ ab arabibus venæ rationabilitèr appellan-

lantur: poſtmodùm dùm incipit contrahi, & moueri, vitam viuit animalis; vitam demùm hominis, dùm perfectus eſt anima rationali: nec anteà homo eſt, quàm hominis formam receperit, nempè animam rationalem. qùm in ſpecie conſtitui quicquam non poſſit, antequàm propriam receperit perfectionem, quæ perfectio attenditur in æquali, aut penè æquali animalium diſtinctione. Ideò ſtirpanimalia non conſtituunt propriè aliud genus viuentium, nec alium gradum vitalem; nec talpa, quià progreditur, & non videt, ideò conſtituit diuerſum gradum viuentis; nequè etiàm, poſſe generare ſibi ſimile, diſtinguit aliud genus animantis ab his, quæ non poſſunt: vt orta ex putri. namquè generare ſibi ſimile dirigitur ad conſeruationem ſpeciei, non autèm ad conſtitutionem viuentis ſimplicitèr; & credi poteſt ea animalia etiàm facultatem generandi habere, licèt non habeant inſtrumenta generationi proficua, & neceſſaria, & proptèr inſtrumenti ineuidentiam ferè dicitur deeſſe facultas, licèt confuſè vnaquæque facultas ſit in omnibus; definiturque ab Ariſt. humana anima tanquàm omnium facultatum princeps, *de qua omnes videntur intendere*, quam dicit *principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus*: accipiendo principium ſub ratione formali, & efficientis: ſub ratione formali in actu primo vitæ, per quam rationem formalem vegetabile eſt vegetabile, ſenſitiuum eſt ſenſitiuum, intelligens intellectiuum; ſub ratione efficientis in actu ſecundo denotante operationem: qua ratione anima dicitur principium efficiens generationis, nutritionis, ſenſationis &c.

Dubitabatur autèm: an iſtæ eſſent diſtinctæ animæ intèr ſe; an partes vnius, quæ difficultas mouetur præſertim, quià diuerſa genera viuentium conſtituunt; &, licè hoc loco definiatur anima humana; Plato apud primos philoſophantes, & Galenus apud medicos in homine diuerſas harum facultatum ſtatuunt ſedes: vt cerebro rationabilem, hepati altricem, & concupiſcibilem, iraſcibilem cordi, & ſenſientem: quod falſum oſtendit Ariſt, patefaciendo, nequè in his viuentibus, quæ vnam tantùm habent facultatem, nequè in his, qui manifeſtè habent plures, vllam contrahi ad determinatam ſedem. In plantis enìm, quæ vnicam videntur habere viuentis potentiam, nempè altricem, manifeſtum eſt, ſi planta diuidatur in plures partes, ſingulæ partes viuunt: ſic eſt vna numero in plantis anima, & multiplex potentia fuſa per vniuerſam plantam, & non contracta; paritèr, vbi confuſæ ſunt plures facultates in eodem viuente animali, nulla facultas contracta eſt, quod patet in inſectis, vt ſunt lacertæ, & beſtiæ ſerpentes, quæ ex Ariſt. 1. de Hiſt. an. cap. 1. & 4. ſpiris quibuſdam, & per elices fabricatæ ſunt; &, ſi diuidantur, quælibet pars tàm ex parte capitis, quàm caudæ mouetur. ſunt igitùr vbiquè facultas motrix, & ſentiens, imò etiàm appetens, & imaginatiua: quod probat Ariſt. hoc modo; vbì ſcſus eſt, ibì eſt dolor, & voluptas: dolor, & voluptas pertinent ad appetitum, & appetitus non ſit ſinè imaginatione; ſic, præ dolore mouentur inſecta diuiſa: ergò indè ſequitur, has facultates non eſſe contractas ad aliquam determinatam ſedem, ſed vndequaquè fuſas eſſe, tanquàm irradiatio, quæ veluti determinatur ad opacum, & erumpit ibì in diuerſos colores reflexa, ſic animæ potentia irradiatione quadam funditur per vniuerſum corpus viuens, & terminatur, ſpecificaturque ad inſtrumenta, per quæ facultas à facultate diſtinguitur. ac, veluti colores, qui ſunt actus per-

perſpicui terminati, non poſsunt ſeparari à corporibus, in quibus ſubiectantur, ſic huiuſmodi facultates ſunt inſeparabiles à corpore animato.

Secùs autèm habetur *de intellectu, & ſpeculatina potentia, quæ videtur genus aliud animæ ſeparabile, vt æternum à corruptibili* nempè, vt eſt ſeparabile lumen Solis ſemper eodem modo fuſus a corporibus coloratis. *videtur*, inquit, quià hoc ſimplicitèr, & ſinè trepidatione proferri non poterat: qùm non ſit locus hic loquendi de intellectu inſeparabili. hoc enim ſpectat ad Metaphiſicum, vbi lib. 10. T: 26: aſſerit Ariſt. corruptibile differre ab æterno plùs quàm genere; ideò ait *videri aliud genus animæ.* Alexander ait Ariſt. intelligere intellectum agentem, quem Deum arbitratur; at Ariſt. hoc loco loquitur de animæ potentiis; nemo autèm ſanæ mentis Deum animæ potentiam dicet; ſed animam eſſe a Deo, ab eoque creatam olim. vnam cuilibet ſpeciei viuentium plantarum non informantem quodlibet ſingulare, ſed quodlibet dirigentem ratione, & intellectu illis indiuiduis inconſpicuè, hominibus verò ſingulas, easque fuſas cuiuslibet, & à ſingulis percepta; &, nisì brutorum viuant vitam, contemplabilis, & conſpicua; & harum formarum habitus iuxtà cuiuſcunque capacitatem, & diſpoſitionem dicitur viuere: cuius poteſt dari communis conceptus omnibus viuentibus tàm rationabilibus, quàm inrationabilibus, vt actus ſecundi; actus autèm primi, per quem definitur anima, non poteſt dari communis conceptus vniuocus, ſed ab vno, equo, cani, homini, & Deo, quià Dei eſſentia non poteſt, nisì per negationem, & ſimilitudinem concipi. ſic datur conceptus analogus, & in figura, vt traditur in prima definitione Ariſt. prout verò eſt principium participatum, poteſt concipi conceptu vno, & vniuoco, qui ſpecificatur per potentias, vt fertur in ſecunda definitione ab Ariſt. tradita. diuerſimodè tamèn, iuxtà diuerſitatem diſpoſitionum recipientis. quarè etiàm intèr plantas, quæ eadem anima vegetatiua informantur, dantur diuerſæ ſpecies, & quercus differt ab oliua &c. pro varia ratione inſtrumenti, quo vtitur in diuerſum finem directa: alio enim cortice, & alia radice opus eſt pro differendo ſucco oleæ, & pro deferendo ſucco glandis; & latiori folio vua defendenda, quàm pinus. non enìm ſola facultas ad operandum vegetando, aut ſentiendo differre facit, quæ eſt cauſa efficiens, ſed etiam ratio finis, quæ ſequitur magìs formam.

Per hanc igitùr definitionem demonſtratur prima hoc modo. Quod eſt principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, eſt actus princeps corporis naturalis potentia vitam habentis tanquàm inſtrumentarij; ſed anima eſt principium &c. Ergo anima eſt actus &c. ſic prima definitio eſt concluſio; ſecunda eſt medium: ambæ ſimùl ſunt demonſtratio, & definitio completa ex cauſali, & finali. Et, quamquàm definitio ſubſtantialis rei non poſſit ex Ariſt. 2. poſt. 42. haberi quià quidditas, vt quidditas non habet cauſam; tamèn poteſt demonſtrari, quatenùs eſt paſſio, & affectio quædam, ſeù quoddam prædicatum competens ſuo ſubiecto. veluti enìm non poteſt demonſtrari, cùr eclipſis ſit priuatio luminis in Luna, nequè quarè hæc ſit definitio eclipſis, quoniàm huius rei non poteſt reddi cauſa: poteſt tamèn demonſtrari, quarè contingat priuatio luminis in Luna, namque hæc affectio habet cauſam, vtpotè interpoſitionem terræ intèr Solem, & Lunam, & per hanc cauſam poteſt demonſtrari. Ità non poteſt demonſtrari, quarè anima ſit actus prin-

princeps corporis, neque quarè ſit hæc illius definitio: at poteſt demonſtrari, quarè talis actus competat corpori animato, nempè, vt ſit principium, quo viuat &c.

De Animæ potentijs.

CAP. III.

QVm retulerit Ariſt. ſecundam animæ definitionem ordinatam ad primam, ex quibus fiat integra demonſtratio: vt promiſerat inquirendum Tex. 3. lib. primi. *Quærimus autèm contemplari, & cognoſcere naturam ipſius, & ſubſtantiam, deindè quæcumque accidunt circà ipſam: quorum quædam propria paſſiones ſunt, quædam verò proptèr ipſam corpori contingentes.* ideò, poſt oſtenſam naturam animæ, & ſubſtantiam per duas definitiones: antequàm proprias paſſiones referat, debet referre, quæ accidant circà ipſam: hoc eſt, quam vim habeat anima ad agendum, & patiendum; quæ vis dicitur facultas, ſeù potentia: de qua priùs agit genericè: mox luculentèr de ſingulis facultatibus acturus. Enumerat primò Ariſt. potentias magis conſpicuas, ad quas aliæ, atque aliæ referuntur; & ſunt vis vegetandi, ſentiendi, loco mouendi, & intelligendi. Facultas, ſeù vis vegetandi competit plantis ſeorsìm ab alijs facultatibus; &, quia ad hanc facultatem pro nutritione conuenit eligere ſibi proportionatum alimentum, & repellere improportionatum; quod fieri non poteſt ſinè ſenſu boni, & mali: ſinè concupiſcibili, nec fortaſsè ſinè ratiocinatione. ſcire oportet, nutritionem ſimplicitèr terminari ad alitionis actum, incrementum, ac decrementum, quod quià conſequuntur plantæ, dicuntur habere hanc facultatem vegetandi perfectam. ad ſenſationem autèm perficiendam, & ad intellectionem, non ſatis eſt percipere obiectum ſenſibile, & intelligibile, ſed oportet percipere obiectum, vt tale; ſic ſentire ſe ſentire, & intelligere ſe intelligere: hæc autèm non competunt plantis, quæ, licèt fortaſsè videantur habere ſenſum boni, & mali, & electionem ex concepto fine ab intelligentia non errante; tamèn neque ſentiunt ſe ſentire, neque intelligunt, ſe intelligere, propterea habent tantùm facultatem vegetandi ſeorsìm à cœteris aliis, quia hanc ſolam perfectam habent, & terminatam. Secundus gradus facultatis nempè ſentiendi competit animalibus etiàm imperfectis, vt ſtirpanimalibus: Tertius gradus loco mouendi competit animalibus perfectis, vt equo, cani &c. Quartus intelligendi competit hominibus. Stirpanimalia non ſolùm ſentiunt noxium, & proficuum; ſed etiàm ſentiunt, ſe illud ſentire, propterea contrahuntur, & dilatantur. Animalia perfecta, & loco mouentur in deſtinatum finem, & loco moueri animaduertunt: propterea diuertunt, & reuertuntur, quandò opus fuerit, & conſiſtunt. Homo demùm, & intelligit, & ſe intelligere cognoſcit, quod ad perfectam intellectionem neceſſarium creditur, nàm aliàs ex Homero inſanientes ſapiunt, & diſcurrunt, vt refert Plato in Timæo; verùm inſani dicuntur, quià ſupèr his, quæ intelligunt, & ratiocinantur, non reflectunt, nec proprios diſcurſus repetentes iudicio ſubmittunt. Idem fortaſset euenit in ſenſu, motu partium inſectorum, quæ non proptereà appetere dicuntur, neque

contrahi ob ſenſum doloris, ſed naturali inclinatione reducendi ſe ad ſuum totum; & motus incertus illis competit, nequè conſiſtunt, quo ſentire ſe, & loco moueri nobis ſigno aliquo demonſtrent. Sententia Ariſt. T.20. vbi ſenſus eſt, & dolor, & voluptas conſequitur, intelligenda eſt de ſenſu terminato ad rationem propriæ ſenſationis, non ad incertum, & indeterminatum ſenſum: vt eſſe credibile eſt in inſectis. Quæ perfectio circà ſibi propriam potentiam videtur excludi in homine T. 2. dùm ait *de intellectu autèm, & ſpeculatiua potentia nihil adhuc manifeſtum, ſed videtur hoc genus aliud animæ eſſe, & hoc ſolùm poſſe ſeparari ſicùt perpetuum à corruptibili.* quarè, ſi de eo nihil adhùc manifeſtum eſt; non poteſt homo circà proprios actus intelligendi reflectere, & proprias intellectiones animaduertere. vndè, veluti plantæ, licèt ſenſum habeant proportionati, & improportionati, quo trahunt à terra ſibi conferens alimentum, tamèn, quià non reflectunt ſupèr hac ſenſatione, non dicuntur ſentire; ità homo, licèt intelligat: ſi de intellectu, & ſpeculatiua potentia nihil habet manifeſtum, non poterit conſtituere proprium gradum intelligendi. Tamèn ſatis eſt, ſi homo animaduertat proprias ſpeculationes, & diſcurſus ad conſtituendum quartum gradum viuentium à cæteris diſtinctum. Ariſt. autèm, ait, *nihil adhùc certum eſſe de intellectu, & ſpeculatiua potentia* in actu primo, non in actu ſecundo. de anima enim, hoc eſt intellectu, & ſpeculatiua potentia iam dixerat ab initio, *vndequaque, & omninò difficillimum eſſe habere aliquam fidem de ipſa*, at iſtæ potentiæ diſtinguntur per operationes, & per obiecta, de quibus homo animaduertit, & hoc eſt ſatis ad conſtituendum quartum genus viuentium diſtinctum à cæteris; vnde ait Ariſt. T. 23. hoc autèm facit differentiam animalium, proptèr quam cauſam autèm ſic ſit, poſteriùs perſcrutandum, vbi de operationibus, & obiectis agitur: quibus mediantibus per ſuos actus potentiæ diſtinguntur, quàre videntur diſtingui per facultates in materia, non autèm per abſolutum principium eorum: in homine præſertim in quem finem addit T. 29. *& ſi quod aliud huiuſmodi eſt, eſt etiam honorabilius*, quod videlicèt intelligat ſinè ſpeculatione fantaſmatum, de cuius anima quærens ait, *animam eſſe id, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primo.* Anima in homine eſt vna, licèt ratione ſubiecti habeat plures facultates; veluti eſt vna forma ſanitatis vniuoca ad plures facultates, quæ integræ ſunt: ac diſtinguitur ratione ſubiecti facultas vitalis, naturalis, animalis: ità eſt vna anima, quà nutrimur, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus. ſcire autèm dicimus per ſcientiam, & per animam; per ſcientiam, quæ eſt habitus, & accidens ſubiectatum in anima, quæ eſt ſubſtantia; & hæc, vt actus ſubiectatur in corpore organico, quod eſt materia, & ſubiectum animæ, vt potentia actus, & ex ambobus eſt animatum. nec anima eſt corpus, ſed ipſa eſt corporis actus. Ineſt plantis nutritiuum ſolùm eo modo, quo explicatum eſt. veluti enim non datur figura vna communis ſeiuncta à ſingularibus figuris triangulo, quadrangulo &c. ſic dari non poteſt vna anima ſeiuncta ab alijs, cuius poſſit aſſignari definitio vna vniuerſalis abſque eo, quòd includantur ſpecies. proptereà dicere oportet *animam eſſe id, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus*. Veluti tamèn in figuris eſt aliqua ſubordinatio, vt alia ſit alia perfectior, ſic datur alia anima, quæ ſit magis perfecta, quàm altera ſit: veluti eſt omnium

nium

nium maximè imperfecta nutriens, ad perfectionem tendit ſentiens, magis perfecta eſt loco motrix, & omnium perfectiſſima intelligens. ac velutì vna figura continetur in altera, vt trigonus in tetrogono; ſic anima ſentiens continet vegetantem, quià ſenſus quidam vt vapor, & odor datus eſt, vt ea, quæ alere debent, anteà per illum diuiderentur. ideò ſenſitiuum ſinè vegetatiuo non eſt: quià fruſtrà eſſet, ſi in hunc finem datus eſt ſenſus: ſeparatur autem vegetatiuum in plantis à ſenſitiuo: quià planta vt viuens robuſtum, & rude tàm delicata alimenti electione opus non habet, & immediatè terra, quæ omnigenum continere dicitur ab Hipp. alitur. Item nullus ſenſus ſinè tactu eſt, tactus autèm eſt ſinè alijs ſenſibus ob eandem rationem. non enim viſu opus eſt iis, quæ in terræ cauernis nutriuntur, vt plantæ: nequè auditu ijs, quæ aquas incolunt, nequè odoratu. Quæcumque animantia prætèr tactum alium ſenſum habent: propterea, quòd hi ſenſus dati dicuntur ad electionem alimenti, & fugam occurrentium; ideò ijs omnibus etiàm loco motiua facultas conceſſa eſt, vt ad eligenda, & procuranda alimenta progrediantur, ac, ſi quid durius aut vehementius obuiam fiat, effugi poſſit, & euitari. Quæ demùm animalia electiſſima ſunt, & contemplationi deſtinata non ſolùm electione alimenti opus habent, quibus veſcantur; ſed multa etiam prænoſcere, & ratiocinando dirigere ad propriam conſeruationem, non tantùm per alimenta, quam ad euitandam vim, & crudelitatem plurium beſtiarum: ad cauendas temporum mutationes ſanitati aduerſas: ad prouocandam terræ ferilitatem; quod homini conceſſum eſt ratiocinari, vt eius prouidentia, & ratiocinio, vbi opus eſt pluuia, & aquarum renouationes euitare: montes conſeruet, ac eoſdem deſtruat, & imminuat, vbi naturæ ordo aduerſum expoſcit conſilium: vt tandèm quieta cogitatione etiàm ad Dei contemplationem, & ſummam fœlicitatem conferatur; quod, quià vltimum expetitur, vltimus gradus animæ dicitur ratiocinatio; minimus quoquè vel quià huius ſpecies vna tantùm eſt, irrationalium innumeræ, vel quià, licèt anima rationali omnes homines ſint prediti: pauci autèm ea rectè vtantur electi ad hoc diuinum opus. fruitio verò, vt notum præcipuè eſt nobis fidelibus, ſi quæ cuiquàm contingat corporis carcere detento, contemplando, minima ſit reſpectu habito ad eam, quæ ſperatur ſeiuncto, & ad æternam beatitudinem eleuato; de quo intellectu ſeparato; vtpotè immenſæ vis penè, & incompræhenſibilis; non eſſe huius loci diſſerere, ait Ariſt.; ſed ad metaphiſicum ſermonem emittendum.

De Vegetatiua Potentia.

C A P. IV.

QVærendo de animæ potentijs determinatum eſt de ſingulis, quæ nàm quæque ſit; &; quoniàm dixerat Ariſt. in principio primi libri, accidentia multum conferre ad cognoſcendam vniuſcumque rei eſſentiam, & omnes definitiones, in quibus non continget cognoſcere accidentia, eſſe inanes, ideò ait, poſtmodùm, quærendum de huius potentiæ accidentibus, & inſtrumentis, quibus vtitur ad proprias operationes obeundas. Ac primò agendum eſſe, ait,

de potentia vegetatiua, quia ea communiſſima eſt omnibus viuentibus, nullumque viuens corpus eſt, quod non alatur, ac ſibi ſimile non generet: hoc enim maximè a natura expetitur ab vnoquoque, vt ſe ipſum conſeruet; quòd ſi naturæ vires non patiantur quicquam perpetuum, quod æterno tempore conſeruari poſſit, dataque eſt cuicumque determinata duratio, id circò, quod non poteſt ſe ipſum perpetuo tempore conſeruare, vt ſaltèm, quo modo poteſt, diuino æternitatis bono fruatur, quam durationem ſinguli in materia habere non poſſunt, parant in forma, & ſpecie, eandem ſpeciem in aliam materiam transferendo, quod dicitur generare, & facere aliud, quale ipſum, animal animal, planta plantam. omnia enim appetunt ſummo bono frui, quod ſi nequeunt conſequi in eſſentia, qùm vnum tantùm ſit ſummum bonum, conſequantur ſaltèm durationem indiuidui nutritione, & ſpeciei generatione. quicquid agit enim in natura, in eum finem agit, vt ſummum bonum conſequatur: aut ſaltèm ſucceſſiuo progreſſu generationis ſempèr in perfectius procedendo, ad illud accedat, aut illi approximetur. præcipua enim cauſarum, & omnium aliarum mater, & rectrix eſt cauſa finalis, & abſolutè bonum. qui finis duplex traditur, finis cuius, ſeu quo, & ad quem dirigitur actio; & finis cui, hoc eſt cui operatio data eſt. nec ceſſat vnquàm operatio viuentis ex naturæ inſtituto, niſi iſtæ duæ rationes finis concurrant: ità vt idem ſit finis cuius, & finis cui; quod accidere, ait Ariſt. in generatione, in qua ipſa anima habet rationem cauſæ formalis, ad quam dirigitur generatio, & cui paratur, & habet rationem cauſæ finalis, & cuius, & cui parantur organa, & inſtrumenta, quibus denuò terminantur potentiæ tanquàm formæ. Probat indè animam ex his eſſe ſubſtantiam, & non accidens: quià eſt in corpore tanquàm illud perficiens, & conſtituens in eſſe animato, cauſa autèm cuiuſcumque rei, quæ dat eſſe eſt ſubſtantia: vndè obitèr patet, & confirmatur ſententia Ariſt. definientis vniuoca: *quorum nomen commune ſit, & ſubſtantiæ ratio eadem*, quæ definitio vniuoci eſt communis quantitati, qualitati, relationi, & alijs ſingulis ijs, quæ in prædicamento ſunt; itàut, ſi color, aut albedo, aut habitus, aut actio, aut paſſio concipiatur abſolutè, & abſtrahendo ab inhærentia, poſſunt dici habere modum ſubſtantiæ, & ferè, vt puto, ab Ariſt. ità appellantur; & quis quis interpretatur *entelechiam* habitum vltimum, aut perfectionem, aut motionem, abſtrahendo à quacumque inhærentia, & tanquàm dat eſſe corpori animatum: debent concipi iſtæ eſſentiæ tanquàm ſubſtantiæ. prout viſus diceretur ſubſtantia oculi, ſi oculus eſſet animal. habet etiàm rationem cauſæ efficientis anima, quià adminiſtrat actiones viuentibus, quibus aluntur: non vt Empedocles aſſerebat, per motum elementi prædominantis in plantis: quo grauia deorsùm ferrentur ad conſtruendas radices, & leuia ſursùm ad ramos, folia, & fructus; quià arboribus nutrimentum ſempèr ſursùm fertur, aut indifferentèr quò ſpiritus artifex in plantis exiſtens, quique præexiſtebat in ſemine, præcipit, & dimittit graue ſursùm, & leue deorsùm, quocumque recta ratio altricis potentiæ digerit; vndè nihil alitur, quod non animatum ſit, & viuat. quam ſententiam Empedoclis refellit Ariſt. in verbo, & in ſenſu: in verbo, quià accipiat ſursùm & deorsùm in animantibus, vt eſt in vniuerſo; quod eſt admodùm diuerſum, vt ipſe oſtendit, non ex ſitu, ſed opera-

ratione; nàm radices plantarum reſpondent ori hominum, & alimentum à radicibus in plantis aſcendit, in hominibus ore ſumptum deſcendit. ergò non ſecundùm grauitatem, & leuitatèm ſursùm, aut deorsùm mouetur alimentum; ſed ad animæ nutrientis imperium modò ſursùm, modò deorsùm. in ſenſu refellit etiam, quià quercus truncus, & rami graues ſunt, & à terra, & medio ſunt eleuati, ergò ſursùm etiam feruntur grauia. non ergo à prædominati elemento, ſed ab altrice anima. Imò addit ad reprobandam ſententiam; ſi ignis ferretur ſursùm, & terra deorsùm grauitate, & leuitate elementi, elementa eſſent actuata in mixto abſque anima nutriente, atquè, ſi eſſent actuata, quodlibet elementum ad propriam ſphæram moueretur, & ſolueretur planta diſtractis elementis, vt ex carie diſſoluitur. permanet igitùr ab aliquo prohibente elementorum diſtractionem, & hoc eſt anima altrix, quæ nouum actum tribuit elementis conſtituentibus plantam, & in obſequium huius noui actus, qui eſt anima, elementa exuunt primæuas inclnationes, & animæ directionem ſequuntur: prout alia ratio boni poſtulauerit. Redarguit quoquè Democriti, & Leucippi opinionem, qui arbitrabantur ignem cauſam eſſe nutritionis. animaduertentes enìm ignem lignis appoſitis ſemper nutriri, & increſcere, vt increſcunt animalia appoſito alimento. deducebant, quòd ignis ſolutus celerrimè operatur aſcendendo, idem lentè efficere in mixtis viuentibus, quorum vita ſit veluti flamma quædam, alimentum tanquàm oleum poſcens ad ſui nutritionem. quod etiam ſibi perſuadere poterant ex vi maxima ignis tàm ſoluti, quàm ad nutritionem modificati, ſolutus enim ignis, vt poterant tunc animaduertere in cuiuſdam generis terræmotibus, & modò experimur noſtris temporibus a puluere tormentario, illicò incenſus validiſſima diſſoluit ſaxa; & in nutritione hoc idem ſensìm facit, vt in caprifico, & ilice manifeſtum depræhenditur. vndè ignem eſſe cauſam nutritionis tradiderant: & Hippocrati fortaſſe cauſam dedere dicendi, *id, quod calidum appellamus omnia facere*: eadem calido tribuendo, quod Ariſt. animæ aſſignat. Hanc opinionem refellit, inquàm, Ariſt. concedendo calorem concurrere ad alitionem, non tamèn vt cauſam principalem, ſed vt cauſam inſtrumentalem, qua anima vtitur ad aperiendam, & claudendam viam ſpiritibus vniuerſum corpus irradiantibus, & alimenta proportionata parti alendæ deferentibus. Quam ratiocinationem etiam euertit oſtendendo ſimilitudinem, quam adducunt Leucippus &c. ab igne ſoluto, & elemento admixto: non ſequi, quià ignis ità ſolutus, quantuncunque alimenti illi tribuunt, augeretur in infinitum, ſi infinita lignorum congeries apponeretur. at anima nutriens aſſumit quidèm alimentum, ſed ad determinatam molem, quam qùm fuerit conſequuta, conſiſtit, & etiàm decreſcit. vndè Ariſt. ait *viuere autèm dicimus, quæ in ſe ipſis habent alitionem, & augmentum, & diminutionem*; quarè diminutio etiàm eſt ab anima nutriente eo modo, quo aliàs explicatum eſt. Qùm enìm ſtatuatur ab Ariſt. eadem vis generatiua, & nutritiua, vt nutriri poſſit ſpecies; quod fit per generationem: neceſsè eſt indiuidua aliqua, quæ iam aſſequuta ſunt finem, ad quem genita ſunt, & aucta, imminui, & ſeneſcere, & mori; vt corruptio vnius poſſit materiam ſuppeditare alterius generationi. ab eadem igitur anima nutritiua: ſi, vt fatetur Ariſt., eadem eſt cùm generatiua, decrementum intenditur, quod non con-

tin-

tingit in igne, qui ſemper augetur, donèc combuſtibile adſit, in infinitum.

De longitudine, & breuitate vitæ.

DVm loquimur de vegetatiua potentia, qua vita præſertim conſeruatur, aliqua de longitudine, & breuitate vitæ dicere occurrit; videlicèt vndenàm procedat aliquod viuens ex natura diutiùs viuat, aliud breuius; & plures cauſas conſiderat, quas oſtendit inductione non ſubſiſtere. Rationabile enìm videri poterat, quædam viuentia diutiùs viuere proptèr facultatum præſtantiam: ſed hoc non ſubſiſtere oſtendit, quià homo præſtantiſſima præditus eſt facultate, nempè rationali; & tamèn cupreſſus, & palma diutiùs viuat quàm homo, licèt ſolam habeant facultatem vegetantem. Poterat etiam exiſtimari diuturnitatem vitæ procedere proptèr facultatum ſimplicitatem, proptèr quam palma, & cupreſſus diutius viuat; qùm enìm animalia pluribus prædita ſint facultatibus, & ad deſtruendum ſufficit vnum, proptèr multiplicitatem poterant credi magìs deſtructioni obnoxia, quò enim latior ſcopus eſt, eò facilius peti, & vulnerari contingit. verùm ne hanc quidèm rationem ſubſiſtere manifeſtat: quià nonnullæ plantæ, licèt ſola facultate vegetandi ſint præditæ, tamèn annuæ ſunt, vt cucurbita, & herbarum quodcumque genus. Vndè vlteriùs ſpeculando quærit, an id procedere poſſit ex mole. ità vt diuturniora credenda ſint animantia, quæ molis ſint maioris, vt in aquatilibus creditur cetaceorum genus; ſed ne hanc quidèm abſolute cauſam eſſe, proptereà, quod homo, licèt minoris ſit molis, quàm bos, & æquus, tamèn diutiùs viuit: nequè aduerſò id accidit ex minori mole, proptèr quam minùs à circumobſiſtentibus animal paſſionum capax reddatur, quià plurima ex inſectis mole minima breuiſſimæ ſunt vitæ. Scruptatur an vitæ breuitas, & longitudo procedat à loco, vbi viuentia ſunt, naſcuntur, & nutriuntur, ità vt quæ terræ adhærent, & ea nutriuntur, quæ dura eſt, & perſiſtens, diutiùs viuant, quod non conſtare, ait, quià plantæ pluriмæ annuæ ſunt, vt ſuprà relatum eſt. Quærit an quæ in aqua viuunt, & nutriuntur, vt quæ plurima abundant humiditate, & maxime promptum habent alimentum, nec a ventorum, & Solis viciſſitudine vexantur; ſed nè hæc animalia firmam rationem habere oſtendit; quià, licèt cætaceorum genus maximè diuturnum credi poſſit: ſunt tamèn extranea ibidèm, & mollia vitæ breuiſſimæ. Similitèr ratiocinari poſſumus de his animalibus, quæ aerem incolunt, an quià ſupremum hauriunt ſpiritum, & ſublimem, longioris ſint vitæ; ſed corruit ratiocinatio, quià paſſer bimus moritur. Imò nequè etiàm alia coniectura poſſumus determinare dicendo E. g. quæ ſanguine prædita ſunt, qui vitæ fons dicitur, & ſedes, diutiùs viuant; quàm quæ ſanguinem non habent; & contrà hoc etiam animaduertit apes, quæ ſanguine carent, quibuſdam ſanguine præditis animalibus diutiùs viuere. imò nequè etiàm ex morbo deteri hoc principium viuendi oſtendit: quià valetudinarij quandoquè diutiùs viuunt, quàm qui benè valent, proptereà quòd proptèr malam valetudinem calor innatus diſtrahitur a propriis operationibus, nec adeò prom-

promptè, ac facilè humidum radicale depaſcitur, nec ea exequitur proptèr quæ animali datus eſt, ideoquè, dùm retardatur eius officij exercitium, prorogatur etiam tempus ad illud exequendum. propterea tempus quo valetudinarius viuet, non computatur in ſortem ſtatuti temporis ad viuendum. ſic morbus, niſi occiderit, vitam prorogat. Et ab his ambiguitatibus compunctus Ariſt. nullam aliam rationem longitudinis vitæ recognoſcit, quàm humidi copiam, quo calor nutritur; quod tamèn humidum ſit plurimo calore coniunctum: tamèn proportionali, nàm plurima humiditas pabulum præbet abundè, neque ſinit exiccari viuens plurimus calor humiditati reſpondens efficit ne humiditas facilè ſiſtatur, & congeletur. exiccatio enìm ſenectutem maturat, congelatio mortem, ac prohibitionem augmenti defert; quod nè præſtet, humiditas debet eſſe calori ex natura vnita, vt in oleo eſt; & theda, qua cedrus maximè perennis arbor plurimum abundat. Verùm ne id quoquè ex toto reſpondet quippè iuniperus maximè thedaceus eſt, ſed non perennis; robur theda caret, & perenne admodùm. Quaproptèr: ſi quid vltrò quærendum eſt de cauſis longitudinis, & breuitatis vitæ, ea Dei optimi maximi decreto reducenda eſt, quo rebus ſingulis determinantem decreuit entitatem, ità quoquè viuentibus ſtatuiſſe; nempè ſubſtantiam, & quod quid erat eſſe, quo terminaretur actio generantis; quantitatem, ad quam quodque viuens directum eſt tàm genericè, quàm ſingularitèr, ad quam mouetur determinatè, & in quo quieſcit: per quam arbor maior arbore eſt, arbuſtum maius planta, & intèr plantas quercus maior olea; & in ſpecie quercus altera eſt altera maior etiam ex natura, prætèr id, quod præſtat ratio cœli, regionis, & pabuli. vt idem ſtatuendum, & obſeruari poteſt in quolibet genere arborum, arbuſtorum, & plantarum. in quolibet genere animalium. imò etiàm intèr homines ſunt alij alijs maiores ſingularitèr attenta natura; pratèr id quo præſtant ſeptentrionales auſtralibus; qui planiciem incolunt montanis; ocioſi laborantibus; opiparè viuentes, egenis. cuilibet etiàm propria firma eſt relatio, & manifeſtiùs viuentium partibus, vt caput ſit per hanc relationem capitati caput, & nullam aliam habeat entitatem, quàm quod capitati eſt; quo capitato dempto, caput non eſt ampliùs caput, niſi vt lapideum, & depictum. Viuentibus etiam data eſt ſingularis qualitas per quam operetur, & temperamentum: quod, quia formam conſequitur, forma dicitur à Galeno. Data eſt actio, ad quam ſingulare ens, & viuens directum eſt; data eſt paſſio, per quam in ordine vniuerſi conſtituitur in quolibet ente; & in viuentibus duratio, & hæc potiſſima cauſa eſt longitudinis, & breuitatis vitæ, & per hanc homo longæuior eſt equo, & intèr homines Socrates ex natura longæuior eſt Platone: quia dati ſunt termini cuicumque enti, qui prorogari non poſſunt. & ſi ab arte medica cuiquam vita prorogetur, de cælo orta eſt medicina, & in inuariabili continuatione ordinis ſempiterni, decretum eſt Aſclepiadi, & Eſculapio id potuiſſe præſtare.

De

De iuuentute, & ſenectute.

QVm dictum ſit de longitudine, ac breuitate vitæ: conſequentèr ſequitur dicendum de iuuentute, & ſenectute, quæ iuxtà conſtitutionem termini vitæ aut tardiùs, aut velociùs acceſſit. Iuuentus ex Ariſt. de iuuentute & ſenectute cap. 14. eſt primæ refrigeratiuæ particulæ augmentatio. Senectus eſt eiuſdem decrementum. Conſiſtentia eſt media permanſio inter huius augmentationem, & decrementum; quæ media conſtitutio in puncto exiſtens, vt aliquam latitudinem habeat, debet intelligi non abſolutè, ſed ſecundùm ſenſum, quandò videlicèt animal non apparet ad ſenſum augeri, nequè decreſcere. Vt accipiatur igitur quid ſit iuuentus, & ſenectus, neceſſarium eſt præaccipere, quænam ſit hæc refrigeratiua particula, cuius augmentum dicitur iuuentus; decrementum ſenectus. Pro qua diſtinguenda reſpondendum ex Hipp. lib. de canibus *id, quod calidum appellamus omnia agere, & intelligere*; vt confirmat Ariſt. 2. de an. T. 130., & hoc lib. Cap. 10. vndè ex eodem Ariſt. hoc libro de Iuuentute, & ſenectute cap. 2. omnes particulæ, & totum corpus animalium habet quandam caliditatem naturalem: cuius caliditatis principium non ſtatuit, vndè vita exiſtit huius calidi conſeruatio. replicat autèm cap. 3. hunc ignem quandoque marceſcere, qùm amplior aggregatur calor, proptereà quòd non reſpirat, nequè infrigidatur. citò enim ſic conſumit alimentum qùm multus congregatur calor, & præuenit conſumere, antequ. m adſit exhalatio: quemadmodum parua flamma extinguitur in magna, à qua abſumitur. Si igitùr, inquit, debet conſeruari hoc calidum, quod dicitur vita, oportet fieri eius, quod in principio, calidi quandam refrigerationem. cuius effectum oſtendit exemplo loci, vbi extinguuntur carbones, qui locus ſi ſit abſolutè apertus, incenduntur omnes carbones, & paucis diebus abſumuntur; ſi verò ſenſim detur aliqua exhalatio tota maſſa ſemiextincta permanet, & non abſumitur, & ea parte, qua exhalat, carbones accenſi permanent; ſic per viciſſitudines aperiendi, & obturandi ſuſtinetur ignis perpetuus, aut diuturnus: veluti ſub cinere diutiùs permanet, & conſeruatur ignis, quià cinis nec adeò denſus eſt, quo ignis ſuffocetur, nec adeò rarus, quo prorsùs exalet. hanc refrigerationem, ait, cap. 3. facit alimentum, veluti homo, qùm cibum ſumpſerit, primùm refrigeratur, ieiunus autèm incaleſcit, cuius ſpiritus inſpiratione refrigeratur; fieri autèm inſpirationem, & expirationem, ait, cap. 9. proptereà, quòd venæ quædam ſunt, in quibus eſt quidèm ſanguis, & habent meatus ad externum aerem, a quo contrario fit refrigeratio. Hæ igitur venæ, & illis adnata inſtrumenta ſunt particulæ illæ refrigeratiuæ, quæ augeri neceſsè eſt, quià ex cap. 11. modicum habentia calorem modico opus habent auxilio, dùm augetur calor; quod fieri neceſſe eſt, vt diutiùs permaneat, neceſsè eſt augeri inſtrumenta, & particulas, vndè hoc auxilium excipitur, vt pro augendo ſpiritu vitali pulmones augeri neceſsè eſt: pro ſpiritu animali cerebrum: per quas particulas calor in pulmone per aerem, in capite per cerebrum refrigeratur; vt homo animalium omnium maximè honorabile, vt eius calor diutiùs permaneat, & cerebrum habet pro ratione molis maximum. harum itaque particularum, per quas calor refrigerium recipit, & conſeruationem,

aug-

augmentum eſt Iuuentus. Particulæ autèm in indiuiduo habentur non ſolùm ad conſeruationem indiuidui, ſed etiam ad conſeruationem ſpeciei, & ideò augmentum eſt, ſeù iuuentus donèc homo poſſit ſibi ſimile generare, & genitum perfectè cuſtodire, & illi neceſſaria parare alimenta; quod ferè eſt vſque ad annum 30. ad quam ætatem ferè extenditur iuuentus. Senectus verò eſt, quandò huiuſmodi particulæ decreſcunt, & quoniam Ariſt. Cap. 14. de iuuentute, & ſenectute &c. ait mortem ſecundùm naturam eſſe eiuſdem caloris agentis marcorem proptèr temporis longitudinem factum, & perfectionem. conſiderandum quid intelligat per perfectionem; pro quare ſcire oportet, omnem potentiam, quæ ratione finis alicuius eſt, per conſequutionem finis illius amitti, veluti omne tendens ad terminum in te mino quieſcit. qùm igitùr augmentum ſit proptèr indiuidui, & ſpeciei conſeruationem; quandò indiuiduum habet iam apta inſtrumenta ad parandum, & conficiendum ſibi alimentum idoneum pro propria conſeruatione; & ſubinde etiàm pro ſpeciei conſeruatione; pro natorum ſuſtentatione, donèc nati adulti fuerint: amittit omnem potentiam ad augmentum, & conſiſtit; &, quandò natos educauerit, aut vixerit tanto tempore, quo potuerit natos edere, & alere: proptèr conſequutionem finis, ad quem à natura fuerit conſtitutus, amittit potentiam etiàm ad conſeruationem ſui ipſius; &, ſenſim particulis decreſcentibus, ſeneſcit. quoniàm igitùr huiuſmodi potentiæ omiſſio eſt, & ſequitur proptèr conſequutionem finis, qui eſt cuiuſcunque rei perfectio: ideò protulit Ariſt. mortem naturalem eſſe caloris agentis marcorem, proptèr temporis longitudinem, & perfectionem. intelligendo temporis longitudinem eam formam, quam durationem dialectici vocant; quæ forma eſt cuicunque enti data, per quam, licèt homo ſibi ſimile non generauerit, vt plerique cælibes: tamèm mortem naturalem ſortiri poteſt, per hanc durationem. maturatur tamèn per conſequutionem finis, & perfectionem, per quam, qui magìs ſalaces ſunt, & ſibi ſimilis generationem, aut conſequuti ſunt, aut apta ad conſequutionem peregere, mortem naturalem conſequantur neceſsè eſt.

De ſanitate, & morbo.

QVi ad mortem ſiuè à natura datam, & per conſequutionem finis propoſiti à Deo; aut ſaltèm perfecta duratione tendunt, ſanitate perfrui dicuntur. Quibus verò aut interdicitur, aut differtur ſeries iſta, & ordo vitæ; morbo id fieri cenſetur. ideò qùm medicus de ſanitate, & morbo ſciens eſſe debeat, neceſsè etiam eſt naturalis philoſophiæ arcana penetret; quarum conſideratio cum verè, & propriè non ſit nequè ſalubrium, nequè inſalubrium: ab Erophilo dicebatur neutrorum, qua de re aliàs luculentior recurret ſermo.

De Alimento.

CAP. V.

LOquuturus de alimento Ariſt. primo loco mouet dubitationem, an alimentum fiat, & procedat à contrario; & rationem dubitandi elicit, quià eſt eadem potentia animæ generatiua, & nutritiua; ſed omnis generatio eſt à contrario ad contrarium; ergò erit etiam à contrario nutritio. Verùm huiuſmodi contrarietas non attenditur, inquit, in alimento vndequaquè: quià in nutritione conſiderari debet mutatio ſubſtantialis alimenti, & mutatio accidentalis quantitatis, dùm alitum augetur: vtrumque enim aduenit, vndè tranſmutatio ſubſtantialis alimenti in alitum, nón eſt a contrario, ſed à ſimili: quià quantitas non habet contrarium, & auctio, ſeù refectio, quæ in idem cadunt, non eſt paſſio, ſed potiùs actio tam alentis, quàm aliti: namquè, ait, Hipp. alter trahit, alter protrudit: idem vnumquodque facit. paſſio quidèm contingit alimento, dùm tranſmutatur, & concoquitur: non tamèn agit alimentum in alitum, velutì non agit materia in fabrum, a quo ducitur, & tranſmutatur. alimentum igitùr, víquequò fiat ſimile alito, patitur à facultate, vt aſsimiletur: poſtquàm verò aſſimilatum fuit, quod concoqui dicitur, non ampliùs patitur; ſed ex naturæ ordine per relationem, quam habent ſimilitudinis alimentum, & alitum, inuicèm coniunguntur; & vtriuſque actione ſequitur nutritio; qua ratione, qui dicunt alimentum debere eſſe contrarium, non ſunt à veritate alieni, nequè paritèr, qui aſſerunt debere eſſe ſimile, dùm tempora diſtinguantur: initio enim contrariantur, in finem aſſimilantur, nàm concoctio, per quam aſſimilantur, eſt perfectio, vt aliàs relatum eſt. Nihil itaque verè alitur niſì viuens; quarè, vt alimentum ſit ſimile alito, neceſſe eſt tranſmutetur in viuens. proptereà ſanguis intrà venas contentus, aut etiàm intrà arterias non benè dicitur viuere, quanquàm ſpiritu plurimo foueatur; namquè non adhuc alimentum eſt, ſed pro alimento: poſtquàm autèm fuerit tranſlatum in alimentum, tunc viuit; &, vt conſeruetur, non ampliùs opus habet motu aſſiduo, & perenni: velutì opus habet, dùm intrà venas eſt, vbi aſſiduo motu à putredine defenditur potiùs, quàm ſpiritu in eum fuſo. Suprà autèm explicauimus differentiam, quæ ſit intèr nutritionem, & generationem; quòd videlicèt nutritio ſit conſeruatio indiuidui: generatio verò conſeruatio ſpeciei: augmentum verò eſt ad perfectionem vtriusque, ſi quid perfectibile eſt, puer verò augetur ſecundùm omnem partem, donèc perfectionem ſibi debitam conſequatur, quam attigiſſe dicitur, quandò poteſt ſibi ſimile generare, & ſpeciem conſeruare, Tria igitùr conſiderat Ariſt. in nutritione, alens, alitum, & alimentum; alens inquit eſt anima, & potentia nutritiua: alitum eſt corpus animatum: alimentum eſt quid ſimile corpori animato; vel potentia, dùm adhùc crudum eſt, vel actu, qùm iam fuerit concoctum, &, quoniàm omnia denominationem, & determinationem propriæ eſſentiæ debent recipere à fine: finis autèm debet concurrere cuius, & cui; & omnia hoc naturale habent deſiderium conſeruandi ſemetipſa; ideò nutritio erit potentia nutritiua, qua viuens ſeipſum conſeruat, & con-

ſeruatio ſui ſpeciei per potentiam, quæ eſt formæ; forma autèm, & ſpecies idem ex Ariſt. ideò conſeruatio ſpeciei, quæ dicitur generatio, coincidit cum nutritione, quæ varium dicitur habere opificem, quià uaria eſt actionis acceptio; ueluti enìm temo regit nauem, ſed ex eo regit, quià manu gubernatoris dimouetur; ſic nutritio perficitur ab anima tanquàm à gubernatore; quæ anima quià vtitur calore tanquàm instrumento, & alimento, ideò plurimi cùm Hipp. aſſerunt, calorem nutrire, & alii alimentum, ſicuti multi dicunt nauem temone gubernari; ac, veluti temo mouetur à manu, & mouet nauim immediatè, ità alimentum immediatè alit abſque eo, quòd quicquam moueat: de quibus omnibus ſe exactiùs pollicetur loquuturum: nempè in libro de hiſtoria animalium, de partibus, & de generatione &c.

De potentia animæ ſenſitiuæ in communi.

CAP. VI.

ABſoluto ſermone de potentia animæ vegetatiuæ, progreditur Ariſt. ad potentiam animæ ſenſitiuæ. agit primò communitèr, mox agit de obiectis cuiuſcumque ſenſus, ac poſtmodùm de ſenſibus ſingulis; primò itàquè communem affectionem ſenſus oſtendit eſſe, pati: ac in hoc differre potentiam animæ ſenſitiuæ à potentia animæ vegetatiuæ, quo potentia animæ vegetatiuæ agit in obiectum, quod diſponit ad nutritionem; potentia verò animæ ſenſitiuæ cuiuſcunque patitur ab obiecto. ſenſatio enim eſt alteratio quædam contingens corpori viuenti, qua mouetur, & patitur ex Ariſt. de ſenſ. cap. 5. ſenſatio eſt motio animæ corporis interuentu proueniens. vt ſupra T.37. lib.2. de anima dictum eſt, & in libris de ortu, & interitu explicatum eſt, quomodò ſenſus patiatur à ſimili, & a diſſimili. Hic tamèn mouet Ariſt. dubitationem arduam admodùm duplici petitione: prima eſt, quarè ſenſuum ipſorum non ſit ſenſus; ſecunda eſt, quarè ſinè concurſu extrinſeci obiecti non fiat ſenſatio. quæ videtur poſſe fieri, quoniàm inſtrumenta, quæ concurrunt ad ſenſationem, continent terram, & ignem, & alia elementa, quæ in mixto ſecundùm prædominans poſſunt obiectum tactui repreſentare caloris, frigoris, ſiccitatis, duritiei; hoc autèm non ſequitur, primum, quia nemo in vmbra degens animaduertere poteſt, an potentiam videndi habeat, an non. vt narratur de vetula, quæ, ſe cæcam non animaduertens, aiebat domum tenebroſam eſſe; ſecundùm quià ignis calor in mixto, nec durities terræ, aut aquæ frigiditas percipitur; imò, ſi id, quod extrà eſt poneretur ſuprà ſenſum, non faceret ſenſationem; vt Ariſt. profert: ideò, ignis calorem, & terræ ſiccitatem non percipi in organo; non poteſt aſſignari ob caloris, & duritiei refractionem ab aquæ frigiditate, & mollitie. Ex quibus obiectionibus infert manifeſtari, ſenſitiuum non eſſe actu, ſed potentia tantùm. namquè pro certo habet Ariſt., & manifeſto: ſi ſenſitiuum eſſet actu, ſe ipſum ſentiret, & interna obiecta, & quodlicet externum ſenſibile poſitum ſuprà ſenſum faceret ſenſationem: ideò autèm ſenſum ſe non ſentire credit, non quià ab aſſuetis non fiat paſſio, ſed quià non eſt in actu; ve-

lutì combuſtibile non comburitur, quià non eſt actu combuſtibile, ſed potentia tantùm. vndè, vt fiat actu combuſtibile, opus habet, aut igne admoto, a quo ad actum reducatur, aut aliquo humore, aut perflatu, quo ignis in mixto exiſtens excitetur, & a mixto ſoluto habeat rationem admoti, & extranei. experimur enim aliquandò ligna, & fœnum per ſe incendi abſque igne admoto, & aliqua igne admoto illicò incenduntur: vt puluis tormentarius, alia non niſi poſt longum tempus, vt lignum viride. ideò animaduertit potentiam ſempèr habere admixtum aliquem actum, vndè idem dicimus pati, moueri, & agere. namquè motus eſt actus entis in potentia; ſic eſt actus ſed imperfectus, quapropter habet admixtam aliquam potentiam, per quam, & per actum poteſt denominari. prout intellectus in ratione actus, aut in ratione potentiæ apprehenderit; ſic dicitur homo videns, qui viſum integrum habet, licet dormiat; quia, quanquàm actu non videat, tamèn talem & adeò in promptu habet potentiam, vt ſtatim ac expergiſcitur, & oculos aperit, videat. tamèn vt propriè, & verè dicatur videns opus habet, vltro moueri, & pati ab obiecto, quià omnia, quæ patiuntur, & mouentur, mouentur, & patiuntur ab actu exiſtente, & ab actiuo, & hoc diſſimili: quod tamèn patiens aliquid, & paſſione tranſmutatum ſimile redditur, vt dictum eſt de alimento. obiectum enim ſenſibile eſt velutì alimentum ſenſus.

oculos pictura paſcit inani:

per quam paſſionem, ſeu tranſmutationem aſſignatur potẽtia remota, minùs remota, & proxima. velutì homo dicitur ſciẽs, quià eſt animal rationale, & diſciplinarum capax, quod habet a generante, vt ſcire poſſit, & hæc dicitur potentia remota, actum tamèn aliquem habet ad hoc à generante; aliàs dicitur ſciens, dùm iam aliquam diſciplinam appræhenderit: per quam eſt aliquam tranſmutationem paſſus, & alteratus, & hæc dicitur potentia minus remota, & actui magìs vicina. Demùm dicitur ſciens, qùm iam ſpeculatur, in qua etiam ſpeculatione eſt quidèm actus, ſed cùm aliqua potentia, niſì ratione formæ, ſaltem ratione durationis. ità ſe habet ſenſus ad ſentire, vt intellectus ad intelligere. ille enìm dicitur propriè actu ſentire, qui obiectum recipit, non autèm qui aptus eſt recipere. quarè in ipſa ſenſatione dicitur ſenſus pati. quod pati non eſt ſimplex, nequè ſempèr cùm detrimento ſequitur patiens, vt euenit in ſenſatione, in qua obiectum recipitur ſenſibile in ſenſu, qui ex natura aliquid patitur, vt anima excitetur, quæ excitata ab obiecto agit in illud, quod vitale efficiens conſtituit ſenſationem; ſic pati alimentum à potentia vegetatiua, & pati obiectum ſenſibile ab anima ſenſitiua, eſt perfici, non autèm deteri à contrario; ſed ex potentia ſenſibili fieri actu ſenſibile, quod propriè non eſt pati: ſicutì non dicitur ſpeculantem pati aliquid, aut ædificantem; quià vtrunque tendit ad rei perfectionem. qua proptèr aut hoc non eſt pati, aut duobus modis res dicuntur alterari, vno modo, dùm deteruntur, & mouentur ad priuatiuas diſpoſitiones, altero dùm mouentur ad habitum, & formam, quæ dicitur præcipua natura: quæ omnes alterationes inducuntur à natura, ſed in varium finem, qui finis numquàm abſolutè malus eſt, ſed reſpectiuè: agit enìm natura velutì typographus, qui elementa litterarum ſempèr mouet: ſed interdùm ad conſtruendam, & edendam orationem componens, interdùm diſſoluendo orationem; & in loculos reponit, vt iterùm apta ſint ad opus conſtruendum; ſic paſſio quan-

quandoquè eſt mutatio ad priuatiuas diſpoſitiones, vt quandò typographus elementa in loculos reponit: aliquando ad habitum, & naturam, vt quandò iterùm typographus ex loculis elementa ad orationem conſtruendam reducit; ex quibus concludit, hoc pati in ſenſatione eſſe ex his alterationibus, quibus mutatio fit ad habitum, & naturam, quod eſt perfici; & exemplo inſiſtens ſuperius tradito homo dicitur ſentiens primùm à generante, a quo recipit potentiam ſentiendi, ſic nihil paſſus, ſed perfectionem recipiens dicitur huic paſſioni ſubiectus: ſic dicitur indè ſentiens, quandò obiectum recipit in ſenſorio: quod certè pati quoddam eſt, ſed quoddam pati perfectiuum, quià ſpecies recepta in organo ab anima perficitur, & fit ſenſatio; eodem enim modo ait Ariſt. ſe habet ſenſus ad ſentire, quo intellectus ad intellectionem; ſic exemplum, quo homo dicitur ſciens poſitum ab Ariſt. poteſt aptari ei, quo dicitur ſentiens. qùm nulla alia intercidat differentia intèr ſentire, & intelligere, nisì quod ſenſationis obiectum extrà eſt: obiectum verò intellectionis intrà. nota enim ſecundùm ſenſum ſunt ſingularia, quæ extrà ſunt, nota ſecundùm rationem ſunt vniuerſalia, quæ intrò concipiuntur: vndè ſpecies intelligibiles poſſumus, quandocumque aciem mentis intendimus, ſpeculari, at ſpecies ſenſibiles non poſſumus: neceſsè eſt enim iterùm extrinſecum obiectum ſenſui proponere, vt fiat ſenſatio, quià ſpecies non remanent in ſenſu, veluti remanent ſpecies intelligibiles in phantaſia, quandò ſemèl elicitæ fuerint, & memoriæ commiſſæ. qua de re in his libris de anima magis oportuna recurret tractatio. nunc autèm in tantùm ſe hanc comparationem obtuliſſe fatetur Ariſt. intèr intellectionem, & ſenſationem, vt manifeſtet eam paſſionis rationem, quam conſideramus in ſenſatione, eſſe quoddam paſſionis genus diuerſum ab aliis paſſionibus: vt intelligamus ſicut datur duplex potentia, nempè proxima, & remota, quarum non ſunt diſtincta nomina, licèt ſint rationes diuerſæ; ſic dari duplicem rationem paſſionis: alteram, qua res tendit ad priuationem, alteram, qua tendit ad perfectionem: quas rationes paſſionis intèr ſe diſtinctas eodem nomine paſſionis compræhendere neceſsè eſt, & ſignificare. ſic ſenſatio occurrit duplici paſſionis ratione. Nec mirum; ſi introducuntur quæſtiones. an ſenſus ſit potentia paſſiua, vel actiua; quo enim obiectum diſſimile eſt, paſſiones inducit; quo ſimile iam conſtitutum, actionem perficientem ſapit; quod autèm reducit ſenſitiuum ex potentia in actum, eſt, quod animal tribuit ſiuè ſit generans, ſiuè creans; namquè, etiam ſi anima ſenſitiua in homine educatur de potentia materiæ, & ſic per generationem: tamèn à potentia materiæ educitur materiale iſtius potentiæ, non autèm formale; hoc enim in homine eſt ab anima intellectiua, qua omnes potentiæ diriguntur, ac formantur: veluti a lumine eodem Solis omnes colores actuantur; &, qui tribuit formam, tribuit omnia conſequentia formam. Ariſt. autèm ait à generante, intelligendo ab eo, quo res conſtituitur in eſſe: ſiuè ſit per generationem ex ſuppoſita materia: ſiuè per creationem præſuppoſita omnipotentia, quæ etiam entitatem materiæ continet, & à qua actus excitatiuus ipſius materiæ educitur per creationem. Ariſt. autèm, quià peripateticè procedit ex omnium conſenſu, & ſenſu duce, omnem conſtitutionem rei ex non eſſe ad eſſe appellat generationem, & ad eam non poſſe ex nihilo procedere in natura oſtendit. tamèn ſatis apertè T. 61. hanc differentiam pa-

patefacit, dicendo, non eſſe ſimplicem rationem potentiæ: vt, qùm dicimus poſſe militare puerum, & poſſe in ætate exiſtentem, & vnam rationem ex his eſſe innominatam explicat T. 62. ſic, dùm ipſa materia, quæ eſt pura potentia in naturalibus, & non eſt quid, nec quale, nec quantum, eſt adhuc in Dei omnipotentia, eſt vna ratio potentiæ innominata, & altera eſt in materia iam creata, cuius eductio, & conſtitutio ex non eſſe ad eſſe apud Ariſt. erat quid tunc innominatum, apùd nos dicitur creatio. ex quà omnipotentia creatur quoquè anima humana, & omnia, quæ illam conſequuntur mediantibus obiectis ſiuè ſenbili, ſiuè intelligibili: intèr, quæ obiecta intelligibile, & ſenſibile hæc differentia ponitur ab Ariſt. nàm intelligibile remanet in materia, & poteſt repeti per ſpeculationem abſque præſentia obiecti ſingularis. vndè illud obiectum vniuerſale elicitur, ſenſibile verò non remanet, nec reuertitur, niſì ipſum ſenſibile rursùs præſens fiat, & moueat denuò ſenſum; ex quibus Ariſt. verbis elici poteſt: per potentiam ſenſitiuam nos non ſentire ſenſibilia in ſe ipſa, nec ſpecies fuſas in medio, ſed impreſſas ſpecies in ſenſorio. vt, pro exemplo ad viſionem neceſſaria eſt ſpecies viſibilis; ſed non quæ in medio eſt, ſed quæ in oculo, quod ità educitur ex Ariſtotelis ſermone. ſi ſenſatio fieri non poteſt ſinè repræſentatione obiecti, ſequitur obiectum eſſe in ſenſorio, nempè in oculo ad viſionem efficiendam. nàm, quandò obiectum eſt vehemens, vt Sol eſt, etiam ſi Sol ipſe non repreſentatur potentiæ viſiuæ, tamèn Sol videtur non ſpecie tàm intenſa, ſed eiuſdem coloris molis, & figuræ. ſi igitùr obiectum debet eſſe præſens ad ſenſationem iterùm excitandam, neceſſe eſt dicere ſpeciem eſſe impreſſam in oculo, in quo Sol videtur etiam, eo non præſente. ſic in tactu ignis comburentis ſpecies etiàm non præſente adhùc igne per ſpeciem in ſenſorio impreſſam: quæ dicitur rei ſimilitudo, quæ non ſequitur ſempèr obiectum, ſed remanet aliquandò in ſenſorio, quandò impreſſio à valido ſequitur obiecto. Ex quibus patet, ſenſationem non eſſe ſolam receptionem ſpeciei in organo; & ſic non eſſe ſimpliciter paſſionem; ſed, prout verba ſonant videre, audire actionem: ſic potentia ſenſitiua partìm actiua eſt, partim paſſiua; paſſiua quatenùs in organo recipit ſpeciem ſenſibilem, per quam ex Ariſt. de ſomno Cap. 5. ſenſatio eſt motio animæ corporis interuentu proueniens; actiua quatenùs pendet ab anima: vt ex Ariſt. p. de an. T. 63. & 64., & per vitalem operationem; quæ tamèn operatio non ſequeretur, niſi à ſpecie impreſſa potentia excitaretur, & moueretur. ſit ergò ſenſatio per concurſum vtriuſque actionis, & paſſionis, tanquàm ex materia, & forma; nec obſtat, per eandem potentiam non poſſe perfici actionem, & paſſionem, quoniàm hoc falſum eſt in ſe inuicèm conſequentibus: nàm ipſa paſſio eſt forma, quæ fit per actionem, vt aliæ omnes formæ. præſertìm accipiendo perfectionem pati perfectiuum, vt ſuprà explicatum eſt.

De

De ſenſibili.

CAP. VII.

T 63. Procedendum, ſuprà dixit Ariſt. ab obiectis ad potentias, ideò loquuturus de potentijs ſingularibus animæ ſenſitiuæ, priùs agit de obiectis; nullum eſt enim obiectum comune ſenſus, de quo agere deberet antequàm de ſenſu in communi ageret; non vt diſcere; ſed vt ſpeculari eſt ſentire, ait Ariſt. de ſenſu, & ſenſibili cap. 4. Diuidit igitùr primo loco obiectum ſenſus, quod dicitur ſenſibile, in ſenſibile per ſe, & ſenſibile per accidens: ſenſibile per ſe eſt, quod immediatè vt tale agit in ſenſum: ſenſibile verò per accidens eſt, quod fit ſenſibile, non vt tale, ſed ex accidenti. veluti dùm quis videre, ait, Diaris filium non enim cum videt quatenùs Diaris filius eſt; ſed quatenùs coloratus. color enim eſt proprium obiectum viſus, non ſubſtantia. Senſibile per ſe adhuc diuiditur ab Ariſt. in proprium & commune. Senſibile proprium, quod ſolùm dicitur propriè ſenſibile per ſe, eſt, quod determinatam habet potentiam in organo ſingulari. vt color eſt ſenſibile proprium viſus: quià non poteſt ab alio ſenſu percipi, vt color eſt. odor dicitur ſenſibile proprium organi odoratus; ſapor dicitur ſenſibile proprium guſtus; quià, licèt cognatæ admodum potentiæ ſunt guſtus, & odoratus: tamèn nequè odor guſtu, nequè ſapor odoratu propriè & directè percipitur. ſonus eſt proprium ſenſibile aurium. Tactus autèm, inquit, plures habent differentias, quià non ſolùm calidum, & frigidum; & durum, & molle; aſperum, & læue ſunt propria ſenſibilia pertinentia ad tactum; ſed videtur etiam quædam innominata qualitas propria tactus, vt in quibuſdam experimur, quandò per tactum fit triſtis, aut iucunda ſenſatio, non qua calidum, & frigidum aut durum, aut molle corpus eſt, ſed quà præditum quadam innominata qualitate, qua tactus ſenſus mouetur. plures etiàm habet differentias: quià plures ſenſationes tactu videntur perfici; vt ſapor, odor manifeſtè; ſonus quoquè videtur fieri tactu aeris moti à colliſis corporibus agentis in timpanum; & viſus per tactum, aut ſimile quid tactui per ſpeciem viſibilem ad oculum peruenientem. ſic tactus plures habet differentias: nec ſolùm ex eo, quòd habet determinatum organum, cognoſcitur ſenſibile proprium; ſed etiàm, quià ſenſus circà proprium ſenſibile non decipitur, namquè, quià ſonus eſt proprium ſenſibile auditus, ideò auris non poteſt admittere aliud ſenſibile, niſi ſonum, & in eo percipiendo, ſenſus non decipitur. hoc eſt auris non poteſt decipi in hoc, an ſit ſonus, vel aliud quid id, quod ſentit. quià auris vt organus auditus, non poteſt percipere niſi ſonum; quarè quandocumquè ſentit, quicquid ſentit, benè iudicat, eſſe ſonum: quòd ſi auris ſentiat calidum, aut frigidum, aut doleat proptèr vehementem ſonum; non dolet, aut calidum, aut frigidum ſentit, quà organum auditus eſt, ſed qua alia ratione eſt organum tactus; ſic oculus, quà eſt organum viſus, non decipitur. quià quicquid, qua tale percipit, color eſt, & ſub ratione coloris agnoſcitur quòd ſi decipiatur in hoc, quod oculus non cognoſcat, quid ſit illud coloratum, quod videt, aut vbi ſit; & auris non nouerit, quid ſit quod ſonum edit, aut vbi ſit: hoc non eſt de-

decipi circà proprium ſenſibile, quià color eſt proprium ſenſibile viſus: non autèm coloratum, aut locus, niſi, vt diximus, ex accidenti. quare ſi oculus per viride criſtallum viride indicat obiectum, non decipitur circa proprium ſenſibile, quod eſt color, nam color illi obiectus viridis eſt: ſed decipitur, quià ſe videre credit aliud ab eo, quod videt. nam oculus percipit non obiectum per ſe, ſed ſpeciem ipſius, atque in oculo receptam; quæ ſpecies per chriſtallum viridem tranſiens, fit viridis, & viridis in organo recipitur, & viridem potentia viſiua concipit: ſic non decipitur. Ità ægri guſtus ſaccaron amarum recipit, non deceptus in proprio ſenſibili, ſed quià æger iudicat guſtare ſaccharum, & guſtat bilem linguæ inhærentem; ſic non decipitur circà proprium ſenſibile, ſed circà obiectum; nempè quid ſit amarum, non circà amarum; vt apertè explicat Ariſt. ſenſibile commune eſt, quod omnibus potentijs obijcitur, & nullius ſingularis proprius, vt ſunt motus, quies, numerus, figura, magnitudo &c. Hæc autèm non dicuntur ſenſibilia communia, quià pluribus ſenſibus obijciantur, vt exemplificat Ariſt. de motu, niſi ex accidente, motus enim ex accidenti eſt ſenſibilis viſui: nempè quià, quod mouetur, eſt coloratum, & ex accidenti eſt ſenſibilis tactui; quià, quod mouetur, aut durum eſt, aut molle, aut calidum, aut frigidum; ſed ab Ariſt. aſſignata dicuntur communia ſenſibilia, quià, & ſenſui communi, & phantaſiæ obijciuntur; &, vt eorum fiat ſenſatio, aliqua reflexione opus eſt. ſiquidèm motus catenùs ſubijcitur ſenſui, quatenùs id, quod mouetur, locum mutat, aut ſitum, ſiuè coloratum fuerit, ſiuè durum &c. hoc enim, quatenùs coloratum eſt, obiectum eſt proprium viſus, & quatenùs mutat locum, aut ſitum, eſt ſenſibile commune & viſui, quà coloratum, & phantaſiæ, quà locum mutat, & ſitum. namquè motus in re mota non fieret ſenſibilis, niſi ea res eſſet colorata, & ſic niſi concurreret viſus ad illud conſtituendum ſenſibile, & propterèa dicitur ſenſibile commune; & quià eſt obiectum proprium ſenſus communis &c., quià ad illud conſtituendum ſenſibile neceſſarius eſt ſenſus, qui non ſufficit ſinè phantaſia, & aliqua phantaſtica illatione, aut diſcurſu iuxta ſubiectum, cuius eſt ſenſibile; quæ obiectum illud repreſentatum proprio organo modificatur, quà modificatione non exuit rationem ſenſibilis per ſe, nec facit diſtinctam ſpeciem, ſeù aliam, ſed alteram. vtpotè cùm communi ſenſibili propria ſpecies recipiatur per modum vnius, quæ à prædominante ſenſibili proprio ſeruat naturam ſenſibilis per ſe, quam naturam ſenſibilis per ſe exuit ſenſibile proprium, dùm per modum vnius percipitur in ſubſtantia, vt in Diaris filio albo. tùnc enim predominat ſubſtantia, quæ qùm non ſit ſenſibilis, niſi ex accidenti, tamèn determinat viſum Diaris *filium*; hæc enìm ſenſibilia communia non eandem habent rationem obiecti in homine, atquè in brutis animantibus: namquè in homine, cogitatiua accedit: in bruto exiſtimatiua illatio, & adumbrata compoſitio. nàm bruta animantia etiàm noſcunt moueri aliquid aduersùs ea, aut quieſcere, & fugiunt oues lupum aduenientem, aues venatorem, dùm quieſcit, aut motus rationem mutat; & proptereà circà ſenſibile comune contingit decipi: quià non eſt vnà ratio ipſius ſenſibilis; ſed compoſitio aliqua intercedit, licèt id compoſitum recipiatur per modum vnius: per quam poteſt eſſe deceptio, vt moueri poteſt videri litus, dùm mouetur nauis, in qua motum litoris agnoſcens eſt. Ità dùm duæ naues ſimul-

ſimul æquali motu mouentur, vtraque conſpicientibus videtur quieſcere. oculo vno dimoto videtur numerus obiectorum duplicari: quadrata columna à longè viſa rotunda apparet; & in medio craſſiori augetur magnitudo: in quibus contingit deceptio, quià ſenſatio horum non eſt in ſola receptione organi, ſed neceſſaria eſt ſubſequens compoſitio, per quam contingit deceptio in homine; & , ſi contigerit, eſt reductibilis per intellectum, & neceſſariò ſequitur in brutis, quæ hæc ſenſibilia communia concipere quidem poſſunt, etiam numerum, & quantitatem; nàm lupus nec vnum canem magnum timet, nec duos paruos, ergò, & numerum, & magnitudinem percipit. at, ſi decipiatur, non poteſt deceptionem animaduertere; homo autèm ratiocinando, & remi inflexi figuram decipientem animaduertere quidèm poteſt, non tamèn dirigere poteſt, quin oculo ità repræſentetur inflexus.

Agit primò de viſu vtpotè nobiliſſima ſenſatione, & ratione obiecti, quod non eſt niſi cæleſte, aut cæleſtis participatio, & ratione vtilitatis, & directionis ad præcipuum animæ opus, vt intelligere. proptèr hoc enim oculi vis præcipuè ſeruatur, amaturque.

De Viſibili &c.

CAP. VIII.

Viſibilis tantùm lux eſt per ſe, & per eam color. nàm, licèt id etiam, quod perſpicuum eſt, ſit viſibile, *non eſt viſibile, quà perſpicuum eſt abſolutè, & ſimplicitèr loquendo; ſed proptèr externum colorem*. quibus verbis Ariſt. vel ſignificat perſpicuum eſſe viſibile proptèr aliquam admixtionem externi colorati corporis, vt ſunt elementa, quæ omninò parua non ſunt, & chriſtallus, & adamas, & alia corpora pellucida; vel viſibile intelligit, quod confert ad viſionem, deferendo lumen ad colorem, vt videatur. Si primo modo accipiatur viſibile, perſpicuum accipere oportet, fieri viſibilia corpora perſpicua, eodem modo, quo cælum; in quo admixta luce cùm tenebris conſurgit medius color, qui dicitur cæruleus. ità euenit in mari, & in aqua magni lacus, & aere longo ſpatio conſpecto; hæc enim omnia corpora reducuntur cærulea eodem modo, quo id, quod ſurſùm eſt, corpus, hoc eſt cælum; quod adeò verum eſt; vt, ſi quandò terminetur hoc perſpicuum ad aliud alio modo coloratum longo tractu perſpicui, corpus etiàm alterius coloris cæruleum apparet. vt montes longè admodùm viſum mouentes cerulei apparet. Verùm qùm hoc perſpicuum ſecundùm ſe non ſit viſibile, niſi per lumen: ſic, ſi accipiatur ſecundo modo perſpicuum, vt confert ad viſum, lumen transfundendo: quærere oportet, quid ſit lumen. Color eſt

extremitas perſpicui in corpore terminato ex Ariſt. lib. primo de ſenſu, & ſenſatione cap. 3. ſeù

Color eſt luminis reflexus, & nihil ſinè luminis aduentu. ſic formalitèr eſt ipſum lumen: nisi accipiamus colorem pro diſpoſitione corporis ad recipiendum colorem; qua intellectione dicimus colores, hoc eſt diſpoſitiones ad recipiendos varios colores ſequi corpora etiam in tenebris; vt ad recipiendam albedinem eadem diſpoſitio tradita eſt in niue; & in calce à frigore: quo lapides extincti, & nubes concreuere. licèt enim calx ſit calida, & nix frigida, ambo frigus cauſam propriæ concretionis habuere, & materialem cauſam albedinis. Color aut in extremitate, aut extremitas eſt ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſatione Cap. 3. id eſt extremitas perſpicui in corpore determinato, ac ex varia lucis refractione, varij emergunt colores, vt numeri. ab vmbra ad lucem per viride, à luce ad vmbram per puniceum tranſeundo. Color ait Ariſt., eſt motiuus eius, quod eſt ſecundùm actum, perſpicui, & hæc eſt, inquit, natura ipſius: videlicèt eius eſſentia, & ſubſtantia: vt enim *oculi natura*, *& ſubſtantia*, *ſi eſſet animal*, *eſſet viſus* ex Ariſt. 2. de an. T. 9. ità natura perſpicui, & ſubſtantia eſt eſſe motiuum perſpicui, quod ſecundùm actum eſt. dicitur autèm color motiuus perſpicui, quod eſt ſecundùm actum, quià perſpicuum non poteſt videri nisi in lumine, aliàs non diceretur perſpicuum, nisi lumine actuaretur, ſed diaphanum. In hoc enim differunt diaphanum, & perſpicuum, quod perſpicuum eſt medium illuminatum, & lumine actuatum; diaphanum autèm eſt ſinè lumine, & ſinè colore; & propterea eſt coloris ſuſceptiuum: veluti eſt ſoni ſuſceptiuum, quod ſinè ſono eſt, quæque priuatio eſt ſuſceptiua formæ; itàquè diaphanum eſt perſpicuum potentia. Color itàque, quùm ſit motiuus perſpicui, vt perſpicuum actu eſt, non ſecundùm ſe viſibilis: nam à ſolis radiis, aut directis, aut reflexis ad actum reducitur id, quod potentia eſt lucidum in corpore viſibili, vt patet in quadam lapidis ſpecie, quæ ſub Sole poſita etiàm ab eo remota, & in vmbram translata lucem breui tempore ſeruat; alia autèm corpora, quæ dicuntur colorata, ſtatim extinguntur. & habere hanc potentiam, eſt quod dicit Ariſt. habere cauſam, vt ſit viſibile. vt in ligno non eſt flamma, ſed eſt cauſa, vt ſit flamma, dùm habet potentiam ad eam; quæ cauſa non eſt in lapide, qui non ſit potentia flamma; atque nisì ſpecies transferretur per medium, per ſe non eſſet viſibilis, vt apparet, ſi viſibile ponatur immediatè ſuprà ſenſorium, non videtur; ſicutì nec quodlibet ſenſibile poſitum ſuprà ſenſum: quippè viſibile ſuprà viſum, non admittit lumen intermedium, & ideò videri non poteſt; quià nil nisi in lumine videtur, ac paritèr, ſi vacuum intercideret formicam exiſtentem in cælo: certè non videretur, propterea quòd in vacuo non poteſt admitti lumen. At Democritus ſupponit, formicam in Cælo eſſe illuminatam, & eſſe aliquod medium, per quod ſpecies ipſius deferatur: intèr quod medium illuminatum circà formicam, & oculum ſit vacuum, tunc, inquit, formica exiſtens in cælo videretur. quam ſententiam, ſi ſano modo accepiſſet Ariſt., & non ſtudio contradicendi, veram quoquè duceret; nàm, ſi intèr nos, & cælum eſſet abſolutè vacuum: hoc eſt nullum ens, nequè etiam eſſet quantitas; ſic nequè interſtitium; quo interſtitio non exiſtente intèr nos, & cælum, nulli dubium eſt formicam videri poſſe; quod autèm in vacuo non poſſit eſſe ſpatium, patere poteſt: ſi va-

vacuum accipiatur omnimoda priuatio corporis, & corpus teneatur omnem dimenſionem includens. vbi igitur nulla ratio corporis eſt, nulla eſt menſura, & nullum ſpatium, niſi æquiuocum, & per quandam mentis deceptionem. Imò vacuum, ne quidèm diaphanum dici poteſt, quià diaphanum eſt coloris ſuſceptiuum, in vacuo autèm color ſuſcipi non poteſt; ſic nè quidem potentia eſt viſibile vacuum, veluti eſt diaphanum. quod, licèt ſit tenebroſum, tamèn eſt potentia perſpicuum, & luminis ſuſceptiuum, ſic eadem naturæ, quandoquè tenebra eſt, quandoquè lumen; & in tenebris quædam videntur, quæ in lumine ſunt inconſpicua: quorum videlicèt tenuis lux in lumen Solis funditur: & quoniàm vis propè ad mota horum corporum non excedit vim luminis a Sole longè exiſtentis: ideò diſtinctam motionem in oculum non imprimit, quà poſſit diſtingui à lumine à Cælo recepto; ſic ſpecies à corpore putreſcente erumpens cùm ea, quæ a Sole demittitur confunditur; vt etiàm euenit in lucerna, quæ ſub Sole poſita, ſi longè abſit ſplendorem obtuſum emittit, & inconſpicuum; & hæc eſt alia ratio, quam ponit Ariſt. eorum, quæ videntur in tenebris, & non in lumine.

Lumen autèm eſt vt color perſpicui, qùm eſt actu perſpicuum, ſeù ſpecies lucis viſibilis. eandemque rationem habet lumen in perſpicuo, quam habet color in opaco corpore; quandò enìm ab obiecto lucido, vt eſt ignis, aut quid igneum, & igni reſpondens ad actum reducitur, perſpicuum dicitur lumen; &, ſi ſpecies illa ab obiecto terminetur ad opacum, dicitur color: quæ ſpecies ex Ariſt. non eſt ignis, nequè aliud corpus, nequè corporis defluxus, vt referebat Empedocles. Non eſt ignis, inquit, ſed ignis præſentia in conſpicuo. Non eſt corpus, ſubdit, quià in corpore recipitur: nec poſſunt duo corpora in eodem loco contineri, nequè eſt, ait, defluxus corporis; quià, ſi flueret lumen à corpore lucido, per modicum ſpatium concedi poſſet is fluxus; ſed ſtatim, ac corpus lucidum in oriente apparet, tam breui tempore, tanto ſpatio ferri, quantum eſt à ſydere ad oculum, magnam petitionem habere, ait, Ariſt. hoc eſt intellectum non poſſe facilè huic ſententiæ, & opinioni accommodari. Tamèn Ariſtotelis ſenſum cùm eo, qui eſt Empedoclis aptare poſſumus, conſiderando, Empedoclem non adeò rudis ingenij veroſimilitèr fuiſſe, qui crederit, lumen eſſe ignem, quandoquidèm non comburit: non tamèn adeò inrationabile eſt, eſſe ab igne, aut etiam ignem, quando nos ignem dicimus flammam. in qua ratione ignis datur magis, & minùs non in ſubſtantia, ſed in ſubſtantiæ raritate, per quam ignis differt ab igne, vndè ignis e robore maiorem calorem mouet, quàm e corylo ob ſubiecti denſitatem, ſic data proportione ignis, qui dicitur lumen, tantæ poteſt eſſe raritatis, quà ſenſum non moueat vehementèr adeò, vt comburat: tamèn calefacit, imò, ſi per medium aliquod denſius feratur lumen, cuius defluxus perpetuus retardetur, etiàm comburendi vim recipit; & ignis ſubit naturam, quod eò magis ſuaderi poteſt, quandò radius non per chriſtallum, ſed per aquam tranſmittitur, à qua vim igneam recipere non poteſt; ergò vim habebat in ſe, quæ ab aqua, tanquàm flabello excitatur, & per medium magis craſſum duplicantur radii; & in eſca ſibi ſimilem generat ignem. ſic ex Ariſt. poſſumus dicere, lumen non eſſe ignem; ſed tamèn ignis præſtantiam in conſpicuo, quam ignis præſtantiam Empedocles ignem appellauit, quià aliquid ignis eſſe exi-

ſtimauerit. veluti enim ſi gutta atramenti fuſa fuerit in phialam aquæ perſpicuæ totam aquam inficit: ea tamèn aqua non poteſt dici attramentum; ità non omne perſpicuum actuatum à lumine dicitur ignis: id tamèn, quod actuat poteſt dici ignis: quemadmodùm, quod aquam in phiala inficit, poteſt dici attramentum. Quod autèm non ſit corpus, certum eſt, ſi credatur omne medium habere eandem rationem cum corpore lucido lumen emittente; tamèn lumen eſſe corpus aliquo modo: non tamèn adequatè exiſtens in toto medio, niſi vt gutta attramenti eſt in tota aquæ phiala; & non eſt aſſignabilis pars vlla in phiala, vbi non ſit attramentum; & tamèn certum eſt, eam modicam attramenti quantitatem non poſſe occupare omne ſpatium, quod occupat aqua; Vndè lumen poteſt eſſe corpus, ſed latè fuſum in medio: quod medium extendat tantùm iuxtà molem propriam, non autèm penetret; quod patere poteſt, quià lumen, vt eſt cauſa caloris, ſic etiàm eſt cauſa rarefactionis corporis illuminati; quæ rarefactio ſit per intruſionem corporei obiecti lumen excitantis. Quod tandèm non ſit corporis deflexus, quomodò refert Ariſt. proptèr rationem ab eo adductam rationabile eſt. at non eſt credibile, Empedoclem exiſtimaſſe, quandocunque ſydus apparet ab oriente, radios emittere ad noſtros oculos: ſed potiùs aſſiduo emiſſos continere; ità vt ſydus circà terram reuolutum per terræ ſuperficiem deferat, quam illuſtrat, quod lenta admodùm irradiatione fieri poteſt. & non velocitate imperceptibili; quam non capiat humana coniectura mentis, vt tradit Ariſt. Sol itaquè, & ſydus quandocunquè radios à ſe dimittunt, & fuſos aſſiduò continent ad nos. veluti ignis iuxtà ſphæram propriæ actiuitatis calorem; qui radij ſint tanquàm tenuiſſimæ exhalationes a corpore lucido cum Baſſano, & quodamodò ſubſtantia, & corpus; quæ tamèn ſubſtantia, & corpus non ſis lux,& lumen; ſed lux, & lumen ſubiectetur in illo, tanquàm accidens in ſuo ſubiecto; nàm ſi lucem, & lumen accipimus id, quod ſentitur, non poteſt eſſe nequè corpus, neque ſubſtantia; quia hæc non eſt per ſe ſenſibilis, ſed per qualitatem, quæ lux dicitur; & in quam ſumma tenuitate omnia demùm corpora reſoluuntur etiam cæleſtia, vt in libris de cælo relatum eſt. Si enim debet ſaluari non ſolùm oportet tangendo ſentire, ſed & eminùs ex Ariſt. 3. de an. Tex. 64.

Quod nàm viſus organum &c.

CAP. IX.

OB varias partes, quæ concurrunt ad conſtituendum oculum, qùm quarundam officium patens non ſit, ambigunt aliqui philoſophi; quod nàm ſit proprium organum viſus, quo hæc ſenſatio perficiatur, quæ omnium nobiliſſima eſt, & cuius reſpectu ab Ariſt. creditur vniuerſum corpus fabricatum. Nonnulli arbitrantur in neruo ophtico fieri, & recipi hanc ſenſationem: alij in tunica, aut retina, aut aranea: quidam in humore vitreo: pars maxima cùm Ariſt. primo phiſ. cap. 9. in humore chryſtallino, quam nos cùm Galeno 8. de vſu partium cap. 6. magis conſonam opinionem credimus: namquè certum eſt in hoc humore ſpeciem recipi

cipi per pyramidem, cuius angulus terminatur ad hunc humorem, qui dicitur pupilla, & baſis ad obiectum; quæ pupilla eſt veluti ſpeculum & recipit obiectũ, quod tãquàm viuens iudicat, ſeù potiùs ſentit. veluti, ſi ſpeculum eſſet viuens, videret; &, ſi oculus eſſet in alia parte corporis viuente, paritèr videret. in hoc enim conſiſtit viſus in receptione ſpeciei viſibilis proptèr perſpicuitatem, & in ſenſu receptæ imaginis proptèr vitam: vtrumque autèm eſt in pupilla; quæ in medio oculi ſita eſt, & nullam aliam videtur habere ſibi propriam operationem. Contrà eos, qui neruos ophticos eſſe proprium inſtrumentum viſus, obiici poteſt, eos non eſſe perſpicuos; & ideò ſpeciem, & obiectum viſibile non poſſe ad eos ferri; &, quamuis pupillæ duæ ſint, non propterea obiectum duplicatum apparet ob concurſum linearum viſualium, per quem concurſum duæ ſpecies receptæ in ambabus pupillis, iudicantur vna, & per modum vnius ſentiantur; quod manifeſtè apparet, quià per eleuationem, aut depreſſionem vnius oculi, non concurrentibus huiuſmodi lineis viſualibus duplicata ſpecies ſentitur; quod non accideret, ſi in neruo optico perficeretur viſio. namquè, etiàm ſi depreſſa, aut eleuata cum toto oculo pupilla duæ ſpecies formarentur, tamèn ambæ delatæ ad neruum ophticum, vbi eius duæ partes coniunguntur, vna tantùm ſpecies iudicaretur: non enim per eleuationem oculi, & diſcontinuationem linearum dimoueri quicquam poteſt neruus ophticus; nec à nomine ophticorum inferre licet, eorum munus determinatum ad viſum, eo quià ophtici à viſu denominentur: qnoniàm alia aſſignari poteſt huius denominationis cauſa; nempè, vt diſtinguantur ab aliis, quorum munus ad alias ſenſationes ſpectat: hi autèm nerui ophtici; ità dicti ſunt, quià deferunt ſpiritus animales ad ventriculos cerebri fabricatos, ſinè quibus pupilla non poſſet ſpeciem obiecti receptam ſentire.

Obiiciunt nonnulli vt Toletus, pupillam non poſſe eſſe proprium huius ſenſationis organum, quià nõ viuit, vt tiunt de aliis humoribus ſanguinem conſtituentibus: verùm non eſt par ratio: nàm primò ſanguis non omnino vitæ expers eſt, ob fuſos in eo ſpiritus; deindè ſanguis eſt pro nutrimento, vt aliàs relatum eſt: non enim facultas nutriens ex toto feriatur, nec debet cibus aſſiduò ſumi, ſaltèm tempore, quo dormire neceſsè eſt, propterea ea vaſa à natura conſtituta ſunt, quæ venæ, & arteriæ dicuntur: intrà quas fit aſſidua alimenti inuicèm receptio, ac protruſio, quod continent: at pupilla non eſt corporis nutrimentum; ſed eſt pars corporis animati; & eadem eſt ratio totius, & partis, eſt itaquè relatiuè ad corpus ipſa quoquè animata: tunicæ retina, & aranea miniſterium continendi fluidos humores habent; & retina præſertim integram deſerit araneam, in qua recipitur obiecti ſpecies. & inrationabile eſt, alibì ſpeciem recipi, & alibì fieri ſenſationem. de aranea autèm maior poſſet eſſe dubitatio; niſi ipſa pupillam, qua parte ea peruia eſt obiecto, tegeret; ità vt ex chryſtallino humore, & huiuſmodi tunica conſtituatur pupilla; quæ tota ſentire dicitur. dicendum quoquè de humore vitreo, non poſſe eſſe proprium organum viſus: quià ſpecies obiecti recipitur in pupilla, & illa innatat huic humori vitreo; vel ergò vitreus humor concurrit ad conſtituendum organum huiuſmodi: vel eſt organum non viſioni inſeruiens; ſed generationi ſpirituum, quibus facultas vtitur ad videndum: ităut ſpiritus animales

in

in cerebri ventriculis geniti ſint tanquàm cauſa materialis ſpirituum inſeruientium facultati viſiuæ; cauſa autèm efficiens, & modificans ſpiritus animales ad hoc determinatum miniſterium eſſe poteſt humor vitreus: veluti glandulosa quædam corpora modificant ſpiritus, pro ſemine perficiendo: vt ſuo loco declarabitur: dùm agendum peculiaritèr de partibus generationi inſeruientibus.

De Auditu &c.

CAP. X.

SEnſus datos eſſe diximus ad paranda ea, quæ vitæ neceſſaria exteriùs ſunt, & euitanda quæ aduerſa. intèr quæ ſecundo loco ponenda eſt audiendi facultas; qua primò percipitur, quod minimè familiare eſt naturæ: nempè vacuum, ſeù æther; quod vacuum dicebatur ex Themiſtio. Sonus eſt actio ætheris moti prætèr conſuetudinem à natura procedens in animantis commodum: ſeù ſonus eſt actio ætheris ex colliſione duorum corporum in animantis commodum. Dicitur actio, quià conſideratur, pro vt exit ab agente: non pro vt recipitur in paſſo. Dicitur ætheris; quià eſt aliquid ex Ariſt. primo phiſ. quod non eſt aer, nequè ignis; ſed igne craſſius, aere tenuius, quod ineſt elementis omnibus; ac ſoni ſubiectum non eſt ſolus aer, ſed etiam aqua; & non aer; vt aer; quià ex Ariſt. eſt diſſipabilis, nequè aqua vt aqua; ſed vtrumque corpus, prout continet illud commune corpus. aer magis, aqua minùs; & in ſolidis quibuſcumque, quæ ſonant, etiàm ſi non moueant, aut vix moueantur. actio igitùr eſt forma; æther eſt ſubiectum, & materia; cauſa efficiens eſt colliſio duorum corporum. non addidi ſolidorum: quià, licèt gerant vicem ſolidi ob impetum, tamèn *larynx*, & aquea, dùm aquam collidit, & aer, dùm in aere ſcinditur, & mouetur, vt in ligni ſciſſione. vacuum dicitur ab Ariſt. auditionis proprium; & aer communi acceptione receptum talem eſſe, quià aer eſt, qui audire facit, quandò mouetur continuus, & vnus. ità, vt non ſuccedens ſibi ipſi, diſſipatus poſt ſe vacuum replere videatur. aut quasi per aerem diſciſſum cælorum vehementibus motibus aditum præbeat, vt ſentiantur plùs, minùs prout aer vehementiùs compellitur, & magìs vacuo ſimilem poſt ſe ſciſſionem reliquerit. Quæ ſciſſio, ſi magis lata fuerit, quàm repentina, ſonum obtuſum mouet, ſi minùs lata, acutum; grauis enim ſonus ex Ariſt. mouet ſenſum parùm multo tempore; acutus ex aduerſo in pauco tempore multum mouet ſenſum. non enim velocitas moti aeris ſoni acutiem mouet, ſed proptèr velocitatem ſciſſio aeris tenuis. ſic 19. probl. 37. ſonum acutum fieri ait ex aeris percuſſi inopia: grauem autèm ex copia. nec tarditas grauem ſonum efficit, ſed proptèr tarditatem magna ſciſſio ſuccedit, & grauis ſonus ſequitur. hæc enim videtur conſona interpretatio, & reſpondens exemplo ſimilitudinis ab Ariſt. traditæ. Ità enim ſuccedere, ait ſonum acutum, & grauem in aure, velutì ſuccedit in ſenſorio tactus acuta, & obtuſa ſenſatio. Acuta, inquit, fit ſenſatio, quandò tangens pauco tangit. & ſenſatio obtuſa fit, quando tangens multo tãgit: pauco tangit acies acuta; multo tãgit, quæ obtuſa eſt: illa enim

tangere videtur in puncto, & pungit: hæc verò in ſuperficie; & non pungit, ſed pellit. Quod autèm à vacui fuga ſaltèm: niſi omnimoda introductione fieri ſonum ſenſerit Ariſt. patet T. 81. Vbi vacuum rectè dicitur audiendi proprium: non ex eo, quià aerem vacuum eſſe antiqui arbitrarentur, vt cum Themiſtio plurimi interpretantur; ſed quià aere ſciſſo, & diſcontinuato vacuum, ſeu æther mouetur, & æthereum, quod in aere eſt; cuius motus ſenſatio ſonus eſt. in cuius interprætationis confirmationem contrà Themiſtium replicat Ariſt., aerem non eſſe ſoni proprium; ſed ſolidorum inuicèm percuſſionem, qua aer ſcinditur, & diſcontinuatur. ità tamèn, vt percuſſus permaneat, & non diſſipetur; ſic eſt faciens audire, qùm mouetur continuus, & vnus, &, ait, & non diſſipetur: hoc eſt pars ſciſſa aliam partem non ſequatur, ſed totus aer medius intèr colliſa corpora, & aurem moueatur ad aurem, & nudum relinquat æther ad colliſa corpora, ſi enim pars aeris partem ſequeretur ità, vt nulla ſequatur ſciſſura eius ex colliſis ſolidis corporibus, vacuum non inducitur, cuius ſenſus ſonus eſt; & clariùs etiam id oſtendere videtur, dùm ait, ſonum fieri, ſi velocitèr, & fortitèr percutiatur, quod ſonat. oportet enim, vt motus ferientis anticipet fracturam aeris; ità videlicèt ferire, & tali impetu ferire debet, vt aer ſciſſus adeò velocitèr dimoueatur ad oppoſita, nè illicò poſſit reduniri: aut ſaltèm vim aliquam patiatur in diſiunctione, proptèr quam ſonus fiat. & proptereà ait, ſonatiuum eſſe quaſi motiuum vnius aeris continuitate vſque ad auditum. quo, qui intrà eſt, mouetur. per ſe autèm aer inſonus eſt, quia diſſipabilis; & eatenùs ſonare, quatenùs prohibetur diſſipari. hoc eſt partem ſequi partem; non enìm alitèr videtur poſſe intelligi iſta diſſipatio: niſi, quod moueatur ſinè diſcontinuatione ſui ipſius; ſed moti aeris pars aliam ſubſequatur motum. ſecùs enim ſi pars partem penetraret, daretur corporum penetratio. nec aliò poteſt moueri aer, ſi omne plenum aere eſt. vel igitùr diſſipatione pars partem ſequitur, vel diſſipari intelligitur rarefieri, & condenſari At quocunque modo accipiatur ſoni cauſa, is omnium conſenſu fit ex corporum ſolidorum colliſione; & eſt qualitas aure ſenſibilis tantummodò per ſe: ex accidenti autèm etiàm tactu percipitur; & vehementi ſono ſenſus doloris incutitur ex Galeno. Organum proprium, quo vtitur potentia auditus, eſt corpus tenuiſſimum intrà membranam auris concluſum, quod ad ſimilitudinem aeris aer dicitur, & ibì immobilis continetur, vt omnes motus differentias ſentiat; quæ membrana hunc aerem includens, ſi laboret humiditate, ità vt promptè aeris moti mutationes non percipiat, ſonus obtuſus ſequitur. prout enìm obtuſè mouetur ea membrana, obtuſum etiàm motum incutit aeri incluſo; ſi verò ea membrana aridior fiat, vt in febricantibus, dummodò omninò arida non fiat, magis promptum auditus ſenſum reddit, & egri hac ratione acutiùs audiunt. In aqua autèm ſonus non fit ex ſententia Ariſt., ſi loquamur de ſano à nobis propoſito, qui ex duorum ſolidorum corporum colliſione in aere exiſtentium fiat. ratio eſt, quià ictus aer debet paritèr mouere aquam eadem velocitate, & præuentione motus; quod non ſequitur ob aquæ reſiſtentiam à craſſitie procedentem, & aeris mouentis imbecillitatem. Tamèn ſi ſolida corpora collidantur intrà aquam, itàut aquam moueant, & aqua mota aerem vſquè ad aurem moueat eadem motus continuate, & præuentione ſciſſuræ aeris, per quam etheris motus qua-

qualitas percipitur, quæ dicitur ſonus, qui celerius fertur ad aurem, ſi aer ad eam moueatur; quià æther auri inſidet, ideoquè cùm eo fertur, & eadem velocitate percurrrens citiùs aurem ferit. Supponantur duæ naues A. B. quarum vna moueatur verſus C. altera verſus D. & in vtraque ſint curſores, vnus in A. qui eſt C. alter in B. qui eſt F., & ambo moueantur versùs metam G. pari velocitate, ſequetur, quià nauis A. mouetur verſus D. & nauis B. mouetur verſus C. licet pari velocitate moueantur. E. & F. tamèn E. citiùs pertinget metam G. quàm F., quià curſor, eodem motu mouetur ad G. quo nauis, in qua eſt. F. verò mouetur motu eodem, ſed nauis, in quo eſt, mouetur motu aduerſo. propptereà tardiùs metam pertinget, & languidior; ità, quandò ventus in euo fertur ætheris motus, qui dicitur ſonus, mouetur ad aurem, & citius ſonus aduenit, & vegetior, vt vegetior eſt. E. quàm F. quandò metam vterque attigerit & hoc eſt, quod ait Ariſt. aer eſt qui facit audire, qùm mouetur continuus, & vnus; & ſonum non eſſe aeris, ſed ſolidorum inuicèm percuſſorum quorum concurſione non ſolùm aer, ſed æther quoquè in aere mouetur; quod non fit, ſi ſpongia, & lana inuicèm concutiantur: eorum enim motus poteſt quidèm aerem pollere: ſed non æther. proptereà ſonus alter dicitur actu, alter potentia; ſonus potentia eſt in ſolidis, antequàm concutiantur inuicèm; ſonus actu eſt in iiſdem, ſeu ab iiſdem, dùm concutiuntur. in lana autèm, & ſpongia, & ſimilibus corporibus lentis, & cedentibus ſonus non eſt nequè actu, nequè potentia.

Echo fit ab aere terminato, & prohibito frangi: vndè repellitur. velutì pila, dùm parietem percuſſerit, quæ repulſio aeris, ſeù echo ſempèr ſequitur; non ſempèr tamèn clara, & manifeſta. non enim dicitur clara, & manifeſta, quandò aurem diſtinctè non ferit: velutì lumen ſempèr repercutitur, vndè fit luminis reflexus, qui dicitur lumèn ſecundarium, tamèn non dicimus reflecti lumen, niſì quandò integrum reflectitur, vt à ſpeculo: ità vt vmbram iaciat, a qua lumen determinatur.

Vox eſt ſonus animalis: & eſt naturalis, & artificialis; vox naturalis eſt quam quodque animal edit, natura ad proprias neceſſitates, & ſignificandos dolores, & iucunditates, ad iram, & amorem, odium, cupiditatem, vt boni, & mali fuga, aut conſequutio ſequatur. Artificialis ſolo homini ad loquutionem conceſſa. quæ naturalis eſt, omnibus neceſſaria eſt. Artificialis eſt ad benè eſſe: velutì exemplificat Ariſt. de lingua, quæ ad guſtum & ad deglutiendum omnibus animantibus neceſſaria eſt; hominibus ad loquendum non neceſſaria, ſed vtilis; ideò neceſſe habet naturæ vinculum ſoluere, vt loquutionem homo adipiſcatur. Eſt igitùr vox percuſſio reſpirati aeris ab anima ad arteriam vocalem, ſi ex voluntate ad aliquid ſignificandum moueatur. ideò tuſſis vox non debet dici, niſì quæ ab homine interdùm fingitur ad aliquid ſignificandum. Piſces pro voce ſonum habent, quem ſquamis inuicèm percuſſis, aut ad aquam alliſis edunt, quoniàm guttur non habent.

De

De Olfactu.

CAP. XI.

T. 92.

PRimo libro de anima protulit Ariſt. præſtare tractationem, & ſcientiam rei aut ratione certitudinis, aut ex eo, quòd meliorum, & mirabiliorum ſit. iuxtà quæ protulit ſermone de viſu, & auditu. At in olfactu etiàm hanc notam tradit maioris imperfectionis: quià incerta eſt eius eſſentia, & magis craſſa ſenſatio; & præſertim in homine obtuſa admodùm non ſolùm reſpectu ad alias ſenſationes in homine; ſed reſpectu ad alia animantia circà eandem ſenſationem; quià pænè omnia animalia meliori, ac præſtantiori ſunt prædità odoratu. Homo autèm viſu percipit iucunda, & moleſta, ac indifferentia. Ità in auditu multa audit, quæ nec moleſta, nec iucunda ſunt. Olfactu autèm, niſi moleſtum quid ſit, aut iucundum, non percipitur quicquam. Imò differentias ordoratus non habemus, niſi perſimilitudinem differentiarum, quæ ſunt in ſaporibus vltrà communem, quæ eſt iucundi, & moleſti. Ideò veluti datur, & diſtinguitur ſapor dulcis, & amarus, acer, auſterus, acutus, & pinguis; ità eorum ſimilitudine diſtinguitur odor; & ſicuti dicimus quidquam eſſe audibile, aut inaudibile, viſibile, aut inuiſibile: ſic per ſimilitudinem aliquid dicitur odorabile, aut non odorabile; & adeò obtuſum habet hunc ſenſum homo: vt, licèt videat colores oculo oblatos ſtatim, ac ad eos oculos inuertat; & etiam inuitus audit, quæ ſonant; non tamèn olfacit, niſì reſpirando aerem attrahat. dùm verò non attrahit, aut ſi aerem expiret, non percipit odorem, etiam ſi roſa iuxtà nares ponatur. eſt itaquè in medio aut aere, aut aqua: nàm piſces quoquè videntur nares admouere alimentis, & conferentia apprehendere, & inutilia deſerere. paritèr inſecta animalia vt apes, etiam ſi odoratus inſtrumenta habere non videantur, quibus aerem inſpirare poſſint, tamèn odore flores agnoſcunt, & mellis dulcedinem ſentiunt. Vndè, quià mixti eſt alere, pura elementa & videri, & audiri poſſunt: non tamèn odorari: quià nullum odorabilem emittunt ſpiritum. per olfactum verò percipitur, & quod olet, & quod non olet, intelligendo, quod non olet primò, quod prorsùs odore caret, vt aqua, & quodlibet ſimplex elementum, & quòd pænè ſinè odore eſt, vt beta, & quod malè olet. vt caſtoreum; ex quo: non olere dici intelligimus, quod ſpiritum non edit, quo alimenta proportionata alitioni agnoſcamus. Differt, inquit Ariſt., ſenſatio odoratus in homine à ſenſatione aliorum quorundam animalium non ſecundùm rationem; ſed ſecundùm intenſionem, & remiſſionem ad eam ſimilitudinem, qua differt oculus ab oculo. quædam enim animalia duros habent oculos, & viſum hebetiorem habent, proptereà non, niſi vehemens obiectum viſibile percipiunt. ità homo hebetem habet odoratus ſenſum, nec niſi à valido mouetur, quod rationabilitèr factum credi poteſt iuxtà alia dona illi negata à natura, ob ratiocinandi facultatem, & ſingularitèr conceſſam, qua omnem imperfectionem aliarum ſenſationum ſuſtinere, & eludere poteſt. *Odor eſt actio halitus ex corpore odorato erumpentis ab ani-*

ma percepta, vt inſpirati aeris noxium à proficuo diſtinguatur. vel Odor eſt actio ſpiritus ex alimentorum temperie manantis ab anima excitata, vt vtile ab inutili ſecernatur antequàm in os mittatur. Dicitur actio: quià conſideratur prout exit ab agente: dicitur narium, quià & nisì aer trahatur, non ſequitur hæc ſenſatio, vt ſaltèm in homine manifeſtum eſt: dicitur ſpiritus non vapor; quià eſt potiùs, quod percipitur, exhalatio. odor enim ſicci eſt, ait Ariſt. &c., & prætèr ſpiritum non eſt quicqnam nominatum odoratus obiectum: vt oculi color, auditus ſonus: obiectum autèm odoratus nullum nominatum eſt. Dicitur percipi, & iudicari ſpiritus ex alimentis: licèt quoquè alij odores percipiantur, vt muſci &c. hi non odorantur in finem à natura datum, vt alimenta dignoſcantur, & proptereà iſti odores non reſpondent ſapori, vt odor muſci dulcis eſt, ſapor amarus. Demùm, quod odor ſit ad hoc, vt vtile diſtinguatur ab inutili, ex eo præſertìm patere clarè poteſt: quià idem odor ab eodem corpore emanans ſinè præuia læſione ſenſorij aliquandò gratus eſt, aliquãdò moleſtus; gratus quandò vtilis, moleſtus quandò inutilis etiamſi vtilitas, & inutilitas ab intrinſeco proueniat. vtpotè odor alimenti, qui eſurienti gratus eſt, ſaturo erit ingratus, & odor eſt idem, & ſenſorium eſt idem. gratia igitùr, & iucunditas, ſeu moleſtia odoris non procedit à corpore odorato, nequè ab eius temperiè, nisì reſpectiuè: nequè à diſpoſitione organi, ſed ab vtilitate, aut inutilitate viuentis: prout exigitùr, aut non exigitur; quarè finis cauſalitas dat eſſe ſpecificum odoris ab Ariſt. & Diuo Thoma de ſenſu &c. quæ conſiderata prout exit ab agente eſt actio, ex aduerſo, prout recipitur in paſſo, eſt paſſio. ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſili cap. 5. cauſatur a permiſtione primarum qualitatum tanquàm a cauſa efficiente.

Dubitatur antèm contrà traditam odoris definitionem. primò quandò dicitur *actio*. Communis cum philoſophorum ſententia tradit eſſe qualitatem in tertia ſpecie, nempè qualitatem paſſibilem conſurgentem ex temperamento primarum ex 12., & 13. probl. & de ſenſu, & ſenſatione cap. 5. aitque conſiſtere in ſicco; at ſiccitas eſt qualitas: ergò debet dici qualitas, & non actio.

Reſpondetur per traditam definitionem non damnari communitèr traditam, ſed declarari cauſalem, nos autèm formalem definitionem preſtantiorem credimus. Namquè paſſibilis qualitas reſultans ex temperamento primarum qualitatem eſt cauſa efficiens odoris, non autèm cauſa formalis; quam formalitatem dicitur recipere in organo recipiente: itàut eadem qualitas in organo odoratus ſit odor: in alio ſit ſapor, & odor idem ſaturo ingratus, eſurienti iucundus eſt. imò ex Ariſt. eadem qualitas ex aromatibus non recipit formam, & *ſpeciem odori* in brutis animantibus, nec ab illis vt talis percipitur, licèt organum habeant odoratus. quod aſſertum Ariſt. licèt non ſit ſinè animaduerſione recipiendum, tamèn ex eo videtur poſſe deduci ex mente Ariſt., rationem odoris non conſiſtere in eo, quod reſultat ex temperie primarum qualitatum; ſed in iucundo, & delectabili, quod exigit actionem eius qualitatis, & receptionem, ſeù paſſionem organi: cuius pati dicitur ab Ariſt. perfectiuum: quià per animam perficitur hæc forma, quæ dicitur odor, quæ, prout emergit ab agente, videlicèt ab exhalatione corporis odorati, dicitur actio; prout recipitur in paſſo, nempè in organo animato, dicitur paſſio: ſed perfectiua eius formæ quam appella-

tamus odorem, quem dicimus actionem ab anima perfectam; & , qùm actio non poſſit emergere à ſubſtantia immediatè , neceſſe eſt dicere procedere à qualitate ; ſed tanquàm à cauſa efficiente .

Dubitari etiàm poteſt circà cauſam finalem poſitam : per quam dicitur , *vt inſpirati aeris noxium &c.* nàm cauſa finalis videtur potiùs de alimento , quod per odorem indicatur , vt patet experimento brutorum animantium , quæ odoratu ſcruptantur alimenta .

Reſpondetur : plurimum quidèm conferre ad alimenti electionem odoratum . non poni autèm cauſam finalem : quià non videtur alimenti proprium ; ſed rationabile eſt duas potentias ad eundem finem deſtinatas à natura eſſe , pro alimento propriè eſt ſapor , ex accidenti etiam odor . quoniàm verò reſpiratio ad vitam maximè neceſſaria eſt , & plurimum intereſt integrum , aut corruptum aerem inſpirare . ideò propriè ad ſcruptandum aerem , qui inſpirandus eſt, datus odor dici poteſt, & ſtatui tanquàm cauſa finalis illius .

Dubitatur vlteriùs : dùm dicitur actio halitus. nàm halitus eſt ſubſtantia , & ſubſtantia non agit immediatè : ergò erit actio qualitatis halitus &c.

Reſpondetur poni ſubſtantiam , non qualitatem , quià qualitas eſt agens inſtrumentale : non autèm principale : & , quod emittitur à corpore odorato , non eſt qualitas intentionalis , ſed halitus tenuiſſimus quidèm , ſed tamèn ſub ratione corporis , & ſubſtantiæ ; namquè odor remanet etiam non præſente corpore odorato ; at qualitas inſtrumentalis , remoto obiecto , non permanet ; ergò eſt halitus , & ſubſtantia , quæ agit , & non nuda qualitas , quæ tamquàm accidens debet in aliquo ſubiectari ; & non ſubiectatur in aere , aut in aqua , quià elementa ſimplicia nullum habent odorem : ſubiectantur igitùr in halitu aerem , & aquam penetrante .

Elementa inodorabilia ignis , aer , terra , aqua ; & intèr mixta lapis , aurum , & omnium metallorum incrementa &c. frigus , & gelatio ſapores hebetant , & odores delent , calidum mouet . At ex accidenti eſt odor ſuauis , & triſtis ; quià idem odor pleno triſtis , vacuo ſuauis eſt : at odor , qui ſolo homini gratus proptèr cerebri frigiditatem , non conſequitur hanc cauſalitatem à fine; qui ſit nutritio : ſed ſpiritus cerebri nutritio , & refectio Ariſt. de ſenſu , & ſenſibili Cap. 5.

Datur minimum ſenſibile , & abſolutè , & reſpectiuè ad ſenſorium &c. ex Ariſt. de ſenſu , & ſenſibili Cap. 6.

De Guſtu &c.

C A P. XII.

GVſtatus , ſeù guſtus obiectum eſt ſapor , qui formalitèr eſt actio . Ariſt. 2. de Anima T. 127. oſtendit , ſentire non eſſe ſimplicitèr pati : quià , licèt odor recipiatur in aere , & ſonus : non tamèn ſentitur ab aere ; ſed patitur , vt per ipſum in ſenſum fit actio: vndè infert Toletus , ſentire non eſſe ſolam paſſionem . Ab Ariſt. dicitur paſſio ; quià eadem forma , prout exit ab agente eſt actio ; prout verò recipitur in paſſo eſt paſſio . non voco formalitèr qualitatem cùm communi : quià qualitas eſt inſtrumentum ſubſtantiæ , & eſt *id proptèr*

quod res dicuntur quales: at ſubſtantia non operatur primariò per qualitatem, niſi diſponendo ad ſui conſeruationem, aut ſibi ſimilis generationem; quod non attenditur in ſapore, quo ordo vniuerſalis poſtulat conſeruationem nutriendi; & diſtributionem nutrimenti. ſic ſapor eſt actio vaporis erumpentis, & diſiuncti ab alimento, non autèm qualitas, per quam agat corpus quale, vt ſic. halitus autèm erumpens ab alimento tanquàm extraneum prodit potentiam alimenti ad alendum. ſic Ariſt. dicit eſſe paſſionem immutatiuam guſtus. ſi igitùr eſt immutatiua, eſt actio, & non paſſio; & pro actione recipitur ab Ariſt. Vti colores ex albo, & nigro, ſic ſapores ex dulci, & amaro ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſat. cap.4. & veluti nigrum priuatio eſt albi in perſpicuo, ità amarum, & ſalſum priuatio dulcis in nutritiuo ibidèm; effectiuè eſt qualitas veluti ſuperiùs de alijs ſenſibus explicatum eſt. Eſt actio, inquàm, inuicèm guſtabilis, & guſtatiui, qua genera eorum, quibus veſcimur, diſtinguantur. Huius ſenſus obiectum dicitur ab Ariſt. tangibile quoddam: quià eſt ſenſus maximè voluptarius: nec eſt ſenſibile per medium aliquod, & extraneum corpus: veluti nequè etiam tactus tali medio percipitur, vt infrà explicabitur; ſed ipſa qualitas in proprio ſubiecto liquido potentiæ, ſeù organo inſidet, & illud tangendo afficit; nempè in ea parte oris, qua eſculentis & potulentis iter natura perfecit. Saporem dixi formalitèr actionem, quia Ariſt. habere ſaporem aliquam naturæ coerentiam cùm odore dixit, quæ actio ex qualitate magis euidentèr exit in odore, qui per medium aerem organo repreſentatur; vndè ea actio exit ab agente antequàm recipiatur in paſſo. At hoc peculiare magis habet ſapor, quod actio in guſtu non recipitur per medium, ſed inuicèm, & ſinè medio guſtabile, & guſtatiuum hanc pariunt ſenſationem. Guſtabile autèm aliud actu eſt, aliud potentia. Actu guſtabile eſt liquor, in quo ſapor guſtatiuo aptatur: guſtabile potentia eſt ſal, quià liquabilis eſt, & ſaporibus omnibus penetrationem, aut relationem cùm guſtatiuo tribuit. Sapores alij dicuntur ſimplices, & extremi vt amarus, & dulcis, ſalſus, & pinguis; alij ſimplicès, & medij vt acris, auſterus, acerbus, acidus; alij verò, qui adduntur a Plinio lib. 15. cap.27., non adeò ſimplices ſunt, vt ſuauis, acutus, & vinoſus, & lacteus; ſuauis enim mixtum ſaporem repræſentare videtur ex dulci & pingui; & acutus cum acredine aciditatem: vinoſus eſt dulcis, ſuauis, auſterus, acutus: lacteus prætèr dulce, ſuaue, & pingue peculiarem habet lenitatem.

Guſtatiuum, quod eſt ſenſorium ſaporis, debet eſſe potentia humidum, non autèm actu. Non debet eſſe actu humidum; quià humidum eſt guſtabile; & guſtus patitur à guſtabili; at ſimile non patitur a ſimili. Vndè, ſi lingua fuerit valdè humida diluitur in ea ſapor aduenicus, & guſtatus priori humiditate ſaturus non percipit eam, cui ſapor inſidet, veluti, dùm quis validum ſaporem guſtauerit, non ſentit leuiorem, & ægrotantibus omnia amara videntur, quandò guſtatus organum bile ſuffuſum eſt.

Veluti autèm uiſu lux, & tenebræ percipiuntur; auditu ſonus, & ſilentium; odoratu, quæ odorem habent, & quæ non habent: ità guſtatu iudicantur, quæ ſaporem habent, & quæ non habent. Dicuntur autèm non habere ſaporem non ſolùm, quæ nullum habent, ſed etiàm quæ habent leuem, vt beta; aut prauum, & guſtus corruptiuum, vt abſynthium; quæ verò non habent vllum ſaporem, vt eſt

eſt aqua, ſentimus potiùs ſub ratione tangibilis, quàm guſtabilis; quoniàm aqua, licèt nullum habeat ſaporem, quandò optima eſt, tamen non habet rationem eandem ad guſtum, quam habent tenebræ ad viſum. quippè aqua ſub ratione tangibilis ſitienti aliquam tribuit ſuauitatem, & dulcedinem, vndè dicuntur guſtu aquæ dulces &c. dicitur enim aqua dulcis ob delectationem, quam proportionalem prebet ſitienti ad ſimilitudinem ſaporis dulcis. ità ſub ſpecie tangibilis aqua palatum delectat, vel ſub ſpecie alimenti: atque ità vel tanquàm obiectum potentiæ vegetantis, vel tamquàm obiectum tactricis. Diuerſa autèm obiecta ſunt guſtus, & tactus, quamquàm Ariſt. aſſerat guſtabile eſſe quoddam tangibile, quod quomodò intelligere oporteat, declarat; quià videlicèt non perficitur guſtus ſenſatio per ſpecies intentionales, vt viſus, & auditus, nec per medium; ſed tactu mediante ſenſibilitèr, & manifeſtè, omnia enim ſentimus per medium, ſed in ſenſu tactus medium latet. Ariſt. 2. de anim. T. 114., & guſtus, & tangibile ſimùl cùm medio ſentitur Propterea fortaſsè nonnulli confundunt tactum cùm guſtu: quià dicimur guſtare aquam, quæ nullum habet ſaporem, & ſic guſtatu ſentire primas qualitates, vt eſt frigiditas, & humiditas aquæ; quæ qualitates primæ ſunt obiectum tactus. ſed, ſi ſana mente accipiatur hoc guſtare compræhendetur, dici aquam guſtari per ſimilitudinem; quasi dicatur ſentiri, ſed qùm eadem inſtrumenta ſint tactus organa, & guſtatus; ideò aqua dicitur guſtari: Veluti a Galeno dicitur viſus dolore affici à vehementi viſibili; & auris à vehementi ſono, quamquàm dolor non pertineat, nisì ad ſenſum tactus, cùm quo magìs manifeſtè coniungitur ſemper guſtus; & propterea dicitur tangibile quoddam: quià non nisi tactu perficitur; non quòd ſit eadem potentia, nec ab eodem obiecto, & ſub eadem ratione moueatur; tactus enim eſt quid genericum ex Ariſt. 2. de anima T. 114., & eſt etiam in aure, & pupilla; & ſub hac conſideratione, & guſtus, & viſus, & odoratus dicuntur ab Ariſt. reſidere in corde, & a Gal. in cerebro: tamquàm in membris creditis ab illis principia neruorum, quæ ad propria cuiuſcumque ſenſationis ſenſoria deferantur, & inde ſpecies ad cor, aut cerebrum referant: vt ſuo loco luculentiùs explicabitur.

Extremi ſapores communitèr traduntur amarus, & dulcis. ex Gal. extremi ſunt, & maximè differunt ponticus, & acutus; quod indè deducit, quo conſiderat ſapores emergentes ex mixtione primarum qualitatum; quæ mixtio, ſeù temperies orta ex mixtione, qùm diuerſo modo operetur in corpore denſo, & craſſo, atquè in raro, & tenui: propterea conſiderat, quæ maximè excedunt attenta qualitate, & conſtitutione ſimùl ſubiecti. Notat igitur ſaporem acutum, amarum, ſalſum ſequi caliditatem in temperie ſuperantem: qui ſapores diuerſificantur reſpectu ſubiecti, itaut acutus ſit in tenui, amarus in craſſo; ſalſus in medio. At ſapor acetoſus, ſtipticus, & ponticus ſequantur frigiditatem: ſtipticus in ſubiecto mediæ conſtitutionis, ponticus craſſæ, acidus tenui. Sapor pinguis, dulcis, inſipidus, ſeù aqueus ſequutatur æqualitatem temperiei in diuerſo ſubiecto. pinguis tenui, dulcis craſſo, inſipidus medio conſtitutus; quarè dulcis ſapor, & amarus ſequuntur eandem penè temperiem differentem ſecundùm magis, & minùs; in qua non eſt contrarietas; & præſertìm cum ſubiectum habeant eiuſdem conſtitutionis craſſum videlicèt; ideò amarus ſapor, & dulcis non ſunt ſapores extremi. At ponticus ſapor,

& acutus maximè diſtant, nempè; & ratione temperiei, vt eſt calida, & frigida; quam ſequuntur; & ratione ſubiecti craſſi, & tenuis; quæ ſententia Galeni, & ratiocinatio benè ſequitur, prout etiam à quibuſdam philoſophis commendatur, ſi attenditur ratio qualitatis in ſapore; at ſi attenditur ratio formalis, quam nos dicimus actionem; & finalis, quam ponimus nutritionem, & electionem alimenti, maximè diſtant dulcis, & amarus. vt Ariſt. fatetur T. 107. 2. de anima: quià idem eſt dicere dulce, & guſtum naturæ, & nutritioni aptum, & idem eſt dicere amarum, ac ingratum naturæ, & nutritioni ineptum: quibus maxima conſtituitur diſtantia rationis, & contrarietas. Quod autèm ferunt abſynthium, & quodcumque amarum eſſe ſtomacho gratum, ſequitur ex appræhenſione boni effectus: ſed malè ratiocinando: quippè arbitrantur iuuamento eſſe amara ſtomacho, quià grata ſunt eidem; at contrarium accidit: iuuamento enìm ſunt, quià ſunt ingrata, proptèr quam ingratiam ventriculus aliàs relaxatus contrahitur, & contractione roboratur; præterea pituita, quæ ſtomacho eſſe ſolet moleſta ob frigiditatem, & mollitiem, amaro ſucco ex parte acuitur; & dimiſſo inſipido ſapore, ex inſenſibili fit ſenſibilis, & ingratitudinem ab abſynthio recipiens depellitur. atquè ità ex accidenti ventriculus perpurgatur. imò poteſt etiam bilem purgare, augendo illius amarorem, quò augmento partes magis irritantur, vt vtrumque depellant. atquè ità amaror & dulcedo non ſunt qualitates attendendæ, vt ſequentes temperiem, ſed tamquàm nutritioni inſeruientes, a quo fine qualitatem hanc recipiunt: ſiuè corpus calidum ſequantur: ſiuè frigidum: omne enim dulce eſt, quod nutritioni eſt aptum, omne amarum, quod ineptum: & idem alimentum, vt cynaræ ſol a vni animanti, quod alere ſunt apta, dulcia ſunt, alteri ſunt maximè amara; ex quo manifeſtum eſt amarorem, & dulcedinem determinari ab actione, & facultate alendi: non autèm à qualitate ſecunda emergente ex mixtione primarum.

De Tactu &c.

CAP. XIII.

EAdem eſt ratio tactus, & tangibilis, ait Ariſt., quæ guſtus. ſunt tamèn ſenſus intèr ſe ſpecie diſtincti, & propterea Ariſt. de tactu propriam tractationem vltimo loco poſuit: quià, licèt videatur habere eandem ſedem cùm guſtu, nempè linguam, tamèn ſenſus tactus eſt in lingua tamquàm in ſubiecto partiali: non autèm adæquato ipſius; quandoquidèm ſingulæ partes viuentes, quæ neruorum, membranarumque a capite procedentium habent communicationem, ſunt ſubiectum ſenſus tactus. ideò variæ ortæ ſunt philoſophorum opiniones, vt alij carnem; alij neruum; alij cor; alij cerebrum ſtatuant ſenſorium tactus; caro enìm eſt ſenſorium, quatenùs membranas intertextas habet. membranæ quatenùs nerueam naturam ſapiunt, & cerebro continuantur; cerebrum quatenùs ſpirituum animalium officinam intrà ſe continet: quibus, & caro, & nerui, & membranæ vitales edunt operationes, & propria munia exercent. cor quatenùs eſt ſpirituum vitalium officina, quæ ſunt cauſa materialis ani-

animalium, ſinè quorum aſſidua ſucceſſione animales perſiſtere non poſſunt. propterea dubitat Ariſt. an, caro ſit ſenſorium, an aliquid proportionale carni, an aliud quiddam interius: quià ſunt hæc omnia, at nulla pars per ſe, ſed quatenùs alterius eſt, & ad aliud refertur; datur enim caro interdùm etiam viuens, quæ tangibiles qualitates non ſentit per ſe; vt patet in carne cuiuſlibet viuentis, etiàm ſolutam vnitatem patientis, quam non ſentit, niſì mediantibus membranis, quibus continetur. nec nerui quibus oſſa obligantur, nec nerui alij præciſi, & diſcontinuati, nec cerebro affecto: vt in apoplecticis. imò nec mente diſtracta, & ægemonica occupata. vt in certamine vulnerati vulnus non ſentiunt, ægemonicam voco formam præcipuam cuiuſcumque viuentis, vt in homine ratiocinatrix: in brutis imaginatiua, ad quas potentias omnis ſenſatio terminatur, ac perficitur. Eſt itaque ſenſorium tactus aliquid innominatum, & quiddam interius, inquit Ariſt. veluti eſt innominatum etiàm determinatum obiectum; non enim, veluti viſus obiectum eſt lux, & tenebræ, auditus ſonus; odoratus odor; guſtus ſapor; ità tactus habet determinatum obiectum amplectens calidum, & frigidum: humidum & ſiccum: durum, & molle: aſperum, & leue. ſed quiddam innominatum. Caro verò, membrana, neruus, cerebrum, ſpiritus animalis ſunt medium paritèr, & ſenſorij partes, quià vitam habent, & inuicem continuantur tamquam partes integrantes huius ſenſorij. Ex quo poteſt diuerſo modo eſſe medium ſenſationis caro, atque ſit membrana carni ſuperimpoſita; nam caro, vt pars viuens, & nerueis intertexta, & continuata eſt ſimùl medium, & ſenſorium recipit, & defert ſpeciem intentionalem, aut quasì intentionalem obiecti: membrana autem, charta ſuperimpoſita non percipit qualitatem obiecti; ſed alteratur ab obiecto, ità vt à ſenſorio ſentiatur. vndè per chartam mediantem percipimus durum, & molle, quià charta ipſa non cedens dura repreſentatur carni: quam duritiem non recipiens aer eam non transfundit ſenſorio: veluti transfundit caliditatem, quam poteſt excipere ipſe aer. Caro itaque eſt medium, & ex parte ſenſorium; & per eam fiunt plures tactus ſenſationes: licèt tactùs ſit vna tantùm potentia. Qua de re iure dubitaſſe, ait Ariſt. philoſophantes: quia, ſi aer g. e. eſſet vnum corpus nobis circumſtans adnatum, & viuens, vt eſt caro, & per aerem ità conſtitutum tamquàm per medium perciperetur color, & lux, ſonus, & odor, non poſſemus diſtinguere, quid nam eſſet illud quiddam internum, quo iſtæ ſenſationes diſtinguerentur; ſic lux, ſonus, & odor crederentur vna ſenſatio, quas ſcimus eſſe diuerſas ſenſationes, quià per medium nobis extraneum obiecta nobis ſuas ſpecies intentionales tranſmittunt. iurè itaquè inquit Ariſt. qùm caro ſit medium deferens plures differentias ſenſationum calidi, & frigidi: mollis, & duri; dubitamus, an tactus ſit vnus ſenſus, an multiplex. Imò Ariſt. eandem rationem eſſe ait guſtus, & tactus: & guſtum eſſe tactum quendam; quià vtraque ſenſatio in lingua tamquàm ſenſorio ſimùl, & medio perficitur, & tamquam organo indiſtincto percipimus idem obiectum eſſe frigidum, & dulce; ſic videri poterat eodem ſenſorio percipi diuerſum obiectum; & certè deciperemur, etiam in hac ſenſatione, niſi aliàs manifeſtaretur diuerſitas; quià tactus ſenſatio alibi perficitur, vbi non perficitur guſtatus, vt ad cutem vniuerſam; nec poſſemus ex diuer-

ſi-

tate obiecti arguere apertè, & clarè, diuerſitatem potentiæ. meritò itaquè dubitare contingit, an ſenſus tactus ſit vnus, vel multiplex; & pro vtraque parte ſunt rationes non improbabiles: tamèn, quià poteſt eſſe tangibile obiectum aliquod commune innominatum, quo poſſumus determinare vnam potentiam judicantem plures differentias calidi frigidi, duri, mollis &c. ſicuti eadem potentia viſiua iudicat lucem, & tenebras; album, & nigrum: fruſtrà multiplicantur potentiæ, diſtinguendo tactum. non enim eſt par ratio tactus, & cœterorum ſenſuum; nam alij ſenſus percipiunt vnam contrarietatem tantùm: vt viſus lucem, & tenebras: guſtus amarum, & dulce. auditus acutum, & graue; tamèn iſtæ contrarietates reducantur ad vnum commune genus: nempè viſus ad colorem, auditus ad ſonum, guſtus ad ſaporem. Ità contrarietates contingentes in tactu poſſunt reduci ad genus vnum commune, quod ſit innominatum.

Quòd autèm caro poſſit eſſe ſimùl medium, & ſenſorium, oſtendit Ariſt. probando, poſſe fieri ſenſationem tactus per medium, quod ſit imperceptibile. quemadmodùm ipſum actum tangendi ſe duo corpora poſſunt exercere medio imperceptibili ità vt videantur tamen immediatè ſe tangere. licèt ſe tangat per medium aliquod. oſtendit autèm exemplo eorum corporum, quæ aquæ merſa ſe tangunt. ea enim corpora vda ſunt, & ſic aqua circumdata; &, quandò ſe tangunt ſub aqua, non tangunt ſe, niſì aqua mediante, qua vda ſunt ea corpora: tangunt igitur ſe per medium, & videntur tangi ſinè medio; ità ſenſatio tactus, licèt videatur recipi in carne tamquàm in ſenſorio, recipitur tamquàm in medio imperceptibilitèr diſtincto ab ipſo ſenſorio. Omnes enim ſenſationes fiunt, & perficiuntur per medium: dicuntur autèm viſus, auditus, & odoratus per medium fieri: guſtus, & tactus ſinè medio; quià in illis mediatio eſt magis manifeſta, & obiectum magis diſtans; in guſtu enim, & tactu: qùm medium ſit viuens, ſimùl patitur medium, & confuſa potentia per modum vnius: veluti etiam per modum vnius percutitur ferro clypeus, & caput: quamquàm clypeus ſit medium.

Probatur etiàm, carnem habere rationem medij, quià ſenſibile aliàs poſitum ſuprà ſenſum non facit ſenſationem; ſed tangibile poſitum ſuprà carnem percipitur, ergò caro non eſt immediatum ſenſorium; ſed aliud aliquid intùs exiſtens, quo iudicetur ex effus, quo tangibile ſuperet, & alteret medium, quod potentia non poteſt ſentire, quià illud ſempèr præſens, & obuium habet: ideòque, vt ab aſſueto non fit paſſio, niſi aliquid ſuperueniat diuerſum, quod excedat, ac tranſmutet illam conſuetam medij conſtitutionem; per quam diuerſitatem ſentiatur; Itaquè ab Ariſt. ſenſatio dicitur paſſio, quià recipitur in medio etiam viuente: à nobis dicitur actio, quià iudicio perficitur, & ſenſu agente. Proptereà natura optimo conſilio medium etiàm viuens, vt potè pupillam ſinè colore, aurem ſinè ſono, & incluſum aerem immobilem; nares ſinè odore; linguam pituita ſuffuſam ſinè ſapore; carnem media temperie intèr calidum, & frigidum; humidum, & ſiccum; durum, & molle, vt exceſſus potentiæ poſſent repreſentare: obiectum itaquè tactus innominatum eſt tangibile, & intangibile: dicendo intangibile non quòd abſolutè obiectum tactus eſſe non poteſt, vt eſt color viſus, ſed etiam quòd modicam habet differentiam tangibilis, vt aeris humiditas, & aquæ mollities: vel quod tactum corrumpit, vt ignis calor.

De

De ſenſatione.

CAP. XIV.

POſtquàm egit Ariſt. de ſingulis externis ſenſibus, nempè de ſingularibus obiectis, potentijs, & ſenſorijs, quaſdam affectiones colligit omnibus communes. Et primùm declarat, ſenſus omnes recipere ſenſibilia ſinè materia; qua de re poterat dubitari proptèr ea, quæ retulit de guſtu, & tactu, quæ ſenſationes videntur fieri receptione obiecti, non ſpeciei. Oſtendit autèm ſenſus omnes recipere ſpecies ſinè materia etiam guſtum, & tactum; licèt in his obiectum ad ſenſorium feratur, exemplo anuli; qui, licèt ceræ ſuperimponatur, tamèn cera recipit formam anuli ſecundùm rationem; nec tamèn recipit aurum, ex quo anulus conſtat; ità licet in guſtu, & tactu obiectum pertingat ſenſorium: tamèn ſola ſpecies obiecti recipitur in ſenſorio. Senſorium, licet 2. de part. animal. cap. primo ſit pars diſſimilaris: tamèn, in quo recipitur actus, & potentia immediatè, eſt pars ſimilaris; vt pupilla in oculo; aer in aure &c. Senſus autèm ſubiecto eſt idem cùm ſenſorio: verùm ratione diſtinguntur; veluti diſtinguitur albedo à lacte; quippè ſenſorium reſpondet lacti, & eſt corpus, & magnitudo: ſenſus verò eſt forma, & ſpecies in corpore, & ratio, ſeù potentia illius. Sed poterat aliquis obiicere: ſi in ſenſorio recipitur ſola forma, & ſpecies, quomodò vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum; cui obiectioni reſpondet Ariſt., potentiam ſenſorii pendere ex quadam harmonia, ſeù temperie partium, quæ temperies, & harmonia à vehementi ſenſibili patitur: & eius paſſionem conſequitur ſenſus corruptio. hoc autèm ſubſequentèr ſe habet, & non directè: ſubſequentèr, inquam, corrupto ſenſorio, a quo ea forma recipitur, & hoc euenit, vt Ariſt. exemplo declarat. veluti in lyra per contactum chordarum rationabilitèr procedentem ſequitur harmonia: ſi verò lyricus vnam chordam vehementiùs pulſat, quam alteram, non ſequitur harmonia in aure; & tamèn certum eſt, nullam eſſe læſionem potentiæ auditus. Ità in ſingulis ſenſationibus euenit, vehemens ſenſibile agere in aliquod concurrens ad conſtitutionem ſenſorii, quod ſub alia ratione patiatur, & ex eo ſequatur ſenſus corruptio abſque eo, quòd ſenſus ipſe recipiat materiam: aliud enìm eſt ſenſorium, aliud potentia ipſius: ſenſorium enìm eſt corpus, & magnitudo, quod alterari poteſt, vt tale. Veluti plantæ ipſæ alterantur, & alterantur à qualitatibus tangibilibus vt à calore, & frigore, quibus illis interdicuntur operationes vitales; nàm calore areſcunt, & gelu rigent; quæ, licèt patiantur plantæ à qualitatibus tangibilibus: tamèn non patiuntur, vt ſenſu tactu præditæ, quià non habent hoc ſenſorium tactus. Idem euenit, ſi ſupponatur, vterum eſſe animal, hic patitur ab odore; ſed non poteſt pati ab odore ſub tali ratione, quià non habet vterus ſenſorium odoratus; habet tamèn ſenſorium tactus, & ideò, rationabile eſt, pati ab odore non ſub ratione tangibilis, ad cuius ſpeciem ſuſcipiendam habet idoneum ſenſorium; cui ineſt potentia, quæ ſuſcipit ſpecies, & ad eas refertur; ſic tamèn vt ſpecies agant in potentiam, & ſenſum; & non in corpus, & magnitudinem. albedo enìm eſt ſpecies, quæ admota corpori corpus non dealbat;

nec ſonus ſenare facit; aut alio modo corpus mouet; & pictores non ſpecie, & colore dealbant aliud corpus, ſed corpore colorato, vt ceruſſa; ità etiàm tonitrus, & ſonus, non vt ſonus eſt, ſcindit ligna, ſed aer vehementèr motus, quem ſonus ſequitur, qua proptèr color, & odor non in quolibet medio, & quomodocumquè diſpoſito recipiuntur, ſed in medio, quod alteratum ſenſorium poſſit alterare; ſi itàque medium, aut ſenſorium aliquo modo afficitur, non ſequitur ſenſatio, & hoc modo vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum, non agendo in potentiam, quæ non recipit nisì ſpeciem ſinè materia, & inefficacem; ſed agendo in medium, & organum. ſpecies enìm eſt rei ſimulachrum, & imago obiectum repræſentans, non autèm res ipſa, quæ poſita ſupèr ſenſum non facit ſenſationem; &, quo magìs clarè obiectum repræſentat, cò perfectior ſequitur ſenſatio; ſic vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum ex accidenti; vt nimia lux nimis diſpergendo ſenſorium viſus, & occupando illud, nè poſſit recipere ſpecies debiliores; aliàs ſpecies ſenſibilis habet relationem ad potentiam, quarè, quò magis clara fuerit ſpecies, cò perfectior erit relatio: & nil corrumpitur, nisì a contrario. ſpecies autèm ſenſibilis non eſt contraria, ſed conſona ſenſorio; itàque, quò clarior, cò magìs perfectibilis erit. ex accidenti autèm ſequutum narratur; milites zenophontis per niuem deambulantes cæcos euaſiſſe, vel enim nimio, & & aſſiduo frigore ſpiritus in oculo extinctus eſt; vt refert Albertus in tenebris occluſos d ii, deſijſſe videre; vel oculus perfectiſſimæ operationi ſuetus non ità facilè minus clarum ſenſibile recipiebat.

Non dari niſi quinque narratos ſenſus.

CAP. XV.

N*Iſi aliquis præter quinque ſenſus alia &c.* Ariſt. de ſenſu, & ſenſatione. Cap. 1. Dixerat ab initio lib. 1. T. 7. qui de anima loquuntur, de humana videntur intendere; quià in homine omnia, quæ animæ accidunt, perfectiſſimè creduntur accidere. quo poſito fundamento probat, non dari alios ſenſus prætèr quinque; quià in nobis, in quibus omnes animæ functiones inueniri, credibile eſt, non alij inueniuntur; quasì ità argumentetur. Homini competit quicumque ſenſus ſit in rerum natura: ſed homini non competunt niſi quinque ſenſus; ergò non ſunt nisì quinque. Probatur maior; minor patet inductione. Perfectiſſimum omnium animantium debet habere omnium ſenſuum ſenſorium. ſed homo eſt perfectiſſimum omnium animantium, ergò debet habere omnium ſenſuum ſenſorium. Minor probatur T. 131. quià animalia, quæ non ſunt imperfecta; aut mutilata omnes ſenſus habent; ità vt talpa etiàm videatur habere oculos ſub cute; quòd itàque cunctis animalibus conceſſum eſt, etiàm homini conceſſum credi poteſt. Prætèr hanc probationem videtur etiam inducere aliam rationem Ariſt. hoc modo, ab vnius ſenſationis differentijs arguit pro differentijs cuiuſcumque ſenſus: ità ratiocinando; per ſenſum tactus homo percipit omnes differentias tangibilium, vt ſunt omnes qualitates tangibiles in elemen-

mentis ſubiectatæ, graue, & leue; durum, & molle; aſperum, & læue. ſi igitùr illi conceſſum eſt percipere omnes differentias vnius ſenſationis: multo magis rationabile eſt illi conceſsas eſſe omnes ſenſationes: multò enim maiorem diceret imperfectionem defectus vnius totalis ſenſationis: quàm ſi deficeret vnius ſenſationis pars. Nocumenta ab igne præcauent oculus, & ſenſibilia communia; à terra tactus, in qua figuram, magnitudinem, motum, numerum oculus agnoſcit, ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſibili Cap. primo. Nocumenta ab aere auditus, & per aurem inuiſibilia: à mixtis elementis odoratus, & guſtus. Et ideò ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſibili viſus ignis dicitur: non, quià ſenſorium ex igne ſit; ſed quià ignem ſentiat. ſenſatio autèm, quæ accidit in tenebris, dùm homo palpebras compellit, non eſt ignis; ſed proportione reſpondens igni; dùm enim dilatatur pupilla fulgoris ſenſum edit, quià contingit ex fulgore dilatatio. propterea, dùm non à fulgore dilatatur, ſed ab alia cauſa, fulgoris apparet ſpecies, licèt fulgor non ſit. veluti in ſomnis, quià terribilia quædam occurrentia vigilantibus humores alterare conſueuere: ità, dum eodem modo alterantur ijdem humores ab alia cauſa, ſpectra dormientibus eorumdem terribilium excitant. Propterea ſenſus dati probantur ad euitanda noxia, & proficua comparanda: ſed noxij ſunt omnes exceſſus, proficua media conſtitutio, proficuum eſt ſimile, noxium eſt contrarium; ergò, vt ſimile ſibi proficuum ſimile ſentiat, & contrarium noxium; non erat rationabile conſtrui ſenſoria, niſi ex media conſtitutione, & ſic ex mediis elementis; medium enim eſt ſimile, & conferens medio. & contrarium cuicumque exceſſui; media elementa ſunt aer, & aqua; ergò his reſpondent ſenſoria in animantibus ex Ariſt. T. 130. pupilla enim aquæ, vt ſentiat ignem; ſit enim paſſio à contrario ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſatione cap. 4., auditus verò aeris: olfatus horum alterius. Ignis autèm, quià habet excedentem qualitatem, & corruptiuam, loquendo de qualitate elementari, & tangibili, nullius eſt; loquendo verò de calore perfectiuo, qui proportione reſpondet elemento ſtellarum, & ab Hippocrate dicitur omnia agere, & intelligere, eſt communis omnibus ſenſoriis; nihil enim ſinè calore ſenſorium eſt ex Ariſt. 2. de anima T. 130., reſpondens his, quæ profert Hipp., quià eodem modo ſe habet ſenſus ad ſentire, quo intellectus ad intelligere. Terra paritèr, aut nullius eſt, aut in tactu maximè miſcetur, ex his infert nullum eſſe ſenſorium prætèr aerem, & aquam, vtrumque habet animal, quod mutilum non ſit; ergò nullum aliud dabitur ſenſorium; &, ſi non datur ſenſorium, nequè etiàm dabitur ſenſus; nàm fruſtrà eſſet ſenſus, cuius nullum ſit ſenſorium: ſiuè per medium, ſiue ſinè medio; ſinè medio guſtus, & tactus; per medium viſus, auditus, & odoratus; color obiectum viſus per aquam, & aerem, & quodcumque perſpicuum fertur; aer eſt medium coloris, ſoni, & odoris. ſic, diſcurrendo de his, quæ poſſunt conſtituere ſenſibile; de medio, quod poteſt inſeruire ſenſationi; de ſenſorio, & ratione materiali, & formali pertinente ad potentiam non poſſumus imaginari, nequè concipere alios ſenſus, quàm quinque propoſitos. ſi igitùr nec ſenſibile, nec medium, nec ſenſorium poſſumus aliud imaginari: temeraria eſſet aſſertio ponentium alium ſenſum prætèr dictos. Poterat enim obiicere aliquis Ariſtoteli: dari poſſe alium ſenſum, ſaltèm ad percipienda ſenſibilia communia; ſenſibilia communia

viſu percipiuntur ex Ariſt. de ſenſu, & ſenſili cap. primo, quæ ſunt motus, ſtatus, magnitudo, figura, numerus, vnum &c. Reſpondet Ariſt. huic. obiectioni, concedendo ad ſenſibilia communia neceſſarium eſſe ſenſorium, ſed addit, adeſſe hoc ſenſorium, quià hæc ſenſibilia communia percipiuntur per ſe, & non ex accidenti per nominata ſenſoria: ſic ceſſat neceſſitas conſtituendi aliud ſenſorium, & ponendi alium ſenſum. Probat autèm percipi hæc ſenſibilia communia per ſenſus communitèr poſitos; quià nulla ex his ſenſationibus ſit ſinè motu, ſic motus in omnibus ſenſationibus percipitur per ſe, non ex accidenti. Probat inſupèr, hæc communia ſenſibilia eſſe cùm motu, & potentiam immutare, quod eſt per ſe ſentiri. magnitudo, & figura viſum immutat, & ſtatus per formam motus negatam, per quam ſpecificatur: ſic numerus negatione continui: motus mouet auditum. Qùm igitùr hæc ſenſibilia communia per ſe immutant potentiam, ſi haberent aliud ſenſorium, ab illo ſentirentur per accidens, & fruſtrà eſſet, & non proprium eorum. ſenſibilia enim iſta communia videntur concipi cùm aliqua illatione; & ideò habere ſenſorium ſaltèm internum: at Ariſt. oſtendit, hoc percipi per illationem, non eſſe ſentiri, niſi per accidens; vt dùm viſu percipimus dulce, quià hoc album eſt, aut Cleonis filium, quià paritèr albus eſt: color enim eſt proprium obiectum viſus; ex accidenti autèm eſt, hunc colorem eſſe in ſaccharon, aut in Cleonis filio: ita vt nos, videndo albedinem in vtroque, vel dicamus videre dulce, & ſic ſenſorio coloris obiectum guſtus: vel videre Cleonis filium, videndo figuram, & magnitudinem ipſius, ſic diceremus ſenſorio externo, quo percipimus figuram, magnitudinem &c. Cleonis filij, percipere obiectum interni; vt eſt prima ſubſtantia, nempe Cleonis filius.

Oſtendit demùm Ariſt., ponendi hos quinque ſenſus neceſſitatem: & ex ea determinata, & definita numerum ſufficientem magis probat; poſſet enim aliquis dicere. Si ſenſus non ſunt plures quinquè dictis, quià fruſtrà ſit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, quarè non poterant hæc omnia obiecta vno percipi ſenſorio. vt g. E. oculo poterat color percipi, & ſonus, & odor, & ſapor; & tangibile, aquà enim pupillæ, & color, & odor, & ſapor poterat percipi per ea, quæ ſuperius tradita, ſunt; aere antè aciem cornea incluſo ſonus, & membranis tangibile, vti ſequitur. quarè fruſtrà data videntur plura ſenſoria. Problematicè primò reſpondet Ariſt. huic dubitationi, eſſe poſſe primùm, vt minùs lateant conſequentia, & ad cognitionem magis diſtinctam rerum habendam. conſequuntur enim ſe color, & magnitudo; quarè, ſi idem ſenſorium vtrumque ſenſibile perciperet, confunderetur iſta ſenſatio: nequè diſtingueretur color à magnitudine: veluti, ſi viſus ſenſorium, vt pupilla non eſſet perſpicua, & indifferens ad percipiendas omnes colorum differentias; ſed eſſet g. e. alba: omnia obiecta viderentur alba, & diuerſitas eorum confunderetur in ſenſorio: veluti in lingua bile ſuffuſa omnia videntur amara. ad euitandam igitùr huiuſmodi confuſionem, data eſt diuerſitas ſenſorii; quæ ne quidèm ſatis eſt ad hanc diuerſitatem oſtendendam; niſì detur etiàm ſenſus internus, qui communis dicitur, de quo proximè agendum.

De ſenſu communi.

AD oſtendendam hanc diuerſitatem fruſtrà videtur addi ſenſus communis. quia facultas diſtinguendi ſenſatum per viſum, a ſenſato per guſtum, album a dulci, videtur potiùs pertinere ad mentem; Hippocrates enim ait, quicunque aliqua corporis parte dolentes dolores non ſentiunt, his mens egrotat. vt latiùs explicabitur, quandò in tractatione peculiari de re medica dicendum de variis inſomniæ generibus, & de officio ventriculorum, ſeu cellularum cerebri.

De Memoria, & Reminiſcentia.

PRoponit Ariſt. inquirendum de cauſa formali memoriæ, & reminiſcentiæ quid ſit; & de cauſa efficiente, & finali, propter quam cauſam, & de materiali, cui animæ partium hæc paſſio accidat, quod ſubiectum non ſolum peculiare videtur huius paſſionis genericè ſumptæ, ſed etiam ſpecificè magis radicari videtur in vna animæ parte memoria: in alia reminiſcentia, quod experimento deducit, quoniam frequentèr qui torpidi, & tardi magis pollent memoria; qui verò dociles, & veloces meliùs reminiſcuntur. vndè, qùm ex Gal. animi mores corporis temperaturam ſequantur, & ex Ariſt. omnes animæ paſſiones videantur eſſe cùm corpore, ſequitur diuerſam animæ partem ſequi memoriam, diuerſam expoſci in reminiſcentia.

Pro his determinandis quærit primò Ariſt. quid ſit memorabile, hoc eſt cuius rei ſit memoria, & concludit memoriam eſſe facti; ſed intercepti ab alijs intermedijs operationibus animæ: non enim futuri, nequè præſentis eſt memoria; ergò erit præteriti. Probat non eſſe futuri: quià futuri eſt opinio, & ſpes, & ſcientia quædam, qua ſperata prædicuntur, & dicitur ſcientia diuinatiua; quæ non eſt opinio, quià opinio eſt cùm formidine; hæc autèm in ſpe fundata pro certa habetur; &, quæ prædicuntur ab his, qui tali ſcientia præditi ſunt, ſequntur. probat non eſſe præſentis, quià præſentis eſt vel ſenſus, vel ſpeculatio; ſequitur ergò memoriam eſſe præteritorum; & præterita tantùm eſſe memorabilia. Ex his elicitur, quid ſit memoria, *eſt enim habitus antè actæ ſenſationis denuò phantaſiæ repræſentatus*: ſic nequè ſenſus eſt, nequè exiſtimatio; quià ſenſus eſt rei præſentis, non autèm antè actæ; probat autèm eſſe habitum antè actæ ſenſationis: non autem intellectionis, quià intellectio eſt animæ rationalis; at alia etiam multa animalia inrationalia memorantur; ſequitur itaquè non ſubiectari in anima rationali: &, quià poſſet aliquis ſubiicere: homines memoria repetere: triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis: cuius non eſt capax ſenſus, ſed ratio. animaduertit: catenùs tantùm nos memorari triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quià hanc ſententiam audiuimus, & tanquam auditam ſpeculamur; ſic memoria non eſt intelligibilium, niſì ex accidenti: quatenùs primariò eſt phantaſmatis, & ſubſequentèr contingit phantaſmata ſpeculari. Cauſam efficientem nullam aliam videtur aſſignare, niſì impreſſionem quandam factam à ſenſibili in phan-

taſia : veluti fit impreſſio anuli in cera, & figura in tabula : in qua, nil fuerit depictum ; quo exemplo vtitur, quià ad memoriam requiritur media quædam conſtitutio intèr molle, & durum ; veluti eſt in cera ; namquè in corpore magis molli non remanet figura, in magis duro non recipitur. vt experimur, in pueris, quià molles nimis ſunt, rerum memoriam non perſiſtere ; in ſenibus non imprimi. ideòque, nec pueros, nec ſenes memoria pollere. Dubitatur autèm : an memoria repetatur hæc immago impreſſa in anima, an res ipſa, quæ immaginem impreſſit. reſpondet contingere vtrumque : quod oſtendit exemplo picturæ, per quam aliquod animal repræſentatur ; quæ pictura poteſt conſiderari vt pictura & ſecundùm, quod eſt ; & poteſt conſiderari, vt repreſentans animal, quod pictum eſt. ità in memoria repræſentatur ſpectrum ipſum phantaſmati impreſſum, vt habitus : & etiam vlteriùs progrediendo, repræſentatur res ipſa quam hoc phantaſma impreſſit ; ex quibus concludit memoria cauſam formalem eſſe habitum paſſionis olim impreſſæ : ſubiectum, & cauſam materialem eſſe primum ſenſitiuum : cauſam efficientem potentiam primi ſenſitiui, vt phantaſma ; cauſam finalem non clarè explicat, ſed poteſt deduci, vt iuxta exigentiam rerum agendarum, aut ſpeculandarum poſſit anima ex promptuario proprio depromere, quæ neceſſaria ſunt. qùm vno, & eodem tempore nequè intelligi, nequè ſentiri poſſit, nisi vnum.

Differt autèm memoria à reminiſcentia primo ratione formæ ; quià reminiſcentia non eſt ſimplex paſſio, & receptio antè acti habitus ; ſed eſt actio, & inquiſitio cùm illatione, per quam hoc illud deducitur ; vndè ſequitur etiàm, differre ratione ſubiecti : nam reminiſcentiæ ſubiectum eſt anima rationalis, cuius eſt inferre, & ſylogizare ; vndè homo tantum reminiſcitur, & hoc fit concurſu voluntatis quærentis memoriam anteà rorum, proptèr quod ; ſi eius, quod quærunt, non reminiſcuntur, contingit contriſtari ; quod non accidit in brutis animantibus, ſi non meminerint. ea enim habent quidèm rerum memoriam ; ſed non inquirunt, nequè ſilogizant, aut illationem vllam faciunt per memoriam, quam dicunt localem. quandocumquè igitùr repetitur aliquid animo ſinè inquiſitione, aut illatione, ea eſt memoria ; at eſt reminiſcentia, veluti ſi quis repetat animo carmen. *Arma, virumque cano, Troia qui primus ab oris &c.* ſi ſinè vlla illatione, & inquiſitione hoc carmen repetitur, dicimur memorari ; ſi verò pars carminis memoria reſumatur, pars verò non reſumatur : dùm pars, quæ non reſumpta eſt, per ea, quæ memoria repetita ſunt, inquiritur, ſi hac inquiſitione, & illatione verborum antecedentium carminis totum carmen reſumatur : hoc dicitur fieri per reminiſcentiam, non autèm per memoriam ; quam illationem nequeunt exequi bruta animantia, ſed tantùm; quæ ratione vtuntur, eſt enim reminiſcentia quando quæritur renouatio memoriæ collapſæ.

De

De Somno, & Vigilia.

QVoniam protulerat Ariſt. *ex eo quòd anima ineſt, & ſomnus ineſt, & vigilia*: ad notitiam de anima videtur pertinere, quid ſit ſomnus, & vigilia; an ad animam pertineant, vel ad corpus: an verò ſint affectiones & animæ ſimùl, & corporis; quænam ſit cauſa efficiens ſomni, & vigiliæ; quæ cauſa finalis; an viuentibus omnibus competat dormire, & vigilare; an verò aliqua viuentium ſempèr dormiant: aliqua ſempèr vigilent: aliqua neutrum recipiant: aliqua vtrumque.

Quid ſit ſomnus, & vigilia.

SOmnus eſt reciprocatio ſpirituum ad interiora, vt facultas nutriens alimenta dimiſſa in ventriculum conficiat, & diſtribuat: Vigilia eſt effectio ſpirituum ad exteriora, vt facultas animalis alimenta nutrienti neceſſaria in ventriculum paret. Dicitur primo ſomnus reciprocatio, ſeù contractio, & reuocatio ſpirituum ad interiora potiùs, quàm quies; quia verè in ſomno animal non quieſcit abſolutè, ſed ex parte; &'ideò ſomnus abſolutè non poteſt dici quies, nequè finis iſtius functionis eſt, vt ſpiritus quieſcant, vt plerique exiſtimant, ſed vt conuertantur ad aliam actionem. dicitur autem quies rerum, quià *ſpecies quietis eſt laboris mutatio*; hinc pateat, quarè malè definiant ſomnum, qui cauſam illius finalem ſtatuunt, vt homo functiones animales obire poſſit. qum ſit ſomnus, vt homo à functionibus animalibus deſiſtat, & ferietur; &, qui exiſtimat ſpiritus reuocari in cerebrum, vt quieſcant, & ideò poſſint valentiùs animales functiones obire: malè videtur callere ſpirituum naturam, quæ ſolo motu ſuſtinetur, quiete verò torpet, & deteritur, & dùm dicitur.

Quod caret alterna requie durabile non eſt

non de ſpiritibus verificatur; ſed de aliorum inſtrumentorum natura, quæ ad varia munia obeunda in ſomno, & vigilia parata ſunt; ait Ariſt. *impoſſibile eſſe ſemper agere*: intelligendus primo de actione ſingulari, debet enìm dari reciprocatio actionis; &, licèt ſpiritus ſemper agat, quià non agit ſempèr eodem modo dicitur ceſſare à motu, quandò motum mutat: verificatur etiàm ſententia Ariſt. quià ſpiritus corpus eſt, & ideò ipſum quoquè animæ inſtrumentum, cui tanquàm corpori competit duratio determinata. ſic impoſſibile eſt ſempèr agere; ſpiritus verò ſolo, & perpetuo motu ſuſtinentur; itaut pueri, qui plurimum habent calidi innati, & proptereà multo ſpiritu abundant, adeò motui ſunt prompti, vt perpetuo agitentur; nec poſſunt ſomnum aliquando admittere, niſì aliàs earum corpus in cunis agitetur. omninò enìm quieſcere vix poſſunt. ſomnus itaquè non eſt quies, ſed functionis mutatio, quam dicimus reciprocationem ad interiora. Vigilia verò dicitur effuſio ſpirituum ad exteriora: quià, poſtquàm confectum, & diſtributum fuerit aſſumptum alimentum ad munia vitæ exercenda, neceſſarium eſt aliud, atquè aliud quærere, diſtinguere, conficere, & admittere iterùm in ventriculum: ad quæ opera exercenda neceſſaria eſt ſenſationum excitatio, & adminiſtra-

ſtratio, ac motus localis; & inſtrumentorum ad id paratorum, quæ animantur, & reſtituuntur proprio actui per ſpiritum hunc, qui dicitur influens; ex quo, & ex implantato cuiuſcumque partis ſiuè internæ, ſiuè externæ tamquàm ex materia, & forma conſtituitur pars in eſſe perfecto, & actu proximo ad quamcumque operationem ſiuè internam, ſiuè externam; prout iſte ſpiritus influens ad interna, vel ad externa mouetur ad actuandam partem habentem ſpiritum implantatum. Contraria itàque ſunt ſomnus, & vigilia non operæ, quià vtraque affectio ſubſequenter ſe habet, & in eumdem tendit finem, nempè in nutritionem, & vitam; ſed contrarietas eſt in motu ſpirituum, qui vigilantibus ad externa eſt: dormientibus ad interna; nec propriè priuatio vigiliæ ſomnus eſt, ſed terminus; & eadem anima in ſomno vtitur his, quæ in vigilia comparauit. qùm igitùr ſomno terminetur actio vigilantium, dicitur ab Ariſt. ſomnus priuatio quædam vigiliæ. non tamèn inquit eſt impotentia ipſius ſenſitiui: nàm amentia, præfocatio, & animi defectus faciunt hanc impotentiam ex Ariſt. de ſomno, & vigilia cap. 4., at opponi, quia ſpiritus diuerſo modo feruntur in hoc, atque in illo. ſomnus dicitur vinculum: vigilia ſolutio, & remiſſio.

Cuius ſit Somnus, & Vigilia.

SEcundò inquirendum propoſuit Ariſt. an ſomnus functio animæ ſit, vel corporis: an vtriuſque ſimul. Non pertinere propriè ad animam, ſuadetur, quià anima nihil valet ſinè corpore naturali, quod eſt ipſius inſtrumentum. Nequè pertinere ſingularitèr ad corpus, quià corpus inanimatum nullam functionem habet: ſupereſt igitùr pertinere ſomnum ad corpus, & animam: hoc eſt ad ſuppoſitum ex corpore, & anima compoſitum.

De Cauſa efficiente ſomni, & vigiliæ.

VT Inueniat Ariſt. cauſam efficientem ſomni, & concurrentia ad hunc effectum; proponit cauſam finalem: de qua ſubſequentèr agendum. Cauſa finalis ſomni, & vigiliæ eſt ipſum nutrimentum, & augmentum viuentis, vt eſt oſtendendum. Nutrimentum autèm omnibus vltimum eſt ſanguinis natura, ſiuè ſit ille humor rubens, quem ſanguinem vulgus omne appellat; ſiuè ſit aliquid illi proportionale; color enim naturam variare non facit; ventres ſanguinis nutrientis ſunt venæ: principium cor. quandocumquè igitùr ſanguis defecerit: ſeù, vt genericè loquamur, & magis ex natura. quandocumquè deficit alimentum, excitatur facultas ad comparandum illud, & vigilia oritur: quandocumquè verò fuerit comparatum alimentum, & in ventriculum dimiſſum, defertur ad ve-

venas, quæ repletæ vaporem, ſeù ſenſum recepti alimenti tranſmittunt in cerebrum: quâ propter ventriculi cerebri his vaporibus moniti (exiſtante cauſa ſinali fundendi ſpiritus ad parandum alimentum,) eoſdem ſpiritus reuocant, & concludunt, & his ventriculis conniuentibus, conſentientes partes cùm his continent, & ſenſus omnes hebetant; ſic ſomnus oritur; & præſertim poſt cibum. ſit etiam ſomnus poſt laborem, vt animaduertit Ariſt. quià labor, & motus colliquant, colliquamentum autèm eſt quaſi quoddam alimentum inconcoctum; quarè, tanquàm ab extrinſeco venas ingrediatur, eandem habet actionem, aut quasi eandem, quam habet nutrimentum exteriùs receptum; eundem effectum, aut ſimilem etiam pariunt morbi ſabricitantibus, & lethargicis; quod tamen diuerſa ratione accidere ſuo loco manifeſtabitur; in lethargo enim vel conniuent ventriculi cerebri aliqua phlogoſi ex materia pituitoſa imbuti, quo impeditur fuſio ſpirituum: vel ipſi ſpiritus fundendi ad partes ægrotantes dimiſsi retrocedunt ab illis fugientes, vt euenit in cancrena: a qua ſempèr lethargici moriuntur. Somno etiam ſimilis dicitur epilepſia, quià in hac ventriculi cerebri materia lenta, & craſſa clauduntur, & fit quid ſimile ex morbo, quod ex natura eſſet faciendum. Pueris prolixior ſomnus contingit, quià venæ in his anguſtæ ſempèr alimento repletæ permanent: ideoque vigilia minùs opus habent, vt repleantur. itèm calor eorum innatus, & perſiſtens eſt, nec facilè reſoluitur, niſì incendatur. idcircò vinum pueris non confert, quo ſpiritus incenduntur. ob eandem cauſam pingues, quique tenues venas habent, & frigida humiditate circumſeptas; & pomiliones; & qui aliàs magnum caput habent, ſomnos prolixiores, & magis profundos habent; quià his nutrimentum non adeò celeritèr reſoluitur, quandocumque abſumptum fuerit; & calor intùs augetur per circumobſiſtentiam frigidarum partium externarum; internæ verò partes incaleſcunt in ſomno, & calor ab his ad pedes, & extremas partes funditur, tamquàm centro reſpondentes. His facilè ſoluitur dubitatio. quarè, ſi ſomnus refrigeratione fit, cauſetur à vino, & calidis alimentis; hoc enim euenit, quia fames eſt ad parandum alimentum, & vigilia eſt ad parandum alimentum. fames autèm appetentia calidi, & humidi. qùm igitùr calida ingeruntur, expletur fames, & appetentia: & conſequentèr deficit finis conquirendi alimenti; ſic repletio infrigidat, quia repellit ſpiritus ab hoc opere quærendi alimentum; vel calida euaporatio in cerebrum delata vt in partem noſtri corporis frigidiſſimam concreſcit, & naturam mutat; vt facit omnis euaporatio calida, quæ in frigidum corpus lata concreſcit, & fit aqua.

Vigiliæ autèm cauſa efficiens eſt alimenti defectus, & comparatio. qùm enim nihil ampliùs eſt alimenti, quod confici poſſit in ſomno: ſpiritus in eo opere occupati: qùm ocioſi permanere nequeant, ſoluuntur, & homo expergiſcitur, & ſenſus, & facultas motiua iterùm excitantur ad paranda alimenta.

De Cauſa finali Somni, & Vigiliæ.

FInis ſomni, vt ex relatis colligi poteſt, eſt alimenti confectio, & ſanguinis perfectio intrinſecùs paranda: finis vigiliæ eſt comparatio eiuſdem nutrimenti, electio, confectio, & dimiſſio in ventriculum. quippè vigilantes quærunt alimenta, vigilantes agnoſcunt, & odore, & ſapore diſtingunt, & eligunt, vigilantes ore conficiunt, & dente, & vigilantes in ventriculum dimittunt; in qua functione vigilantis actio circà nutrimentum ſiſtitur: vtriuſque autèm, tàm ſomni quàm vigiliæ finis eſt nutritio, & augmentum.

An viuentibus omnibus competat Dormire, & Vigilare.

QVoniam diximus ſomnum datum eſſe viuentibus à natura proptèr nutritionem; nempè vigiliam ad paranda alimenta exteriùs, & ſomnum ad eadem interiùs conficienda. dubitari rationabilitèr poteſt; an, ſomnus, & vigilia competat omnibus viuentibus, quibus competit nutritio; quod apertè negat Ariſt. dicens competere tantùm his animantibus, quæ ſenſu prædita ſunt, & dubium relinquit de teſtaceis. quam ſententiam Ariſt. tueri poſſumus, ſalua etiàm prædicta cauſa finali: namque, licèt ſomnus, & vigilia ſint affectiones directæ ad nutritionem: ſunt directè vltima intentione, non autèm immediata; immediata autèm ſunt directæ ad parandum alimentum exteriùs, & ad conficiendum interiùs non ſimplicitèr; ſed, quandò opus ſit. At iſtæ affectiones ad parandum alimentum exteriùs non ſunt neceſſariæ in his viuentibus, quæ alimentum ſufficientèr promptum habent: vt plantæ, quæ proptereà neque ſenſu, neque motu locali opus habent: nec proptereà poſſumus inferre: quia plantæ ſemper promptum ex terra habent, & ſufficiens alimentum, ideò ea functione præditas eſſe, quæ huic miniſterio data fertur; & ſic ſemper dormire. quià Ariſt. ait, ſomnum ſupponere præcedentem vigiliam, & de ratione eius eſſe, ſuccedere vigiliæ, & inuicèm reciprocari. ſi igitùr plantæ non vigilant, nequè etiàm propriè poſſunt dici dormire. quamquàm non eſt negandum: licèt non dormiant, nequè vigilent, habere aliquid proportionale ſomno hyeme, & vigiliæ æſtate: quià hyeme, & vere videntur ſibi alimentum aſſumere per radices, & in corticem, & medullam digerere, & ſic intùs operari, & quaſi dormire; æſtate verò folia texunt, ramos extendunt, fructus edunt, ſemina conficiunt, & alia exteriùs operantur, vt cætera viuentia, dùm vigilant. cæterùm plantæ videntur ſemper dormire, & puer in vtero, dùm viuit vitam plantæ, & paratum habet alimentum. Ità, & terræ globus, dùm foſſilia intùs, & mineralia aſſiduò generat. Cœleſtia corpora videntur ſempèr vigilare perpetuo, & inrequieto motu acta. Simplicia verò elementa neutrum recipiunt nequè ſomnum, nequè vigiliam. Animalia verò, quæ ſenſu prædita ſunt, vtroque propriè participant, nempè & ſomno, & vigilia:

quià

quià ſomnus eſt quasi ſenſus ligamentum, quod non poteſt contingere his, qui ſenſu carent. At quià ſenſus prorsùs non ſopiuntur in ſomno; ſed dormiens pituitæ ad os labentis ſaporem excipit, & ſi quis odor emergat aut triſtis, aut gratus, ſimile quid in ſomnis, aut proportionale excipitur: ſimphoniæ audiuntur; & opus eſt palpebris oculos obducere, ne videant: ideò dicendum, hanc ſenſuum obligationem eſſe potiùs ſenſus communis, quàm ſingularis organi. namquè pituitæ labentis dulcedo mellis phantaſma excitat, culicis ſonitus tubæ ſonum repræſentat; ſic ſenſatio ſequitur, ſed non ſenſatio ſenſationis; quod munus eſt ſenſus communis, & tactus, qui ſubiecto idem eſt cum ſenſu communi. Somnus autèm animæ actio potius poteſt dici, quàm paſſio; quià ſenſus obligantur, & quandò obligantur ex natura, quæ eſt principium actionum motus, & quietis; quippè etiàm ex defectu animi ſenſus deficiunt, nec tamèn iſta defectio ſomnus dicitur. In deliris homo non videt, nec audit, nec propterea dormire dicitur; &, ſi venæ in collo apprehenduntur, & obligantur, ſenſus omnes eripiuntur, & homo habetur tamquàm ſomno confectus, nec tamèn pro dormiente habendus.

De Inſomnijs.

Quoniàm in ſomnis videmur eadem munia exercere, quæ vigilantes; videre, audire, odorari, guſtare, moueri, ludere, loqui, argumentari, diſcurrere; poſſumus vix credere animam hæc omnia exequi nobis dormientibus, quæ exequitur vigilantibus, atque ita ſomniare nihil aliud eſſe, niſi ſentire, & diſcurrere. At Ariſt. animaduertit, aliud aliquid eſſe ſomniare à ſentire, & opinari: quià ſentire eſt, obiectum ſenſibile ſenſorio excipere; at ſomniantibus nullum eſt obiectum præſens; &, eſto ſit obiectum, ſenſorium non eſt promptum ad illud expediendum; nam oculi ſunt clauſi, & os, aures, & nares hebeſcunt; &, ſi quis dormiens tangitur, tangentem non ſentit. vndè concludit ſomniare, non eſſe ſentire. Neque etiam eſſe intelligere, probat, quià in ſomnis non ſolùm repræſentantur animæ ſubſtantiæ, quæ poſſunt credi obiectum intellectus; ſed etiàm colores, & ſapores, qui ſunt obiectum ſenſus; & tamèn ſcimus nequè eas, quas ſubſtantias vocamus, eſſe ſubſtantias, nequè colores, & ſapores, eſſe verè tales: quam deceptionem non ſolùm agnoſcimus, quandò expergiſcimur; ſed etiàm aliquando ſomniantes nouimus, ea nos videre per ſomnium, nec verè ſentire, quæ ſentimus, nec verè intelligere, quæ intelligimus; ſed etiam ſomniantes animaduertimus, ſomniare. ſi itàque nouimus diſtinctum quid ſomnium à ſenſatione, & intellectione: certè non erit nequè ſenſatio, nequè intellectio. Imò, quandò dormientes intelligimus, nos ſomniare: dummodo certè intelligatur, quod eſt ex hac parte non verè ſomnium, ſed datur interliminium intèr ſomnium, & vigiliam; quo tamquàm dormientes ſomnia cernimus, & tanquàm vigilantes animaduertimus, viſum illud eſſe ſomnium. veluti etiam in eadem ambiguitate dormiendi, & vigilandi; verè obiecta ſenſuum excipimus, & arbitramur ſomniare; vt quandò dormienti lucerna offeratur oculis non prorsùs conniuentibus, ille ſe in ſomnis videre credit, quod verè videt: ità vt; ſi lu-

men rememoratur experrectus narret, ſe lucem ſomniaſſe. ita, ſi quis obloquatur in aurem dormientis; putabit ſomniare loquutionem, quam verè audiet. In quibus caſibus, veluti ambigua eſt dormientis, & vigilantis conſtitutio: ita ſpectrum medium eſſe poteſt intèr ſomnium, & ſenſationem; nàm qui nocturnas pollutiones patiuntur; copulam ſomnio percipiunt in qua, quo fœminam tangere, & contrectare ſibi videntur, ſomniant, quò verò ad titillationem pati, & delectari, non ſomniant, ſed ſentiunt. Somnium itaquè eſt phantaſma, quod dormientibus repreſentatur in quantum dormientibus; quod quibuſcumque animantibus accidit ſecundum animæ potentiam, qua pollent; hominibus enim phantaſmata etiam diſcurſus, & ratiocinationis occurrunt: ſic tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ potentiæ paſſio ſomnium eſt; quælibet enim animæ vis ſempèr operatur, quandocumquè illi obiectum proportionatum offeratur ſiuè obiectum ſit reale, vt vigilantibus, ſiuè phantaſticum, vt cogitantibus; quod obiectum phantaſticum poteſt offerri, & vigilantibus, & dormientibus: in ambobus enim eadem vis animæ eſt. vigilantibus dicitur cogitatio, dormientibus ſomnium; excitatur autèm phantaſma illud ab aliqua proportionali ſenſatione interius emergente: veluti, dùm dormientes alimenti difficultate laborant, & anguntur, quum non poſſit in illis ex eo labore excitari phantaſma directum, excitatur proportionale. ſic ſomniant aut in certamine angi, aut a belluis pati; ex quibus elicit Hippocrates, qui elegans inter medicos dicitur ab Ariſt., ſomnia multum conferre ad hominum diſpoſitiones comprehendendas; quippè, ſi laborioſa occurrant in ſomnia, mala aliqua diſpoſitione laborare hominem colligit; quià, quandò ſuppoſitum dormit, animam vigilare arbitratur; quæ homine vigilante diſtracta, & occupata ad varias functiones corporeas, quandò ſenſus ſopiuntur, ipſa vires ſuas colligit, & corpus ipſum, quod Hipp. animæ domum vocat, peruadit, & tamquàm gubernatrix, & rectrix partes eius omnes regit, & [illegible] in [illegible], ſi vnà cùm organo aliquid patiatur, phantaſmata eiicit ſibi paſſioni conſona, quæ paſſiones ſi iucundis reſpondeant, quæ occurrunt vigilantibus, omnia intus rectè diſpoſita inueniſſe ſignificatur: ſi verò reſpondeant moleſtis, iuxtà modum, & vehementiam moleſtiæ aliquam malam conſtitutionem inueniſſe intus præſentit: veluti, ſi alimenti tranſitus liber, & humorum motus, & temperies ſecundùm naturam ſunt, homo interdiu, aut noctu Solem, Lunam, & Stellas puras, atque agilia ſolitum curſum peragere ſomniabit; & præſentem habitum conſueta viuendi regula conſeruandam præcipit Hipp. de in ſom. T. 5. Si verò Sol, & aſtra dormienti offerantur extincta, aut ſtantia, aut diſtracta prauam ſignificant corporis diſpoſitionem. Aſtrorum ſpectra in ſomnis exterioris corporis circuitus ſignum exhibent: Solis medii; Lunæ cauitatum. Aſtra, quia in toto cæli ambitu ſunt, neque phantaſma in ſomnis apparens magis ab vna parte pendet, quàm ab alia, quarè etiam vniforme concipitur. Solis conſpectum conſequitur ſempèr contractio aliqua partium a vehementi luce, quæ vnà neceſſario cum Sole concipitur, & calor, qui à centro effunditur. Luna non poteſt concipi, niſi manca, aut tenebris circumdata; ideoquè ad cauitates refertur, vt Sol ad medium, a quo ſempèr morbi fortiores procedunt. At ſi ſerenitate exiſtente aſtra premitur, & debilia eſſe videantur, & propter ariditatem à curſu ſuo impediri, ſigni-

gnificat periculum delabendi in morbum. ſi ab igneo aliquo corpore, & calido interdicantur, bilis ſecretionem ſignificant, per quam ſenſus ille igneus in corpore oritur, & ex eo phantaſma in ſomnis proportionatum. A quo igneo corpore ſi aſtra occupata diſſipentur, ad mortem tendere ægrotationem ſignificat apud Hipp. quià eius temporibus Luna, & Sol, & aſtra tamquàm diuina quædam numina colebantur: ideoque ipſarum abſumptio angorem maximum inferebat. vndè maxima ſpirituum compulſio indicabatur, a qua tale ſpectrum ſuſcitaretur. Item ſi Sol, Luna, & aſtra in fugam verſa in ſomnis videantur, & eſſe qui ea perſequantur, inſaniam prænunciat: quià vehementem motum ſpirituum ſpectrum iſtud portendit, nec mentis ſanæ eſſe credibile eſt opinari eſſe, qui aſtra perſequatur. de quibus in capite de diuinatione per ſomnium luculentiùs dicetur cum Hippocrate, qui peculiarem tractationem de inſomnijs inſtituit.

De notitia habita per ſomnium.

QVi pingendi artem benè callent ex nubium varia conſtitutione varias figuras repræſentant, & ex craſſæ pituitæ albo pariete promiſcua obumbratione peregrinas interdùm, & admirabiles figurarum delineationes depromunt; & artis addito miniſterio, & modo indito, quæ opinari difficilè erat, effingunt, & mirabili ingenij oſtentatione depingunt. Ità qui verſato pollent ingenio, ex narratis viſis in ſomnis diſcurſu regulato ab his, quæ veroſimilitèr poſſunt accidere, multa interdùm opinantur, & prædicunt, cum à fundamentis fuerint, & proferre non auderent: ideoque dixit Ariſt. diuinationem ex inſomniis neque prorsùs abrogandam, neque vndequaquè recipiendam; & experimento patere aliquam veritatem in hac opinione contineri: & ex aduerſo, ſi iſta diuinatio à Deo eſſet, veriſimile credendum ſapientioribus potius, & egregiis viris hoc conceſſum, quàm cuilibet ſinè electione. Imò viris potiùs infimæ conditionis, & aliàs ignauis; quippè viri, qui ſapientiſſimi habiti ſunt, & præſtantiores philoſophi hanc diuinationem ex ſomniis negant potiùs, & vanam pronunciant. Quamquàm Hipp. intèr medicos elegans appellatus ab Ariſt. inſomniis plurimum tribuat ad cognoſcendas corporis humani diſpoſitiones; ſed, quæ profert Hipp. de diuinatione, ſeu potiùs de notitia, quæ habetur per ſomnia, non eſt diuinatio, ſed ſpeculatio naturalis: ſiquidèm conſiderat ſomnia, vt triſte aliquod, aut iucundum repræſentantia; quod fieri arbitratur per aduerſam, aut ſecundam valetudinem, vt per aduerſam triſtia phantaſmata excitentur, per ſecundam iucunda; & his proportionale aliquod excitetur in ſomnis, per quod ſolers ingenium coniectura aliqua procedens, quæ euentura ſint prænunciat. quæ prænunciatio his, qui cauſas ignorant, & coniecturæ rationem non tenent, dicitur diuinatio; quià quiſque ea, quæ ſuprà captum proprij ingenij exiſtimat, etiàm ſuprà humanam conditionem eſſe arbitratur: cum neminem capere ea facilè credat, quæ ipſe capere non poteſt. Somnia itaque ab Hipp. traduntur tam-

quàm

quàm ſigna præſentis corporis diſpoſitionis, à qua futuram coniectamur. Cauſæ autèm ſomnia futurorum eſſe non poſſunt, niſi ex accidenti: veluti, ſi quis ſe ſomniauerit periſſe, ex quo perturbatio talis animi oriatur, quo ægrotare poſſit, & perire. Ac paritèr ſi quis ſomniauerit ab hoſte ſe interfectum, & timore perculſus hoſtem aggrediatur, vt ab eo timore liberetur, & cotingat in certamine mori. Interdùm ſigna, & cauſæ modo enarrato; ſed plerumquè nequè ſigna ſunt, nequè cauſæ; ſed, veluti multa narrantur olim facta, quæ dùm narrantur, etiàm fieri denuò contingat: ità poteſt accidere, dùm multa ſomnia occurrunt; aliquid ex his, quæ ſomniantur caſu eueniat: & præſertim quià in diuinatione identitas non attenditur, ſed ſatis eſt, ſi aliqua contigerit ſimilitudo ſomnij ad euentum. quod eo faciliùs aptari poteſt, quià, euentu aliquo inſigni dato: multa antecedentia ſomnia poſſunt reaptari, inter quæ multa facilè poteſt aliquod ad euentum aptare: & etiàm futuris, quæ alia de cauſa ſolers ingenium futura fore poſſit ſuſpicari; ideòque hi, quorum loquax natura fuerit, & melancholica, narrantur ſomniorum interpretationi magis idonei. Non itaquè à Deo ſomnia ſunt, niſi vt cætera omnia, de quibus non dubitandum à Deo pendere, at non hæc omnia omnibus.

DE ANIMA
LIBER TERTIVS.

De ſenſibus internis

De ſenſu communi.

CAP. I.

QVoniàm experimento notum eſt, perfectam ſenſationem tunc eſſe, quandò ſentimus nos ſentire: hoc eſt ſentimus nos videre, aut audire. Quo experimento poſito ità ratiocinatur Ariſt. Dùm vidimus aliquid, & agnoſcimus nos videre, vel hæc notitia ſenſationis pendet ab eadem potentia viſiua, vel ab alia. Si eodem viſu ſentimus nos videre, idem ſe ipſum videre dicendum eſſet; vel viſionem, quam vidimus, eſſe colorem; quia iàm decretum eſt, & inductione probatum, obiectum viſus eſſe colorem, ſeù lucem; quod vtrumque videtur abſurdum; quià nec idem poſſe agere in ſe ipſum concepimus: nequè colorem eſſe, niſi in materia; at potentia eſt ſuſceptiua ſpecierum ſinè materia. Supereſt igitur dicendum, nos alio ſenſu percipere viſionem. &, ne detur proceſſus in infinitum, ſtatuendum hunc alium ſenſum, quo percipimus nos videre, non opus habere alio ſenſu, quo ipſe ſentiatur. non tamen eſſe determinatum ad viſum, ità vt vno ſenſu ſentiamus nos videre, alio audire, alio tangere &c. quià, ſi vnuſquiſque ſenſus propriæ ſenſationis eſſet, non diſtingueremus, vt facimus ſenſationem à ſenſatione; vt dulce ab albo. quandoquidèm vnuſquiſque ſenſus ineſt in ſenſorio. in quantùm ſenſorium eſt, eſt ſubiecti ſenſibilis, & diſcernit ſubiecti ſenſibilis proprias differentias, vt viſus album, & nigrum; guſtus, amarum, & dulce &c. At ſenſus diſcer-

ſcernens dulce ab albo non poteſt eſſe vllus ex quinque relatis, quià, ſi eſſet vnus ex his, maximè videretur dicendum, eſſe tactum; hic enim ſenſus maximè communis eſt, & in omnibus animantibus, & in qualibet parte ſingulorum. Sed tactus eſſe non poteſt, quià tactus fit ſinè medio, & album non percipitur ſinè medio. Nec poſſumus imaginari vnum ſenſum inuicèm alium diſtinguere, quià diuerſa obiecta recipiuntur in diuerſis ſenſorijs, quorum alterum non ingreditur iura alterius: veluti enim, ſi ego ſentio aliquid dulce, alter ſentiat album, aut hoc idem, non poſſum ego percipere ſenſationem factam in alio ſuppoſito: ità diuerſa obiecta in diuerſo ſenſorio recepta non poſſunt inuicèm ſentiri: ita vt vnum ſenſorium ſentiat obiectum receptum in alio ſenſorio. namquè vnumquodque ſenſorium dirigitur in proprium obiectum. Neceſsè igitùr eſt conſtituere alterum ſenſum comunem, qui eodem tempore recipiat, & diſtinguant vtrumque album, & dulce eodem inſtanti: veluti eodem inſtanti viſus recipit album, & nigrum; quæ potentia ſenſitiua dicitur ſenſus communis: & eſt potentia ſenſitiua interna realitèr diſtincta à ſenſibus externis, qui feruntur tantùm in proprium obiectum; hæc verò potentia cognoſcit, & diſtinguit ſenſibilia ſingula externa, vel ſenſationes ipſorum. Hoc autèm explicat Ariſt. ex parte probando, & ex parte reprobando Protagoræ opinionem, per quam aſſerebat ſenſibilia eſſe in ſenſibus, & animam ſenſa facere, itàut, ſi nullus ſit ſenſus, nullum crederet eſſe ſenſibile.

Contrà quam determinationem dubitant nonnulli: quià, dum ſenſus viſus percipit lucem, & tenebras: percipit actum, & priuationem, atque ità per potentiam viſiuam cognoſcit, dulce non eſſe album: veluti cognoſcit tenebras non eſſe lucem; qua notitia ſatis diſtinguit album à dulci: dùm vtraque potentia cognoſcit proprium obiectum, & priuationem ipſius.

Prætereà hoc munus videtur æſtimatiuæ in brutis, & cogitatiuæ in hominibus: quandoquidem ex Hipp. quicumque parte aliqua corporis dolentes dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat: ergò mens concurrit ad ſenſationem; &, ſi diſtinguit dolorem à non dolore, diſtinguit etiam quamcumque ſenſationem à priuatione ipſius. Probatur conſequentia ex Ariſt. 2. lib. de anima T. 137. Dolor eſt ſenſatio quædam, & diſtinguitur ſecundùm magis, & minus, ait enim Ariſt. ſenſorium eſt ſuſceptiuum ſenſibilis ſinè materia; vndè & abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſoriis; quæ ad rationem, hoc eſt in certò, & determinato gradu ſenſum faciunt; ſi verò excedunt eum gradum, vel dolorem mouent, vel corrumpunt ſenſum. dolor igitùr ex Ariſt. eſt exceſſus ſenſationis, quam non ſentiunt, qui laborant mente: ergò mens eſt, quæ diſcernit in homine quamcumque ſenſationem tamquàm radix, & principium omnium ſenſationum ſinè concurſu huius ſenſus communis.

Tertiò ſi vnus ſenſus internus, qui dicitur communis, diſcernit omnes ſenſationes, fruſtrà ſunt ſenſus externi; nàm iſte ſenſus communis ſufficit, ad quem terminantur omnes ſenſationes, & eliciuntur ab eo operationes cuiuſcunque ſenſibilis, & actus. quam opinionem declarando, ait, ſenſum, & ſenſibile ſecundùm actum idem eſſe; nempè quandò, quod poteſt audire, actu audit, qui actus dicitur ſonatio, tunc procedit Protagoræ ſententia, quià in eo actu ſonatio, & auditio ſunt vnum, & idem. namquè, ſi actio & paſſio, & motus eſt in eo, quod

mouetur, & patitur, ſonus actu, qui dicitur ſonatio, erit in auditu ſecundùm potentiam, cui actiui, & motiui actus ſit in potentia, quià non eſt neceſsè mouentem moueri: ſic actio non eſt in agente, ſed in patiente, ex quo Protagoras benè inferebat ex ſententia Ariſt. quandò duo corpora ſolida colliduntur moueri quidem aerem, aut quid aeri inſidens, ſed eum motum non habere rationem ſoni, niſi recipiatur in auditus ſenſorio, ſed permanere in eadem generica ratione motus: qui motus determinetur ad ſonum tantum, quandò in ſenſorio auditus recipitur. Atquè ità Protagoræ ſequaces, quos Ariſt. vocat priores naturales, rectè dicebant de ſenſu, & ſenſibili ſecundùm actum. qui, verè hoc modo non eſt ſenſibile actu, quod actu non ſentitur: nec actu dicitur ſentiri, quod tantummodò recipitur in potentia; ſed quod iudicatur per ſenſum communem. tanquàm videns coloratum quoddam, ſit, & vnum quodque ſenſorium ſit ſuſceptibile ſenſibilis ſinè materia, vndè, & abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſorijs. At verò ſi accipiatur ſenſibile, vt ſinè concurſu ſenſus communis, & per proprium actum tantummodò: prout videlicèt, quod potens erat ſonare, quià æneum, actu ſonat; & ſenſus paritèr accipiatur ſecundùm proprium actum, dùm audit, qui poterat non audire; tunc ſonatio, & auditio ſunt duæ diuerſæ eſſentiæ; & Protagoræ ſequaces dicebant non rectè, ſenſibilia à ſenſu fieri, & actum recipere: quià ſonatio eſt in actu, etiàm ſi ſenſorio non recipiatur; & æs verè ſonat pulſatum, & color rationem coloris habet, etiam ſi nullus eſſet oculus. niſi metaphiſicè dicamus, in eſſe oculo cauſam finalem coloris, qua deficiente non daretur color. &, rebus his ſtantibus, color eſt color etiàm extrà oculum. Senſus communis eſt, qui ſenſata omnium exteriorum ſenſuum ſimùl cum ipſis percipit, etiàm cum modica abſentia obiecti.

Præter hanc dictam facultatem ſenſitiuam internam, quæ præſit omnibus ſenſibus externis, datur alia operatio ſenſitiua, quà vigilantibus nobis, vel dormientibus concipimus obiecta etiàm ſinè operatione ſenſuum externorum, & abſentibus ipſis obiectis, quæ potentia interna dicitur phantaſia ex T. 155. & 156. licèt idem obiectum eius ſit, qui ſenſus comunis. idem enim ſignificat apud latinos imaginatio, quod apud grecos phantaſia.

Quandò poſtmodùm hæc obiecta ſimplicia concepta componimus, ità vt ex duobus vnum fiat, ſiuè hoc vnum verè exiſtat, ſiuè non: velutì dùm ex monte, & auro concepto concipimus montem aureum; iſta potentia ſenſitiua interna hac ratione componens dicitur imaginatiua, à Toleto phantaſia diſtincta ab opinione, ſcientia, & intellectu; quià ſcientia eſt ſemper veri, imaginatio autèm aliquando falſa ex T. 157. opinionem ſequitur fides, quæ ſuaderi non poteſt irrationalibus, cuius eſt imaginatio. Hæc etenìm eſt opinio, & ſenſus T. 158. ſimùl. nàm ſenſus oſtendit Solem palmarem, & talem imaginamur; at opinari poſſumus, eſſe terra maiorem, vt eſt. ſic differt imaginatio ab opinione, & ſenſu, & eſt imaginatio motus ab his, quæ ſenſu percepta ſunt, ideò eſt imaginatio aliquando falſa: qùm ſenſus decipiantur circà ſenſibilia, non propria, ſed circà communia, & per accidens. quæ potentia data eſt tàm in brutis, quàm rationalibus hominibus, vt moueantur, & dirigantur ad ſuas operationes etiàm abſentibus obiectis, quorum vice diriguntur, aliàs multæ operationes imperfectæ manerent: nec poſ-

poſſet animal alimentum quærere, nec niſi præſente vti.

Si verò concepimus obiecta iſta ſenſata in ordine ad appetitum; & vnà ſub ratione conuenientiæ, vel diſconuenientiæ; licèt non concipiamus per potentiam realitèr diſtinctam à ſuperioribus: tamèn per hunc modum conſiderandi in ordine ad appetitum virtualem recipit diſtinctionem, & dicitur *æſtimatiua*, ſiuè iudicium, quo multi pollent magis, quàm imaginatiua, & è contrà. qua ex ſpeciebus ſenſatis elicimus intentiones non ſenſatas.

Quando verò non ſentimus, ſed recordamur repetentes memoria obiecta ſenſitiua aliàs recepta in phantaſia. hæc potentia dicitur memoria ſenſitiua; retinet enim, & conſeruat imaginationes tàm ſenſatas, quàm inſenſatas. Quæ potentiæ ſunt in homine communes cùm brutis, quià etiam bruta animantia diſtinguunt dulce à ſonoro; & prædam ſtridentem minùs proſequuntur, & viæ memores, verbera, & caſus memoria repetunt: At ex Ariſt. de mem. cap. 1. phantaſiari, & memorari ſunt paſſiones primi ſenſitiui, quià ab eo pendent, & aliud ſupponunt, & eadem eſt vtriuſque res: nempè motus à ſenſu in actu.

At in homine eſt etiàm potentia ſenſitiua interna, quæ proximè miniſtrat intellectui; & poteſt ſuo modo componere, diuidere, & ratiocinari; quæ dicitur cogitatiua; & per traslationem dicitur cogitatiua, quæ in homine ab Alberto dicitur phantaſia etiam imaginatiua; qua tamèn diſcernimus verum à falſo. ſic eius eſt ſenſus opinio, ſcientia, & intellectus T. 155.

Quoniam verò bruta: licèt memoria repetant obiecta ſenſitiua, vt diximus: tamèn nequè animaduertunt, hæc memoria repetere, nequè repetunt intellectu; ideò hæc potentia, qua homo reminiſcitur de actibus præteritis, diſtincto nomine appellatur *reminiſcentia*; eſt enim memoria, quæ diſcurſum præſupponit.

Hæ omnes potentiæ ſenſitiuæ internæ ad vnam reducuntur æſtimatiuam dictam: vt ſub ratione conuenientiæ, & diſconuenientiæ excitetur in conſeruationem cuiuſcumque ſuppoſiti indiuidui, aut ſpecifici iraſcibilis, & concupiſcibilis; quæ potentiæ his quidèm clariùs, his verò obſcuriùs omnibus inſunt. Iraſcibilis ad euitanda noxia, & diſconuenientia. concupiſcibilis ad proſequenda conuenientia, & proficua, & hæ ſunt præcipuæ potentiæ. aliæ omnes tam ſenſitiuæ, quàm intellectuales huic ancillantur. excepta ægemonica, & præcipua potentia, per quam iraſcibilis, & concupiſcibilis eliciuntur in quocumque viuente tàm vegetabili, quàm ſenſitiuo. vnumquodque enim viuens maniſeſtè per concupiſcibilem proficua ſibi addicit, per iraſcibilem noxia repellit, & videtur nonnullis vna, & eadem potentia, quià in eundem finem vtraque operatur: nempè in conſeruationem ſuppoſiti, aut indiuidui, aut ſpecifici. vt ex *Hipp.* alter trahit, alter protrudit, & idem vnuſquiſque facit. tamèn quia concupiſcere, & odiſſe; & trahere, & repellere ſunt contrariæ operationes, meritò diuerſa corpora habere, & diuerſam rationem potentiæ inducere dicuntur, licèt fundamentalitèr ſint vna, & eadem potentia ſuppoſiti conſeruatis; ſic patet numerus internorum ſenſuum, organa, operationes, & finis.

De

De Intellectu.

CAP. II.

QVoniàm antiqui, vt Empedocles arbitrabantur idem eſſe ſentire, & intelligere, & diſcernere; ideò definiebant animam per duas tantùm potentias, nempè loco motiuam, & intelligentem; quaſi ſentire apud ipſos nihil aliud eſſet, quàm intelligere per ſenſum, ponentes intellectum potentiam corporis, quæ ſequeretur animam compoſitam ex omnibus, vt omnia poſſet cognoſcere. In præſenti oſtendit Ariſt. antequàm de intellectu loquatur; quænam ſit differentia intèr intelligere, & ſentire; & primò tacitè euertit ſententiam Platonis, qui aſſeruit noſtrum intelligere eſſe reminiſci, eo quià anima per ſe omnia intelligat, ſed omnium obliuiſcatur, qùm corporis miniſterio addicta obumbratur. Hoc autèm irrationabile oſtendit Ariſt.; quoniam ignorantia eſt magìs propria animalium. bruta enim omnia hac tenentur, & etiam plurima pars hominum, imò etiam *pauci, quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus* plurimum temporis in tenebris, & in ignorantia degunt. in quam facilis deſcenſus traditur à Platonicis. *facilis deſcenſus auerni. At reuocare gradum, ſuperaſque euadere ad auras. Hoc opus, hic labor eſt*, ſi antequàm homo perfectam alicuius rei ſcientiam adipiſcatur, plurimum ignorantiæ innotuit; quod non ſequeretur, ſi omnia per ſe intelligeret. Itèm pobat differentiam intèr intelligere, & ſentire ex eo, quià ſenſus non decipitur circà proprium ſenſibile, at intellectus frequentiùs decipitur. Itèm ſentire, ineſt omnibus animantibus, at intelligere tantùm hominibus; ergo non eſt idem intelligere, ac ſentire. Quod probatum erat de diſtinctione intellectus à ſenſibus externis, probat etiàm de internis, nempè ſenſu communi, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, & memoria; quas omnes potentias reſtringit Ariſt. ad imaginatiuam, ſeu phantaſiam, & æſtimatiuam: quaſi includant ſenſum communem, phantaſiam, & memoriam. Inquit igitur Ariſt. non ſolùm differre intellectum à ſenſibus externis, ſed etiam ab internis, qui magis defæcati ſunt, & intellectioni proximi: & mediæ potentiæ intèr ſenſus exteros, & ratiocinatricem. Imaginatio, inquit, non fit ſinè ſenſu, nec æſtimatiua ſinè imaginatione; & tamen æſtimatiua eſt corporis, & eam communem habemus cum brutis animantibus, licèt ſublimiore quodam modo, & progreſſu illationum magis rationalium; quod patere, aſſerit, quià æſtimatio regitur à voluntate noſtra, & libero arbitrio. ita vt, licèt voluntas per ſe feratur in bonum, tamèn hoc bonum poſſimus fingere, & proponere nobis arbitrariè noſtro, & diſtrahere intellectionem à veri apprænſione, & deſerere æſtimatiuam ſub ſenſuum regimine; quod non poteſt fieri de intellectione, quià hæc fertur, vel ad verum, vel ad falſum, quod pro vero habeatur; nec [illegible] potentiam aliquam intellectui ſuppeditarent, per quam poſſimus intelligere, & non intelligere. [illegible] ſenſus etiam interni ab intellectu: tantum abeſt, vt intellectus poſſit identificari cum ſenſu. Anaxagoras primus, & Plutarcus arbitrantur bruta, & plantas etiam ratiocinari, & prudentèr agere, vt ex Ariſt. 1. Metaph. cap. 1. apes, & formicæ; vndè etiàm bruta ducen-

tur ab intelligentia, & ratione finis operantur. tamèn eorum intelligentia, quâ diriguntur, non eſt eorum forma: ideoquè, qùm eorum corpori non ſit addicta, non contingit errare. Ideoquè ex Ariſt. 2. de Anima T. 157. nihil illis poteſt perſuaderi: quià ratio eorum regit corpus, ſed non pendet ex corpore, nec quicquam ab eo recipit pro ratiocinatione; ideoque non reminiſcitur brutum, nec facit vniuerſale, nec liberè agit, nec finem noſcit. non enim poſſumus fingere intellectui, bis quinque non eſſe decem, nec illi id ſuadere. Oſtendit imaginationem pendere à voluntate per actus eorum, qui memoriam exercent. fingunt enim ſimulacra quædam ex iam notis per ſenſum, & ex his, quorum memorari intendunt: per quam connexionem vnà cùm notis iam, & claris redeunt ea, quorum volumus memorari, hanc autèm artem nullo modo exercent bruta animantia: licet ipſa quoquè optimè memorentur ex natura; homo autèm etiàm ratiocinando artem adhibet ad memoriam exercendam. vndè colligitur imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam regi à voluntate noſtra, & a ratiocinatione regulari. quò appatet diſtinctio intèr intellectum, & imaginationem. Ac demum hoc idem patefacit, quià ſi terribilia aliqua opinamur, hoc eſt mente contemplamur, quià non poſſumus per intellectum ea compræhendere, niſi ſub ratione veri, vel falſi; ſi vera credimus compatimur; at, ſi hæc eadem terribilia contemplemur non ſub ratione veri, vel falſi; & ſic ſinè concurſu intellectus, & opinatione verè ſenſitiua: tunc intellectus prædominans diſtinguit vera à falſis, & animaduertit hanc imaginationem, & æſtimationem, ſeù memoriam non ſecùs ea terribilia repræſentare, atquè faciant picta, ſi tamquàm picta, & mentis ratiocinantis concurſu concipiantur. ſic nihil patimur; & ex his patet quoquè, intellectum eſſe quid diſtinctum à ſenſibus internis, etiam, omnibus dominantem; & omnia regentem ab illis independentèr; licèt enim a ſenſu pendeat intellectio: non tamèn pendet ab eodem vis intelligendi: nec propterea quòd ſinè phantaſmatibus homo nihil intelligat, intellectus debet dici dependens à ſenſu, & phantaſmatibus; pendet enim a ſenſu operatio, non autèm intellectus ipſe. imò nequè omnis operatio, ſed tantùm progreſſiua, & ſubſequens, quæ dicitur ſpeculatio; tunc certè neceſsè eſt phantaſmata ſpeculari: & in hunc finem corporis actus eſt anima: cuius eſt intellectus, qui ex his patet diſtingui a ſenſibus tàm externis, quàm internis.

Cum itàquè animæ ſubſtantiam ſuperiùs definierit per id, quo viuimus primò, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, & vſquè adhuc explicauerit id, quo viuimus, & ſentimus. loquendum modò proponit id, quo intelligimus, quod vocat particulam animæ, qua anima genericè ſumpta intelligit, & ſapit: præſcindendo à quæſtione philoſophis, & Platoni præſertim mota an ſit ſeparabilis ſecundùm magnitudinem: hoc eſt, quòd rationalis in capite, ſenſitiua in corde, vegetans in toto ſit. an verò ſit ſeparabilis tantùm ſecundùm rationem: ità vt vna ſit anima indiuiſibilis, ſed ratione inſtrumentorum, quibus varias operationes edit, diſtinguatur; hanc quæſtionem relinquit, prætereundo, conſiderandum proponit, quam habeat differentiam, & quomodò intelligat dicens.

De Intellectu poſſibili,
De intellectu in habitu,
De intellectu agente.

De

De Intellectu poſſibili.

CAP. III.

INueſtigando primùm iſtius potentiæ intelligentis præcipuam naturam, inquit hanc eſſe, quòd ſit poſſibilis, & pura potentia ſui perfectionem quærens; Probat autèm debere dari intellectum poſſibilem, qui præſertim nomine animæ humanæ, & animæ rationalis ſignificetur ex his, quæ vſque adhuc tradidit de ſenſibus. oſtendit enim quodcumque ſenſorium, vt ſenſibilia poſſit recipere, debere eſſe denudatum ab illis. ſic oculi pupilla prorsùs perſpicua, & omni colore carens eſt; vt poſſit quemcumque colorem tanquàm proprium obiectum recipere, tactus ſinè exceſſu qualitatum, vt quemcumquè exceſſum valeat indicare &c. Sic intellectus poſſibilis, inquit, debet eſſe omninò immixtus; vt liberè, quicquid adueniat, poſſit diſtinguère. namquè, ſi in eo eſſet aliqua mixtio: id, quod in eo exiſteret, prohiberet receptionem alterius, tanquàm explens illius potentiam. Sic huiuſmodi intellectus debet eſſe pura potentia; & nihil eorum, quæ ſunt, vt intelligendo fiat omnia, hoc eſt omnium rerum ſimulacra poſſit recipere; ſeù formas, quarum locus dicitur; & in hac parte eodem modo progreditur intellectio, quo progreditur ſenſatio; & eodem modo ſe habet intellectus ad intellectionem, quo ſenſus ad ſenſationem, Hoc tamen differre oſtendit ſenſum ab intellectu; quo ſenſus non eſt ſinè corpore: intellectus autèm eſt incorporeus: hoc eſt independens à corpore. quod colligit, quià ſenſus patitur, & etiam corrumpitur à ſenſibili vehementi; hoc eſt, quùm ſenſus aliquod vehemens ſenſibile exceperit, non poteſt ſubindè excipere ſenſibile leuius. At intellectus aduerſo modo, quandò aliquid arduum, & difficilè intellexerit; multò meliùs intelligit ea, quæ minùs ardua, & difficilia ſunt; quarè intellectus huiuſmodi non eſt vis organica; nec habet ſibi determinatum organum, cui addicatur, ſed ab omnibus abſtrahit, & abſtrahit vniuerſale, & permanet, etiam organo corrupto.

De Intellectu in habitu.

CAP. IV.

IN habitu dicitur intellectus, quùm iam cepit perfici, & exercere naturam paſſibilis ob aliquam ſcientiæ acquiſitionem. ſciens factum ſecundùm actum, non exercens naturam paſſibilis ex toto, ſed ex parte, & duobus modis, primò: quia poteſt aliarum ſempèr, atquè aliarum rerum ſcientiam adipiſci: ad quas adhuc eſt in potentia; ſecundò, quià non ſempèr ea, quarum habet ſcientiam, ſpeculatur. etenim etiàm ex parte, qua actum ſcientiarum acceperit, eſt in potentia ad ſpeculationem. aliàs enim eſt actus, ſicùt ſcire; aliàs ſicut ſpeculari. etenim intellectus, qui in habitu eſt, eſt in potentia, veluti eſt intellectus poſſibilis, ſed alio modo, vt explicatum eſt: nempè ad ſpeculari, & ad ſui ipſius intellectionem. quùm enim pura potentia eſt, ſe ipſum non poteſt intelligere ob ratio-

nes

men remouetur experrectus narret, ſe lucem ſomniaſſe. ita, ſi quis obloquitur in aurem dormientis; putabit ſomniare loquutionem, quam verè audiet. In quibus caſibus, veluti ambigua eſt dormientis, & vigilantis conſtitutio: ita ſpectrum medium eſſe poteſt intèr ſomnium, & ſenſationem; nàm qui nocturnas pollutiones patiuntur; copulam ſomnio percipiunt in qua, quo fœminam tangere, & contrectare ſibi videntur, ſomniant, quò verò ad titillationem pati, & delectari, non ſomniant, ſed ſentiunt. Somnium itaquè eſt phantaſma, quod dormientibus repræſentatur in quantum dormientibus; quod quibuſcumque animantibus accidit ſecundùm animæ potentiam, qua pollent; hominibus enim phantaſmata etiàm diſcurſus, & ratiocinationis occurrunt: ſic tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ potentiæ paſſio ſomnium eſt; quælibet enim animæ vis ſempèr operatur, quandocumquè illi obiectum proportionatum offeratur ſiuè obiectum ſit reale, vt vigilantibus, ſiuè phantaſticum, vt cogitantibus; quod obiectum phantaſticum poteſt offerri, & vigilantibus, & dormientibus: in ambobus enim eadem vis animæ eſt. vigilantibus dicitur cogitatio, dormientibus ſomnium; excitatur autèm phantaſma illud ab aliqua proportionali ſenſatione interius emergente: veluti, dum dormientes alimenti difficultate laborant, & anguntur. qùm non poſſit in illis ex eo labore excitari phantaſma directum, excitatur proportionale. ſic ſomniant aut in certamine angi, aut a belluis pati; ex quibus elicit Hippocrates, qui elegans inter medios dicitur ab Ariſt., ſomnia multum conferre ad hominum diſpoſitiones comprehendendas: quippè, ſi laborioſa occurrant in ſomnia, mala aliqua diſpoſitione laborare hominem colligit; quià, quandò ſuppoſitum dormit, anima vigilare arbitratur; quæ homine vigilante diſtracta, & occupata ad varias functiones corporeas, quandò ſenſus ſopiuntur, ipſa vires ſuas colligit, & corpus ipſum, quod Hipp. animæ domum vocat, peruadit, & tamquàm gubernatrix, & rectrix partes eius examinat, & diſtribuit. in quo miniſterio, ſi vnà cum organo aliquod patiatur, phantaſmata elicit aliquo modo conformia; quæ paſſiones ſi iucundis reſpondeant, quæ occurrunt vigilantibus, omnia intùs rectè diſpoſita inueniſſe ſignificatur. ſi verò reſpondeant moleſtis, iuxtà modum, & vehementiam moleſtiæ aliquam malam conſtitutionem inueniſſe intùs portendit. veluti, ſi alimenti tranſitus liber, & humorum motus, & tempeſtes ſecundùm naturam ſunt, homo interdiu, aut noctu Solem, Lunam; & Stellas puras, atque agilia ſolitum curſum peragere ſomniabit; & præſentem habitum conſueta viuendi regula conſeruandam præcipit Hipp. de in ſom. T. 5. Si verò Sol, & aſtra dormienti offerantur extincta, aut ſtantia, aut diſtracta prauam ſignificant corporis diſpoſitionem. Aſtrorum ſpectra in ſomnis exterioris corporis circuitus ſignum exhibent; Solis medii; Lunæ cauitatum. Aſtra, quia in toto cæli ambitu ſunt, nequè phantaſma in ſomnis apparens magis ab vna parte pendet, quàm ab alia, quarè etiam vniforme concipitur. Solis conſpectum conſequitur ſempèr contractio aliqua partium a vehementi luce, quæ vnà neceſſario cum Sole concipitur, & calor, qui à centro effunditur. Luna non poteſt concipi, niſi manca, aut tenebris circumdata; ideoquè ad cauitates refertur: vt Sol ad medium, a quo ſempèr motus fortiores procedunt. At ſi ſerenitate ex dente aſtra præmàtur, et debilia eſſe videantur, & proptèr ariditatem à curſu ſuo impediri, ſigni-

gnificat periculum delabendi in morbum. ſi ab igneo aliquo corpore, & calido incaleſcantur, bilis ſecretionem ſignificat: per quam ſenſus ille igneus in corpore oriatur. & ex eo phantaſma in ſomnis proportionatum. A quo igneo corpore ſi aſtra occupata diſſipentur, ad mortem tendere ægrotationem ſignificat apud Hipp. quià eius temporibus Luna, & Sol, & aſtra tamquàm diuina quædam numina colebantur. ideoque ipſarum abſumptio angorem maximum inferebat. vndè maxima ſpirituum compulſio iudicabatur, a qua tale ſpectrum ſuſcitaretur. Item ſi Sol, Luna, & aſtra in fugam verſa in ſomnis videantur, & eſſe qui ea perſequantur, inſaniam prænunciat: quià vehementem motum ſpirituum ſpectrum iſtud portendit; nec mentis ſanæ eſſe credibile eſt opinari eſſe, qui aſtra perſequatur. de quibus in capite de diuinatione per ſomnium lucidentiùs dicetur cum Hippocrate, qui peculiarem tractationem de inſomnijs inſtituit.

De notitia habita per ſomnium.

QVi pingendi artem benè callent ex nubium varia conſtitutione varias figuras repræſentant, & ex craſſæ pituitæ albo pariete promiſcua obumbratione peregrinas interdùm, & admirabiles figurarum delineationes depromunt; & artis addito miniſterio, & modo indito, quæ opinari difficilè erat, effingunt, & mirabili ingenij oſtentatione depingunt. Ità qui verſato pollent ingenio, ex narratis viſis in ſomnis diſcurſu regulato ab his, quæ veroſimilitèr poſſunt accedere, multa interdùm opinantur, & prædicunt, quæ à fundamentis ſinceris, & prædicere non auderent. ideoque dixit Ariſt. diuinationem ex inſomniis nequè prorsùs abnegandam, neque vndequaquè recipiendam; & experimento patere aliquam veritatem in hac opinione contineri: & ex aduerſo. ſi illa diuinatio à Deo eſſet, veriſimile credendum ſapientioribus potiùs, & egregiis viris hoc conceſſum, quàm cuilibet ſinè electione. Imò viris potiùs infimæ conditionis, & aliàs ignauis; quippè viri, qui ſapientiſſimi habiti ſunt, & præſtantiores philoſophi hanc diuinationem ex ſomniis negant potiùs, & vanam pronunciant. Quamquàm Hipp. intèr medicos elegans appellatus ab Ariſt. inſomniis plurimum tribuat ad cognoſcendas corporis humani diſpoſitiones; ſed, quæ profert Hipp. de diuinatione, ſeu potiùs de notitia, quæ habetur per ſomnia, non eſt diuinatio, ſed ſpeculatio naturalis: ſiquidem conſiderat ſomnia vt triſte aliquod, aut iucundum repræſentantia; quod fieri arbitratur per aduerſam, aut ſecundam valetudinem, vt per aduerſam triſtia phantaſmata excitentur, per ſecundam iucunda; & his proportionale aliquod excitetur in ſomnis, per quod ſolers ingenium coniectura aliqua procedens; quæ euentura ſint prænunciat. quæ prænunciatio his, qui cauſas ignorant, & coniecturæ rationem non tenent, dicitur diuinatio: quià quiſque ea, quæ ſuprà captum proprij ingenij exiſtimat, etiàm ſuprà humanam conditionem eſſe arbitratur: quùm neminem capere ea facilè credat, quæ ipſe capere non poteſt. Somnia itàque ab Hipp. traduntur tamquàm

DE ANIMA

LIBER TERTIVS.

De ſenſibus internis

De ſenſu communi.

CAP. I.

QVoniàm experimento notum eſt, perfectam ſenſationem tunc eſſe, quandò ſentimus nos ſentire: hoc eſt ſentimus nos videre, aut audire. Quo experimento poſito ità ratiocinatur Ariſt. Dùm vidimus aliquid, & agnoſcimus nos videre, vel hæc notitia ſenſationis pendet ab eadem potentia viſiua, vel ab alia. Si eodem viſu ſentimus nos videre, idem ſe ipſum videre dicendum eſſet; vel viſionem, quam vidimus, eſſe colorem; quia iàm decretum eſt, & inductione probatum, obiectum viſus eſſe colorem, ſeù lucem; quod vtrumque videtur abſurdum; quià nec idem poſſe agere in ſe ipſum concepimus: neque colorem eſſe, niſi in materia; at potentia eſt ſuſceptiua ſpecierum ſinè materia. Supereſt igitur dicendum, nos alio ſenſu percipere viſionem. &, ne detur proceſſus in infinitum, ſtatuendum hunc alium ſenſum, quo percipimus nos videre, non opus habere alio ſenſu, quo ipſe ſentiatur. non tamen eſſe determinatum ad viſum, ità vt vno ſenſu ſentiamus nos videre, alio audire, alio tangere &c. quià, ſi vnuſquiſque ſenſus propriæ ſenſationis eſſet, non diſtingueremus, vt facimus ſenſationem à ſenſatione; vt dulce ab albo. quandoquidèm vnuſquiſque ſenſus ineſt in ſenſorio. in quantùm ſenſorium eſt, eſt ſubiecti ſenſibilis, & diſcernit ſubiecti ſenſibilis proprias differentias, vt viſus album, & nigrum; guſtus, amarum, & dulce &c. At ſenſus diſcer-

ſcernens dulce ab albo non poteſt eſſe vllus ex quinque relatis, quià, ſi eſſet vnus ex his, maximè videretur dicendum, eſſe tactum; hic enim ſenſus maximè communis eſt, & in omnibus animantibus, & in qualibet parte ſingulorum. Sed tactus eſſe non poteſt, quià tactus fit ſinè medio, & album non percipitur ſinè medio. Nec poſſumus imaginari vnum ſenſum inuicèm album diſtinguere, quià diuerſa obiecta recipiuntur in diuerſis ſenſorijs, quorum alterum non ingreditur iura alterius: veluti enim, ſi ego ſentio aliquid dulce, alter ſentiat album, aut hoc idem, non poſſum ego percipere ſenſationem factam in alio ſuppoſito: ità diuerſa obiecta in diuerſo ſenſorio recepta non poſſunt inuicèm ſentiri: ita vt vnum ſenſorium ſentiat obiectum receptum in alio ſenſorio. namquè vnumquodque ſenſorium dirigitur in proprium obiectum. Neceſſè igitùr eſt conſtituere alterum ſenſum comunem, qui eodem tempore recipiat, & diſtinguat vtrumque album, & dulce eodem inſtanti: veluti eodem inſtanti viſus recipit album, & nigrum; quæ potentia ſenſitiua dicitur ſenſus communis: & eſt potentia ſenſitiua interna realitèr diſtincta à ſenſibus externis, qui feruntur tantùm in proprium obiectum; hæc verò potentia cognoſcit, & diſtinguit ſenſibilia ſingula externa, vel ſenſationes ipſorum. Hoc autèm explicat Ariſt. ex parte probando, & ex parte reprobando Protagoræ opinionem, per quam aſſerebat ſenſibilia eſſe in ſenſibus, & animam ſenſa facere, itàut, ſi nullus ſit ſenſus, nullum crederet eſſe ſenſibile.

Contrà quam determinationem dubitant nonnulli: quià, dùm ſenſus viſus percipit lucem, & tenebras: percipit actum, & priuationem, atque ità per potentiam viſiuam cognoſcit, dulce non eſſe album: veluti cognoſcit tenebras non eſſe lucem; qua notitia ſenſus diſtinguit album à dulci: cùm vtraque potentia cognoſcit proprium obiectum, & priuationem ipſius.

Prætereà hoc munus videtur æſtimatiuæ in brutis, & cogitatiuæ in hominibus: quandoquidèm ex Hipp. quicumque parte aliqua corporis dolentes dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat: ergò mens concurrit ad ſenſationem; &, ſi diſtinguit dolorem à non dolore, diſtinguit etiam quamcumque ſenſationem à priuatione ipſius. Probatur conſequentia ex Ariſt. 2. lib. de anima T. 137. Dolor eſt ſenſatio quædam, & diſtinguitur ſecundùm magis, & minùs, ait enim Ariſt. ſenſorium eſt ſuſceptiuum ſenſibilis ſinè materia; vndè & abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſoriis; quæ ad rationem, hoc eſt in certò, & determinato gradu ſenſum faciunt; ſi verò excedunt eum gradum, vel dolorem mouent, vel corrumpunt ſenſum. dolor igitùr ex Ariſt. eſt exceſſus ſenſationis, quam non ſentiunt, qui laborant mente: ergò mens eſt, quæ diſcernit in homine quamcumque ſenſationem tamquàm radix, & principium omnium ſenſationum ſinè concurſu huius ſenſus communis.

Tertiò ſi vnus ſenſus internus, qui dicitur communis, diſcernit omnes ſenſationes, fruſtrà ſunt ſenſus externi; nàm iſte ſenſus communis ſufficit, ad quem terminantur omnes ſenſationes, & eliciuntur ab eo operationes cuiuſcunque ſenſibilis, & actus: quam opinionem declarando, ait, ſenſum, & ſenſibile ſecundùm actum idem eſſe; nempè quandò, quod poteſt audire, actu audit, qui actus dicitur ſonatio, tunc procedit Protagoræ ſententia, quià in eo actu ſonatio, & auditio ſunt vnum, & idem. namquè, ſi actio, & paſſio, & motus eſt in eo, quod

mouetur, & patitur, ſonus actu, qui dicitur ſonatio, erit in auditu ſecundùm potentiam, cui actiui, & motiui actus ſit in potentia, quià non eſt neceſsè mouentem moueri: ſic actio non eſt in agente, ſed in patiente, ex quo Protagoras benè inferébat ex ſententia Ariſt. quandò duo corpora ſolida colliduntur mouerì quidem aerem, aut quià aeri inſidens, ſed eum motum non habere rationem ſoni, niſi recipiatur in auditus ſenſorio, ſed permanere in eadem generica ratione motus: qui motus determinetur ad ſonum tantùm, quandò in ſenſorio auditus recipitur. Atquè ità Protagoræ ſequaces, quos Ariſt. vocat priores naturales, rectè dicebant de ſenſu, & ſenſibili ſecundùm actum. quià verè hoc modo non eſt ſenſibile actu, quod actu non ſentitur: nec actu dicitur ſentiri, quod tantummodò recipitur in potentia; ſed quod iudicatur per ſenſum communem. tanquàm videns coloratum quoddam, ſit, & vnum quodque ſenſorium ſit ſuſceptibile ſenſibilis ſinè materia, vndè, & abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſorijs. At verò ſi accipiatur ſenſibile, vt ſinè concurſu ſenſus communis, & per proprium actum tantummodò: prout videlicèt, quod potens erat ſonare, quià æneum, actu ſonat; & ſenſus paritèr accipiatur ſecundùm proprium actum, dùm audit, qui poterat non audire; tunc ſonatio, & auditio ſunt duæ diuerſæ eſſentiæ; & Protagoræ ſequaces dicebant non rectè, ſenſibilia à ſenſu fieri, & actum recipere: quià ſonatio eſt in actu, etiàm ſi ſenſorio non recipiatur; & æs verè ſonat pulſatum, & color rationem coloris habet, etiam ſi nullus eſſet oculus. niſi metaphiſicè dicamus, in eſſe oculo cauſam finalem coloris, qua deficiente non daretur color. &, rebus his ſtantibus, color eſt color etiàm extrà oculum. Senſus communis eſt, qui ſenſata omnium exteriorum ſenſuum ſimùl cum ipſis percipit, etiàm cùm modica abſentia obiecti.

Præter hanc dictam facultatem ſenſitiuam internam, quæ præſit omnibus ſenſibus externis, datur alia operatio ſenſitiua, quà vigilantibus nobis, vel dormientibus concipimus obiecta etiàm ſinè operatione ſenſuum externorum, & abſentibus ipſis obiectis, quæ potentia interna dicitur phantaſia ex T. 155. & 156. licèt idem obiectum eius ſit, qui ſenſus comunis. idem enim ſignificat apud latinos imaginatio, quod apud grecos phantaſia.

Quandò poſtmodùm hæc obiecta ſimplicia concepta componimus, ità vt ex duobus vnum fiat, ſiuè hoc vnum verè exiſtat, ſiuè non: velutì dùm ex monte, & auro concepto concipimus montem aureum; illa potentia ſenſitiua interna hac ratione componens dicitur imaginatiua, à Toleto phantaſia diſtincta ab opinione, ſcientia, & intellectu; quià ſcientia eſt ſemper veri, imaginatio autèm aliquando falſa ex T. 157. opinionem ſequitur fides, quæ ſuaderi non poteſt irrationalibus, cuius eſt imaginatio. Hæc etenim eſt opinio, & ſenſus T. 158. ſimùl. nàm ſenſus oſtendit Solem palmarem, & talem imaginamur; at opinari poſſumus, eſſe terra maiorem, vt eſt. ſic differt imaginatio ab opinione, & ſenſu, & eſt imaginatio motus ab his, quæ ſenſu percepta ſunt, ideò eſt imaginatio aliquando falſa: qùm ſenſus decipiantur circà ſenſibilia, non propria, ſed circà communia, & per accidens. quæ potentia data eſt tàm in brutis, quàm rationalibus hominibus, vt moueantur, & dirigantur ad ſuas operationes etiàm abſentibus obiectis, quorum vice diriguntur, aliàs multæ operationes imperfectæ manerent: nec

poſſet animal alimentum quærere, nec niſi præſente vti.

Si verò concepimus obiecta iſta ſenſata in ordine ad appetitum; & vnà ſub ratione conuenientiæ, vel diſconuenientiæ; licèt non concipiamus per potentiam realitèr diſtinctam à ſuperioribus: tamèn per hunc modum conſiderandi in ordine ad appetitum virtualem recipit diſtinctionem, & dicitur *æſtimatiua*, ſiuè iudicium, quo multi pollent magis, quàm imaginatiua, & è contrà. qua ex ſpeciebus ſenſatis elicimus intentiones non ſenſatas.

Quando verò non ſentimus, ſed recordamur repetentes memoria obiecta ſenſitiua aliàs recepta in phantaſia. hæc potentia dicitur memoria ſenſitiua; retinet enim, & conſeruat imaginationes tàm ſenſatas, quàm inſenſatas. Quæ potentiæ ſunt in homine communes cùm brutis, quià etiam bruta animantia diſtinguunt dulce à ſonoro; & prædam ſtridentem minùs proſequuntur, & viæ memores, verbera, & caſus memoria repetunt: At ex Ariſt. de mem. cap. 1. phantaſiari, & memorari ſunt paſſiones primi ſenſitiui, quià ab eo pendent, & aliud ſupponunt, & eadem eſt vtriuſque res: nempè motus à ſenſu in actu.

At in homine eſt etiàm potentia ſenſitiua interna, quæ proximè miniſtrat intellectui; & poteſt ſuo modo componere, diuidere, & ratiocinari; quæ dicitur cogitatiua; & per traslationem dicitur cogitatiua, quæ in homine ab Alberto dicitur phantaſia etiam imaginatiua; qua tamèn diſcernimus verum à falſo. ſic eius eſt ſenſus opinio, ſcientia, & intellectus T. 155.

Quoniam verò bruta: licèt memoria repetant obiecta ſenſitiua, vt diximus: tamèn neque animaduertunt, hæc memoria repetere, neque repetunt intellectu; ideò hæc potentia, qua homo reminiſcitur de actibus præteritis, diſtincto nomine appellatur *reminiſcentia*; eſt enim memoria, quæ diſcurſum præſupponit.

Hæ omnes potentiæ ſenſitiuæ internæ ad vnam reducuntur æſtimatiuam dictam: vt ſub ratione conuenientiæ, & diſconuenientiæ excitetur in conſeruationem cuiuſcumque ſuppoſiti indiuidui, aut ſpecifici iraſcibilis, & concupiſcibilis; quæ potentiæ his quidèm clariùs, his verò obſcuriùs omnibus inſunt. Iraſcibilis ad euitanda noxia, & diſconuenientia. concupiſcibilis ad proſequenda conuenientia, & proficua, & hæ ſunt præcipuæ potentiæ. aliæ omnes tam ſenſitiuæ, quàm intellectuales huic ancillantur. excepta ægemonica, & præcipua potentia, per quam iraſcibilis, & concupiſcibilis eliciuntur in quocumque viuente tàm vegetabili, quàm ſenſitiuo. vnumquodque enim viuens maniſeſtè per concupiſcibilem proficua ſibi addicit, per iraſcibilem noxia repellit, & videtur nonnullis vna, & eadem potentia, quià in eundem finem vtraque operatur: nempè in conſeruationem ſuppoſiti, aut indiuidui, aut ſpecifici. vt ex Hipp. alter trahit, alter protrudit, & idem vnuſquiſque facit. tamèn quia concupiſcere, & odiſſe; & trahere, & repellere ſunt contrariæ operationes, merito diuerſa corpora habere, & diuerſam rationem potentiæ inducere dicuntur, licèt fundamentalitèr ſint vna, & eadem potentia ſuppoſiti conſeruatis; ſic patet numerus internorum ſenſuum, organa, operationes, & finis.

De

De Intellectu.

CAP. II.

QVoniàm antiqui, vt Empedocles arbitrabantur idem eſſe ſentire, & intelligere, & diſcernere; ideò definiebant animam per duas tantùm potentias, nempè loco motiuam, & intelligentem. quaſi ſentire apud ipſos nihil aliud eſſet, quàm intelligere per ſenſum, ponentes intellectum potentiam corporis, quæ ſequeretur animam compoſitam ex omnibus, vt omnia poſſet cognoſcere. In præſenti oſtendit Ariſt. antequàm de intellectu loquatur; quænam ſit differentia intèr intelligere, & ſentire; & primò tacitè euertit ſententiam Platonis, qui aſſeruit noſtrum intelligere eſſe reminiſci, eo quià anima per ſe omnia intelligat, ſed omnium obliuiſcatur, qùm corporis miniſterio addicta obumbratur. Hoc autèm irrationabile oſtendit Ariſt.; quoniam ignorantia eſt magìs propria animalium. bruta enim omnia hac tenentur, & etiam plurima pars hominum, imò etiam *pauci, quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus* plurimum temporis in tenebris, & in ignorantia degunt: in quam facilis deſcenſus traditur a Platonicis. *facilis deſcenſus auerni, ſed reuocare gradum ſuperaſque euadere ad auras. Hoc opus, hic labor eſt*, ſic antequam homo perfectam alicuius rei ſcientiam adipiſcatur, plurimum ignorantia inuoluitur; quod non ſequeretur, ſi omnia per ſe intelligeret. Itèm pobat differentiam intèr intelligere, & ſentire ex eo, quià ſenſus non decipitur circà proprium ſenſibile, at intellectus frequentiùs decipitur. Itèm ſentire, ineſt omnibus animantibus, at intelligere tantùm hominibus, ergo non eſt idem intelligere, ac ſentire. Quod probatum circà [illegible] differentia ne intellectus à ſenſibus externis, probat etiàm de internis, nempè ſenſu communi, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, & memoria; quas omnes potentias reſtringit Ariſt. ad imaginatiuam, ſeu phantaſiam, & æſtimatiuam: quaſi includant ſenſum communem, phantaſiam, & memoriam. Inquit igitur Ariſt. non ſolùm differre intellectum à ſenſibus externis, ſed etiam ab internis, qui magis defæcati ſunt, & intellectioni proximi, & mediæ potentiæ intèr ſenſus exteros, & ratiocinatricem. Imaginatio, inquit, non fit ſinè ſenſu, nec æſtimatiua ſinè imaginatione; & tamen æſtimatiua eſt corporis, & eam communem habemus cum brutis animantibus, licèt ſublimiore quodam modo, & progreſſu illationum magis rationalium; quod patere, aſſerit, quià æſtimatio regitur à voluntate noſtra, & libero arbitrio. ita vt, licèt voluntas per ſe feratur in bonum, tamèn hoc bonum poſſumus fingere, & proponere nobis arbitratu noſtro, & diſtrahere intellectionem à veri appræhenſione, & deſerere æſtimatiuam ſub ſenſuum regimine; quod non poteſt fieri de intellectione, quià hæc fertur, vèl ad verum, vel ad falſum, quod pro vero habeatur; nec habemus potentiam aliquam intellectui ſuperiorem, per quam poſſimus intelligere, & non intelligere. [illegible] ſenſus etiam internos ab intellectu: tantum abeſt; vt intellectus poſſit identificari cum ſenſu. Anaxagoras primus, & Plutarcus arbitrantur bruta, & plantas etiam [illegible], & prudentèr agere, vt ex Ariſt. 1. Metaph. cap. 1. apes, & formicæ; vndè etiàm bruta dicuntur

tur ab intelligentia, & ratione ſummis operantur. tamèn eorum intelligentia; qua diriguntur, non eſt eorum forma: ideoquè, qùm eorum corpori non ſit addicta, non contingit errare. Ideoquè ex Ariſt. 2. de Anima T. 157. nihil illis poteſt perſuaderi: quià ratio eorum regit corpus, ſed non pendet ex corpore, nec quicquam ab eo recipit pro ratiocinatione; ideoque non reminiſcitur brutum, nec facit vniuerſalia, nec liberè agit, nec finem noſcit. non enim poſſumus fingere intellectui, bis quinque non eſſe decem, nec illi id ſuadere. Oſtendit imaginationem pendere à voluntate per actus eorum, qui memoriam exercent. fingunt enim ſimulacra quædam ex iam notis per ſenſum, & ex his, quorum memorari intendunt: per quam connexionem vnà cùm notis iam, & claris redeunt ea, quorum volumus memorari, hanc autèm artem nullo modo exercent bruta animantia: licet ipſa quoquè optimè memorentur ex natura; homo autèm etiàm ratiocinando artem adhibet ad memoriam exercendam. vndè colligitur imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam regi à voluntate noſtra, & a ratiocinatione regulari. quo apparet diſtinctio intèr intellectum, & imaginationem. Ac demum hoc idem patefacit, quià ſi terribilia aliqua opinamur, hoc eſt mente contemplamur, quià non poſſumus per intellectum ea comprehendere, niſi ſub ratione veri, vel falſi; ſi vera credimus compatimur; at, ſi hæc eadem terribilia contemplemur non ſub ratione veri, vel falſi; & ſic ſinè concurſu intellectus, & opinatione verè ſenſitiua: tunc intellectus prædominans diſtinguit vera à falſis, & animaduertit hanc imaginationem, & æſtimationem, ſeù memoriam non ſecùs ea terribilia repræſentare, atquè faciant picta, ſi tamquàm picta, & mentis ratiocinantis concurſu concipiantur. ſic nihil patimur; & ex his patet quoquè, intellectum eſſe quid diſtinctum à ſenſibus internis, etiam, omnibus: dominantem; & omnia regentem ab illis independentèr; licèt enim a ſenſu pendeat intellectio: non tamèn pendet ab eodem vis intelligendi: nec propterea quòd ſinè phantaſmatibus homo nihil intelligat, intellectus debet dici dependens à ſenſu, & phantaſmatibus; pendet enim a ſenſu operatio, non autèm intellectus ipſe. imò nequè omnis operatio, ſed tantùm progreſſiua, & ſubſequens, quæ dicitur ſpeculatio: tunc certè neceſsè eſt phantaſmata ſpeculari: & in hunc finem corporis actus eſt anima: cuius eſt intellectus, qui ex his patet diſtingui a ſenſibus tàm externis, quàm internis.

Cum itàquè animæ ſubſtantiam ſuperiùs definierit per id, quo viuimus primò, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus; & vſquè adhuc explicauerit id, quo viuimus, & ſentimus. loquendum modò propoſuit id, quo intelligimus, quod vocat particulam animæ, qua anima genericè ſumpta intelligit, & ſapit: præſcindendo à quæſtione philoſophis, & Platoni præſertim mota an ſit ſeparabilis ſecundùm magnitudinem: hoc eſt, quòd rationalis in capite, ſenſitiua in corde, vegetans in toto ſit. an verò ſit ſeparabilis tantùm ſecundum rationem: ità vt vna ſit anima indiuiſibilis, ſed ratione inſtrumentorum, quibus varias operationes edit, diſtinguatur; hanc quæſtionem, inquit, prætereundo, conſiderandum proponit, quam habeat differentiam, & quomodò intelligat dicens.

De Intellectu poſſibili,
De intellectu in habitu,
De intellectu agente.

De

De Intellectu poſſibili.

C A P. III.

INueſtigando primum iſtius potentiæ intelligentis præcipuam naturam, inquit hanc eſſe; quòd ſit poſſibilis, & pura potentia ſui perfectionem quærens; Probat autèm debere dari intellectum poſſibilem, qui præſertim nomine animæ humanæ, & animæ rationalis ſignificetur ex his, quæ vſque adhuc tradidit de ſenſibus. oſtendit enim quodcumque ſenſorium, vt ſenſibilia poſſit recipere, debere eſſe denudatum ab illis. ſic oculi pupilla prorſùs perſpicua, & omni colore carens eſt; vt poſſit quemcumque colorem tanquàm proprium obiectum recipere: tactus ſinè exceſſu qualitatum, vt quemcumque exceſſum valeat iudicare &c. Sic intellectus poſſibilis, inquit, debet eſſe omninò immixtus, vt liberè quicquid aduenit, poſſit diſtinguere. namque ſi in eo eſſet aliqua mixtio; id, quod in eo exiſteret, prohiberet receptionem alterius, tanquàm explens illius potentiam. Sic huiuſmodi intellectus debet eſſe pura potentia; & nihil eorum, quæ ſunt, vt intelligendo fiat omnia, hoc eſt omnium rerum ſimulacra poſſit recipere; ſeù formas, quarum locus dicitur; & in hac parte eodem modo progreditur intellectio, quo progreditur ſenſatio; & eodem modo ſe habet intellectus ad intellectionem, quo ſenſus ad ſenſationem. Hoc tamen differre oſtendit ſenſum ab intellectu; quo ſenſus non eſt ſinè corpore: intellectus autèm eſt incorporeus: hoc eſt independens à corpore. quod colligit, quià ſenſus patitur, & etiam corrumpitur à ſenſibili vehementi: hoc eſt, quùm ſenſus aliquod vehemens ſenſibile exceperit, non poteſt ſubindè excipere ſenſibile leuius. At intellectus aduerſo modo, quandò aliquid arduum, & difficilè intellexerit; multò meliùs intelliget ea, quæ minùs ardua, & difficilia ſunt; quarè intellectus huiuſmodi non eſt vis organica; nec habet ſibi determinatum organum, cui addicatur, ſed ab omnibus abſtrahit, & abſtrahit vniuerſale, & permanet, etiam organo corrupto.

De Intellectu in habitu.

C A P. IV.

IN habitu dicitur intellectus, quùm iam cepit perfici, & exercere naturam paſſibilis ob aliquam ſcientiæ acquiſitionem ſciens factum ſecundùm actum; non exercens naturam paſſibilis ex toto, ſed ex parte, & duobus modis, primò: quia poteſt aliarum ſempèr, atquè aliarum rerum ſcientiam adipiſci: ad quas adhuc eſt in potentia; ſecundò, quià non ſempèr ea, quarum habet ſcientiam, ſpeculatur. etenim etiàm ex parte, qua actum ſcientiarum decreperit, eſt in potentia ad ſpeculationem. aliàs enim eſt actus, ſicùt ſcire; aliàs ſicut ſpeculari. ſi enim intellectus, qui in habitu eſt, eſt in potentia, veluti eſt intellectus poſſibilis, ſed alio modo, vt explicatum eſt: nempè ad ſpeculandi, & ad ſui ipſius intellectionem. quùm enim pura potentia eſt, ſe ipſum non poteſt intelligere ob ratio-

nes

nes ſuperius allatas, quia videlicèt, vt aliqua forma recipiatur, necesſè eſt denudatum eſſe ea forma; At intellectus poſſibilis, licèt nullam formam exceperit, & locus formarum dicatur; tamen, veluti pupilla ſuam perſpicuitatem non poteſt ſentire; ſic intellectus poſſibilis ſuam puritatem non valet dignoſcere; & cùm iam in habitu fuerit, & aliquas formas receperit: quoniam priſtinam puritatem depoſuit; poteſt ſuper ſua puritate reflectere, & ſe ipſum intelligere. Anima autem ſeparata poteſt aliam animam recipere ſalua exiſtente Ariſtotelis ratiocinatione: quià vtraque actus eſt, & cùm non habeat impedimentum corporis coniuncti per hanc diuerſitatem fit alia anima perceptibilis; at pupilla perſpicuum non ſentit, aut videt: niſi iuxta colorem à ſe perceptum. ex quibus patere poteſt, quomodò intellectus poſſibilis ſit pura potentia, & ſimul ſit actus; eſt enim pura potentia in genere ſuorum intelligibilium, vt greci aſſerunt. Et, quoniam Ariſt. ait nihil eſſe eorum, quæ ſunt, antequàm intelligat: patefacit, dùm intelligit, omnia fieri. *Nihil eſt eorum, quæ ſunt*, intelligendus eſt iuxta id, quod ſuperiùs protulit: *ſubſtantias maximè videri corpora*. ideò in hoc ſenſu anima non eſt ſubſtantia; quià non eſt corpus: licèt ſit aliquid corporis: quo declaratur ſubſtantia immaterialis, quæ non dicitur eorum, quæ ſunt; quià non eſt in prædicamento directè. eſt enim forma corporis. & forma eſt principium, at principia, ſunt ſuprà prædicamenta; non eſt accidens vllum; ſic reputatur, nihil eſſe eorum, quæ ſunt, antequàm intelligat. ſic non eſt ſubſtantia; eſt tamèn ſubſtantia ſpiritualis, & incorporea, ideò incorpoream, non quià non informet corpus, ſed quià eſt ſeparabilis ab eo: vt nauta eſt ſeparabilis à naui. non enim ex eo quod nauta eſt ſeparabilis à naui, exuit rationem formæ nauis in ſuo eſſe artificiali modo ſuprà explicato. ità non ex eo, quòd anima eſt ſeparabilis à corpore, exuit rationem formæ in eſſe naturali, & intellectus paſſibilis pro anima ſumptus ſic poteſt eſſe impaſſibilis, immixtus, & ſeparatus. Impaſſibilis quia, dùm intelligit; non patitur vera paſſione corruptiua; ſed perfectiua vt ſenſus: eſt ſimul forma, & actus corporis: hac tantum diſtinctione; quòd poſſibilis dicatur: dùm nullum recipit intelligibile; quod per inſtans contingere poteſt; nàm aliàs ſtatim ac corpus informat, eſt in habitu aliquo modo ſaltèm imperfecto; quià ſtatim actu intelligit, & præeſt nutritioni, & ſenſui, & motui locali, quorum omnium eſt principium, quamuis diuerſo aliquo modo in homine, atquè in brutis contingat, vt aliàs eſt explicatum. Dicitur enim ex Toleto intellectus in habitu cognoſcere, dùm habet ſpeciem alicuius rei, per quam poteſt eam conſiderare; licèt eam non conſideret, nec reflectat, veluti ſeparata creditur anima ſe ipſam intelligere abſque vlla ſpecie; in his enim, quæ ſunt ſine materia, ait Ariſt. 3. de anima T. 16., idem eſt, quod intelligit, & quod intelligitur, & intellectus in habitu eſt id, quod fit. & ſcientia ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt, & anima, dùm corpore vtitur tamquàm inſtrumento, materiata cognoſcit, & ſingularia. dùm denudata à corpore ſeparatur, cognoſcit rerum quidditates, in quas conuertitur; at ſe ipſam, ſi nullam ſpeculetur quidditatem; & hoc ſignificat Ariſt. animam eſſe tabulam, in qua nihil ſit depictum; quæ ſi ſupponatur intelligere, quando nil habet depictum, intelligit colorem ſibi connaturalem, namquè, licèt tabula non ſit depicta; & ſit ſuſceptiua cuiuslibet ſpeciei:

ciei:

ciei: habet tamèn proprium colorem nullam ſpeciem repræſentantem, ſed ipſam tantummodo tabulam, cuius color viſibilis eſt, vt alia viſibilia picta; ità animæ eſſentia eſt intelligibilis, vt alia intelligibilia, & ſempèr hac ratione intelligit; ſed videtur aliquandò non intelligere, quià non ſempèr reflectit ſupèr propria intellectione, aut quià non dicitur intelligere, quandò ſe ipſam intelligit, ſed quandò per ipſam homo intelligit. quandò videlicèt dicitur intellectus in habitu.

De Intellectu Agente.

CAP. V.

PRætèr intellectum poſſibilem debere dari intellectum agentem apertè aſſerit Ariſt. 3. de anima cap. 3. quem omnes ſequuntur philoſophantes. nequè de eo quærendum an ſit, quià argumentum Ariſt. eſt inconcuſſum: in omni natura, quæ ſit, eſſe aliquid, quod facit. ſiuè enim res ſint per ſe intelligibiles, ſiuè per ſe intellectus feratur ad verum, in quacumque re diſtinguenda eſt ratio eius, quod fit ab eo, quod facit. Quærendum igitùr tantùm eſt, quid ſit, & quod nàm ſit illius officium. Atque vt à notiori ordiamur, nempè ab officio, hoc declarat Ariſt. T. 18., & ſatis apertè quià, inquit, omnia facit, vt habitus quidam, quale eſt lumen. quodamodo enim lumen facit colores exiſtentes potentia, colores actu; quarè non videtur neceſſarium quærere, an ipſius actio terminetur ad phantaſma, vel ad intellectum poſſibilem. quoniàm dùm ait Ariſt., omnia facit, oſtendit terminari ad vtrumque, & exemplo clariùs patefacit de lumine: nàm lumine illuſtratur medium; illuſtratur obiectum, & illuſtratur pupilla vt inſtrumentum. veluti itaquè lumen omnia viſibilia iuxta exigentiam ſubiecti facit tàm formalitèr, quàm obiectiuè; ità intellectus agens ex Ariſt. omnia facit, intelligibilia trahendo de poteſtate ad actum: Qui igitùr cùm D. Thoma opinantur, agere in phantaſmata, benè opinantur, niſi addant ibi terminari, nec progredi vlterius; namquè ex ſententia Themiſtij intellectus agens eſt veluti faber directus ad perficiendum opus intellectionis; veluti igitùr faber iuxtà exigentiam operis omnia ordinat, & perficit; ità intellectus agens, dùm ad hoc datum eſt, vt, quod eſt potentia intelligibile, fiat actu intelligibile, omnia debet exequi, quæ ad hoc idem conducunt, & præbere actum non coloribus tantùm; ſed etiam viſui. vt Themiſtius aſſerit. De hoc intellectu non dubitat Ariſt. dicere eſſe ſeparabilem, immixtum, impaſſibilem, & ſubſtantiam actu exiſtentem; quià illum conſiderat, vt Simplicius refert, in ſe manentem, & ſe ipſum intelligentem; quippè, dùm progreditur, & fæcunditate perficitur, exuit rationem agentis, & induit naturam paſſibilis, ac humanis fuſus obumbrat nobilitatem ſuam, vt tradit Themiſtius; quarè nec ſeparabilis, nec immixtus, nec impaſſibilis in eo ſtatu creditur, nec actu exiſtens, ſed potentia quædam ab hoc perfectibilis tamquàm à forma. Quarè ex Themiſtio ex intellectu poſſibili, & agente fit vnum tamquàm ex materia, & forma; ità tamen, vt hæc permixtio duas rationes habeat: materiæ ratio eſt, per quam anima omnia fit: eſt formæ ratio, & perfectionis per quam eadem anima om-

omnia facit progrediens videlicèt in fœcunditatis bonum. non, quòd ipſe intellectus agens per hunc progreſſum intelligatur, ſed quòd per ipſum alia intelligantur, & cognoſcantur ſub varia tamèn ratione actionis. nàm ſenſibus dicitur ſenſus agens: ad intellectionem dicitur intellectus agens: ſic omnia facit, vt ait Ariſt. vndè pati in ſenſibus ab anima perfectiui rationem recepit, & intelligere actio quædam eſt, non prorsùs, & ſimplicitèr paſſio. Ex quibus colligitur intellectum agentem eſſe eandem naturam cùm intellectu patiente, & ſola ratione diſtingui. Nec repugnat ſub diuerſa ratione idem mouere ſe ipſum, eſſe actum, & potentiam, perfectum, & imperfectum. quippè, dùm anima progreditur, vt corruptibilia dicuntur moueri à generante, ità ipſa à creatore, vt à ratione boni, quod vt appetibile mouet ex Ariſt. 3. de de anima T. 54. ſic appetibile mouet intellectum, & animal in quantum appetitiuum eſt ſui ipſius motiuum ex Ariſt. Tex. 56. eſt propria eſſentia animæ intelligere, quam rationem boni vt communicet, velutì bonum eſt communicabile, neceſſè eſt miſceri, pati, & perfectibili miſceri, & hoc modo imperfectionem ſuſcipere. in quo ſtatu conſiderant omnes hi, qui de animæ immortalitate dubitant. ſiquidèm ſi intelligerent animam humanam quemadmodùm probè intellecta eſt ab Ariſt. & id ipſum intelligunt catolici) prout ſcilicèt in ſe manet, & actu eſt, & ſe ipſam intelligit, de hoc non dubitarent. Scio quoſdam aſſeruiſſe Deum haberi pro intellectu agente, quorum aſſertum hac tamèn ratione ſuſtineri poteſt; quia videlicèt Deus eſt ſubſtantia puriſſima, & ſummè intellectiua omnia agens per intellectum, & voluntàtem, de quo latius apud theologos. cæterùm eorundem effatum maximè a vero abſunt, ſi nomine intellectus agentis intelligant potentiam aliam animæ, de qua nos loquimur ſub conſideratione potentiæ. & hæc de intellectu agente dicta ſufficiant.

De Intellectus obiecto, ſeu Intelligibili.

Poſtquàm actum eſt de natura intellectus: de intelligibili dicendum eſt, vt ex hoc ad illius operationes, & finem tranſitus fiat. Primùm igitùr obiectum intellectus traditur ab Ariſt. indiuiſibilis eſſentia, quæ decem generibus continetur, in quibus nulla occurrit veritas, vel falſitas. Quibus conceptis vltrò progreditur intellectus ad eorum ſimplicium compoſitionem, per quam conſtituitur ex pluribus forma vna ſola intellectui obuia, quæ ſenſu percipi non poteſt. Quæ compoſitio ſimilis illi traditur, quæ ab Empedocle *proponitur*; qui opinabatur partes omnes integrantes animalium ſeorsim à natura fuiſſe productas. vt exercitè plures animaduertuntur, dùm Nilus reuertitur in proprium alueum. ibi enim capita ſinè buſto; ventres, ſinè capite; oculi, & partes aliæ genitæ conſpiciuntur: quæ ità ſinè nutrimento relictæ moriuntur; & incompoſitæ decedunt; has partes ſeorsim genitas à natura, ſeù ordine vniuerſi, quem concordiam vocat, congregatas fatetur: huius autèm formæ eſſentia, ſiuè ordo ſit, ſiuè relatio non poteſt eſſe obiectum nisi intellectus: quoniàm ſub ſenſum non cadit; non enim, quocumque modo committantur illæ partes, vnum valent conſtituere, niſi per formam,

aut

aut relationem realem constituantur: ità non omnis compoſitio notionum conſtituit veritatem; ſed quæ conuenit compoſitioni rerum: veluti ſi habeatur notio commenſurabilis, et notio diametri, & concipiatur diameter commenſurabilis. quia forma intrinſeca conſtituens effectum formalem veritatis non eſt alia realitèr ab ipſa eſſentia rei, ille conceptus erit falſus, quià diameter eſt incommenſurabilis. Itèm res cùm tempore concepta eſt ſolius intellectus obiectum, quippè ſenſus, & immaginatio tempus concipere non poteſt, præſertim præteriti, & futuri: quæ partes in generabilibus, & corruptibilibus neceſſariò comprehenduntur: in æternis non neceſſariò. Intellectus itaquè vt indiuiſibile habet obiectum indiuiſibile, aut abſolutè tale, vt formæ ſunt immateriales, quę abſolutè ſunt indiuiſibiles: hoc eſt nequè actu, nequè potentia. aut indiuiſibile ſaltem actu, vt eſt linea, & omnis magnitudo, quæ actu eſt indiuiſibilis; licèt ſit diuiſibilis potentia. quicquid enim concipitur, cōcipitur ab intellectu per modum vnius & tempore, & conceptu indiuiſibili. quòd ſi conceptus diuidatur, & cōceptus fiat albi, & Socratis, ſeu hominis, & Platonis, non fit vna intellectio, ſed duæ per duos conceptus: &, ſi intellectio fiat in tempore diuiſibili, hoc ſequitur ex accidenti proptèr conceptus ſenſibiles præcedentes intellectionem, aut proptèr voces repræſentantes conceptus, quæ ſint diuiſibiles, aut interruptæ. Adeò enim certum, ab indiuiſibili intellectu non poſſe conceptum niſi indiuiſibile repræſentari: vt eadem quantitas diſcreta per modum vnius concipiatur: nempe conceptus vnius numeri binarii, aut ternarii, aut alterius rationis. At quoniàm verum eſt obiectum intellectus, quo videntur concipi etiam negationes: oſtendit quomodò etiam negationes poſſint eſſe obiectum intellectus, aſſerendo eſſe, quæ ſpecificantur per formas oppoſitas; qua ratione inſtans, quod poteſt duplici ratione concipi, & punctum eſt aliquid indiuiduum, vt punctum in linea, qua ratione directè concipitur ab intellectu, vel prout punctum, & inſtans ſunt negationes vlterius proceſſus in linea, & tempore: tunc concipiuntur tamquàm termini, & ſub conceptu poſitiuo negati proceſſus, & quantitatis: vt tenebræ, & ſilentium conceptu lucis, & ſoni concipiuntur; & quatenùs ſenſus poteſt à propria operatione ceſſare, & feriari. quo concipit auris ſilentium, & oculus tenebras concipit; & intellectus informia, & mala; quæ tamèn ſpecies non ſunt obiectum adæquatum intellectus agentis, ſed patientis. agens enim intellectus vt agens eſt, actus concipit, & non priuationes. quum enim intellectus agens ſit ab omni materia abiunctus non habet pro conceptu niſi quod maximè formale eſt, & præſertim ſe ipſum. quòd verò priuationes non intelligat intellectus agens non eſt illi imperfectioni tribuendum: non enim numero obiectorum, ſed præſtantia nobilis eſt. ex quo infert Themiſtius intellectum agentem eſſe ipſam rerum veritatem: ità vt non ideò verus efficiatur, quià alia intelligat; ſed quià ſe ipſum. Intellectus verò poſſibilis, qui noſter a Themiſtio dicitur, quia magis materiatus eſt, veritatem ſimplicem non attingit, ſed ſemper aliquo mendacio fœdatam. phantaſmata enim ſpeculatur, in quibus aliqua ſemper deceptio contingit.

De Intellectu Practico &c.

QVm de Intelligibili, & intellectu in actu diuiſiſſet Ariſt. progreditur ad ſpecies intellectus in actu; quæ ſunt practici, & ſpeculatiui : , &, quià eodem modo ſe habere intellectum ad intellectionem pronunciauerat, quo ſe habet ſenſus ad ſenſationem : per ea, quæ in ſenſatione animaduertuntur tanquàm ex magis notis ad ea, quæ intellectui competunt tranſit. Primò itaquè quod animaduertit in ſenſatione eſt, quo ſenſibile obiectum, quod ſenſitiuum eſt potentia, facit tale actu ſinè paſſione, aut alteratione. licèt enim ſenſus moueatur, non videtur moueri propriè dicta ratione motus, qui dicitur actus imperfecti. *in hoc verò motu non aduenit, niſi paſſio perfectiua : quæ alia ratio motus eſt a motu ſimpliciter dicto. Secunda operatio ſenſus eſt, quo ſenſibile percipit ſub ratione iucundi, & moleſti. & tertia, qua exercitè delectatur, & dolet. His ſimilia occurrunt in intellectu. Primæ ſenſus operationi reſpondet ſimplex intellectio, aut verbi nuda prolatio, vt partus intellectus, quem Ariſt. vocat dicere. Secundæ operationi ſenſus, qua iucundum, aut moleſtum concipit, reſpondet in intellectu affirmatio, aut negatio : affirmatio pro iucundo : negatio pro moleſto eſt. ac tertiæ ſenſus operationi reſpondet intellectus velle, & nolle, quæ ſimilitudo, & proportio intèr ſenſum, & intellectum neceſſaria creditur, vt intellectus [illegible] fiat, & res ipſæ, quæ poſſunt in intellectum ferri, proportionali quadam ratione a ſenſu ad phantaſiam, ab hac ad intellectum ferantur. Quando autèm Ariſt. ait, intellectum non intelligere ſine phantaſmatibus, & oportere intelligentem phantaſmata ſpeculari, debemus hoc intelligere de intellectu progrediente, & paſſibili; non autem de eo, qui in ſe manet, ac dicitur agens, quem, diximus, ſe ipſum intelligere, & habere potentiam ad omnia intelligenda. quam Plato appellat reminiſcentiam, & illa ſub ratione boni, aut mali, iucundi, aut moleſti, conuenientis, aut diſconuenientis determinari, quartus animæ gradus, qui dicitur loco motiuus, vt iam explicandum ſupereſt.

De potentia animæ motiuæ.

IVrè dubitari poſſit, [illegible] quare Ariſt. animam definiens tanquam principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, intellectum vltimo loco propoſuerit. in his verò gradibus explicandis vltimo loco agat de loco motiuo, eamque intellectui poſtponat. Cuius diuerſitatis cauſa aſſignari poteſt : quia ibi definit animam humanam, quæ per potentiam intellectiuam ſpecificatur; [illegible] motricem autem habet communem cum aliis brutis animalibus, & ideò à communiori gradu incipiens in magis ſpecificum deſcendit. In tractatione verò ordo doctrinæ videbatur expoſcere, vt ea prius tractaremus, quæ in alterius gratiam creduntur data : veluti videtur intellectus practicus, [illegible] datus vt bonum, & malum, verum, vel falſum intelligat [illegible], aut concupiſcibilem moueat ad fugam mali, &

mo-

moleſti; & turpis; & ad proſequutionem boni, iucundi, pulchri: quæ non exequimur, niſi per potentiam animæ motiuæ, quæ potentia vt communiſſima, ſic nobiliſſima credi poteſt; &, quià Cicero *endelechiam* perpetuam, & continuatam motionem interpretatur; quià iidem libri apud Ariſt., & de motu, & de anima inſcribantur; & apud Platonem Theos hoc eſt Deus ab othein, hoc eſt ab impulſu, & principio motus creditur denominatus. non igitur irrationabiliter vltimo loco agitur de potentia animæ motiuæ, vt quæ etiàm intellectricem ſupponit, quæ diſcretiua dicitur ab Ariſt. quæque in brutis animantibus præeſt fenſibus: ità tamèn vt omnibus intellectus præſit, & animalis motus cauſa ſit. hæc tantùm differentia intèr bruta animantia, & homines; quòd in brutis anima rationalis non eſt forma ipſorum; ſed regit ea tamquàm intelligentia; homines verò formam habent hanc ſinguli ad numerum indiuiduorum multiplicatam.

Qùm itaque duæ præcipuæ animæ potentiæ referantur à philoſophis diſcretiua, quæ ad ſenſum, & intellectum pertinet, & loco motiua, quæ illam ſupponit. dictum ſit de diſcretiua: dicendum de loco motiua. de qua tria quærenda ſunt. primùm an ſit pars animæ ſeparabilis, aut magnitudine, aut ratione. an omnis potentia, & quælibet animæ ad hanc referatur; ità vt hæc potentia motiua omnes prædictas potentias eminentèr contineat, vt recto ordine ſupponit, & tota eſſentia ipſius ſit. Et, ſi pars eſt, ſecundo loco quærendum: an ſit pars quædam ſeparata, & diſtincta ab his omnibus: vel à Platone nominatis; nempe ab iraſcibili, concupiſcibili, & rationali; vel ab Ariſt. poſitis vt nutritiua, ſenſitiua, loco motiua, & intellectiua. an verò ſit vna ex his, & illa eadem, quæ dicitur loco motiua. Et tertio, ſi vna ex his eſt non ſeparata ab omnibus. quærendum an potentia loco motiua præſit cuicumque motui animalis: an ſolùm progreſſiuo.

Quo ad primam quæſtionem potentia motiua videbitur dicenda alicui fortè tota eſſentia animæ; quæ anima ab Ariſt. definitur *actus corporis, quòd habet vitam potentia*. quarè ex eo idem eſt anima, & vita. motus autem 8. phiſ. T. 1. dicitur vita; qua proptèr hæc potentia motiua videtur dicenda tota eſſentia animæ, & non pars ab aliis diſtincta.

Supponens autèm Ariſt. ex communi omnium conſenſu hanc potentiam non eſſe totam eſſentiam animæ; ſed partem ipſius; oritur ſecunda quæſtio poſita, de qua valde dubitandum eſſe ait; quià vſque adhùc non videtur ſufficientèr propoſitus numerus potentiarum. namquè multæ aliæ oriuntur differentiæ potentiarum, & penè infinitæ. vndè non immerito dubitatur: an hæc loco motiua ſit vna quædam potentia diſtincta ab omnibus narratis rationali, concupiſcibili, iraſcibili ex Platone; vegetatiua, ſenſitiua, progreſſiua, & intellectrice ex Ariſt.: Etenim iuxtà differentias allatas, aliæ videntur ponendæ partes; & potentiæ. Genericè enim nonnulli diuidunt animam in rationalem, & ratione carentem; per quam diſtinctionem latiùs ſeparari anima videtur, quàm per alias allatas; quippè hæc differentia poteſt competere, & vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, & cogitatiuæ. Vegetatiuæ quià vegetantis animæ plurimæ operationes videntur regi ab anima rationali. quippè ramos dilatare, folia ſtatutis temporibus emittere, alimenta diſtribuere, corticem intexere, ſemina vſque ad perfectionem defendere, & perfecta deponere; omnes partes demùm plantæ aptè conſtruere, videntur a-

ctiones cùm ratione procedentes: modo ſuprà explicato; quæ verò procedunt ſinè ratione, poſſunt innumeras habere differentias. Quò verò ad ſenſitiuam, nemo, inquit Ariſt. ponet aut irrationabilem, aut cùm ratione procedentem facilè, nàm eadem ratione videtur potentia ſenſitiua cùm rationabili concurrere, & cùm difficultate diſcernuntur: nec patet apertè: an eadem potentia vtraque ſit. ex ſeorſum diuerſa, idem enim videtur vtriuſque appetitus repellendi inconueniens, & conſonum attrahendi; ſed pro diuerſitate obiecti diuerſa ſunt impoſita nomina: itaut eadem propenſio in intellectu dicatur negatio, aut affirmatio; in voluntate velle, aut nolle: in irrationali concupiſcentia, & ira; in vegetante attractio, & excretio. diuerſificari, autèm hæ potentiæ videntur non re; ſed modo. quippè attractio, & excretio eſt tangibilium: concupiſcentia; & ira, tangibilium quidèm, ſed eminùs exiſtentium. exiſtentium. eminùs rationalium extrà intellectum: ratio in mente ipſa; quod ſi triplex ſit anima vegetans, ſentiens, intelligens, triplex etiàm erit appetitus, & in vnoquoque diuerſæ rationis. Et quoniàm animalia videntur maximè moueri per hanc potentiam motiuam, & præſertìm progreſſiuam, nam de ea, quæ eſt motus ſecundùm augmentum, ait, ſatis conſtare pertinere ad vegetantem, quam vocat nutritiuam, & generatiuam, quià per vtramque ſequitur augmentum: aut ſaltem inſtauratio indiuidui per nutritiuam, & ſpeciei per generatiuam. Motus reſpirationis, & pulſus; & ſomni, & vigiliæ agendum, inquit, inferiùs. tota igitùr difficultas ſupereſt modò de potentia motiua motu progreſſiuo; quæ non videtur pertinere ad vllam ex dictis facultatibus; non, inquit Ariſt., pertinet ad vegetantem; quià plantæ habent hanc animam vegetantem, & non habent potentiam motus progreſſiui; & hic motus progreſſiuus non videtur eſſe ſinè appetitu, & imaginatione; quæ potentiæ non inſunt plantis, & nihil ſinè imaginatione, & appetentia mouetur, niſi violentèr. Suadetur etiàm potentiam progreſſiuam non eſſe animæ ſentientis: quià multa animalia ſunt lapidibus affixa, quæ ſentiunt, ac nè quidèm habent inſtrumenta ad motum progreſſiuum conducentia. at natura, velut nihil agit fruſtrà, ità non deficit in neceſſariis. ſi itaquè non habent inſtrumenta, fruſtrà eſſet data illis ea facultas; &, ſi eam haberent, natura deficeret in neceſſariis. Demùm nequè ad intellectum pertinere motum progreſſiuum, probatur: quià intellectus vel eſt ſpeculatiuus, vel practicus. Non pertinet ad intellectum ſpeculatiuum: quià motus eius ſiſtitur in intellectione, & nihil agibile ſpeculatur. Non pertinet ad intellectum practicum: quià intellectus aliquandò practicus aliquid fugiendum ſpeculatur, quod concupiſcentia proſequitur; vt patet in his, qui incontinentes ſunt. Interdùm ſpeculatur aliquid proſequendum; nec proptercà animal mouetur. eſt igitur potentia loco motiua alia ab intellectrice aut ſpeculatiua, aut practica. interdùm ſpeculatur aliquid terribile, & fugiendum, nec propterà voluntas iubet timere, aut moueri cor; quod per ſe mouetur per aliud principium diſtinctum ab intellectu, & voluntate; & ad voluptatem etiàm mouentur aliæ corporis partes, quæ voluntatis arbitrio non ſubiacent, nec eius mandato attolluntur, aut contrahuntur. Medicus etiam, licèt habeat medendi ſcientiam, ſæpè non medetur: quià ſcientia non habet hanc vim mouendi illum.

ſed

ſed eſt aliquod aliud principium etiam, quod mouet; quod videri poſſet maximè appetitus; ſed nec appetitus quidèm huius motus dominus eſt: quià homo continens, licèt aliqua interdum appetit: tamèn ea non ſemper proſequitur, ſed regitur ratione.

Pro determinatione quænam ſit iſta potentia motiua, diſtinguendum eſſe, ait Ariſt. in motu progreſſiuo quid ſit id, quod mouet, quid ſit id, quod mouetur, & quid ſit, quo mouetur. Quod mouet, inquit, eſt ratio boni, quam vocat appetibile conceptum: ſiuè concipiatur intellectu, ſiuè phantaſia, ſiuè tactu. Quod mouetur, eſt animal. Id, quo mouetur, eſt inſtrumentum corporeum. Mouens eſt immobile: animal mouetur tantùm: inſtrumentum mouet, & mouetur, ideò debet eſſe in inſtrumento motus principium, & finis; principium ſub ratione qua mouet; & finis ſub ratione, qua mouetur. & quoniàm idem vt idem non poteſt eodem inſtanti moueri, & quieſcere; propterea animanti inſtrumenta omnia duplicia data ſunt à natura, vt, dùm vno mouetur altero quieſcat. & licèt quædam videantur ſimplicia vt lingua, naſus, cor &c. tamèn in corde duplex ſinus eſt: lingua eſt bifida; & nares duæ, aliàs animal progredi non poſſet: motùs autèm eiuſdem partis, vt manus dexteræ, aut ſiniſtræ ab hoc duplici principio quaſì progreſſiuè mouetur: vt ſi quis ſtante vno digito alium moueat in eadem manu, hoc euenit ob partium communicationem, & inſertionem villorum inuicèm. quarè etiàm in inſtrumento motus quolibet: vt ſimùl habeatur, & indiſtinctum principium, & finis motus eſt trochlea, & circulatio: ſic motus progreſſiuus eſt ſimplicitèr circularis: rectus autèm tantummodo ex accidenti: quià terminatur motio circulatis eodem plano, ex quo patet regulari motum progreſſiuum ab anima per conceptam rationem boni, ad quam ipſa mouetur motu ſibi connaturali: hoc eſt proportione reſpondente elemento ſtellarum. quo motu etiàm imperfecta animalia mouentur, quià mollia ſunt, & opus habent vario alimento. prout varium eſt illorum corpus alendum; quæ alitio omnibus viuentibus competit, vt augeantur, & conſiſtant; augeantur in inſtrumentorum perfectionem, perſiſtat ad vſum eorumdem inſtrumentorum, pro generatione ſibi ſimilis, in conſeruationem ſpeciei; & pro directione rei genitæ. ea itaquè viuentia, quæ terrea ſunt, vt plantæ: quoniam alimentum plurimum à terra habent, ſola terra poſſunt ali; quarè non opus habent motu progreſſiuo, nec ſenſu. Ac pili paritèr: quià eandem rationem habent in animali ſingulari pili, quam plantæ in terrarum orbe vniuerſo: & velutì totum animal ſingulare mouetur motu progreſſiuo per magnum terrarum orbem: ità muſculi motu quodam progreſſiuo procedunt in paruo mundo; ideoquè quibuſcumque animantibus ſenſus tactus ſaltèm neceſſarius eſt ad proſequendum delectabile, & euitandum noxium: vt auditus, & viſus ad hoc ipſum ſimplicitèr, non tantùm ad benè viuere, quià animal motu progreſſiuo incedens poteſt multa offendere noxia, quorum motus eminùs prænoſcendus, vt euitari poſſint. quæ animaduerſio habetur per auditum, quo etiam aeris motus vehementes compræhenduntur; quo etiam ab alijs animantibus monemur: vbi iuuantia, aut noxia quæri, aut vitari poſſint; quod pariter, ſed multo præſtantiùs, & accuratiùs præſtat viſus: cuius latiſſimus proſpectus

ctus eſt : quoniàm eo vitare debemus communiſſimam , & maximè efficacem rerum omnium deſtructionem : videlicèt ignem : vndè ignem, oculum dixit Emped. , & Plato in Timeo ex Ariſt. 1. de ſenſu, & ſenſ. c. 12.; &, quæ ignem ſequitur, lucem , in quam tandèm omnia reſolui dicuntur a neotericis quibuſdam , quoniàm vlteriorem reſolutionem non capit humanæ coniectura mentis . Ac præſertim homines , omnium animalium perfectiſſimum genus non ſolùm ſentire, & videre, quæ conſentanea ſunt, aut noxia debet ; ſed temporum interuallo præſentire , & prænoſcere, & conſilio ea omnia præſtare , quæ tactu , & ſenſu cætera præſtare valent animalia irrationalia.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

IN-

INDEX

CAPITVLORVM.

REI MEDICÆ DIVISIO 1
Neutra quæ ſint habenda in definitione Herophili f. 2
Peripatetici vndè dicantur f. 3
Denominationes cuiuſque ſcholæ eſſe ad rationem doctrinæ compoſitas f. 4
Peripatetici denominatio f. 5
Omnes penè ſcholas ad peripateticam reduci f.6
Dialecticæ Cap. I. f.9
De ſubiecto logicæ f. 10
De vniuerſali f.12
Concluſiones Stoicæ de vniuerſali f.15
Concluſiones Scepticæ de vniuerſali f.15
Concluſiones Accademicæ de vniuerſali f.16
Concluſiones peripateticæ de Vniuerſali f.17
De prædicabilibus fac.18
De genere f.19
De ſpecie f.20
De differentia f.21
De proprio f.22
De accidente f.23
Quid ſit prædicamentum f. 24 a
De æquiuocis, vniuocis, & denominationis f. 24 b
De rerum diuiſione f.25
Regula de prædicamentis eſſentialibus f.26 a
De diſtinctione generum ſubalternorum f.26 b
De prædicamentorum diuiſione f.27
De ſubſtantia f.28
Subſtantiæ diuiſio f. 30
De quantitate f 32
Qui nam ſit effectus formalis quantitatis f.34
De his, quæ ad aliquid f.35
De proprietatibus eorum, quæ ſunt ad aliquid f.37
De qualitate, & quali f. 39
De actione f.42
De paſſione f.43
De quando f.44 a
De vbi f.44 b
De ſitu f.45 a
De habere f.45 b
De oppoſitis f.47
De priori f.49
De ſimul f.5[illegible]

De

De motu f.51 a
De habere f.51 b
DE INTERPRETATIONE f.52
De ſignis f.53 a
De nomine, & verbo f.53 b
De enunciatione f.54 a
De enunciationum oppoſitionibus f.54 b
De rerum contingentia f.55
De enunciationibus infinitis f.56
De enunciationum vnitate, & pluralitate f.57
De enunciationibus modalibus f.58
DE PRIORIBVS RESOLVTIONIBVS f.60
De conuerſione propoſitionum abſolutarum f.62 a
De conuerſione propoſitionum modalium f.62 b
De prima figura ſylogiſtica f.63
De ſecunda figura f.64
De tertia figura f.65
De quarta figura f.66 a
De arte inueniendi medium f.66 b
DE POSTERIORI RESOLVTIONE f.67
De præcognitis f.68
De modis ſciendi, & de demonſtratione f.70
TOPICORVM f.74
De prædicatis dialecticis f.75 a
Enumeratio locorum in genere f.75 b
Locus ſextus a multiplici diſtinctione incogniti, & cogniti f.76
Locus 7 ab amphibologia f.77 a
Locus 8 a tranſumptione f.77 b
Locus 9 a genere ſubiecto f.78 a
DE PHANTASTICIS REDARGVTIONIBVS f.78 b
Diuiſio elenci f.79
CVR HI LIBRO INSCRIBANTVR DE NATVRALI AVDITIONE f.85
De ſub ecto naturalis philoſophiæ f.87
De diuiſione Ariſtotelicæ doctrinæ f.88
Textus primi explicatio f.89
Explicatio textus ſecundi phiſicorum T.92
Explicatio textus tertii f.94. a
Explicatio textus quarti f. 94. b
Concluſiones ſtoicæ de primo cognito f.97. a
Concluſiones ſcepticæ de primo cognito f.97. b
Concluſio academica de primo cognito f.98. a
Concluſio peripatetica de primo cognito f.98. b
Explicatio textus quinti phiſic. f.99
De eo, quod eſt, & principio immobili f.104
Explicatio Textus 45. f.114
Explicatio T.46. f.115
Explicatio tex.50. f.117
Explicatio t.56. f.119
Explicatio t.57. f.120
Explicatio t.58. f.121
Explicatio t.61. f.122
Explicatio t.62. f.123
Explicatio t.63. f.124
Explicatio t.64. f.125
Explicatio t.65. f.126. a
Explicatio t.66. f.126. b
Explicatio t.67. f.127
Explicatio t. 68. f.129
De materia prima f.130
Explicatio t.70. f.132
Explicatio t 71. f.133
Explicatio t.75. f.135. a
Explicatio t.76. f.135. b
Explicatio t.79. f.137
Explicatio t.8[illegible]. f.139
Ac medico ſit neceſsaria ſcientia rerum naturalium f.139. b
Concluſio ſtoica
Concluſio ſceptica f.140
Concluſio academica, & peripatetica f.141
An medico ſit neceſsaria cognitio primorum principiorum, & primarum cauſarum vſque ad elementa f.142
Concluſio peripatetica, & ſceptica f.143
Concluſio academica, & ſolutio argumentorum f.144
Parmenides, & Meliſſi opinio benè audita f.146

An naturæ lumine creatio concipi poſſit, et an Ariſtoteli fuerit nota f. 148
Quomodo in generatione ſubſtantiali forma vniatur materiæ f. 149
De principijs f. 153 a
De numero principiorum f. 153 b
Dubitationes circa numerum, regnarum principiorum f. 156
Defenditur deſcriptio principiorum f. 157
De materia f. 159
Materiæ primæ deſcriptio f. 160
An materia ſit ſubſtantia f. 161
An potentia ſit de eſſentia materiæ f. 163
An materia poſſit eſſe ſine forma f. 164
De creatione f. 165
An ſit eadem materia cæleſtis, & ſublunarium f. 167
De forma f. 169
De priuatione f. 171
Quomodo priuatio ſit principium naturalis generationis f. 172
De compoſito f. 173
Quid ſit natura f. 177
Quo ars diſtinguatur à natura f. 184
An ars poſſint efficere ea, quæ natura facit f. 185
Quo differat naturalis conſideratio ab artificiali, matematica, & metaphiſica f. 188
De cauſis f. 190
De cauſa materiali f. 191
De cauſa formali f. 192 a
De cauſa efficiente f. 192 b
De cauſa finali f. 194
De cauſa exemplari f. 197
De fortuna et caſu f. 200
De motu f. 202
Dubitationes circa ea, quæ dicta ſunt de motu f. 205
De infinito f. 209
De loco f. 214
Quot modis aliquod dicatur eſſe in alio f. 215
Proponitur definitio loci f. 216
De vacuo f. 221
De tempore f. 225
Quid ſit tempus f. 226
De motu, & eius differentijs f. 230
An detur tantum motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi f. 233
An ad alia ſeptem prædicamenta detur motus f. 235
De indiuiſibilibus f. 238
De indiuiſibilus, dictis copulatiuis f. 248
An detur primum indiuiſibile, in quo incipiat motus f. 249
Democriti ſententia declaratur, & Heracliti f. 252
Ad quas nàm qualitates terminetur alteratio f. 256
Quomodò motus ſint comparabile f. 258
Vndè nàm ſumatur comparatio ſingularis motus f. 260
De primo motore, motu, & mobili f. 261
Confusè agitur de motus perpetuitate f. 263
Non omnia ſemper moueri, nequè ſemper quieſcere f. 266
Omne, quod mouetur, ab alio moueri f. 269
Dubium a quo nàm moueantur grauia, & leuia f. 270
In motu non dari proceſſum in infinitum f. 274
De proiectis f. 275
De impulſis, & expulſis f. 278
Ex motu nos diuenire in notitiam primi motoris f. 281
DE CAELO f. 283
Explicatio textus primi f. 283
An cælum ex mente Ariſt. ſit ingenerabile, & incorruptibile f. 284
Argumenta problematica quibus Ariſt. cæli æternitatem probat f. 285 a
Quibus ex Ariſt. probatur eſſe corruptibile f. 285 b
Diluuntur argumenta ab Ariſt. prolata pro cæli incorruptibilitate f. 287
De mundi perfectione f. 289
An cælum ſit graue, vel leue f. 290
An motus circularis habeat contrarium f. 292

An mundus ſit finitæ magnitudinis f. 293
An mundus ſit vnus f. 294
De cæli diſpoſitione, & figura f. 296
De terra f. 297
Syſtema ptolemaicum f. 298
Syſtema Copernicæum.
Syſtema Ticonicum
Syſtema Argolicum
Syſtema Italicum, ſiue Pythagoricum
De luna f. 299
De lunæ maculis f. 303
De lunæ magnitudine, & partibus eius f. 304 a
De lunæ influxu in hæc inferiora f. 304. b
De Mercurio f. 306
De Venere f. 308
De Sole f. 310
De cauſis narratorum ſyſtematum f. 312
De Marte f. 313
De Ioue f. 314
De Saturno f. 315
AN DETVR GENERATIO SVBSTANTIALIS f. 317
Quid ſit generatio f. 318
De corruptione ſubſtantiali f. 320
De alteratione f. 323
An alteratio ſit motus continuus f. 324
De augmentatione f. 325
De nutritione f. 326
De rarefactione, & condenſatione f. 330
De actione, tactu, & mixtione f. 333
De actione f. 334
De mixtione, ſeu temperamento f. 338
Quomodò ſequatur mixtio f. 339
De principio materiali generationis elementorum f. 344
De principio formali elementorum f. 345
Dubitationes emergentes circà ea, quæ dicta ſunt in definitionibus quomodò calor, & frigus dicantur elementaria f. 348
Quomodò qualitates ſecundæ procedant ex primis f. 349
Quomodo calor, & frigus dicantur actiuæ: ſiccitas, & humiditas paſſiuæ f. 350
Quæ ſit ratio definitionum qualitatum ab Ariſt. traditarum f. 351
An cuilibet elemento ex propria natura competant duæ qualitates primæ ab Ariſt. ſtatutæ f. 353
An ignis ſit calidus, & ſiccus, & primò calidus f. 355
An aer ſit calidus, & humidus; & primò humidus f. 359
An aqua ſit frigida, & humida, & primò frigida f. 362
An terra ſit frigida, & ſicca; & primò ſiccas f. 365
De cauſis primarum qualitatum elementorum f. 366
De generatione elementorum inuicèm, & eorundem concurſu ad generationem mixti f. 371
De cauſis generationis, & corruptionis f. 373
An eadem res reproduci iterum poſſit, poſtquàm corrupta eſt f. 374
De cauſa efficiente, & materiali ſublunarium f. 377
De aere f. 378
De igne, & igneis apparentibus f. 379
De cometis f. 381
De lacteo circulo f. 386
Ariſtotelis opinio de lacteo circulo f. 388
Dubitationes circa explicationem textus de lacteo circulo f. 390
De pluuia f. 392
De fluminibus, & fontibus f. 396
De permutatione, & viciſſitudine aquarum, & continentis f. 397
De mari f. 398
De ventis f. 399
Dubitationes circa ventorum generationem f. 401
De ventorum differentijs f. 404 a
De terræ motu f. 404 b
De coruſcatione, & tonitru f. 407
De turbine præſtene f. 410 a

De

De area, ſiuè corona f. 410 b
De Iride f. 411
De paraelijs f. 413
De terra incluſorum generatione f. 414
De qualitatum actione & paſſione f. 416
De putredine f. 418
De coctione f. 421
De cruditate f. 423
De concretione, & liquatione f. 424
De corporum diſiunctione per affectiones ſenſibiles f. 427
DE ANIMA f. 429
Textus 13 de anima noua explicatio f. 439
Animæ prima definitio nouæ conſiderationis f. 445
Animæ definitio ſecunda f. 448
De animæ potentijs f. 453
De vegetatiua potentia f. 455
De longitudine, & breuitate vitæ f. 458
De iuuentute, & ſenectute f. 460
De ſanitate, & morbo f. 461
De alimento f. 462
De potentia animæ ſenſitiuæ in communi f. 463
De ſenſibili f. 467
De viſibili f. 469
Quod nàm ſit viſus organum &c. f. 472
De auditu f. 474
De olfactu f. 477
De guſtu f. 479
De tactu f. 482
De ſenſatione f. 485
Non dari niſi quinque narratos ſenſus f. 486
De ſenſu communi, e de memoria, & reminiſcentia f. 489
De ſomno & vigilia f. 491
Cuius ſit ſomnus, & vigilia; & harum cauſa efficiente f. 492
De cauſa finali ſomni, & vigiliæ f. 494
An viuentibus omnibus competat dormire, & vigilare ibidem
De inſomnijs f. 495
De notitia habita per ſomnium f. 497
De ſenſu communi f. 499
De intellectu f. 503
De intellectu poſſibili f. 505 a
De intellectu in habitu f. 5 5 b
De intellectu agente f. 507
De intellectus obiecto, ſeu intelligibili f. 503
De Intellectu practico &c. f. 510 a
De potentia animæ motiuæ f. 510. b

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by [illegible]

LABORATORIO DI RESTAURO
S. FRANCESCA ROMANA
Via del Teatro di Marcello 32 00186 ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google